1033

28
72



CURSUS PHILOSOPHICUS

AD MENTEM

B. ÆGIDII COL. ROM.

DOCTORIS FUNDATISSIMI, ORDINIS EREMITARUM S. P. N. AUGUSTINI PRIORIS GENERALIS, ARCHIEPISCOPI BITURIC. AQUITANIÆ PRIMATIS, & S. R. E. CARDINALIS:

AUTHORE

R. P. M. FR. JOANNE

HIDALGO ASTIGIENSI,

PROVINCIÆ BÆTHICÆ EJUSDEM ORDINIS S. P. N. AUGUSTINI EX-DIFFINITORE, IN SACRA THEOLOGIA DOCTORE, ATQUE IN UNIVERSITATE HISPALENSI VESP. CATHEDRÆ PROFESSORE:

AB EADEM PROVINCIA IN LUCEM EDITUS,

ET DICATUS

EXMO. PRINCIPI, ILLMO. DOMINO

D. FR. GASPARI

DE MOLINA, ET OVIEDO,

D. JACOBI CUBENSIS PRIMUM, DEINDE BARCINONENSIS, & nunc Malacitanæ Ecclesiæ dignissimo Præsuli, Catholici Regis à Consiliis, in Supremo Castellæ Senatu Præsidi, & S. Cruciatæ Tribunalis Gubernatori, & Generali Commissario, ex eodem Eremitarum Ordine, & Bæthica Provincia assumpto.

TOMUS I.

COMPLECTENS SUMMULAS, ET LOGICAM.

BIBLIOTECA PROVINCIAL DE BURGOS

CORDUBÆ: In Vico Cistercienſi, per Petrum Arias.
Anno Dñi 1736.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI,
ILLMO. DOMINO,

D. FR. GASPARI
DE MOLINA, ET OVIEDO,

D. JACOBI CUBENSIS PRIMUM, BARCINONENSIS deinde, & nùnc Malacitanæ Ecclesiæ dignissimo Præsuli, Catholici Regis à Consiliis, S. Cruciatæ Tribunalis Gubernatori, & Generali Commissario, atque in Supremo Castellæ Senatu Præsidi.

EXME. PRINCEPS,

SI LICUIT OLIM PAUPERCULÆ Viduæ inter ditissima divitum munera, inter superbas vanitatis oblationes in gazophylaciũ Templi de tenui substantia offerre æra minuta duo, neque sine acceptatione, imò neque sine commendatione cessit despicabile munus; & cur hæc tua non audeat Bæthica Provincia vel exiguo te hoc salutare munusculo? Equidem (1) *benignitas Superioris, nisi cultu teneatur, amittitur*, ferè enim despicit, qui non reveretur obsequio, sed, ut scitè admodum Seneca: (2) *Non quid fiat, aut quid detur, refert, sed qua mente; nam animus est, qui parva extollit, sordida illustrat.* Ergo audet per circumstantes Procerum

(1) Sym. lib. 1 epist. 40.

(2) De benef. lib. 1. c. 6.

catervas irrepere, tanti Principis Solium adit impavida, humerum utriusque orbis pressum pondere pulsat lenitèr, oculos tot, tantis, talibus debitos curis ad se convertit, ut tantillum hoc offerat munus; quis enim de amantissimæ Matris in filium, & tantum, ac talem affectu dubitet? Ergo adest, & hilaris animum, non munera jactat.

Verùm me herclè quid exiguum dicam, quid timeam despicabile, quod turè ipse dignaris? Ægidii N. fundamentalem doctrinam è puris ipsius textus fontibus eruere in hac Bæthica Provincia vel primus cœpisti, vel certè inter primos; pro eo, quo polles, ingenii acumine singulari, qua studiosos amplecteris animi propensione, quo Ægidianam doctrinam affectu prosequeris, cæteros ad hoc ipsum exemplo, hortatu, protectione adduxisti, impulisti, fovisti, quod, quominùs tu ipse præstares, magna nostra jactura continua negarunt graviſsima negotia. Authori imposuisti onus, impositum, ut ad umbilicum perduceretur, cura, & protectione fecisti. Te igitur jure hic Cursus Patronum ambit: proh Deus, quantum!

(3) Claud. in Paneg. Theod.

Nil jam relictum,
Quo virtus animo crescat, vel splendor honore:
Culmen utrumque tenes. (3)

(4) Symm. lib. 3. Epist. 21.

Et quidem quamquàm (4) *probitate, & honore pollentibus viris nihil addit aliena oratio; sua enim luce conspicui precariis testimoniis non juvantur*; libet tamen affectui, libet potiùs indulgere rationi: *Cuncta siquidem, unde famam* (5) *captat humanitas, in te geminata sederunt, patria, genus, instituta præclara; quorum si unum nobilitatem complet, in te collecta plus facient, qui non minus genitalis soli fortunâ resplendes, quàm gloriâ stemmatis, & virtutis ornaris.* Genus quidem,

(5) Cassiod. lib. 2. Ep. 41.

&

& avitam in Hiſpania Nobilitatem ſatis gentilitia ſtemmata indicant, abundè prædicat præclarum cognomen de *MOLINA*, quod è purioribus Nobilitatis fontibus non degeneri tramite rivulus profluit: è clariſsima, & notiſsima ſtirpe Comitum de Lara (6) proceſsit Comes de Molina, unde cognomen, & origo. Sed:

(6) Com. de Barc. t. 10.

(7) *Stemmata quid faciunt, quid prodeſt Pontice longo*
Sanguine cenſeri, pictos oſtendere vultus
Majorum? (8) *Virtute decet, non ſanguine niti.*
Major, & utilior facto conjuncta potenti,
Vile latens virtus; quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit?

(7) Juven. ſatyr. 8.

(8) Claud. in 4. Conſ. Hon.

Siquidem (9) *non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus; nemo in noſtram gloriam vixit; neque quod ante nos fuit, noſtrum eſt.* Præſtat igitur, quæ tua ſunt, præclaras virtutes, & ſingulares animi dotes perſtringere; ſed praſtat hæc ſilentio tegere, quàm rudi penicillo deturpare: quis enim portum in tàm vaſto Oceano dexter Palinurus attingat? Quis ſingularem excelſi animi magnitudinem: quis hilarem ſemper oris affabilitatem: quis clementiam dignis depingat coloribus, verè dignam Principe?

(9) Senec. Ep. 44.

(10) ——— *Nam cùm vincamur in omni*
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

(10) Claud. ubi ſup. à.

Quis amico adeo fœdere copulavit unquã, quæ non benè cõveniunt, nec in una ſede morãtur, oris jucundiſsimã affabilitatem, & majeſtatis ſeveritatẽ, ut illud idem, quo mirè corda rapis, verborum lepidiſsima jucunditas, & vultus affabiliſsima hilaritas, ſic te Patrem offendat, quòd declaret Principem; ſic in amorem rapiat, quòd augeat veneratiõnis obſequium? Certè (11) *ſeveritatem iſtam pari jucunditate condire,*

(11) Plin. lib. 4. Epiſt. ad Hadr.

ſum-

ſummæque gravitati tantum comitatis adjungere, non minùs difficile, quàm magnum eſt.

Quis in dulci adeo mitiſsimi animi lenitate æquiſsimam, & omninò inflexibilem judicii rectitudinem digno celebrabit encomio? Sed quis non, cùm nullus non experiatur? Nùnc certè, te Judice:

(12) Claud. in 3. conſil. Hon.

(12) *Non dominantur opes, non corrumpentia ſenſus*
Dona valent, emitur ſola virtute poteſtas.

Nùnc verè:

(13) Idem in 4. conſ. Hon.

(13) *Firmatur ſenium juris, priſcamque reſumunt*
Caniciem leges, emendanturque vetuſtæ,
Acceduntque novę; talem ſenſere Solonem
Res Pandioniæ.

Non equidem immeritò te vel à puero certatim quærunt dignitates, officia ambiunt, negotia viderentur opprimere, niſi eventus ipſe probaret excelſi ſpiritus tui vires oneri ſuppares, quod ipſum ſuperaret Briareum; non, inquam, immeritò onus oneri ſuperincumbit, & dignitas dignitatem inaudita hactenùs celeritate ſequitur; qua enim vigilantiſsima ſolertia, qua oculatiſsima prudentia, quo indefeſſo zelo ſingula exequeris, majori ſemper te dignum probas. Novit Noſter Catholicus Rex, fama ingenti præconizante voce, excelſas animi tui dotes, & te ad Sancti Jacobi Cubenſem Epiſcopatum promovit; vix tamen hujus occaſione è proximo expertus eſt celſiſsimum ſpiritum, ingentem animam, atq; quibuslibet gerēdis rebus idoneā capacitatē, cùm te Barcinonenſi deputavit Eccleſiæ, & penè currenti ſimilis, Sanctæ Cruciatæ Generalem Commiſſarium, Supremi Caſtellæ Senatùs Præſidem, Malacitanum dixit Epiſcopum, ut ipſa, qua ſe honores conſequuntur, & gratiæ, mira celeritas meritorum pondus exprimeret, ut jure tibi potiùs, quàm

ſuo

suo Principi scripsisse videatur Claudianus: (14)

Non generis dono, non ambitione potitus:
Digna legi virtus, ultrò se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.

(14) In 4. cons. Hon.

(15) *Sed jam servabo Epistolæ terminos; namque vereor, ne hæc ipsa afferant fastidium præclaræ verecundiæ tuæ, cùm æquare non possint vicem gratiæ; illa potiùs gaudia te munerentur, quæ meritorum securitas parit.* Accipe igitur, qua soles, benignissima fronte hujus tuæ Provinciæ non tàm munus, quàm obsequentissimi affectus qualecumque monumentum, cujus honori, protectioni, fœlicitati D. O. M. te diù servet incolumem.

(15) Sym. lib. 4. ep. 7.

CENSU

CENSURA R. P. M. PETRI DE EL BUSTO, Societatis Jesu, in Cordubensi Collegio Sacrarum Literarum Interpretis.

PLURIMORUM VOTIS EXPETITUS, MAJORI plausu excipiendus, prodit in publicum Orbis Theatrum Logicus iste Tomus, quem, eo, quo pollet, ingenii acumine, maximo Studiosorum emolumento concinnavit R. A. P. M. F. Joannes Hidalgo, Augustinianæ Familiæ Decus eximium, integrum Philosophiæ Cursum jam jam daturus in omnium oculos. Qui Virum noverint, haud inficias ibunt, in eo certare eruditionem castigatam, profundam rerum intelligentiam, investigationem sententiarum exactissimam, diligentiam studii, præstantiam doctrinæ, styli suavitatem, felicitatem ingenii. Utrum ex his præcellat?

Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.

Illud indubium, nullos non æquat, à nemine vincitur. Non alio tantùm (Operi credite) se jactabit Alumno Aureliana Propago, neque tali unquam Philosophia superbiet incremento. Hic, hic est, qui alterum spirat Ægidium; ita enim incredibili modo utriusque Astrum consentit, ut indiscretum ab utroque exoriatur lumen, cujus ductu, labore exiguo multam doctrinam Lector comparabit, obstupescetque tactum de Cœlo calamum fulmine ingenii, luminum splendore. Opus igitur legi, perlegique avidus, faciliùs, quàm satiandus, defecturus: nihil parvum, aut humili modo, nil mortale sonat omninò: nullam morbidam instillat doctrinam, nullam fucatam, nullam, nisi sanam, rectæque Fidei, ac moribus consonam; quare dignum Typis, oculis dignum, dignum theatro haud dubiè censeo. Cordubę in Collegio Societatis Jesu, postridie Nonas Septemb. an. 1736.

JHS.

Petrus del Busto.

LI-

LICENTIA ORDINARII.

NOS D. D. FRANCISCUS MICHAEL MORENO, & Hurtado, Almæ Cathedralis Ecclesiæ Cordubensis Portionarius, ejusque Civitatis, & Diœcesis Provisor, & Vicarius Generalis, ab Illustrissimo Domino D. Thoma Rato Ottoneli, hujus Diœcesis Episcopo, Regisque Consiliario. Recognito Tomo primo *Cursus Philosophici* admodùm R. P. M. Fr. Joannis Hidalgo, Ordinis S. P. N. Augustini, Provinciæ Bethicæ Ex-Diffinitoris, & in Hispalensi Universitate Versper-tinæ Cathedræ Moderatoris: & inspecta censura per admodum R. P. M. Petrum del Busto, in suo Societatis Jesu Collegio Sacrarum Literarũ Professorem, & quòd nihil redolet alienum à Nostra Sancta Catholica Fide, & rectis moribus, licentiam concedimus, ut Typis mandari possit, & mandetur in quocumque hujus Civitatis Prælo. Datum Cordubæ die 24. mensis Septembris anni 1736.

Doct. D. Franciscus Michael
Moreno Hurtado.

De mandato D. Provisoris

Ildefonsus Gomez de Lara.

CENSURA R. Adm. P. N. M. Fr. LUDOVICI DE Cea, olim Conventus S. P. N. Augustini Montullien-sis, Cordubensis,& Hispalensis Prioris; hujus Provinciæ Bæthicę Diffinitoris, ac ejusdem Ex-Provincialis; San-ctæque Fidei Supremi, ac Generalis Senatus Qualifica-toris. Et R. P. Mag. Fr. Gasparis Sanchez, utriusque Conventus Hispalensis, & Cordubensis Prio-ris, ac ejusdem Studiorum Præfecti.

EXOPTATUM HOC INTEGRUM PHILO-sophicum Opus singulari eruditione pro com-muni utilitate compositum juxta profundam, ac Fun-damentalem doctrinam N. B. Ægidii Rom. Column. Doct. Fundatis. à R. P. M. Fr. Joanne Hidalgo, hujus Bæthicæ Provinciæ Ord. Eremitar. S. P. N. Augustini Alumno, & Ex-Diffinitore; in Universitate Hispalensi Doctore Laureato, & Vespertinæ Theologiæ Cathedræ publico Professore; solo Authoris nomine inspecto, sa-né opus non esse judice æstimavimus; nec mirandum, cùm jam diu, imò à principio rei Theologicæ consul-tissimum, eruditionis plenum, atque eloquentiæ Vi-rum, verè Palladium, & venerati simus, & admirati; tamen superiori præcepto R. adm. P. N. Lect. Jubilati Fr. Didaci Tellado, præfatæ Provinciæ Prioris Pro-vincialis, quo Censores efficimur, libentissimé obse-quentes, totum sedulò inspeximus, quaquè potuimus indagine, & voluptate non modicâ evolvimus.

At inter tot complacentiæ, & allicientiæ incita-menta id unum molestè deturbat, nostri scilicét cum Authore ex Religione affinitas, quæ ex rigidis modes-tiæ præceptis ad ejus promeritam commendationem voces opprimeret, linguam obseraret, & arctissimè ca-lamum contineret: erigit nihilominùs ita planum, ac omnibus patefactum, ut affectus præveniat calumniam; opus utique singulare, & quo nihil præstantius, inge-

pio-

nioſiùs; aùt ſolidius poſſet ſcribi; eſt èquidém de eō-rum numero, in quorum commendationem ajebat Divus Ambroſius: (1) *Bonorum operum proprium eſt, ut externo commendatore non egeant, ſed gratiam ſuam, dùm videntur, ipſa teſtantur.*

(1) Div. Ambr. in Exam. cap. 1.

Quamobrem nullus, qui meritâ, ac debitâ Opus hoc attentione perlegerit, affinitatis vitio, ſed ingenuitatis virtuti, & ingenti veritatis ponderi vertendum putabit, quidquid decoris invenerit; exiguum eſt dicere, dignum admirari: *Si interrogor* (inquit Seneca (2) *major ille eſt, qui judicium abſtulit, quàm qui meruit.*

(2) Senec. Epiſtol. 100.

Nullum fœcundius, ſubtilius, aut vivacius; in ſingulis eminet, & quò frequentius opus, eò rarius Authoris præclarum irradiat ingenium; ipſum anxiè, & avidiſsimè exoptabamus, imò quám plurimi, etiam ex extraneis, magnum quid ſpe concipientes, & Authoris notiſsimi famâ quid nobiliſsimum cogitantes, in lucem prodire ſummoperé ſtudent; ſed nulli à ſuo deſiderio fraudati, & ſpem, & famam omnes paritèr cogimur cum Plinio ſuperatâ fateri: *Magna Doctorem noſtrum fama præceſſerat, major tamen inventus eſt.* (3) Supra ſpem Author noſter factis exurgit, famam ipſam longiùs excedit: *Spe major, fama melior.* (4)

(3) Plin. 2. Epiſt.

(4) Claudian. in laudib. Stilic. paneg. 30.

Cuncta ſubtilitate acuminis intertexta demiramur, cum claritate profunditatem, cum varietate methodum, cum novitate ſoliditatem, cum brevitate copiam, atque firmitatem ſapientiæ cum ingenioſitate omnimodam. Quam rectè in profundis Noſtræ Fundamentalis Scholæ liminibus figit manum! Quàm fœlicitèr ſequitur, & ſtylo intra Scholam eleganti, & ſententioſo utitur ornamento! Quantâ cum ſoliditate arguit! Quàm ſubtilitèr abdita quæque interpretatur facilia! Quàm propriè Noſtri Fundamentalis Ægidii profundam mentem exponit, clarè explicat, & defendit acutè! Magna eſt ejus in proponendis Noſtri Purpurati Doctoris rationibus diligentia, in inveſtigandis earum ſenſibus ſolertia, & in proferendis fides utrique æqualis. *Fides in teſtimoniis, virtus in argumentis, pondus in ſenſibus, flumen in verbis, fulmen in clauſulis.* (5)

(5) Sydon. Apoll. lib. 9. epiſt. 7.

Tandèm in universum resplendet Opus, non solùm Tyronibus aptum, verùm etiam Doctoribus proficuum, & omnibus tanquam in clarissimo speculo offert *Naturam ingenii, doctrinam scientiæ, & visum assiduitatis, in quibus consistit* (inquit Tullius) *tota pueritia docendi.* (6) Sed abstinentes à laudibus, moniti Salomonis sententiâ: *Laudet te alienus, & non os tuum,* (7) in hoc Opere nihil devium contineri, Orthodoxæ Fidei non conforme, bonis moribus non affine judicamus, sed totum, inspirante Minervâ, ita est undequaquè perfectum, ut ne à livore queat reprehendi; gloriam suam Opere isto perenniùs ex sententia Nasonis duraturo fœlicitèr Author noster exstruxit; sic canit:

Tabida consumit ferrum, lapidemque vetustas,
Nullaque res majus tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: scriptis Agamemnona nosti,
Et quisquis contra, vel simùl arma tulit.
Fit vivax scriptis virtus, expersque sepulchri
Notitiam feræ posteritatis habet.

Propterea Prælo dignum, ad magnam Reipublicæ Literariæ utilitatem, & præclarum Nostræ Religionis ornamentum, Scholæ Fundamentalis gloriam, ac deniquè Authoris decus (salvo meliori judicio) judicamus &c. In hoc S. P. N. Augustini Cordubensi Regali Cœnobio die 25. mensis Septembris anni 1736.

(6) Rhetoric. 2.

(7) Proverbior. 4.

M. Fr. Ludovicus de Cea. *M. Fr. Gaspar Sanchez.*

LICEN-

LICENTIA ORDINIS.

NOS Lect. Jubil. Fr. Didacus Tellado, Prior Provincialis Ordinis Eremitarum S. P. N. Augustini in hac Alma Provincia Bæthica de Observantia, tenore præsentium facultatem facimus P. Lect. Jub. Fr. Augustino de Luque, hujus N. Provinciæ Alumno, ut Cursum Philosophicum in tres Tomos divisum, compositum per R. P. M. Fr. Joannem Hidalgo, in Hispalensi Academia Doctorem, in eaque Vespertinæ Cathedræ Maderatorem, hujusque Provinciæ Ex-Diffinitorem, quem R. adm. P. N. M. Fr. Ludovicus de Cea, hujus nostræ Provinciæ Ex-Provincialis, Regalisque, ac Supremi Senatus Sanctæ Generalis Inquisitionis Qualificator: ac R. P. M. Fr. Gaspar Sanchez, olim Prior Regalis Conventus Cordubensis, quibus id commisimus, approbaverunt; possit Typis dare, servata forma Sacrosancti Concilii Tridentini, necnon Regalibus Statutis circa Librorum impressionem. In quorum fidem has literas, manu nostra subscriptas, & nostri Muneris sigillo munitas, ac à Secretario nostro refrendatas, ei dedimus in nostro S. P. N. Augustini Granatensi Cœnobio die 10. mensis Septembris anni Domini 1736.

Lect. Jub. Fr. Didacus Tellado,
Prov.

De mandato R. A. P. N. Provincialis

M. Fr. Michael de Medina
Secr.

Reg. lib. 3.

CENS.

CENSVRA, ET JVDICIUM D. D. JOANNIS GOMEZ BRAVO; Almæ Cathedralis Cordubenſis Eccleſiæ Canonici Magiſtralis, & Examinatoris Synodalis.

JUSSU Regalis, atque Supremi Caſtellæ Senatûs legi Curſum Philoſophicum, juxta mentem Fundamentalis Doctoris B. Ægidii Columna Romani elaboratum á R. P. M. Fr. Joanne Hidalgo Eremitarum S. Auguſtini Provinciæ Bæthicæ Alumno; in quo multa vetera novè elucidata, multaque nova ſubtilitèr excogitata reperi; quod nec extraneum, nec mirum debet reputari, nam quæ nùnc vetuſtiſsima ſunt, aliquando nova fuere; & quia novam Spartam aggreſſo, quam unus, vel alter levibus veſtigiis preſsit, novis ſemitis opus eſt ad aſſequendum. Sed: An conſecutus? aliis peritioribus, maximèque verſatis in operibus B. Ægidii evolvendis cenſendum relinquo; quod ad me ſpectat, invenio opus ingenio plenum, nihil contra Catholicæ Fidei veritatem, nihil contra bonos mores continens: unde exiſtimo poſſe, ut publicam lucem videat, facultatem impertiri. Cordubæ die 7. Novembris anni 1735.

D. D. Joannes Gomez Bravo.

LICENCIA DEL REAL CONSEJO.

TIENE Licencia de el Real Conſejo de Caſtilla el R. P. M. Fr. Juan Hidalgo, del Orden S. Auguſtin, para imprimir, y vender eſte Libro intitulado: *Curſus Philoſophicus &c.* como mas largo conſta del Original, certificado por Don Miguel Fernandez Munilla, Secretario de el Rey N. Sr. ſu Eſcribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Conſejo: En Madrid à 19. de Mayo de 1736.

SUMMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Real Conſejo eſte Libro á ſeis mrs. cada pliego, el qual contiene ciento y nueve pliegos; à cuyo precio mandaron ſe venda el dicho Libro, y no mas.

INDEX

DISPUTATIONUM, ET CAPITUM, QUÆ CONTINENTUR IN SUMMULIS, ET LOGICA.

DISPUTATIO PRIMA

DE PERTINENTIBUS AD PRIMAM INTELLECTUS Operationem.

Cap. 1. De Signo in cómuni. Pag. 5
Cap. 2. Dividitur Signum 21
Cap. 3. De termino Logico. 34
Cap. 4. Dividitur terminus. 39
Cap. 5. Dividitur terminus ratione ſubjecti. 60
Cap. 6. Ulteriùs dividitur terminus. 68
Cap. 7. Reliquæ termini diviſiones. 72
Cap. 8. De proprietatibus termini, & primùm de ſuppoſitione. 83
Cap. 9. De reliquis termini proprietatibus. 88

DISPUTATIO SECUNDA.

De pertinentibus ad ſecundam intellectûs operationem.

Cap. 1. De oratione, & modo ſciendi. 90
Cap. 2. De definitione. 94
Cap. 3. De enuntiatione, & partibus ejus. 98
Cap. 4. De propoſitione 102
Cap. 5. De propoſitione hypothetica. 105
Cap. 6. De propoſitione modali. 109
Cap. 7. De proprietatibus propoſitionis categoricæ *de in eſſe*. 110
§. 1. De oppoſitione propoſitionis categoricæ *de in eſſe*. 110
§. 2. De æquipollentia propoſitionum *de in eſſe*. 114
§. 3. De converſione propoſitionum *de in eſſe*. 115
Cap. 8. De æquipollentia, & converſione modalium. 118

DISP.

DISPUTATIO TERTIA:
De pertinentibus ad tertiam intellectûs operationem.

CAp. 1. De argumentatione in communi. 122
Cap. 2. De syllogismo. 126
Cap. 3. De dispositione syllogismi in modo, & figura. 128
Cap. 4. De reductione syllogismorum. 138

IMDEX DISPUTATIONUM, QUÆST. ET ART. QUÆ CONTINENTUR IN LOGICA.

DISPVTATIO PRIMA.
De Proœmialibus Logicæ.
QUæst. 1. De objecto Logicæ.
Art. 1. Quid sit objectum habitûs in communi? 3
Art. 2. Quodnam sit objectũ materiale Logicæ? 6
Art. 3. Quodnam sit objectũ formale Logicæ? 12
§. 1. Quibusdam notatis referuntur sententiæ.
§. 2. Proponitur, & probatur nostra conclusio 16
§. 3. Solvuntur argumenta, quæ directè sunt contra conclusionem. 19
§. 4. Solvuntur fundamenta aliorum. 23
Art. 4. Quodnam sit objectum attributionis Logicæ? 29
Quæst. 2. De his, quæ Logica consequitur ex objecto.
Art. 1. An Logica sit scientia simpliciter? 32
§. 1. Præmittuntur necessaria, & referuntur sententiæ
§. 2. Nostra conclusio proponitur, & probatur. 37
§. 3. Solvuntur argumenta. 45
Art. 2. An Logica docens, & utens distinguantur? 49
Art. 3. An Logica sit unus habitus, & simplex qualitas? 59
§. 1. Quibusdam notatis, referuntur sententiæ.
§. 2. Proponitur, & probatur nostra conclusio. 61
§. 3: Solvuntur argumenta. 64
Quæst. 3. De fine Logicæ.
Art. 1. An Logica sit practica, vel speculativa? 73
§. 1. Explicatur quid est praxis.
§. 2. Resolvitur principalis difficultas. 81
Art. 2. Vtr. Logica sit necessaria simpliciter ad alias scientias acquirendas? 86
DISPVTATIO SECUNDA.
De Universalibus secundùm esse.
Quæst. 1. De existentia naturæ Universalis.
Art. 1. In quonam consistat 2. intentio logica?
§. 1. Præmittuntur notabilia. 94
§. 2. Referuntur sententiæ 96
§. 3. Expenditur sententia N. Villanovæ. 100

§. 4.

§. 4. Noſtra ſententia proponitur, & probatur. 107
§. 5. Solvuntur argumenta. 110
Art. 2. An dentur in rebus univerſalia? 114
Art. 3. Quid ſit univerſale? 121
Art. 4. Quomodò detur in rebus univerſale? 126
§. 1. Expenditur univerſale Plat. 126
§. 2. In re ante opus intellectus nihil eſt univerſale formalitèr, & in actu. 132
§. 3. Nra. & cómunis ſent. probat. 137
Q. 2. De paſſionib. naturæ univerſalis.
Art. 1. An natura univerſalis à parte rei habeat unitatem ſibi propriam? 143
§. 1. Quibuſdam notatis, referuntur ſententiæ.
§. 2. Probatur noſtra ſentent. 147
§. 3. Solvuntur argumenta. 149
Art. 2. Quomodò diſtinguantur in re gradus univerſales?
§. 1. Quibuſdam notatis, referuntur ſententiæ. 153
§. 2. Inter gradus univerſales non datur diſtinctio ex natura rei. 157
§. 3. Expenduntur fundamenta Scotica. 160
§. 4. Inter gradus metaphyſicos à parte rei non datur diſtinctio intentionalis. 175
§. 5. Bachonica fundamenta ſolvuntur. 179
§. 6. Noſtra ſententia. 188
§. 7. Solvuntur argumenta. 289
Quæſt. 3. De actu, per quem fit univerſale.
Art. 1. An in formando univerſale interveniat præciſsio objectiva, vel tantùm formalis?
§. 1. Quibuſdam notatis, referuntur ſententiæ. 195
§. 2. Noſtra ſententia proponitur, & probatur. 197
§. 3. Solvuntur argumenta. 200
§. 4. Expenditur ſententia N. Manſ. 207
§. 5. Explicatur præciſsio in Angelis, & vindicatur B. D. ab argumentis N. Argent. 214
Art. 2. Per quem actum intellectus fiat univerſale?
§. 1. Quibuſdam notatis, referuntur ſententiæ. 221
§. 2. Proponitur, & probatur prima concluſio. 224
§. 3. Proponitur 2. concluſio. 228
§. 4. Argumenta contra primam concluſionem. 232
§. 5. Argumenta contra ſecundam concluſionem. 236

DISPUTATIO TERTIA.
De Prędicabilibus.

Quęſt. 1. De Prædicabilibus in communi.
Art. 1. An prædicabile dividatur adæquatè in illa quinque? 245
§. 1. Relatis ſententiis, probatur communis concluſio.
§. 2. Solvuntur argumenta. 246
Art. 2. An univerſale ſit genus ad quinque prędicabilia? 250
Quæſt. 2. De Genere 1. Prædicabili.
Art. 1. An genus benè definiatur à Porphyrio?
§. 1. Rationes dubitandi, & reſolutio articuli. 255
§. 2. Solvuntur argumenta. 259
Art. 2. Quodnam ſit definitum in definitione generis? 162
§. 1. Quibuſdam notatis, probatur noſtra concluſio.
§. 2. Solvuntur argumenta. 270
Art. 3. An genus actu, vel potentia contineat differentias? 274
§. 1. Probatur noſtra ſententia
§. 2. Solvuntur argumenta. 278
Art. 4. An genus ut totum, vel ut pars prædicetur de ſpeciebus? 282
Art. 5. An genus poſsit immediatè individuari? 284
Art. 6. An, & quomodò genus

prædicetur de individuo? 288
Quæst. 3. De Specie.
Art. 1. an species subjicibilis rectè definiatur à Porphyrio? 291
Art. 2. an species subjicibilis sit prædicabilis? 297
§. 1. Examinatur difficultas in sensu identico. 298
§. 2. Expenditur difficultas in sensu formali. 300
§. 3. Expenditur in sensu causali 603
Art. 3. Per quid constituatur species in ratione secundi Prædicabilis? 306
Art. 4. an species prædicabilis benè definiatur à Porphyrio? 313
Art. 5. an species conservetur in unico individuo, aut genus in unica specie? 318
§. 1. Quibusdam præmissis, probatur nostra sententia. 318
§ 2. Solvuntur argumenta. 321
Art. 6. an natura, cui plura repugnant individua, sit species prædicabilis? 327
§. 1. Relatis sententiis, probatur prima conclusio. 327
§. 2. Probatur secunda conclusio. 331
§. 3. Solvuntur argumenta contra primam conclusionem 335
§. 4. Argumenta contra secundam conclusionem. 340
Quæst. 4. De Individuo.
Art. 1. an individuum benè definiatur à Porphyrio? 343
Art. 2. an possit abstrahi una ratio communis omnibus individuis? 349
Quæst. 5. De Differentia.
Art. 1. Quid, & quotuplex sit differentia? 353
Art. 2. an prima divisio exacta sit, & qualis? 357
Art. 3. an differentia infima includat subalternas? 362
Art. 4. Per quid constituatur differentia in ratione 3. Prædicabilis? 368
Art. 5. an definitio differentiæ, ut Prædicabilis est, sit exacta? 373
Quæst. 6. De Proprio, & accidenti.
Art. 1. Quid sit Proprium, & quotuplex?
§. 1. Singularis sententia Doctoris Resoluti. 377
§. 2. Resolvitur articulus. 380
Art. 2. De accidente. 383

DISPUTATIO QVARTA.
De Prædicamentis.

Quæst. 1. De anteprædicamentis.
Art. 1. Explicantur univoca, æquivoca, & denominativa. 387
Art. 2. Quid sit, & quotuplex analogia? 395
Art. 3. Divisiones, & regulæ anteprædicamentales. 399
Art. 4. Quid sit prædicamentum, & quotuplex? 403
Art. 5. Dubitationes nonnullæ circa conditiones antepredicamentales. 410
Quæst. 2. De Substantia.
Art. 1. Quid sit, & quotuplex substantia?
§. 1. Expenditur conceptus substantiæ. 415
§. 2. Solvuntur argumenta. 418
§. 3. Non repugnat substantiam inhærere. 421
§. 4. Dividitur substantia. 426
§. 5. Proprietates utriusque substantiæ. 428
Art. 2. an Deus ponatur in prædicamento substantiæ?
§. 1. Quibusdam præmissis, probatur communis sententia. 427
§. 2. Solvuntur argumenta. 442
Art. 3. an Angeli ponantur in prædicamento?
§. 1. Expenditur mens N. Ægid. 446
§. 2. Rationibus probatur conclusio Ægidii. 453
§. 3. Solvuntur argumenta. 458

Quæst.

Quæst. 3. De Quantitate.
Art. 1. an quantitas distinguatur à re quanta?
§. 1. Species, & proprietates quantitatis. 462
§. 2. Resolvitur articulus. 465
Art. 2. Quodnam sit genus supremum in hoc prædicamento?
§. 1. Sensus difficultatis, & sententiæ. 469
§. 2. Numerus est vera species quantitatis. 472
§. 3. Explicatur, quæ sit forma numeri. 482
§. 4. In sola quantitate, & rebus quantis salvatur numerus prædicamentalis. 485
§. 5. Oratio est propria species quantitatis. 490
Art. 3. In quonam consistat conceptus quantitatis?
§. 1. Quibusdam præmissis, referuntur sententiæ. 495
§. 2. Probatur nostra conclusio. 501
§. 3. Solvuntur argumenta. 508
Quæst. 4. De Relatione.
Art. 1. Quid sit relatio, & quotuplex?
§. 1. B evitèr explicatur litera hujus capitis. 515
§. 2. Dividitur relatio, & assignantur conditiones relativorum. 517
Art. 2. an dentur in rebus relationes reales prædicamentales?
§. 1. Relatis sententiis, probatur conclusio affirmativa. 523
§. 2. Solvuntur argumenta. 527
Art. 3. an, & quomodò relatio distinguatur à fundamento suo?
§. 1. Quibusdam notatis, referuntur sententiæ. 534
§. 2. Relatio non est modus, aut entitas realitèr differens à fundamento. 537
§. 3. Relatio non distinguitur realitèr quidditativè à fundamento suo. 542
§. 4. Expenditur sententia R. Augustiniani. 553
§. 5. Relatio non consistit in fundamento, & termino. 557
§. 6. Probatur nostra conclusio. 562
§. 7. Solvuntur argumenta. 567
Art. 4. an relatio terminetur ad relativum formalitèr?
§. 1. Probatur conclusio negativa. 571
§. 2. Solvuntur argumenta. 574
Quæst. 5. de Qualitate, & reliquis Prædicamentis.
Art. 1. Quid sit qualitas, & an benè definiatur à Philosopho? 581
Art. 2. Quotuplex sit qualitas, & quæ ejus proprietates? 585
Art. 3. Dubiola quædam de qualitate. 589
Art. 4. De reliquis sex Prædicamentis. 597
Quæst. 6. De Postprædicamentis.
Art. 1. De oppositione. 605
Art. 2. De modis prioritatis, & simultatis. 609
Art. 3. De motu, habere, & modis dicendi per se. 611

DISPUTATIO QUINTA.
De Enuntiatione, Syllogismo, & Scientia.

Quæst. 1. De veritate enuntiationis.
Art. 1. In quonam consistat veritas formalis?
§. 1. Præmisso quid est veritas, referuntur sententiæ. 614
§. 2. Resolvitur articulus. 618
Art. 2. an possit eadem enuntiatio transire de vera in falsam? 622
Art. 3. an una propositio sit verior altera? 629
Art. 4. an dentur enuntiationes æternæ veritatis? 632
Art. 5. an enuntiationes de futuro con-

contingenti habeant veritatem determinatam?
§. 1. Quibusdam præmissis, referuntur sententiæ. 634
§. 2. Probatur nostra sententia. 638
§. 3. Solvuntur argumenta. 641
Quæst. 2. De Syllogismo.
Art. 1. an assensus præmissarum causet efficienter assensum conclusionis? 647
Art. 2. an assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis? 852
Quæst. 3. De Demonstratione.
Art. 1. Quot sint, & quæ præcognita, & prænotiones ad demonstrationem?
§. 1. Expenditur sensus difficultatis. 658
§. 2. De prænotionibus. 660
§. 3. De præcognitis. 664
Art. 2. Quid sit demonstratio? 666
Art. 3. Quotuplex sit demonstratio? 669
Art. 4. an circulus in demonstratione sit semper vitiosus? 675
Art. 5. Quodnam sit medium in demonstratione potissima?
§. 1. Relatis sententiis, nostra probatur. 677
§. 2. Solvuntur argumenta. 681
Quæst. 4. De Scientia.
Art. 1. Unde sumatur unitas scientiæ? 686
Art. 2. De subalternatione scientiarum.
§. 1. Explicata subalternatione, expenditur prior dubitatio. 693
§. 2. Resolvitur secunda dubitatio. 697
Art. 3. an de eodem in eodem esse possint scientia, & opinio?
§. 1. Quid sit opinio, & fides? 702
§. 2. Resolvitur articulus. 705

ERRATA.

HIc Liber inscriptus: Cvrsvs Philosophicus &c. à R. P. M. Fr. Joanne Hidalgo Augustiniano in Provincia Bæthica, Doctore, & in Academia Hispalensi Cathedratico Vespertino, elaboratus, suo consonat exemplari. Matriti quarto Kalendas Octobris anni Domini M. DCC. XXXVI.

Lic. D. Emmanuel Garcia Alesson,
Correct. general.

SVM-

SUMMULÆ,

SEU TOTIUS ARISTOTELIS

DIALECTICÆ

BREVE COMPENDIUM.

INTRODUCTIO, ATQUE OPERIS DIVISIO.

LOGICA DIcitur à verbo græco *Logos*, quod latinè sermo, vel ratio vertitur; notat autem B. D. Ægidius in prol. ad lib. Elench. quòd *propriè loquendo, Logica non dicitur à Logos, quod est sermo, sed à Logos, quod est ratio; nam etsi communi nomine scientiæ rationales possunt dici sermocinales, & è contrario; tamen Dialectica propriè est rationalis, quia est directiva intellectus; Grammatica verò propriè est sermocinalis.* Vult ergo, quòd Grammatica, Rhetorica, & Logica communi nomine possunt dici sermocinales, vel rationales, quia in Græco uno communi nomine significatur sermo, vel ratio; sed in proprietate locutionis Grammatica, & Rhetorica dicendæ sunt sermocinales, quia magis sunt de sermone, & locutione; Logica verò propriè dicenda est rationalis, eo quòd non circa locutionem, vel sermonem, sed circa intellectum in actu suo dirigendum tota versatur: quare ait F. Doct. in prol. ad lib. Post. *Ne ergo propter potentialitatem admixtam malè ratiocinemus,*

mus, & erremus in actibus rationis, inventa est Logica, quæ est hujusmodi actuum directiva.

Itaque secundùm quod intellectus noster potest multiplicitèr errare in actu suo, multiplicantur, & dividuntur libri Logicæ; potest autem error triplicitèr contingere, quia *secundùm Phil. 3. de Anim.* (ait ipse Doctor in prol. ad lib. Perih.) *triplex est operatio intellectus: una est simplicium quidditatum apprehensio: secunda apprehensorum compositio: tertia discursus ad conclusiones*, quia solùm triplici modo potest intellectus procedere in actu suo ad assequendam veritatem: primò, simplicitèr cognoscendo rem sine affirmatione, vel negatione, & sic est prima operatio, quæ dicitur simplex apprehensio, quia, cùm non affirmet, aut neget, nullam facit compositionem, aut divisionem, quare est actus simplex: quo sequitur, quòd non dicitur simplex, eo quòd unum simplex objectum attingat, sed eo quód actus, quo concipit, nullum facit judicium de re cognita, quare potest objectum multiplex apprehensione concipi; imò propositio ipsa quando ab intellectu concipitur, quin aliquod formet judicium, seu affirmet, quòd est, aut non est vera, apprehensione concipitur, ut quando apprehendo hanc propositionem: *Petrus est Musicus*, nihil affirmans, vel negans de illa, est prima operatio; quia licèt actus, quo formatur propositio, & affirmatur de Petro, quòd est Musicus, sit judicium, actus verò, quo quasi reflexè propositio ipsa concipitur, nullum format de ea judicium, & est prima operatio: quæ proinde non simplicium apprehensio, ut aliqui dicunt, sed simplex apprehensio dicenda est.

Deinde post cognitionem rei ulteriùs procedit intellectus, & de re cognita aliquid affirmat, vel negat, puta, de Petro, quòd est Musicus, de illa propositione, quòd est, aut non est vera, & sic est secunda operatio, quæ dicitur judicium, quia per affirmationem, vel negationem format intellectus judicium de re, quòd ita est, vel non est; dicitur etiam *apprehensorum compositio, aut divisio*, quia per affirmationem unit unum alteri, quod est componere, & per negationem separat, & dividit. Potest autem ulteriùs procedere intellectus, & ex affirmatione, vel negatione aliquid inferre, ut si affirmavit de Petro, quód est Grammaticus, inde deducit: Ergo artem ab aliquo edoctus est; & hæc est tertia operatio, quæ dicitur discursus, quia est quasi de uno cognito in alterum currere: quia ergo hoc dumtaxat triplici modo potest intellectus noster aliquid cognoscere, triplici tantùm modo contingit errare; quare triplici

via

via dirigēndus est, sivè oportet, quòd facultas dirigens tres habeat partes: *Iuxta triplicem intellectus nostri potentialitatem* (ait D. N. in prol. ad lib. Post.) *possumus tres essentiales partes assignare Dialecticæ.*

Notandum ergo ex eodem Doctore ibi, quòd error contingit in intellectu nostro ex potentialitate, quia si uno actu possemus totam perfectionem objecti attingere, fortè non erraret intellectus in formando conceptum simplicem; quia tamen ex potentialitate intellectûs nostri cognoscimus per partes, & non eo actu, quo cognoscimus unam perfectionē, cognoscimus aliam, ideo contingit error in prima operatione, vel quia non congruam differentiam attribuimus generi, & sic errāmus in formando definitionem; vel quia non congruam definitionem attribuimus definito, & sic erramus in formando conceptum simplicē, & apprehendendo quidditatem rei: quare necesse fuit tradere lib. Prędicam. in quo datur notitia de simplicibus quidditatibus, & instruitur intellectus in formando conceptum simplicem. Similitèr, quia in affirmando unum de altero, & formando judicium de re cognita intellectus noster est potentialis, & non statim cùm intelligit subjectum, intelligit prædicatum, ideo contingit error, quia potest attribuere incongruè prædicatum subjecto; quare necesse fuit tradere libros Perih. in quibus agitur de enuntiatione, & instruitur intellectus in formando judicium de re.

Tandem, quia in deducendo conclusionem ex principiis, & formando discursum, intellectus noster, eo quòd potentialis est, non statim cùm intelligit principia, intelligit conclusionem, quare potest errare deducendo ex principiis conclusionem indebitam, necesse fuit tradere libros Artis novæ, in quibus agitur de syllogismo, & instruitur intellectus in formando discursum; ut lib. Prior. in quibus traditur notitia de syllogismo secundùm se, & sine determinatione ad materiam; lib. Post. in quibus agitur de syllogismo in materia demonstrativa; lib. Top. in quibus agitur de syllogismo in materia probabili; & lib. Elench. in quibus traditur notitia de fallaciis, quæ possunt in syllogizando fieri, & instruitur intellectus, ne decipiatur per syllogismum fallacem; & hæc est tota Logica, quam tradit Aristoteles.

Contingit autem ex eâdem potentialitate, ut in principio disciplinæ rerum multitudine, & difficultate intellectus obruatur, qua ratione Porphyrius, ut Crisadorius ejus discipulus commodiùs perciperet doctrinam Aristotelis in lib. Prædicam. fecit tractatum de quinque Universa-

libus quasi isagogicum, & procœmialem ad prædictum lib. Prædicam. Hac ratione, ut tyrones de magnis Logicæ difficultatibus commodiùs instruantur, consuevit præmitti quidam tractatus, quem Summulas, seu parvam totius Logicæ Summam vocant, in quo de illis eisdem, de quibus in tota Logica agitur, traditur quædam brevis notitia. Hunc aggredimur, & quia de illis est, de quibus agit Logica, eandem habet divisionem trimembrem, quare in tres dividitur disputationes, ut in prima de pertinentibus ad primam intellectûs operationem, ut sunt termini, & voces; in secunda de pertinentibus ad secundam, nempè de propositione, & enuntiatione; in tertia de pertinentibus ad tertiam, videlicet de syllogismo, & ejus speciebus agatur brevi compendio.

Non parvam autem difficultatem ingerit methodus in hac parte servanda; siquidem hæc brevis Summa eò introducitur, ut tyrones Logicæ acquirendæ disponantur, quare videtur doctrinalitèr procedendum, & abstinendum omninò à difficillimis qq. hìc á nonnullis exagitari solitis, & accedi, quòd hunc servat tenorem Petrus Hispanus primus hujus tractatûs author, quem omnes Antiqui sequuntur, qui nihil omninò disputant, quòd iste modus videatur tyronum captui facilior, & intento hujus tractatûs magis respondeat. Hac ratione acriter invehuntur nonnulli in recentes Summularũ disputatores, quòd immani disputandi, & impugnandi libidine hunc tractatũ reddiderint è brevicula, & facili summa longum, & difficilem librum.

Sed ex alia parte quædam cogit necessitas, aliqua disputare; tum, quia domesticæ sæpe habentur conferentiæ de materia Summularum, pro quibus opus est tyrones instruere; tum insuper, quia licèt methodus disputativa aliquantò sit difficilior doctrinali, experientiâ tamen constat, quòd tyrones faciliùs syllogizando addiscunt artem syllogizandi; tum tandem, quia cùm jam á RR. ferè omnia disputentur, & contrariorum dicta impugnentur, ne videamur supponere, quæ ab aliis acri studio impugnantur, oportet, & quæ dicimus, probare, & rationibus aliorum respondere. Igitur sic conabimur processum instituere, quòd nec disputatio Summulisticum transgrediatur institutum, nec ex toto doctrinalis processus improbata relinquat, quæ dicuntur. Disputationes ergo singulas per capita dividemus, in quibus doctrinalitér explicabitur, quod ad illud pertinet; siquæ autem opus est disputativè probare, ad calcem capitis per unum, aut alterum *Quæres* disputabimus.

DISPU-

DISPUTATIO I.

DE PERTINENTIBUS AD PRIMAM INTELLECTUS OPERATIONEM.

CAPUT I.

De Signo in communi.

1 A Signo incipit Dialectica consideratio, quoniam, ut habet commune proloquium, & ratio ipsa dictat: *A facilioribus, & notioribus est incipiendum*; sunt autem faciliora, & notiora nobis, quæ simplicia sunt, & magis communia: signum itaque, cùm ut genus assumatur in definiendo elementa logica, est omnium, quæ ad logicam considerationem pertinent, cómunius, simplicius, & subinde cognitione facilius. Signum ergo in communi nominis acceptione est nota, seu caracter, quo alterú indicatur; quare Philosophus in principio 1. Perih. pro eodem accipit esse signum,& esse notam; ait enim: *Sunt ergo ea, quæ sunt in voce earum, quæ sunt in anima, passionum notæ.* Indicare verò alterum potest esse dupliciter; aut illativè, & per discursum; aut repræsentativé, & per substitutionem unius loco alterius: v. g. vestigium in arena impressum signum est intellectui indicans, quòd illac transierit aliquod animal, non quòd repræsentet animal, seu pro illo substituat, sed quòd tanquam effectus intellectum moveat, ut inferat animalis transitum; at imago Cæsaris signum est indicans intellectui Cæsarem, quia pro illo substituit, & illum facit intellectui præsentem.

2 De utroque signo agere pertinet ad Dialecticum, sed alitèr, & alitèr; quia agere de signo, prout indicat illativè, & per discursum, pertinet ad Dialecticum, prout in Topicis agit de mediis probandi, seu de locis topicis, quare illa consequentia, qua ex vestigio infertur animalis transitus, est per locum à signo; agere verò de signo, prout indicat repræsentando, & per substitutionem loco signati pertinet ad Dialecticum hic, in quantum debet definire elementa logica, quorum quidditas per signum innotescit, est enim signum, veluti genus in illis. Ratio autem est, quia, ut ait Philos. 1. Elench. *Quia res ad Scholas adducere non possumus, utimur vocibus pro rebus*; quare agitur hic de signo, prout in disputando substituuntur

tur voces loco rerum, & conceptuum: hinc Commentator adductus à B. D. super textum superiùs adductum, ait, quòd *si homo esset animal solitarium, sufficissent sibi passiones animi, sed quia est animal sociabile per naturam, indiguit vocibus, ut aliis exprimeret mentis conceptum.* Constat ergo, quòd de signo hìc agitur, in quantum loco rei, & conceptûs substituimus voces; quare non quodlibet aliud indicans est signum, prout hìc de signo agitur, sed indicans tantùm per repræsentationem, seu substituendo.

3 Repræsentatio autem multiplex est: ut Civilis, & Politica, qua Pro-Rex Regem repræsentat, & pro illo substituit, Deputatio, Capitulum, & alia id generis: alia est repræsentatio Legalis, v. g. qua hæres testatorem repræsentat in jure capiendi hæreditatem: alia est repræsentatio intentionalis, qua nempè intellectui in ordine ad cognitionem rei aliquid loco ipsius substituitur, & vices ejus gerit, ut imago Cæsaris in ordine ad cognoscendum Cæsarem loco illius substituitur, & facit, quod faceret ipse Cæsar, si adesset. Hæc tertia repræsentatio est propria signi, quare aliæ repræsentationes; licèt indicent id, pro quo substituunt, non tamen per modum signi, licèt enim Pro-Rex v. g. possit intellectum manuducere ad cogitandum de Rege, hoc erit illativè, & per discursum, non autem quatènùs pro illo substituit in ordine ad cognitionem: imaginabimur enim Pro-Regis personam esse ipsi Regi simillimam, tunc in isto possumus duas repræsentationes considerare, nempè, quam habet eo, quod Pro-Rex, & istam habere, etiam si non esset similis; aliam quam habet, eo quòd similis, & istam haberet, etiamsi non esset Pro-Rex. Nunc itaq; alitèr repræsentat vi primæ, alitèr vi secundæ repræsentationis; nempè vi primę ducit in cognitionem illativè, & per discursum, vi secundæ repræsentativè, & per apprehensionem, quia per officium non est repræsentativè Rex in ordine ad cognitionem, benè autem vi similitudinis: vides ergo quid est repræsentare intentionalitèr, nempè esse alterum, & pro altero substituere in ordine ad cognitionem.

4 Ex his ergo sic potest definiri signum: *Medium intentionalitèr repræsentativum alterius.* Quæ definitio idem significat ac illa, qua communiter dicitur, quòd est objectum, quod potentiæ cognoscitivæ aliquid aliud â se repræsentat, sed presiùs, & clariùs nostra observat leges definitionis; quod ut pateat: Nota ex dicendis infrà, quòd definitio est oratio explicans essentiam rei per genus, & differentiam, hoc est, per duo prædicata, quæ sic dicant totam essentiam rei definitæ

nitæ, quòd nulli alteri possint convenire: dicitur genus id, per quod res definita cum aliis à se distinctis convenit; & differentia id, per quod ab omni non ipsa distinguitur: v. g. homo definitur *Animal rationale*; ly *Animal* dicitur genus, quia per id convenit cum equo, leone, & aliis; ly *rationale* dicitur differentia, quia per id ab omnibus aliis differt, quippe id soli homini convenit.

5 Insuper nota, quòd ut definitio sit bona, genus debet esse proximum, & differentia ultima, & atoma: dicitur proximum illud, quod immediatè se habet ad differentiam; differentia autem ultima dicitur, quæ non habet ulteriorem differentiam, quæ erit atoma, si sit simplex, & non constet ex duplici prædicato: v. g. in homine dantur multa prædicata, ut substantia, corpus, vivens &c. ex his unumquodque dicetur genus, quatenùs est ratio conveniendi cum aliis; dicetur verò differentia, quatenùs est ratio distinguendi, ut corpus genus est, quo convenit cum lapide, differentia verò, qua à substantia differt Angelica: deinde ultima differentia est *rationale*, quia hoc soli homini competit, & per id ab omni non ipso distinguitur; quæ est etiam differentia atoma, quia una simplex formalitas; si autem diceretur, ut antiqui Doctores communiter definiunt, *rationale mortale*, esset quidem differentia ultima, non verò atoma; genus autem proximum est ly *animal*, quod immediatè se habet ad rationale.

6 Dicitur itaque, quòd bona definitio debet constare genere proximo; & ratio est, quia definitio debet dicere totam essentiam definiti; si autem non ponitur genus proximum, tunc non importat totam essentiam: v. g. si in definitione hominis ponatur vivens rationale, non includit totam hominis essentiam, non enim importat illa definitio vim sentiendi, sive rationalitatem: & ratio hujus est, quia genus eo quòd prædicatur in *quid*, & per modum totius, includit prædicata superiora; differentia autem non includit, sed præsupponit tantùm: quare genus proximum includit omnia prædicata essentiæ præter differentiam; genus autem intermedium non omnia includit, sed ea tantùm, quæ sibi sunt superiora. Dicitur deinde, quòd differentia debet esse ultima; si enim non est ultima differentia, tunc definitio conveniet aliis à definito, à quibus differt per ultimam differentiam. Tandem, quòd differentia debet esse atoma: ratio autem est, quia definitio constat ex duplici termino, & significat unam compositionem metaphysicam ex genere, & differentia; si autem differentia non est atoma, sive simplex, neque duos terminos importat, neque

que unam compositionem.

7 Quod sic patet, tunc enim differentia, quæ non est atoma, duas importat, & per duas circumloquitur essentiam definiti, ut rationale mortale essentiam hominis, & tunc tres sunt termini, genus, & duplex differentia; & non una, sed duplex est compositio, altera ex genere, & una differentia, quæ magis erit communis, & ulterior ex ista, & alia differentia, per quam ultimò determinatur; ut rationale, prout idem significat quod intellectivũ, commune est Angelo, & homini, & determinatur ultimò ad hominem per ly *mortale*; quare hoc sensu rationale mortale apud antiquos circumloquitur propriam hominis differentiam.

8 Ex his ergo potest patêre bonitas nostræ definitionis: quia ly *medium* est genus, per quod convenit signum cum aliis, quæ licèt sint media, non tamen sunt signa, ut quodlibet relativum est medium illativè ducens in cognitionem alterius; determinatur autem, & fit genus proximum per ly *intentionaliter*: deinde *repræsentativum alterius* est differentia ultima, & atoma, quia per hoc differt signum ab omni non ipso; alia enim media ducunt quidem in cognitionem, non verò repræsentativè, & alia repræsentativa non intentionaliter, seu in ordine ad cognitionem repræsentant: & est atoma, quia unam importat formalitatem, nempè talem determinatè repræsentationem intentionalem, & in ordine ad cognitionem.

9 Quod magis patet comparativê ad communem definitionem: illa enim ponit loco generis rationem objecti, quæ non immediata est, seu genus proximum, quia ratio objecti communis est ad objectum ultimum, & non ultimum, seu medium; quare potiùs ratio medii, quàm ratio objecti ut sic, & in communi se habet immediatè, & est genus proximum ad rationem repræsentativi. Deinde ponit illa definitio loco differentiæ: *Quòd potentiæ cognoscitivæ aliud à se repræsentat*; quo licèt idem significetur, nempè intentionalis, sive intellectualis repræsentatio, importatur tamen circumlocutivè, & per duas formalitates, nempe repræsentare, & tali potentiæ repræsentare; nostra autem definitio per atomam formalitatem id importat, nempè talem determinatam repræsentationem. Nihilominùs, ut magis pateat,

10 Quæres primò: Vtrùm prædicta definitio sit bona? Respond. affirmativè, & probatur ex dictis: Illa definitio est bona, quæ explicat totam essentiam definiti per genus proximum, & differentiam ultimam; sed ita se habet nostra: ergo. Prob. minor: Signum in communi non solùm comprehendit sensibile signum, sed

sed etiam intelligibile, & quod sensu non percipitur, ut est signum formale; sed nostra definitio explicat essentiam signi sic in communi per genus proximum, & ultimam differentiam: ergo. Major ex instituto probanda est cap. seq. ubi ostendemus, signum formale esse verè, & propriè signum. Minor quantum ad secundum patet ex jam dictis, quòd illa assumit genus proximum, & differentiam ultimam; quantum ad primum autem, quòd ea explicet signum in communi, patet de facili; non enim medium sensibile, quod uni tantùm convenit, sed medium ut sic assumit, quod æquè sensibili, & intelligibili convenit.

11 Sed objicies primò: S. P. Augustinus de princip. Dialect. cap. 6. sic definit signum: Signum est, *quod se ipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit.* Item lib. 2. de Doct. Christ. cap. 1. sic: *Signum est enim res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire*; sed nostra definitio longè aliter explicat: ergo. Patet minor: Nostra enim definitio ita explicat essentiam signi, quòd conveniat spirituali, seu formali; at S. P. in utrâque definitione exigit ad rationē signi, quòd sit quid sensibile: ergo.

12 Nostrōs communiter hoc argumentum cogit ponere, quòd signum propriè tale tantùm est instrumentale, & sensibile, ne videantur â doctrina S. P. recedere; id autem apertè esse contra mentem ejus, oportet ostendere. Itaque S. P. in utroque loco agit de signo in particulari, & determinatè, nempè prout esse signum convenit vocibus; at verò signum, de quo agere spectat ad Dialecticum in sua generalitate, comprehendit etiam signum intelligibile, seu formale, quod utrumque ex eodem S. P. & quidem primum, quòd in utroque loco agat S. P. de signo determinatè, & prout convenit vocibus, sic patet: nam librum de principiis Dialecticæ sic incipit: *Dialectica est benè disputandi scientia, disputamus autem verbis*: quo exordio suo satis indicat, se intendere de Dialectica, prout in vocali disputatione exercetur; ad hanc autem pertinet solùm signum sensibile, seu quod in vocibus reperitur.

13 Item ibi cap. 4. sic habet: *His igitur brevitèr constitutis, singulas partes consideremus. Nam sunt primæ duæ, una de ijs, quæ simplicitèr dicuntur, ubi est quasi materia Dialecticæ; altera de ijs, quæ conjuncta dicuntur, ubi jam quasi*

quasi opus apparet. En ubi totam Dialecticam, de qua sibi sermo est, dividit in duas partes; primam, quæ simplicitèr dicit, hoc est, sine ulla verborum conjunctione profert unam, aut alteram vocem, & in hac, ait, esse quasi materiam Dialecticæ, nempè voces, quas conjungendo fit opus Dialecticum; alteram partem dicit, quæ conjungendo verba profert, & in hac jam opus Logicum apparet: quæ simplicitèr profert, vocatur de loquendo; quæ autem conjungit, in tres partes dividitur; nam prima sic conjungit verba, quòd non generant judicium de re, ut interrogando, & dubitando, & ista, ait, vocatur de eloquendo; secunda sic conjungit verba, quòd significent judicium de re, & istam dicit de proloquendo; tertia sic conjungit, ut perveniat ad illationem. Vides ergo, Dialecticam, de qua ibi intendit S. Parens, vocalem esse; quare signum, quod ibi definit, est tantùm signum vocale, non signum in communi.

14 Deinde in alio loco de Doct. Christ. agit etiam de signo, prout in vocibus, sive prolatis, sive scriptis reperitur; intendit enim præcepta tradere ad intelligendas, & exponendas Scripturas, sic incipit illud opus: *Sunt præcepta quædam tractandarum Scripturarum, quæ studiosis earum video non incongruè posse tradi.* In 2. lib. incipit de signis dicere; & in 3. cap. ostendit, quòd potissimè est ratio signi, de quo loquitur in verbis, seu vocibus; in 4. cap. quòd voces verberato aêre transeunt, quare per scriptum suppletur defectus vocum, ut hoc faciat scriptura, quod voces facerent quantum ad significare; deinde, quòd ex hominum peccato factum est, quòd non habeamus omnes unum idioma. Quibus explicatis, incipit cap. 5. *Ex quo factum est, ut etiam Scriptura Divina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur, ab una lingua profecta, qua potuit per orbem terrarum disseminari, per varias Interpretum linguas longè, latèque diffusa innotesceret gentibus ad salutem.* Intendit ergo explicare, quomodo voces, & scripta significant res, & conceptus de rebus; & quòd, licèt varientur idiomata, & voces, ijdem tamen significantur conceptus, & eædem res; quare signum definit, prout his convenit, nempè vocibus, & scriptis.

15 Alterum autem, quòd nempè signum, prout ad Dialecticum pertinet in tota sua latitudine, non sit solum signum sensibile, sic patet: quia Dia-

Dialectica, ex eodem S. P. in eodem lib. de Doct. Christ. magis pertinet ad rationem animi, quàm ad corporis sensus: ergo ejus artefacta magis habent fieri in conceptibus, quàm in vocibus: ergo signum, de quo Dialecticus intendit, quod nempè assumit ut genus ad definienda artefacti logici elementa, non est præcisè signum sensibile, sed quod possit vocibus, & conceptibus convenire. Cætera patent; & anteced. sic ostenditur: quia S. P. ibi c. 31. sic incipit: *Restant ea, quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, ubi disciplina regnat disputationis.* Et prosequitur agens de Dialectica, quam dicit disputationis disciplinam, & quòd ad omnia genera qq. penetranda, & dissolvenda plurimum valet: ergo hactenùs de his tantùm, quæ ad corporis sensus pertinent, egerat, siquidem ait, quòd cætera restant: ergo Dialectica non in vocibus propriè, sed in ratione animi est, siquidem ait, quòd ibi disciplina regnat disputationis.

16 Insuper cap. 36. cùm egisset de Rhetorica, in 37. incipit eam cum Dialectica comparare: sic ait: *Sed hæc pars* (nempè Rhetorica) *cùm discutitur, magis ut proferamus, quæ intelligenda sunt, quàm ut intelligamus, adhibenda est; illa verò* (nempè Dialectica) *conclusionum, definitionum, & distributionum plurimùm intellectorum adjuvat.* En ubi iterùm Rhetoricam, dicit, magis ad voces, Logicam verò magis ad intellectum pertinêre: signum ergo, ut est de consideratione Dialectici, non præcisè sensibile est, & ut reperitur in vocibus; & consequentèr ubi S. P. signum definit sensibile, non de signo in communi determinat, ut est de consideratione Dialectici, sed de signo in particulari, prout Dialectica in vocibus exercetur. Hoc argumentum oportuit latiùs expendere, ne videamur à doctrina S. Patris recedere.

17 Objicies secundò: N. F. Doctor 1. Metaph. q. 13. sic definit signum: *Quod dat rem ipsam intelligere, & effugit rationem causæ illius rei, cujus est signum*: ergo definitio nostra non est bona. Hanc definitionem multi de NN. tenent, ut Scipio de Palumc. Fulg. à Judi. & consentit Gavard. q. 2. art. 2. & alii in manuscriptis: quare, ut mens D. N. pateat, litera textûs aliquantò operosiùs expendenda est.

18 Et in primis, nec umbram quidem definitionis habere propositionem illam, cui-

que patet: primò, quia signum apud omnes importat ex parte differentiæ respectum ad signatum; illa autem ponit loco generis: *Quod dat rem intelligere*, quo importatur respectus ad signatum, imò, id est, tota signi essentia, quod significet, seu det intelligere signatum. Secundò: Illa ponit loco differentiæ prædicatum negativum, nempè, quòd non sit causa; at differentia signi positiva est, cùm signum habeat essentiam positivam: item differentia negativa non explicat quid est, sed quid non est res. Tertiò: Quidquid illativè, & per discursum aliud indicat, esset signum; non autem in hac acceptione definitur in præsenti signum: non ergo illa est definitio, nec ut talis adducitur á B. Doctore, sed ut propositio ostensiva.

19 Deinde, ut hoc magis pateat, expendenda est litera textûs: Philos. itaq; in principio Metaph. statuit, quòd *omnes homines natura scire desiderant*, quod probat; quia diligimus sensus, quibus acquiritur scientia: ergo multò magis diligimus scientiam. Super hoc quærit B. D. Vtrùm hæc probatio sit per signum? Et arguit primò, quòd non; quia sensus est causa scientiæ: ergo probare dilectionē scientiæ per dilectionem sensûs, est probare per causam. Ad resolutionem ponit primò B. Doctor, quòd signum est, quod dat rem intelligere &c. ponit deinde, quòd ea, quæ sunt ad finem, licèt possint esse causa ipsius finis quantum ad esse, non verò quantum ad diligi, sed potiùs è converso; non enim diligitur finis, quia diliguntur media, sed potiùs ea diliguntur, quia diligitur finis, & ideo tantum diliguntur, quantum diligitur finis.

20 His positis, resolvit, quòd illa probatio est per signum; quia sensus comparatur ad scientiam, sicut media ad ipsum finem, utimur enim sensibus ad acquirendam scientiam; tunc autem, licèt sensus sit causa, quare sit scientia, quia ministerio sensûs acquiritur, dilectio tamen sensûs non est causa dilectionis scientiæ, quia non diligimus scientiam, eo quòd diligamus sensus, sed magis á contrario: ergo Philosophus probans dilectionem scientiæ ex dilectione sensûs, non ex causa, sed ex signo probat. Constat igitur, quòd in illa quæst. agit Doct. de signo, prout est medium probandi, & illativè ducit in cognitionem rei: sic autem benè describitur, quia talis probatio in hoc differt á probatione *propter quid*, & demonstrativâ; at verò hîc non agitur

tur de signo, prout illativè ducit in cognitionem rei, sic enim pertinet ad tertium disputationem; sed prout ducit repræsentativè, & simplici apprehensione, nempè sic se habet ut genus ad terminos, & elementa logica: ergo illa descriptio non est ad propositum.

21 Objicies tertiò: Definitio, ut sit bona, debet explicare id, quod definito convenit primò, & per se; sed ducere in cognitionem alterius, quod est essentia signi, primò, & per se, convenit sensibilibus: ergo definitio signi debet tradi per medium sensibile.

22 Sic arguit N. Manso: sed instatur: Quod primò, & per se convenit rei, debet esse differentia ejus; sed esse sensibile primò, & per se convenit signo: ergo malè ponitur loco generis. Major est communis doctrina explicanda, dum agatur de modis dicendi per se, eam habet B. Doctor 2. de Anim. text. 66. dub. 2. Rursus B. Doctor ubi sup. ponit, quòd dilectio sensûs signum est dilectionis scientiæ; dilectio autem non est quid sensibile. Neque refert, quòd ibi loquitur Doctor de signo, prout est medium probandi; tum, quia si in hac acceptione signi, quæ est magis determinata, non requiritur, quòd sit sensibile, neque in communiori requiritur; tum insuper, quia si esse signum per se, & primò convenit sensibilibus, solis sensibilibus convenit, & in eo, quòd sensibilia sunt; hoc enim est convenire per se, & primò.

23 Resp. directè, primò negando minorem, quia ducere in cognitionem alterius convenit sensibilibus, non in eo quòd sensibilia sunt, sed in eo quòd sunt intelligibilia, & ulteriùs habent respectum ad alterum, vi cujus ducunt in ejus cognitionem: non ergo per se, & primò convenit sensibilibus, id enim est convenire in eo quòd talia sunt. Resp. secundò negando suppositum minoris, quòd essentia signi sit ducere in cognitionem alterius, multa enim ducunt in cognitionem alterius, quæ tamen non sunt signa, ut causa respectu effectûs: est ergo essentia signi substituere pro signato in ordine ad cognitionem, seu quod idem est, repræsentare intentionaliter; id autem neque solis sensibilibus competit, neque eis primò, & per se, sive in eo quòd sensibilia sunt, substituit enim pro re in intellectu species ipsa rei.

24 Sed instabis: Effectus sensibilis habet per se, quòd sit magis notus quoad nos; sed quod est magis notum quoad nos, habet magis per se nos duce-

ducere in cognitionem alterius : ergo magis habet rationem signi medium sensibile, & sic hoc erit propriè signum.

25 Resp. primò negando minorem, quia esse magis notum habet ex ordine ad potentiam, ducere vero in cognitionem alterius haber ex ordine ad signatum; jam autem potest in ordine ad potentiam, & ex modo movendi illam esse magis notum, quod nullum dicit respectum ad signatum; quare, ex quo sit magis notum, non infertur, quòd sit magis ductivum, & magis signum.

26 Resp. 2. data minor. & conseq. neg. subillatum, quòd nempè solùm signũ sensibile erit propriè signum; licét enim magis, & faciliùs duceret in cognitionem signati signum sensibile, quàm non sensibile, si tamen utrumque ducit, & repræsentat, non sequitur, quòd alterum non sit propriè signum, sed tantùm, quòd non sit adeo clarum, & facile; quod non minuit rationem repræsentativi, sed diversificat rationem cognoscibilis. De hoc iterùm infrá.

27 Objicies quartò : Definitio, quæ non convenit omni definito, non est bona; ita se habet nostra : ergo. Prob. min. Imago cooperta signum est; sed illi non convenit definitio: ergo. Patet major, quia ex quo sit cooperta, non tollitur, quin sit imago. Prob. minor : Talis imago non repræsentat : ergo. Probatur antecedens, primò, quia prius est se præsentare, seu præsens facere, quàm aliud repræsentare, seu in cognitionem ejus ducere; sed talis imago non se præsentat: ergo. Secundò, quia si repræsentaret, per illam cognosceretur signatum.

28 Resp. negando minorem, ad probat. neg. item minor, ad ejus probat. primam concesso antecedenti, negatur conseq. non enim in definitione ponitur, quòd signum repræsentat, sed quòd est repræsentativum; illa autem imago etsi non repræsentat, est tamen repræsentativa, seu nata repræsentare. Secundò distinguo antecedens : Non repræsentat actu, conced. antecedens; non repræsentat aptitudine, nego antecedens, & sub eâdem distinctione accipiatur utraque probatio, quia illa imago apta est repræsentare, & ducere in cognitionem signati; verba autem in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem, nempè cùm dicitur, quòd homo est animal rationale, non est sensus, quòd sit animal actu discurrens, sed potens discurrere; similitèr ergo, quando signum dicitur repræsentativum,

tum, non est sensus, quòd actu repræsentat, sed quòd potest, seu aptum est repræsentare.

29 Sed instabis: Ergo vox quælibet etiam nō significativa est in actu signū rei cujuslibet. Prob. conseq. Signum juxta solutionem non constituitur per actu significare, seu repræsentare, sed per posse, seu per aptitudinem ad repræsentandum; sed vox quælibet habet aptitudinem ad repræsentandum quamlibet rem: ergo. Ostenditur minor, quia voces significant vi impositionis; sed vox quælibet potest imponi ad significandum quodlibet, cùm hoc pendeat tantùm ex libera hominum voluntate: ergo.

30 Resp. neg. conseq. ad prob. ejus disting. major: Signum constituitur per posse proximum, conced. majorem; per posse remotum ad repræsentandum, nego maj. & disting. min. Vox non significativa potest remotè repræsentare, conced. minorem; potest proximè, neg. minorem. Itaque potentia proxima illa dicitur, cui nihil deest intrinsecum, ut exerceatur, & solùm impeditur ab aliquo extrinseco; remota verò est, cui deficit aliquod requisitum intrinsecum, ut exerceatur: signum ergo constituitur per potentiam proximam; vox autem quælibet habet tantùm potentiam remotam ad significandum, nempè deficit sibi impositio, quæ est requisitum intrinsecum.

31 Quæres 2. Vtrùm causa possit esse signum effectûs? Et quæritur propter id, quod communiter supponitur de signo, videlicèt, quòd debet esse imperfectius signato. Notandum autem, quòd non est quæstio de causa instrumentali; tum, quia hæc non est perfectior effectu suo, quare de illa non est difficultas; tum etiam, quia omnibus constat, Sacramenta signa esse, cùm per hoc definiantur, quibus rationem causæ instrumentalis nullus negat. Insuper notandum, non esse quæstionem de causa, ut causa est, sive secundùm respectum causæ; constat enim, quòd vi hujus non substituit pro effectu, sive effectum repræsentat: est ergo sensus: An causæ repugnet, eo quòd causa est, repræsentare, seu substituere pro effectu? Quo sensu communis Thomistarum sententia negat. Ita Lerma q. 8. Froy. q. 2. art. 2. Parra tract. 2. disp. 1. dub. 6. quibus communiter adhærent NN. propter authoritatem D. suprà datam. Oppositum tenent communiter Scotistæ, Poncius disp. 19. q. 1. Llanzares disp. 1. Logicæ docentis

q.

q. 1. quibus adhærent ex Bachoniſtis Eliſeus diſt. 1. q. 2. art. 2.

32 Reſp. Cauſa poteſt eſſe ſignum ſui effectûs. Eſt conformis doctrinæ B. Doctoris, & tenet N. Manſo q. 4. §. 2. Prob. Vox prolata eſt ſignum non ſolùm rei ſignificatæ, ſed etiam conceptus, qui correſpondet ipſi voci; ſed hujus eſt cauſa: ergo. Major eſt communis doctrina, quam latè habet B. Doctor q. 13. de cognition. Ang. & ſæpe alibi; proferens enim de neceſsitate præconcipit non ſolùm rem, ſed vocem etiam, quam profert, & maximè, quando vox nullius rei ſignificativa eſt. Minor probatur: Juxta doctrinam B. D. in libris de Anim. probandam, tota cauſa productiva conceptûs eſt objectum, quod concipitur, & ut ex P. Auguſtino habet commune proloquium: *Ab objecto, & potentia paritur notitia*; ſed objectum, quod correſpondet illi conceptui, eſt ipſa vox: ergo ea eſt cauſa ſui ſignati, & ſignum ſui effectûs.

33 Dices, vocem eſſe cauſam conceptûs, quem format audiens; ſed hujus non eſt ſignum, ſed audienti ſignificat conceptum, quem formavit proferens, & hujus magis eſt effectus: non ergo eſt ſignum effectûs ſui. Contra: Ideo eſt ſignum conceptûs, quem formavit proferens, quia eſt naturalis ſimilitudo ejus; ſed eodem prorſus modo eſt naturalis ſimilitudo conceptûs, quem format audiens: ergo æquè repræſentare poteſt, & ſubſtituere pro utroque. Contra ſecundò: Quando coram multis audientibus profert aliquis vocem, ea non minus mihi repræſentat, loquentem habere conceptum de illa, quàm audientes formare ſimilem conceptum; ſed juxta replicam eſt cauſa conceptûs, quem format audiens, licèt ſit effectus loquentis: ergo ſignum eſt effectûs ſui.

34 Prob. ſecundò: Ideo filius v. g. poteſt eſſe ſignum ſui patris, quia poteſt eſſe illi valdè ſimilis, quare illo viſo format quis conceptum patris; ſed eandem tunc habet pater ſimilitudinem cum filio, & eodem modo poteſt quis viſo patre formare conceptum filii: ergo non obſtat, quòd pater ſit cauſa, quominùs ſit ſignum. Patet conſeq. quia ſignum eſt medium pro altero ſubſtituens in ordine ad cognitionem. Patet item minor, quia ſimilitudo eſt mutua relatio. Patet tandem major, quia filius non eo præcisè, quòd effectus eſt, repræſentat ut ſignum, ſic enim illativè, & per diſcurſum ducit in cognitionem

nem sui patris: substituit ergo, & repræsentativè ducit in cognitionem illius vi similitudinis.

35 Et confirmatur: Imago Petri repræsentat intellectui Petrum, & pro illo substituit quantum ad cognitionem, quia est illi similis; sed eandem similitudinem potest habere cum Petro pater ipsius: ergo eodem modo poterit esse signum, non obstante, quòd sit causa. Rursus, quòd sit pater, de materiali se habet, ut repræsentet; sed quod de materiali se habet, non obstat: ergo. Probatur major: Si quis nesciat esse patrem, eodem modo formaret conceptum propter similitudinem, ac si id sciret; sed quòd, sive ponatur, sive non ponatur, eodem modo res se habet, de materiali est, & per accidens: ergo.

36 Probatur tertiò: Ideo causa nequit esse signum, quia nequit esse imperfectior effectu suo; sed hæc ratio nulla est: ergo. Probatur minor: Signum non debet esse inferius signato, sed cognitione signati; sed causa, licèt non sit inferior effectu, potest esse inferior cognitione: ergo. Majorem habet S. P. lib. 1. de Magist. cap. 9. & ratione patet, quia signum eò est inferius, quia medium est, & ordinatur; non autem ad signatum ipsum, sed ad ejus cognitionem assumitur, & ordinatur. Patet item minor, quia licèt causa perfectior sit effectu in esse rei, potest tamen intellectus magis quærere cognitionem effectûs, & ad hoc assumere, & ordinare cognitionem causæ.

37 Objicies primò: De ratione signi est dependêre, specificari, & mensurari à signato, & ad illud ordinari tanquam ad finem *cujus gratia*; sed hæc omnia repugnant causæ: ergo & esse signum. Probatur minor: Causa nequit esse inferior suo effectu; sed quod specificatur, mensuratur, & dependet, inferius est: ergo. Confirmatur primò: Si causa posset esse signum, cognitio per signum esset à priori, & demonstrativa; sed hoc est absurdum: ergo. Patet major, quia cognitio per causam posset esse per signum. Secundò: S. P. Augustinus loco sup. citato ait: *Iam ergo intelligas, volo, res, quæ significantur, pluris, quàm signa, esse pendendas*; sed effectus non potest pluris æstimari, quàm causa: ergo nec per illam significari.

38 Hoc argumentum est unicum Thomistarum fundamentum, quod, quia potissimùm videtur inniti authoritati P. Augustini, ex ejusdem doctrina solvendum est. Itaque S. P. in citato cap. incipit

pit Adeodato exponere, quòd signum inferius est signato, eo quòd propter illud est; qui cùm non annueret propter aliqua signa, quæ perfectiora videntur suis signatis, ut sunt voces istæ *cœnum*, & *vitium*, pergit S. P. exponere, quo sensu verum sit, quod dixerat; & statuit, signum non propter signatum, sed propter signati cognitionem esse, quare non signato, sed ejus cognitioni posthabendus est. Subjungit itaque Adeodatus: *Concedo, ipsam scientiam, quæ per hoc signum evenit, eidem signo esse anteponendam, sed non ideo etiam rem ipsam puto*; cui assentitur S. P. ex quo duo habemus, primum, signum non rei significatæ, sed ejus cognitioni postponendum esse; secundũ, quòd quamvis signum sit perfectius signato, poterit habere istam inferioritatem; siquidem supponit, illas voces esse signatis suis perfectiores, habere tamen illam inferioritatem, quæ est de ratione signi, quia non ad signatum, sed ad ejus cognitionem est illa inferioritas.

39 Ad argumentum neg. major, quia non ad signatum, sed ad signati cognitionem ordinatur signum; vel distinguitur major: De ratione signi est dependêre &c. à signato in esse rei, nego majorem; in esse cogniti, concedo majorem; & in hoc sensu neg. minor, quia licét causa sit perfectior effectu suo, non perinde repugnat, quód intellectus magis intendat cognitionem effectûs, & ad hoc assumat repræsentationem causæ. Ad primam confirmat. neg. major, ad probat. ejus distinguitur assumptum: Cognitio per causam, ut causa est, est à priori, concedo; cognitio per causam, ut signum est, neg. assumptum. Itaque ex causa potest effectus cognosci vi habitudinis, quam habet ut causa, & hæc cognitio illativa est, & à priori, & erit demonstrativa, si cognoscatur, quoniam illius est causa, & non contingit alitèr se habere, hæc non est cognitio per signum; potest alitèr ex causa cognosci effectus vi repræsentationis, quatenùs causa potest proportionem habere cum effectu, & pro eo substituere, & hæc non est à priori, quia omninò de materiali se habet prioritas, & hæc est per signum. Ad secundam confirmationem jam patuit sensus S. Patris.

40 Objicies secundò ex Lerma: Licèt Beatus in Divina essentia videat creaturas tanquàm in causa, non dicitur illas videre tanquàm in signo, non alia ratione, nisi quia illas videt in causa omninò indepen-

pendenti; sed causa principalis, eo quòd talis est, est omninò independens ab effectu: ergo. Resp. missa majori, distinguitur minor: Causa principalis est independens ab effectu, concedo minorem; à cognitione effectûs, subdistinguo: Est independens in eo, quòd causa est, mitto minorem; in eo quòd aliunde dicens proportionem ad substituendum pro effectu in ordine ad cognitionem, nego minorem. Itaque non dicimus, quancumque causam esse signum sui effectûs, sed tantùm, non pugnare cum rarione causæ, quòd sit signum; quare si aliqua causa habet proportionem, vi cujus possit pro effectu substituere quantum ad cognitionem, ea erit signum, non quia causa est, sed quia talem proportionem habet.

41 Quæres tertiò: Utrùm possit dari signum sui ipsius? Resp. affirmativè, & probatur primò expressa authoritate P. Augustini citat. lib. de Magist. cap. 6. ubi ad illam partem signorum, quæ se invicem significant, Adeodatum introducens, sic alloquitur: *Sed certè animadvertis ad ea jam nos signa pervenisse, quæ se invicem significant, nulla præter sonum distantia, & quæ se ipsa significant cum cæteris partibus orationis*; quibus annuens Adeodatus exemplificat in his vocibus nomen, vox, sonus, verbum, signum, quæ non solùm alia, sed se etiam ipsa significant,

42 Probatur secundò ratione ex his deducta: Ista vox *nomen* signum est cujuscumque nominis; sed ipsa nomen est aliquod: ergo signum est sui ipsius. Patet major, tum, quia imponitur ad significandum omnia nomina sine ulla restrictione; tum, quia ipsa, sicut aliud quodcumque nomen, est vox significativa ad placitum sine tempore, quæ est definitio nominis; & quærenti, quæ pars orationis est? respondetur, quòd est nomen. Prob. tertiò: Quilibet terminus signum est, quia per signum definitur terminus, ut patebit cap. 3. at aliquis terminus supponit materialitèr, & pro se ipso, ut in ista propositione: *Blictiri est vox non significativa*: sicut ergo suppositio materialis passio est termini, & terminus ita supponens propriè terminus est, ita signum se ipsum significans.

43 N. Manso q. 4. §. 1. concl. 3. respondet ad utramque probationem, explicando authoritatem S. P. in exemplis ab ipso adductis: ait ergo, quòd vox *nomen* significat omnia nomina sub ratione communi, in qua conveniunt;

at ipsa est signatum sub ratione particulari, qua est tale nomen: unde non est signum sui ipsius nisi tantùm inadæquatè. Sed in primis concedit hæc solutio, quod intendimus, nempe signum sui ipsius sub utrâq; ratione. Deinde, intendit S.P. expressè, quòd hæc vox *nomen* se ipsam cum cæteris significat; solutio verò intendit, quòd non se ipsam, sed tãtùm rationem communẽ significat. An hoc sit explicare S.Patrem, vel potius ei contradicere, poterit quilibet judicare.

44 Contra illam, primò: Ista vox *Petrus* signum est hominis, qui sic appellatur; sed illa significat omnes homines, qui tali nomine appellantur: ergo quòd significet omnes, non tollit, quin sit signum cujuslibet. Secundò: Ista propositio: *Petrus est homo*, esset falsa, quia ly *homo* significat omnes sub ratione communi, Petrus autem est unus particularis. Tertiò: Ista vox *nomen* signum est hujus *Romulus*; sed eodem modo est unum particulare ista vox *nomen*, & ista vox *Romulus*: ergo aut est sui ipsius signum, aut non est alicujus nominis particularis. Quartò: Licèt vox *nomen* significet omnia sub ratione communi, vox tamen *nomen aliquod* non omnia, sed quodlibet particulare significat; sed patet, quòd vox *nomen* est aliquod particulare nomen: ergo non tenet solutio.

45 Objicies primò ex ipso: Signum debet esse aliud in esse repræsentativo á signato; sed nihil potest esse aliud á se ipso: ergo. Major. supponit notam, sed qua ratione ego non video; quod enim repræsentat, est repræsentativè id, quod repræsentat, & imago Regis est repræsentativè Rex ipse, hac ratione SS. Imaginibus tribuimus cultum, qui Sanctis debetur, quia ipsæ imagines, eo quòd repræsentant, sunt nobis repræsentativè id, quod repræsentant. Itaque primò negatur major, signum enim, eo quòd repræsentat, est repræsentativè signatum. Secundò, distinguitur minor: Nihil potest esse aliud à se ipso, realitèr, concedo minorem; ratione, sive ratiocinante, sive ratiocinata, nego minorem; signum autem non realitèr, sed ratione tantùm debet esse aliud à signato.

46 Objicies secundò ex Complut. Signum dependet, & mensuratur á signato, ac proinde est inferius illo; sed nihil potest esse inferius, & dependens à se ipso: ergo neque esse signum sui ipsius. Solutio patet ex dictis dubio antecedenti: Signum non á signato, sed à signati cognitione depen-

pendet, seu inferius est; benè tamen potest sui ipsius cognitione inferius esse, & ad se ipsum ordinari in esse cogniti.

CAPUT II.

Dividitur Signum.

47 SIgnum duo dicit, & rationem medii, quæ est generica, & rationem repræsentativi, quæ est differentialis, & ratione utriusque dividitur; ex priori quidem, divisione materiali, ex posteriori, divisione formali: sicut figura uno modo dividitur in ligneam, & cupream, alio modo in circularem, & quadratam; prior divisio est materialis, sive ratione materiæ, posterior verò formalis. Itaque primo modo dividitur signum in formale, & instrumentale; formale est medium formale, instrumentale verò, medium instrumentale intentionaliter repræsentativum. Quid sit esse medium instrumentale, non uno modo explicatur: communiter dicitur medium instrumentale esse, quod priùs cognitum ducit in cognitionem signati, ut imago D. Petri priùs cognita ducit nos in cognitionem D. Petri.

48 Hæc explicatio non placet: quia ducere in cognitionem illo modo, non est ducere repræsentativè, sed illativè; repræsentare enim est pro altero substituere, & alterum esse, seu facere quod alterum faceret, si adesset, in ordine ad cognitionem; at verò quod priùs cognitum ducit in cognitionem, aliâ cognitione cognoscitur, ex qua deducitur cognitio signati, quod non substituere, & repræsentare est, sed inferre. Præterea: Vox quælibet est signum instrumentale conceptûs, quem formamus de ipsa, nempè est naturalis imago illius; at non unâ cognitione cognoscitur vox, aliâ conceptus, quia conceptum de voce formamus in cognoscendo, seu concipiendo vocem: ergo.

49 Est ergo medium formale, quod per modum formæ unitur intellectui, & est ipsa notitia, quam format intellectus; quæ cùm sit formalis similitudo objecti, illud intellectui repræsentat, & pro objecto substituit, nempè se habet in intellectu loco rei: medium instrumentale est, quod non sic unitur, sed causat in intellectu notitiam; quare se habet ut instrumentum, & causa, quare dicitur instrumentale: & sic repræsentat quodlibet signum præter ipsam notitiam, quam format intellectus.

50 Dices: Ex hoc sequitur, quòd res quælibet erit signum,

num, quia quælibet est cognoscibilis, quare causat conceptum sui in intellectu, cujus cùm sit naturalis imago, erit signum instrumentale: ex quo aliud sequitur inconveniens: quia conceptus ponitur signum formale rei conceptæ, res verò est signum instrumentale conceptûs: jam autem cùm signum sit inferius signato, si uno modo est signum, alio modo signatum, erit simùl superius, & inferius.

51 Resp. distinguendo assumptum: Quælibet res erit signum alterius rei, nego; sui conceptûs, concedo. In quo tamen nullum est inconveniens; sicut enim vox non significativa signum est conceptûs de ipsa voce, ita de re qualibet: se habet enim vox non significativa omninò sicut res concepta. Itaque B. Doctor in 1. Elench. super text. *Verum sanabatur quidem*, ita habet dub. 2. *Sciendum ergo, quòd vox prolata dupliciter significat: uno modo repræsentat conceptionem sui ipsius, alio modo repræsentat conceptiones, & rationes rerum: primo modo vox repræsentare potest, quod est in imaginatione, ut vox prolata extra, signum est vocis imaginatæ*: sicut ergo vox quælibet signum est illius, quod sibi respondet in imaginatione, respectu cujus se habet ut res concepta, ità de quovis alio. Ad aliud, quod subinfertur, patet ex sup. dictis, quod non signato, sed cognitione signati inferius est signum, quare nullum est inconveniens.

52 Dividitur secundò signum divisione formali in naturale: & ad placitum, naturale est, quod ex natura sua repræsentat, ut imago; etsi enim ex voluntate hominum pendeat, quòd fit, semèl tamen facta, ex natura sua habet repræsentare id, cujus est imago: ad placitum est, quod habet repræsentare ex libera hominum voluntate, ut voces, quæ non solùm, quòd proferantur, sed etiam, quòd hoc, aut illud significent, habent ex hominum voluntate. Naturale eodem modo apud omnes significat, quia eandem habet apud omnes naturam, non ita ad placitum; unde ex diversa imponentium voluntate diversimodè significant voces, & diversa sunt idiomata.

53 Solet ulteriùs dividi in practicum, & speculativum: hoc est, quod purè repræsentat, practicum verò, quod causat aliquomodò id, cujus est signum, ut Sacramenta novæ Legis dicuntur signa practica gratiæ, quam causant. Insuper, in demonstrativum, reme-

rememorativum, & prognosticum: demonstrativum dicitur, quod rei præsentis signum est; rememorativum, quod præteritæ; prognosticum, quod futuræ, ut eadem Sacramenta dicuntur signa demonstrativa gratiæ, rememorativa Passionis Christi Domini, & prognostica gloriæ. Sed de his non curamus, quia ad institutum Dialecticum non conducunt.

54 Quæres primò circa primam signi divisionem: An signum formale sit propriè signum? Negant NN. Fulgen. Gavard. Uillan. Mans. & qui tenent, adæquatam esse signi definitionem suprà adductam ex P. Augustino. Nobis videtur dicendum ex Philosopho, & B. Doctore, quòd signum formale est verè, & propriè signum. Probatur primò authoritate utriusque: nam Philosophus in principio 1. Perier. ita habet: *Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum, quæ sunt in anima, passionum notæ, & ea, quæ scribuntur, eorum, quæ sunt in voce: & quemadmodùm nec literæ omnibus eædem, sic nec voces: quorum autem hæ primorum sunt notæ, eædem omnibus animæ passiones sunt, & quorum hæ similitudines, res etiam eædem.*

55 Supra quæ B. Doctor ita habet: *Vlteriùs nota, quòd illa quatuor se habent per ordinem, literæ, voces, similitudines, & res: literæ sunt notæ vocum, & voces sunt signatæ à literis, & sunt signa passionum; passiones verò sunt significatæ à vocibus, & sunt signa rerum; & res ita sunt significatæ, quòd non sunt signa.* Intendit itaque Philosophus, ut exponit B. Doctor, quòd quemadmodùm voces sunt signa conceptuum, eodem conceptus, seu passiones sunt signa rerum; at voces sunt signa verè, & propriè: conceptus ergo, qui sunt signum formale, sunt propriè signa.

56 Dices autem: Doctor N. in ultimis verbis asserit, quòd res sic sunt signatæ, quòd non sunt signa; at nos suprà diximus, res esse posse signa conceptuum: ergo contra B. Doctorem. Resp. quòd loquitur B. Doctor de ordine, quem habet vox significativa alicujus rei ad rem ipsam, & conceptum de re; nos autem alio sensu, eo nempè, quo ipse B. Doctor asserit, voces esse signa conceptûs de ipsa voce, suprà locuti sumus, quare non contra sensum B. D.

57 Prob. secundò ex B. Doctore 1. Post. fol. 10. cod. 2. ubi ita habet: *Dicendum, quòd scientia nostra causatur à rebus; & quia effectus est repræsentativus causæ, ea, quæ sunt in intellectu, & ipsi con-*

cep-

ceptus, quos formamus nobis in mente, sunt signa eorum, quæ sunt in rebus. En ubi expresse habet B. Doctor, quòd conceptus sunt signa rerum; patet autem, quòd conceptus est signum formale: nullum ergo relinquitur dubiũ de mente B. Doctoris: quare mirum est, quòd N. Fulg. in Ægidii textum versatissimus, asserat, nullibi reperiri in litera B. D. signum formale, satis enim expressus est uterque locus.

58 Prob. tertiò â ratione: Signum propriè tale est medium propriè repræsentativum alterius; sed ita est signum formale: ergo. Probatur minor: Et quidem, quòd signum formale sit aliud â signato, patet ex dictis præcedenti cap. non enim debet esse aliud in esse repræsentativo, alioqui nullum signum esset aliud à signato, quodlibet enim est repræsentativè suum signatum; patet autem, quòd conceptus est res alia ab objecto. Quòd ergo propriè repræsentet, probatur: Id propriè repræsentat, quod pro altero substituit, loco illi ponitur, & facit quod alterum faceret, si adesset; sed signum formale ita se habet: ergo. Patet major, quia id repræsentare est, & ideo ait Philosophus ubi suprà: *Quia res ad Scholas adducere non possumus, utimur vocibus pro rebus.* Minor item patet, eò enim format intellectus conceptum, qui est signum formale, ut in illo habeat apud se rem ipsam.

59 Confirmatur: Si signum formale solùm analogicè, & impropriè est signum, terminus mentalis solùm analogicè, & impropriè erit terminus; sed hoc est absurdum: ergo. Patet minor, quia tunc Logica esset de vocibus, & tantúm in vocibus esset propriè artefactum logicum. Major eo patet, quia terminus definitur per signum, & eo hìc agitur de signo, quia pertinet ad quidditatem termini: sicut ergo habet unumquodque rationem signi, habebit rationem termini, & quod tantùm impropriè est signum, non poterit esse propriè terminus; sicut quod esset impropriè animal, non posset esse propriè homo.

60 Objicies primò ex authoritate Philosophi suprà adducta, subjungit enim immediatè: *De his quidem igitur dictum est in his, quæ dicta sunt de anima; alterius enim est negotii.* En ubi apertè ait, quòd agere de passionibus, seu conceptibus, qui sunt signum formale, pertinet ad lib. de Anima, & quòd de his agere non est proprium Dialectici: ergo tantùm impropriè reperitur in illis ratio signi.

Resp.

61 Resp. quòd intentum Philosophi est, quòd agere de conceptibus pertinet ad lib. de Anima; quod non tollit, quin agere de significatione eorum, sive de illis, ut sunt signa, sit proprium Dialecticæ: sic explicat hunc textum B. D. Posset ulteriùs dici, quòd in hoc, quod ait *alterius est negotii*, intendit, quòd non pertinet ad lib. Perhier. qui est de elocutione, & in quo tantùm agitur de vocibus, & earum significatione, quod non tollit, quin agere de signo formali sit proprium Logici; etsi enim enuntiatio, de qua est ille liber, propriè sit in vocibus, alia artefacta propriè sunt in conceptibus.

62 Objic. 2. ex N. á Vill. Signum formale simùl cum instrumentali constituit unam adæquatam rationem signi: ergo non est propriè signum distinctum ab instrumentali. Prob. antecedens: Signum formale est quo signum instrumentale repræsentat; sed *quod*, & *quo* constituunt unam adæquatam rationem repræsentandi: ergo. Major patet, quia signum formale est conceptus, quem intellectus format de re, & quo habet notitiam rei significatæ. Minor etiam patet, quia enim calor est, quo ignis causat, non est causa distincta ab igne, sed virtus ejus.

63 Resp. & in primis ipse Villanov. non sibi videtur constans, quia præcedenti cap. n. 9. statuit, quòd id, quo signum instrumentale repræsentat, est respectus ad signatum: ergo non est conceptus, ut nunc intendit. Præterea: Doct. N. sæpè docet, quód signum instrumentale, v. g. vox, non est signum rei, sed conceptus: ergo ipse conceptus non est quo significat, sed quod significatur, & ulteriùs rem significat, ut habet loco suprà adducto in prima probation. & idem in alio loco ex 1. Post. prosequitur enim: *Rursus quia hujusmodi conceptus exprimimus per voces, & per nomina, quia ea, quæ sunt in voce, sunt signa eorum, quæ sunt in anima: non est igitur alius conceptus, qui significatur per voces, & qui est signum rerum.* En primò conceptus est signum rerum. En secundò non est quo significat, sed quod significatur per vocem, & quod ulteriùs significat rem.

64 Directè neg. antecedens, ad probat. ejus neg. major, & ad ejus probat. dico, quòd esse signum non est ducere in cognitionem signati exercitè, & in actu secundo, sed est esse aptũ ducere: insuper signatũ signi instrumẽtalis nõ est immediatè res ipsa, sed conceptus; ad hoc enim vocibus utimur, ut manifestemus conceptus, licèt mediãte conceptu significet etiam rem: non ergo signum formale est quo instrumentale repræsentat, sed tale *quo* est respectus ad signatum, & signum formale est, quod immediatè repræsentatur per instrumentale, & quod etiam rem significatam repræsentat.

65 Quòd si dicas: Mediante con-

conceptu significat rem: ergo conceptus est quo rem significat: tunc oportet distinguere: Non enim est quo per modum virtutis, sicut calor respectu ignis; sed est quo per modum medii, quod de se habet repræsentare: fit autem unum ex *quod*, & *quo*, quando ipsum *quo* est virtus, ut calor respectu ignis, quare non fit unum signum ex formali, & instrumentali.

66 Objicies 3. ex N. Manso: Unum simile non est signum alterius perfectè similis; sed signum formale est perfectè simile signato: ergo. Patet minor, quia signum formale est formalis simi itudo rei, non utcumque, sed quâ major dari non potest in esse intelligibili. Major ergo prob. Signum debet esse inferius signato; sed unum simile non est inferius altero perfectè simili: ergo neque signum.

67 Confirmatur: De ratione signi est, quòd differat à signato non solùm in esse entis, sed etiam in esse intelligibilis; sed signum formale in esse intelligibilis non differt á signato: ergo. Minor supponitur, major autem sic patet: Quod de materiali se habet ad repræsentandum, de materiali se habet ad rationem signi; sed distinctio in esse entis de materiali se habet ad repræsentandum: ergo. Patet major, quia eò est signum, quò repræsentat. Ostenditur min. Quia non cognoscitur species hominis, non cognoscitur entitas speciei, seu homo repræsentatus: ergo de materiali est entitas, & ejus distinctio.

68 Resp. neg. maj. quia si est simile, potest pro suo simili substituere; erit enim aliud ab ipso, & quantò magis erit simile, magis poterit substituere, sicut patet in imagine, quæ quantò magis assimilatur prototypo, eò magis repræsentat. Ad rationem probativam jam suprà patuit, quòd non propter signatum, sed propter cognitionem ejus assumitur signum; quantumcumque autem sit perfectè simile, potest esse inferius cognitione alterius.

69 Ad confirmationem negatur major, peto enim: An imago D. Petri est repræsentativè D. Petrus? Si enim non est, quomodo pro illo substituit, & vices illius gerit? Si autem est, non distinguitur in esse repræsentativo ab eo, quod est repræsentativè. Itaque est de ratione signi, quòd fit repræsentativè suum signatum, aut ex naturali proportione, aut ex libera institutione; alioqui non poterit ipsum repræsentare, seu quod idem est, pro eo substituere; requiritur autem, quòd sit aliquomodo aliud à signato, saltim ratione, ut possit esse medium. Ad probat. neg. min. & ad ejus prob. dicitur, quòd species hominis est repræsentativè homo, quare quando cognoscitur species, cognoscitur homo tanquam signatum in signo; si autem non esset aliud, non repræsentativè, & tanquam signatum

tum in signo cognosceretur, sed in se ipso, quare est de per se illa distinctio ad repræsentandum.

70 Objic. 4. Signum est essentialiter medium; sed signum formale nequit esse medium: ergo. Prob. minor: Quod est terminus, & finis, nequit esse medium; sed signum formale est terminus, & finis, in quo sistit intellectus: ergo. Patet minor, quia signum formale est conceptus, in quo intellectus attingit objectum, & in quo sistit motus ejus.

71 Resp. disting. maj. Quod est terminus ultimus, nequit esse medium, concedo maj. quod est terminus non ultimus, neg. maj. & disting. min. Signum formale est terminus, & finis, in quo sistit intellectus propter se, & ut ens est, neg. min. propter rem, quam in illo attingit, & ut est repræsentativè res concepta, conced. min. Itaque in conceptu sistit motus intellectûs, quatenus in eo attingit rem: quare conceptus sic est terminus, quòd etiam est medium, nempè terminus ultimus, & qui nequit esse medium, est res, quæ repræsentatur in conceptu; conceptus verò est terminus non ultimus, sed repræsentans, & qui respectu vocis terminus est, respectu verò rei conceptæ medium illam repræsentans.

72 Objic. 5. ex N. Fulg. Licèt conceptus sit signum rei, est tamen signum instrumentale: ergo signum formale non est propriè signum distinctum ab instrumentali. Prob. antecedens: Signum instrumentale est, quod ex sui cognitione ducit in cognitionem signati; sed signum, quod dicitur formale, ita se habet: ergo. Prob. minor: Quia signum formale est id, in quo intellectus apud se intuetur rem ipsam: sed hoc debet cognosci, ut in illo res videatur: ergo ex sui cognitione ducit.

73 Resp. neg. antecedens, ad prob. disting. major: Signum instrumentale est, quod ex sui cognitione ducit, tanquam medium per quod, conced. maj. tanquam medium in quo, neg. maj. & sub eodem sensu min. Itaque si quodlibet signum debet ducere in cognitionem signati, quodlibet debet ex sui cognitione ducere, non enim potest ducere, quin cognoscatur; distinguuntur autem signum formale, & instrumentale in ratione medii cogniti; alterum enim, nempè instrumentale, cognoscitur ut medium per quod, & per modum causæ: alterum verò, nempè formale, ut medium in quo, & per modum formæ.

74 Objicies 6. Si signum formale esset verè, & propriè signum, Deus posset esse signum propriè tale; sed hoc est absurdum: ergo. Patet minor, quia Deo repugnat esse medium. Prob. major: Beati in patria non formant conceptum, seu speciem, sed Deus ipse unitur intellectui per modum speciei, sive impressæ, sive expressæ; sed si signum

num formale est verè signum, tale signum est species, quæ dicitur expressa: ergo Deus gerens munus speciei, erit signum.

75 Resp. neg. maj. ad prob. dicitur, quòd ea locutio, quâ communiter dicitur, quòd Deus gerit munus speciei, impropria est, non enim objectum gerit munus speciei, sed ê contra species ponitur loco objecti, & vices ejus gerit, quando objectum non potest per se ipsum uniri: quia ergo in Patria Deus per se ipsum unitur, nullâ ibi opus est specie, neque Deus tunc signum alicujus est, quia pro nullo alio substituit, sed se ipso unitur, ut videatur.

76 Dices: Licèt respectu visionis ipsius essentiæ non habeat Deus modum speciei, saltim respectu creaturarum, quas Beati in Deo vident, habet modum speciei, & illas repræsentat: ergo habetur intentum. Hæc difficultas Theologica est, & quæ hìc non potest plenè evacuari: pro solutione brevitèr nota, quòd duos conceptus possunt formare Beati in Patria de creaturis, alterum earum prout in Deo, alterum earum prout in se ipsis: pro primo non formant sibi verbum, sed in ipsa essentia attingunt, & sic ea non est signum, quia non aliud repræsentat, creaturæ enim in essentia sunt ipsa creatrix essentia, ut ait S. Parens: pro altero formant sibi verbum, seu speciem expressam; & hæc est signum formale creaturarum secundùm esse, quod habent, aut habère possunt in se ipsis. Hæc pro dignitate probare non est præsentis instituti, quare sic relinquantur suo loco probanda.

77 Quæres 2. An species impressa sit signum formale? Nota, quòd intellectus noster, eo quòd in sui primordio nascitur tãquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, ut aliquid intelligat, accipit species à rebus ipsis ministerio sensuum: imprimitur ergo intellectui quædam similitudo rei intelligendæ, quæ ut sic, & ut ab objecto imprimitur, dicitur species impressa: expressa verò est illa similitudo, quam in cognoscendo format intellectus: de hac non est dubium, quin sit signum formale, quare dubitatur de impressa; & affirmant aliqui ex Thomistis, ut Lerma, Huertos, & alii.

78 Nobis dicendum: Species impressa non est signum formale. Prob. Signum formale est medium in quo; sed species impressa non est medium in quo, sed per quod: ergo. Prob. min. Quod habet aliquam causalitatem in ipsam notitiam, qua intellectus intelligit, non est medium in quo, sed per quod; sed species impressa habet causalitatem in ipsam notitiam: ergo. Patet major, quia quod habet causalitatem in notitiam, non est medium speculare, & per modum formæ, sed est veluti instrumentum, & causa ejus. Patet item minor, quia species impressa est actus primus

mus cognoscendi, quo intellectus fit proximè potens procedere ad actum secundum.

79 Objic. Species impressa est formalis similitudo objecti: ergo est signum formale. Antecedens supponitur ab omnibus, & consequentia probatur: In tantum est signum, in quantum est imago; sed est formalis imago: ergo erit formale signum. Confirmat. Species impressa est signum; sed non instrumentale: ergo formale. Major videtur per se nota, quia non minus, imò magis est similitudo Petri species impressa illius, quàm imago sive in pictura, sive in speculo: ergo si ista propter similitudinem est signum, potiùs species. Minor item patet, aliter enim repræsentat imago depicta, ac species, cùm imago sit exterior similitudo, per quam causatur in intellecta species; hæc verò sit imago interior.

80 Resp. conc. anteced. neg. consequentiam. ad prob. ejus dico, quòd esse signum habet ex quo sit imago, sed esse signum formale non ex ratione imaginis, sed ex ratione medii habet, imò imago depicta est formalis imago, signum autem instrumentale: itaque formalis imago importat formaliter rationem differentialem signi; signum autem formale constituitur non per diversitatem ex ratione differentiali, sed ex ratione generica: quòd si formalis imago intelligatur formale medium, seu imago in qua, neg. minorem, quia talis non est species impressa, sed expressa.

81 Ad confirm. neg. min. ad probat. ejus distinguo assumptum: Aliter repræsentat in ratione ipsa medii per quod, neg. assumptum; aliter in aliis circumstantiis accidentalibus ad rationem signi, concedo. Itaque convenit imago exterior cum specie impressa in eo, quòd utraque est medium, per quod causatur notitia, & differunt, quia una mediatè, alia immediatè causat, una exterior est, & permanens, alia interior, & transiens; quæ omnia de materiali sunt ad diversificandam rationem signi. Nota autem, quód aliud est esse signum, aliud significare: esse signum id habet, quòd imago est alterius, per hoc enim est potens repræsentare, seu substituere pro alio; significare autem id habet, quòd actu ducit in cognitionem alterius.

82 Circa secundam divisionem quæritur 1. An ea sit adæquata? Est quærere: An signum ex consuetudine sit tertia species distincta à signo naturali, & ad placitum? Resp. Signum adæquatè dividi formali divisione in naturale, & ad placitum. Prob. 1. Quia quæ dicuntur ex consuetudine significare, non repræsentativè, sed illativè ducunt in cognitionem, quare sunt signa, prout signum computatur inter loca topica; at hìc agitur de signo, prout ducit repræsentativè, quia hoc tantùm assumitur ut genus, in definiendo elementa logica: ergo. Major patebit dis-

discurrenti per singula; canis enim non substituit pro domino, sed intellectum movet, ut eo viso, deducat, dominum adesse : similiter ramus non est imago substituens, aut ex aliqua impositione repræsentans vinum, sed ad hoc solum instituitur, & apponitur, ut videntes inferant ibi haberi venale.

83 Prob. 2. Licèt sit signum, de quo agimus, non constituit speciem distinctam : ergo. Prob. antecedens : Illa proportio, vi cujus ex consuetudine movemur, aut fundatur in libera institutione, aut est ex natura rei, quæ significat: ergo ad illa duo reducitur signum ex consuetudine. Ostenditur antecedens : Quia quòd ramus ducat in cognitionem vini venalis, eo est, quia voluerunt homines id assumere, & potuissent quodvis aliud eodem modo assumere, quod eodem modo indicaret, ac nunc indicat ramus; similiter quòd canis indicet dominum suum, ex naturali est instinctu, quo inducitur illum præcedere; sed non est alius modus, quo ex consuetudine ducamur in cognitionem alicujus: ergo.

84 Dices : Canis videns mappas ad mensam apponi, accedit aliquid accepturus; at ipse neque habet discursum, quo inferat, neque cognoscit hominum voluntatem; neque aliundè mappæ ex nara sua habent prandium repræsentare : ergo contra id utrumque, quod diximus, & mapparum expansio est cani signum, quo non illativè, sed repræsentativè cognoscit proximum prandium, & aliundè signum aliud præter naturale, & ad placitum.

85 Resp. quòd ex mapparum appositione excitatur species, quæ est in memoria sensitiva canis, de eo quód sæpè hoc videns, aliquid acceperit, quare sine ullo discursu movetur accedere : deinde hanc speciem habet excitare mapparum expansio ex libera hominum voluntate; si enim voluissent non sic ad prandium sedêre, non id significaret mapparum expansio; neque oportet voluntatem imponentis cognoscere, ut re ipsa quod liberè impositum est, significet ad placitum; quis enim dicat, pueros cognoscere imponentium volùtatem? Et tamen sibi, sicut nobis, significant voces ad placitum.

86 Quæres 2. Utrùm voces significent immediatè conceptus, an res? Supponitur voces significare conceptus, id expressè habet Philosoph 1. Perhier. text suprà dato: *Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum, quæ sunt in anima, passionum notæ.* Supponitur etiam significare res, tùm, quia humanum commercium, pro quo voces institutæ sunt, non stat in sola manifestatione conceptuum, sed rerum etiam, quæ concipiuntur; tùm deinde, quia id etiam docet Philos. 1. Elench. ubi ait : *Quia res ad Scholas adducere non possumus, utimur vocibus pro rebus.*

Quæ-

87 Quæritur ergo: Quo ordine id utrumque significant voces, an immediatè res ipsas,& mediante conceptum loquentis, an ê contra? Prima sententia asserit significare per se primò, & immediatè res, conceptus verò secundariò. Ita Scotus, quem sequuntur discipuli, Poncius disp. 19. q. 2. Llamaza disp. 1. Logicæ docentis q.2. qui tamen testatur,fateri Scotum, oppositam sententiam probabiliorem esse viâ authoritatis. Secunda sententia docet,æquè primò significare utrumque. Ita Lynce lib. 6. Dialect. tract. 2. cap. 3. Tertia sententia docet, significare principaliter conceptus, & minus principaliter res. Ita Lerma disp. 5.q. 2. Quarta docet, immediatè quidem significare conceptus,principaliter verò res. Ita NN. cum quibus

88 Resp. Voces significant immediatè conceptus, principaliter verò significant res. Prob. ex Philos. loco suprà citat. 1. Perhi. ubi asserit, quòd ea, quæ sunt in voce, sunt signa passionum, passiones verò, sive conceptus sunt signa rerum: ubi utrumque habetur, & quòd immediatè significant conceptus, nam ad hoc immediatè refertur significatio,& insuper, quòd principaliter significant res, non enim conceptus propter se ipsos significant, sed ut sunt signa rei conceptæ: ergo principaliter, nempè tanquam finem ultimum respiciunt res.

89 Prob. 2. ex P. Aug. lib. 2. de Ordin. cap. 12. ubi ita habet: *Nec homini homo firmissimè sociari posset, nisi colloquerentur, atque ita mentes suas sibi, cogitationesque quasi refunderent, vidit rebus esse imponenda vocabula, id est, significantes quosdam sonos.* En primò vocabula imponuntur rebus, quare hic est finis, res nominare, & significare; sed en etiam humanum commercium,pro quo imponuntur voces, intendit immediatè mentes hominum sibi invicem manifestare: immediatè ergo conceptus significant, principaliter verò intendunt res.

90 Prob.3. ex N. D. in 1.dist. 2. q. 1. a. ult. §. 1. *quia*, ubi ait: *Nunquam nomina imponuntur nisi mediante conceptione, & ideo nomina immediatiùs significant conceptionem, quàm rem.* Ex quibus utrumque deducitur, quòd enim immediatè significant conceptus, expressè habet, quòd autem principaliter rem,inde colligitur;quando enim unum se habet ut medium ad alterum, hoc alterum principaliter intenditur, nempè ut finis, ad quem medium ordinatur; sed voces significant conceptum, ut quo mediante significant rem conceptam: ergo.

91 Prob. 4. á ratione: Voces significant res, & conceptus, prout res, & conceptus se habent ad humanum commercium;sed hoc consistit in eo,quòd loquens alteri manifestet conceptum, & medio conceptu,

ceptu, rem: ergo. Patet maj. quia voces impositæ sunt ad significandum propter humanam societatem. Prob. minor: Res ostendere per voces in tantum pertinet ad humanam societatem, in quantum loquens de ipsis rebus cogitat, & aliis vult cogitata sua manifestare. Rursus, non vult ex rebus ostendere cogitationes suas, quia sic voces essent signa rerum, & res essent signa conceptuum, quod nullus dicit: vult ergo per voces ostendere cogitationes suas de rebus, & sic principaliter intendit res significare, & immediatè conceptum suum de re.

92 Confirmat. Ueritas in dicendo consistit in conformitate locutionis cum conceptu loquentis, non verò cum re significata: ergo voces non immediatè significant res, sed conceptum loquentis, & medio conceptu rem. Patet antecedens, qui enim id asserit, quod habet in mente, verax est, & si per accidens rei non conformetur conceptus ejus. Conseq. ergo prob. Sicut enim veritas intellectûs consistit in conformitate cum eo, quod sibi respondet, ita veritas locutionis: si ergo vera est locutio, non per hoc, quòd rei conformetur, sed per hoc, quòd conformetur conceptui, sibi per se, & immediatè, non res, sed conceptus respondet.

93 Objic. 1. S. P. Aug. lib. de Mag. in quo per totum agit de signis, & significatione vocum, cap. 14. sic ait: *Nùm hoc M. M. profitentur, ut cogitata eorum, ac non ipsæ disciplinæ, quas loquendo se tradere putant, percipiantur, atque teneantur? Nam quis tam stultè curiosus est, qui filium suum mittat in Scholam, ut, quid Magister cogitet, discat?* En stultum reputat, & in audiente, quòd intendat percipere mentis conceptum, & in loquente, quòd hunc intendat significare, sed potiùs rem ipsam: ergo voces non significant immediatè conceptus, & res.

94 Resp. quòd verba S. P. ut jacent, & sonant, sunt pro nobis; intendit enim, quòd loquens stultè intenderet tanquam finem cogitata sua manifestare, quare finis, & principale significatum non conceptus est, sed res concepta, quam tamen non nisi quia concipit, intendit significare, quare medio conceptu: apertè ergo intendit, quòd sive loquenti, sive audienti voces significant principaliter quidem, & tanquam finem res, immediatè verò conceptus.

95 Objicies 2. fundamentum M. Lerma: Uoces significant res propter conceptus: ergo principaliter, & magis significant conceptus. Patet conseq. quia propter quod unumquodque est tale, & illud magis. Antecedens notum supponit, quia eò utimur vocibus, ut aliis manifestemus conceptus nostros. Resp. neg. anteced. ad prob. ejus dico, quòd utimur vocibus, ut manifestemus conceptus, non

ut

ut res sunt, & propter se ipsos, sed ut sunt rerum conceptus, & propter ipsas res; nam, ut ait S.P. stultè desiperet qui id intenderet, nempè quid cogitat loquens, sed potiùs rem, de qua cogitat: non ergo res propter conceptus, sed ê contra, conceptus propter res significant voces.

96 Dices ex Complut. Aliud est alteri dicere: *Cœlum est incorruptibile*, aliud verò dicere: *Ego cognosco cœlum esse incorruptibile*; sed in illa prima principalitèr intenditur res: ergo in ista secunda principalitèr intenditur conceptus, & consequentèr falsum est, quòd voces significant res medio conceptu, sed aliquando principalitèr significant conceptus ipsos. Resp. conc. totum discursum, neque enim negari potest, quin aliquæ sunt voces impositæ ad significandos ipsos conceptus, ut istæ, *conceptus*, *concipio*, & similes: de illis ergo non dubitatur, sed de illis, quæ impositæ sunt ad significandam rem aliquam. Itaque quia in secunda enuntiatione verbum est ly *cogito*, ea principalitèr significat cogitationem, quod non tollit, quin voces impositæ ad significandas res, de quibus procedit dubium, res ipsas principalitèr significent.

97 Objicies 3. ex Pontio: Si voces significarent immediatè conceptus, pro illis supponerent; sed hoc est absurdum: ergo. Major patet, quia significare in proposito est repræsentare; repræsentare verò est pro alio substituere, seu supponere. Minor ostenditur: Si voces supponerent pro conceptibus, nulla esset propositio vera, quia tunc sensus hujus, v. g. *Homo est animal*, esset iste, *conceptus homo est conceptus animal*, quod est apertè absurdum.

98 Resp. 1. neg. maj. Non enim supponunt pro eo, quod immediatè, sed pro eo, quod principalitèr significant. Resp. 2. neg. min. Esset enim absurdum, quòd supponerent pro conceptu de ipsa voce; non autem de hoc procedit conclusio. Deinde conceptus de re aut accipietur materialitèr, ut est res quædam, aut accipietur formalitèr, ut est talis rei conceptus, & similitudo; non priori modo, sed hoc posteriori illum significat vox: tunc autem nulla est absurditas in eo, quòd pro ea sic supponat; est enim sensus propositionis, non conceptus *homo*, ut vult arguens, iste enim est conceptus de voce, sed conceptus hominis est conceptus animalis, qui verus est, reddit enim, quòd res correspondens uni conceptui eadem est, quæ correspondet alteri.

99 Objicies 4. ex Llamaz. Si voces significarent mediis conceptibus, sequeretur, quòd homo Græcus v. g. audiens vocem græcam, à nesciente linguam græcam, prolatam, non posset cognoscere significatum vocis; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. major: Quia

tunc non posset cognoscere conceptum loquentis, nullum quippè format de re: sed non pervenitur ad finem nisi per medium: ergo non posset cognoscere rem significatam.

100 Resp. 1. Quòd de ratione signi non est actu ducere in cognitionem signati, sed esse actu: illa vox actu non ducit in significationem conceptûs, aut rei, imò ipsi loquenti actu nihil significat, quod non tollit, quin ea signum sit, potens nempè significare scienti conceptum de tali re, & medio eo talem rem. Resp. 2. neg. maj. ad probat. ejus dicitur, quòd audiens, cùm sciat loquentem nescire significatum vocis, non cognoscit conceptum, quem format, imò cognoscit nullum formare; cognoscit tamen conceptum, quem deberet formare, si sciret significatum vocis, quare cognoscit rem, quam vox significat, & conceptum, medio quo significat.

101 Objicies 5. ex Lalem. Si voces significarent conceptus, quælibet vox esset æquivoca; sed hoc est absurdum: ergo nullo modo significant conceptus. Prob. major: Æquivocum est, quod simùl significat duo diversa; sed res, & conceptus sunt duo diversa: ergo. Ostenditur major, quia hæc vox *canis* eò est æquivoca, quia significat simùl animal, & Sydus. Min. etiam patet: Conceptus enim est quid intentionale in anima, res verò quid physicum.

102 Resp. neg. maj. ad prob. disting. maj. Quod simùl significat duo diversa, ex æquo, & utrumque per se, conc. maj. quod significat duo diversa, ordine, & unum propter alterum, neg. maj. & eodem sensu distinguatur min. Uox enim *canis* eo est æquivoca, quia æquè significat Sydus sic appellatum, & animal; at verò vox non sic significat conceptum, & rem, sed conceptum propter rem conceptam, quare non propriè duo, quia ubi unum propter alterum, utrobique unum tantùm.

CAPUT III.

De Termino Logico.

103 TErminus propriè dicitur in quantitate continua, ex qua metaphoricè dicitur in Logicis, quare Philos. 1. Prior. daturus definitionem termini syllogistici, non ait: Terminus est, sed terminum voco, quod ita exponit Doctor N. ibi dub. 1. *Quia terminus non est in propositione, nisi metaphoricè, in continuis autem propriè est terminus, quare ait terminum voco, quasi dicat, cùm in continuis propriè sit terminus, ego hìc voco terminum &c.* Per similitudinem ergo, & per quandam analogiam ad quantitatem continuam dicitur terminus in Logicis, & significat prima elementa, ex quibus logica artefacta coalescunt; dicuntur autem elemen-

menta partes primæ, ex quarum unione resultat artefactum, sicut in domifactiva lateres, & calx dicuntur elementa artis.

104 Notandum autem, quòd principia, sive elementa artis non dicuntur partes quælibet, licèt remotissimæ, sed eæ tantùm, ex quibus immediatè fit artefactum, ut in domifactiva non est elementum artis lutum, ex quo lateres fiunt, sed lateres ipsi, quia lateres facere ad alium spectat artificem; ad domifactivam verò tantùm eis uti, & ex illis artefactum construere: & quia hoc est, quo primò utitur illa ars, id dicitur elementum ejus: unde in proposito neque literæ, ex quibus syllabæ, neque syllabæ, ex quibus voces componuntur, sunt elementa Logica, aut ad Logicum spectant, sed de illis agere alterius est artificis, nempè Grammatici, & Logicus à vocibus incipit, ex quibus artefactum construit, & eæ sunt ejus elementa.

105 Ulterius notandum, quòd aliter de terminis egit Philosoph. aliter nos agimus, quia Philosophus, cùm Logicam tractaverit per partes suas, in singulia libris de singulis partibus agens, nullibi opus habuit explicare rationem termini in communi ad omnia artefacta, sed rationem dumtaxat particularem, prout spectabat ad particulare artefactum, de quo in illo libro agebatur; quare in libro Prior. definit terminum syllogisticum, quia ibi agit de propositione,& syllogismo; in libro Perhier. nomen, & verbum, quæ sunt termini enuntiationis, de qua ibi agitur; at verò nos tractatum facimus quasi præliminarem ad totam Logicam, quare debemus rationem communem termini ad omnia artefacta accipere, neque possumus aliquam ex definitionibus ejus accipere.

106 Terminus ergo sic definitur: Signum orationis constitutivum ut pars propinqua. Hanc ex N. Veneto tenent NN. communitèr Fulg. Gavard. Scipio de Palu. qui testatur esse communem in Schola Nostra. Dicitur *signum* loco generis, quia ratio signi est subjectiva in termino, & in ea omnia elementa Logica conveniunt: dicitur *orationis constitutivum* per modum differentiæ, quia per hoc significatur ordo ad componenda artefacta Logica; qui quidem ordo per nihil significatur aptiùs, quàm per orationem, quia in hac solùm ratione conveniunt univoca omnia artefacta, & ea proinde ut genus assumitur in definitione uniuscujusque. Tandem additur *ut pars propinqua*, non ut ulterior differentia, sed ut major quædam expressio, qua excludantur, tùm partes remotæ, ut literæ, & syllabæ, tùm copula ut talis; quamvis istæ excludantur per ly *constitutivum*; copula enim non constituit, sed est constituentium nexus, & literæ, aut syllabæ non orationem, sed vocem constituunt: id ergo tan-

tùm additur pro majori expresione.

107 Quæres 1. Utrùm prædicta definitio sit bona? Nota, quòd ratio artefacti logici analoga est, nempè quæ non æqualitèr omnibus convenit, sed perfectiori modo syllogismo, quàm cæteris; idem dicendum putant de ratione termini; & quia analogum per se sumptum stat pro famosiori, volunt aliqui, quòd definitio termini per ordinem ad propositionem, aut syllogismum de omni termino accipienda sit, quare definiunt, aut cum Philos. 1. Prior. *In quem resolvitur propositio*, aut cum M. Soto: *Signum ponibile in propositione, aut signum categoricæ propositionis constitutivum.* Ita communitèr Thomistæ. Alii putant quidem prædictam definitionem non convenire omni termino; quia tamen ratio termini est analoga, dicunt non posse unam tradi definitionem pro omni termino, sed tres debere assignari, unam pro definitivo, alteram pro enuntiativo, & tertiam pro syllogistico. Ita Noster Villan.

108 Alii putant, quòd licèt ratio termini sit analoga, non est ex illis, in quibus ratio significata tantùm reperitur in uno, ut est *sanitas*; sanitas enim solùm reperitur in animali; in pulsu verò, & aliis, quæ dicuntur sana, non reperitur; sed est ex illis analogis, in quibus ratio significata reperitur in omnibus, licèt inæqualitèr, ut est ens: licèt ergo in analogis priori modo non possit accipi una ratio communis pro omnibus, quæ unâ definitione definiatur,; benè autem in analogis posteriori modo, quare poterit una communis ratio accipi, & una assignari definitio pro omni termino, ut est hæc: *Primum principium artefacti logici*, ita definit N. Manso; aut hæc: *Pars per se objectivè constitutiva orationis logicæ*, ita Elisæus.

109 Resp. Assignata definitio termini exacta est. Prob. Terminus definiri debet unâ communi definitione; sed nulla strictiùs, & clariùs explicat rationem communem termini, quàm nostra: ergo. Major, & minor probari debent, & primò prob. major: Ratio communis termini univoca est; sed ratio univoca non benè definitur neque definitione unius speciei, neque per multas singularum definitiones: ergò debet unâ definiri omnibus communi. Patet hæc minor, tùm inductione in singulis, tùm ratione; sicut enim ratio univoca unam habet quidditatem omnibus inferioribus communem, ita unam debet habere definitionem. Ostenditur ergo minor: Licet ratio artefacti logici minùs propriè conveniat definitioni, quàm syllogismo, æquè tamen habet principiare, seu constituere utrumlibet terminus ejus; sed hæc est essentia termini, nempè principiare, seu constituere proprium respectivè artefactum: ergo æquè in utroque reperi-

peritur ratio termini.

110 Prob. nunc principalis minor: Illa definitio exacta est, quæ tàm ex parte generis, quàm ex parte differentiæ aptiùs explicat essentiam definiti; sed nostra præ cæteris assignatis ita se habet: ergo. Prob. min. Definitio termini non metaphysica, sed physica est; sed in definitione physica termini nulla ratio aptiùs ponitur loco generis, quàm ratio signi, neque loco differentiæ, quàm constitutivum orationis: ergo. Majorem omnes admittunt, quia tamen ex infrà probandis explicanda est: definitur metaphysicè, quod per genus, & differentiam, physicè autem, quæ per partes physicas, quæ in concreto accidentali sunt subjectum, & forma, ut definitur simum, habens naxi curvitatem, ubi subjectum est ly *habens*, forma autem naxi curvitas. Itaque cùm genus dicat subjectum, sive materiam sub gradu communi formæ, ut animal dicit corpus sub gradu sentiendi præstito ab anima; si terminus definiretur metaphysicè, genus deberet esse secunda intentio, quia forma constitutiva termini secunda intentio est; jam autem ly *signum* non est de linea secundæ intentionis: non ergo metaphysica est illa definitio, aut per genus.

111 Nunc prob. min. quòd nempè tàm ex parte generis, quàm ex parte differentiæ nostra definitio sit exacta: Concretum accidentale sic definitur physicè, quòd loco generis accipiatur subjectum, & loco differentiæ forma accidentalis constitutiva concreti; sed ita accipit nostra: ergo. Maj. accipitur ex Philos. 7. Metaph. & patet in singulis: si enim definiatur forma in abstracto, ponitur in recto, & per modum generis ipsa forma, & loco differentiæ habitudo ad subjectum, ut simitas est curvitas naxi; si autem in concreto è contra, in recto, & loco generis subjectum, & loco differentiæ ipsa forma, ut simum, naxus habens curvitatem.

112 Prob. minor, & 1. quòd loco generis benè accipiat subjectum, sic patet: Subjectum, in quo reperitur forma constitutiva termini, est sive vox, sive conceptus, non secundùm se, sed ut significant res; sed hoc congruentissimè explicatur per rationem signi: ergo. Patet major, quia ex illis conficitur artefactum logicum, sive vocale, sive mentale: ergo in illis subjectatur ordo aptitudinis ad constituendum artefactum logicum. Patet item minor, quia ratio signi id importat, in quo conveniunt, & vi cujus apta sunt constituere artefactum logicum, nempè significare.

113 Deinde, quòd ex parte differentiæ benè explicet formam termini constitutivam, sic patet: Talis forma est aptitudo ad constituendum artefactum logicum, ut sic, & communitèr ad omne artefactum; sed talis ordo congruen-

tiùs explicatur per constitutivum orationis, quàm per constitutivum artefacti logici, sive modi sciendi: ergo. Major nota est, & minor primò patet, quia Philosophus non assumit ut genus in definitione cujuslibet rationem communem modi sciendi, aut artefacti logici, sed rationem communem orationis. Secundò, quia ratio communis sive modi sciendi, sive artefacti logici analoga est, & principaliter convenit syllogismo; sed analogum per se sumptum stat pro famosiori: non ergo constitutivum artefacti logici, aut modi sciendi debuit assumi, quia sensus esset constitutivum syllogismi; & consequenter debet poni constitutivum orationis, quia ratio orationis univoca est.

114 Objic. 1. Philosophus 1. Prior. definit terminum: *In quem resolvitur propositio tanquam prædicatum, & de quo prædicatur*: ergo non benè definitur à nobis. Hæc conseq. duobus modis probatur: primò, quia Philosophus definit per resolutionem, nos autem per compositionem. Secundò, quia Philosophus definit per ordinem ad propositionem, nos verò per ordinem ad rationem in communi.

115 Resp. neg. conseq. ad 1. probat. dicitur, quòd eadem elementa, ex quibus totum constituitur, sunt in quæ resolvitur; quare non differt ratio elementi, sive ex compositione, sive ex resolutione explicetur. Ad 2. probat. patet ex suprà dictis, Philosophus in libris Prior. agit de syllogismo, & propositione, quare terminum explicat, non ut est elementum totius Logicæ in communi, sed ut est elementum propositionis, & syllogismi; at verò nostra definitio explicat rationem termini in communi, ut est elementum totius Logici.

116 Objic. 2. In definitione physica accidentis non benè ponitur subjectum loco generis; sed ita ponit nostra: ergo non benè. Majorem docet B. D. 1. Perhier. super text. *Nomen ergo est*, dub. 2. ubi quærens de definitione nominis adducit doctrinam Commentatoris, qua asserit, quòd competentiùs diceretur: *Scutella est vas figuratum in ligno, quàm scutella est lignum.* Secundò probatur à ratione eadem major: Quod ponitur loco generis, debet prædicari de definito; sed subjectum non prædicatur de accidente: ergo. Patet major, quia genus prædicatur in quid. Patet item minor, quia subjectum distinguitur realiter ab accidenti, quare non importat identitatem, quæ significatur per copulam.

117 Resp. quòd hoc argumentum objicit contra se B. D. circa definitionem nominis, in qua ponitur vox, & respondet, quòd accidens potest definiri aut in abstracto, & ita non benè ponitur loco generis subjectum; aut potest definiri in concreto, & ita benè poni-

ponitur subjectum. Quo patet ad utramque probationem: ad 1. assumpta authoritas procedit de accidenti in abstracto, & ideo in definitione nominis, quod est concretum accidentale, loco generis ponitur vox, quæ est subjectum. Ad 2. de accidenti in abstracto non prædicatur subjectum, benè autem de accidente in concreto, & ita definitur terminus.

CAPUT IV.

Dividitur Terminus.

118 PRimò quasi transcendentali divisione dividitur terminus in mentalem, vocalem, & scriptum: & hæc divisio dicitur quasi transcendentalis, quia cuicumque termino convenit, & quilibet ex particularibus infrà assignandis subdividitur in mentalem, vocalem, & scriptum. Terminus mentalis est conceptus, seu signum constitutivum orationis mentalis: vocalis est constitutivum orationis prolatæ, sive in voce: & scriptus orationis scriptæ. Terminus mentalis subdividitur 1. in intuitivum, & abstractivum: intuitivus est cognitio rei præsentis, ut conceptus, qui formatur de re præ oculis habita: abstractivus est cognitio rei absentis, ut per speciem à memoria acceptam formatur conceptus hominis absentis. Ita communiter hæc divisio explicatur, & ad præsens hoc sufficit.

119 Subdividitur 2. in directum, & reflexum: directus est conceptus de objecto distincto à cognitione, ut quem format de lapide: reflexus est conceptus de ipsa cognitione, ut cùm cognosco, me cognovisse. 3. subdividitur, imò redit in præcedentem divisionem, in terminum primæ intentionis, & secundæ intentionis: primæ intentionis, qui & directus, est conceptus de re secundùm esse, quod habet à parte rei, sive independenter à cognitione; & dicitur primæ intentionis, quia est conceptus, quem format intellectus directâ, sive primâ tendentiâ: secundæ intentionis, qui & reflexus, est conceptus, qui formatur de objecto secundùm esse, quod habet in intellectu, sive in vi cognitionis: v. g. Cognoscis Petrum esse hominem, est terminus mentalis primæ intentionis, sive directus, quia, quòd sit homo, convenit Petro à parte rei: cognoscis Petrum esse individuum, aut esse subjectum in illa propositione, est terminus mentalis reflexus, sive secundæ intentionis, quia id sibi convenit beneficio intellectûs.

120 Terminus vocalis, item & scriptus subdividitur in significativum, & non significativum: significativus est, qui significat ad placitum, sive ex impositione rem aliquam, ut vox *homo* significat hominem: non significativus est, qui non est impositus ad significandum aliquid, ut vox *blictiri*, licèt

licèt sit signum naturale conceptûs de ipsa voce. Quo vides non esse idem significare, & signum esse; nam signum esse est de ratione termini ut sic, & cuilibet convenit, significare verò alicui tantùm, nempè significare intelligitur ad placitum, & ex impositione ad substituendum pro re aliqua, quod soli convenit signo ad placitum.

121 Jam ergo divisione prædicamentali dividitur terminus sive ex parte conceptûs generici, & ratione significationis, sive ex parte conceptûs differentialis, & ex ordine ad artefactum logicum, de priori cap. sequenti. Ex conceptu differentiali dividitur in definitivum, enuntiativum, & syllogisticum: definitivus est signum constitutivum definitionis, qui subdividitur in genus, & differentiam, ex quibus componitur definitio. Enuntiativus est signum constitutivum enuntiationis, & subdividitur in nomen, & verbum, cùm sint partes enuntiationis.

122 Circa syllogisticum nota, quòd syllogismus pro materiali importat tres propositiones, majorem, minorem, & consequentem; pro formali verò dicit medium, & duas extremitates, in quarum connexione, aut repugnantiâ cum medio, & inter se consistit vis syllogistica; ex eo enim, quòd in præmissis connectuntur, aut non cum medio, deducitur in consequente, quòd connectantur, vel non connectantur inter se, quod latiùs infrà explicabitur. Itaque terminus syllogisticus pro materiali est signum constitutivum propositionis, & subdividitur in subjectum, & prædicatum: pro formali est signum constitutivum syllogismi, & subdividitur in medium, & duas extremitates, de quibus infrà.

123 Dices circa hanc divisionem: Divisio est artefactum logicum: ergo in illa divisione deficit terminus divisivus. Patet anteced. quia ratio artefacti logici communiter dividitur in definitionem, divisionem, & argumentationem. Resp. quòd divisio ut dicta ab enuntiatione, non est artefactum logicum, neque alicubi invenitur, Philosophum talem definire, aut de ea agere: nomine ergo divisionis intelligitur enuntiatio, aut propositio, quæ sic ut affirmativa dicitur compositio, quia affirmatio unit, seu componit unum alteri, ita negativa dicitur divisio, quia negatio separat.

124 Quare autem magis ponitur divisio, quæ est species enuntiationis, quàm enuntiatio ipsa in computando artefacta logica? Ratio esse potest, quia genus magis innotescit per species suas. Quod si instes: Magis debuisset poni compositio, quàm divisio, quia, cùm utraque sit species enuntiationis, magis debuit ea manifestari per compositionem, quæ est affirmatio, quàm per divisionem, quæ est negatio; tùm, quia rectum

est

est index sui, & obliqui; est autem affirmatio rectum, negatio verò obliquum; tùm, quia habitus præcedit privationem, & affirmatio se habet per modum habitûs.

125 Resp. B. D. 1. Perhier. dub. 1. *Uno modo solvitur, quia in istis, quæ habent esse, & non esse, prius est non esse, quàm esse, ideo Philosophus ibi prius proponit explicandum quid est negatio, quam quid est affirmatio. Alii dicunt, quòd negatio magis accedit ad naturam partis, quàm affirmatio, quia negatio dicit divisionem, affirmatio verò compositionem. Aliter dicitur, quòd affirmatio, & negatio sunt species enuntiationis, & ita benè potest una præponi sicut alia.* Hæc B. D. Ex quibus primò dic, quòd æquè posset poni compositio, ac divisio, quia quælibet æquè explicat judicium, quod correspondet enuntiationi. Secundò, quòd magis ponitur divisio, sive quia prius est non esse, quod per divisionem, quàm esse, quod per compositionem significatur; sive quia divisio magis dat cognoscere partes, & per partes totum.

124 Quæres 1. An vocibus extra artefactum conveniat ratio termini? Est quærere: An essentia termini consistat in exercitio ipso terminandi, an solùm in proxima aptitudine? Prima sententia absolutè negat. Ita Complut. Lalem. Amicus, & ex NN. Uillan. & Manso. Secunda sententia absolutè affirmat. Ita communiter Thomistæ, Prado, Parra, à S. Thom. Colleg. S. Thom. & alii ex Scotistis Mastrius, Pont. Merin. ex NN. de Palunc. qui testatur, communem esse in Schola Ægidii: nobis distinguendum. Quare sit

125 Prima conclusio: Voces extra omne artefactum habent rationem termini logici. Prob. primò: Voces extra omne artefactum habent proximam aptitudinem componendi artefactum logicum; sed in illa aptitudine consistit essentia termini: ergo. Patet major, quia extra omne artefactum habent rationem signi, vi cujus accipiuntur ab intellectu in ordine ad artefactum componendum, & illud componunt immediatè. Patet deinde minor, quia constitutivum orationis, quo explicatur quidditas termini, hoc significat, nempè essentiam de se aptam componere, & constituere.

126 Confirmatur 1. Forma constitutiva termini logici est relatio rationis ad totum logicum, cujus est pars, & terminus; sed voces extra omne artefactum illam relationem habent: ergo. Patet major: tùm, quia est secunda intentio, & quælibet secunda intentio consistit in relatione rationis; tùm, quia ratio partis pro formali hoc importat, habitudinem ad totum, cujus est pars, quæ in termino nequit esse realis, cùm terminus non sit realis, sive naturalis pars. Patet deinde minor, quia relatio rationis in hoc consis-

tit, ut suo loco dicetur, quòd intellectus concipiendo ordinet; at ipsas voces ante omne artefactum concipit, & ordinat ad artefactum componendum: licèt ergo ratio termini non conveniat vocibus secundùm se, eis tamen convenit, secundùm quod ab intellectu concipiuntur, & ordinantur ad artefactum componendum.

127 Confirmatur 2. Si essentia termini consistit in actuali exercitio componendi, terminus non est elementum logicum; sed hoc est contra omnes: ergo. Prob. sequela maj. Quia elementum logicum per formam logicam debet constitui, nempè secundam intentionem rationis; at exercitium componendi quid reale est: ergo. Si autem non consistit ejus essentia in exercitio componendi, patet, quòd extra artefactum salvabitur, & ante exercitium componendi: ergo.

128 Prob. 2. ex N.D. 1. Prior. fol. 5. colum. 1. Terminus est elementum, sive principium totius Logicæ; sed elementum ex natura rei præcedit suum elementatum, nempè prior est natura elementi ipso elementato: non ergo in exercitio componendi consistit essentia termini, sed pro priori, & extra artefactum salvatur. Patet minor: tùm, quia elementum, sive principium causa est sui principiati, causa autem effectum præcèdit; tùm, quia in quolibet toto, & maximè in artificiali, partes, sive elementa ante ipsum artificiatum suam habent quidditatem, per quam sunt partes, & possunt componere, ut lateres ante constructionem domûs lateres sunt, & elementa domûs construendæ.

129 Dices: Id verum esse in elementis physicis, non verò in logicis; & ratio est, quia physica principiant per entitatem suam absolutam, quam habent ante totum; at verò logica sunt principia per relationem rationis, quam non habent extra totum. Contrà: Relationem rationis habet terminus, ex quo concipitur in ordine ad totum; sed antequàm actu constituat, concipitur ab intellectu in ordine ad totum: ergo. Patet maj. quia relatio rationis non re ipsa est, aut resultat, sed illam intellectus ordinando format. Patet item minor, quia ubicumque id habet, ratione cujus constituit, & quod est intellectui proximum fundamentum sui ordinandi, ordinari potest, & concipi ab intellectu in ordine ad totum; sed antequàm actu constituat, id habet, tale enim est ratio signi: ergo.

130 Dices iterùm: De essentia relativorum est, quòd sint simul naturâ; sed terminus relativus est ad totum: ergo ante, sive extra ipsum nequit habere rationem termini. Resp. id verum esse de relativis secundùm esse realibus, non verò de relativis rationis, quia, cùm relatio rationis consistat in ipso concipi in ordine ad alterum,

non

non petit, quòd sit in re illud alterum, sed tantùm, quòd sit objectivè in conceptu ordinante: non ergo requiritur, quòd sit in re constitutum artefactum logicum, sed tantùm quòd intellectus illud concipiat constituendum, sive potens constitui per voces.

131 Objicies 1. ex N. Manso: De ratione termini est, quòd sit principium artefacti logici; sed voces extra omne artefactum non habent rationē principii: ergo. Probatur minor: In physicis id solùm habet rationem principii, quod principiat actu: ergo paritèr in logicis. Prob. antecedens: Quia materia, & forma non dicuntur principia entis in facto esse, nisi quando actu remanent in composito principiato; & similitèr materia, forma, & privatio non dicuntur principia corporis in fieri, nisi quando actualitèr principiant ejus fieri.

132 Confirm. Differentia inter absoluta, & relativa hæc est, quòd essentia absoluti consistit in aptitudine, relativi verò in exercitio; sed terminus est de genere relativorum: ergo. Maj. exemplis patère ait: nam quia homo est quid absolutum, in virtute ad discurrendum, non in exercitio discurrendi consistit ejus essentia: similitèr relatio non in posse, sed in actu referre consistit: quare pater non dicitur ex quo possit generare, sed ex quo actu refertur ad filium. Si dicas: Propositio est pars syllogismi; sed extra syllogismum datur: ergo. Negat ipse min. quia propositio est pro alio positio, id est pro syllogismo, quare extra syllogismum, non ut propositio, sed ut enuntiatio, manet.

133 Resp. ad argum. conc. maj. neg. min. ad prob. ejus 1. misso ant. neg.conseq. Alitèr enim philosophatur in logicis, ac in physicis: & ratio est, quia principium in logicis constituitur per secundam intentionem, quæ, cùm sit relatio rationis, consistit in eo, quod intellectus concipiendo ordinat; patet autem, quòd antequàm voces componant, potest intellectus concipiendo ordinare ad componendum. Secundò, neg. anteced. Quia materia, & forma secundùm se, & quin actu componant, sunt principia corporis, & de eis, ut talibus, agit Physicus, non solùm secundùm quod sunt in composito principiato, sed etiam secundùm se; dicuntur autem principia in facto esse, non quia manent, & actu sunt, sed quia sunt apta manere.

134 Ad confirm. disting. maj. Essentia relativi consistit in exercitio referendi, conc. maj. in exercitio componendi, neg. maj. Itaque pater non per posse generare constituitur, quia paternitas ipsa est relatio, quæ cùm generationem supponat, non datur in potente generare; at verò relatio ad componendum totum, non supponit exercitium componendi. Adde, quòd ratio partis per se, & ex ter-

minis non est relativa secundùm esse, sed secundùm dici, quare neque in exercitio referendi consistit, sed in quidditate absoluta, quæ se ipsa habet modum relativi, vi cujus dicitur relativa secundùm dici.

135 Ad id, quod pro solutione replicæ habet, primò ex definitione propositionis constat, quòd ea est oratio affirmativa, vel negativa; at extra syllogismum actu, & formaliter est affirmativa, vel negativa: ergo. Secundò, quòd pro syllogismo sit, non arguit, quòd tantùm in ipso sit propositio, imò oppositum; est enim pro eo constituendo, quòd non actu constituere, sed habitudinem importat ad constituendum. Tertiò, N.B.D. 1. Prior. ad text. *Primum oportet*, dub. 4. ita habet: *Necessarium enim est, cognoscere propositionem secundùm se, secundùm quam considerationem melius dicitur enuntiatio, & sic determinatur ejus cognitio in lib. Perhien. oportet etiam cognoscere illam secundùm quod in ordine est syllogistica, & sic determinatur de ea hic.* Quibus ait, quòd propositio secundùm se, licet melius dicatur enuntiatio, est tamen propositio. Deinde, quòd propositio, ut propriè est propositio, & pertinet ad lib. Prior. non in ipso syllogismo, sed in ordine syllogistico, hoc est, in ordine ad syllogismum consideratur.

136 Objicies 2. ex N. Uillan. De ratione termini est, quòd sit in quem resolvitur totum logicum; sed voces extra artefactum non sunt in quod resolvitur totum logicum: ergo. Prob. min. Non potest totum resolvi nisi in id, quod illud componit; domus enim non resolvitur nisi in lapides, ex quibus componebatur. Quòd si dicas: Lapides post resolutionem sunt partes domûs: ergo & ante compositionem. Negat ipse anteced. quia post resolutionem non sunt in quod resolvitur, sed in quod resoluta est. Confirmatur: Terminus alicujus est terminus: ergo non potest intelligi sine toto, cujus est terminus, & sic de ratione termini est actu componere.

137 Hoc argumentum facilè redit in ipsum arguentem: Sicut enim lapides post resolutionem non sunt in quod resolvitur, sed in quod resoluta est domus, ita in actuali exercitio componendi non sunt in quod resolvitur, sed in quòd resolvenda est; quando enim actu componitur, non resolvitur, sed ad summum resolvenda est. Directè neg. min. cum sua probatione, quia ly *in quod resolvitur*, non significat exercitium resolutionis, sed tantùm, quòd sit id, quod, factâ resolutione, manet. Ad confirm. concesso enthimemate, nega subsillatum: Quòd enim non possit sine toto concipi, non arguit, quòd tantùm sit in exercitio componendi, sed solùm, quòd qui concipit terminum, seu formal relationem rationis, debeat con-

concipere objectivè totum, in ordine ad quod componendum concipit.

138 Objic. 3. Ad hoc, ut aliqua vox sit propriè nomen, non sufficit aptitudo ad aliquid significandum, sed requiritur, quòd actu significet: ergo ad hoc, ut sit propriè terminus, non sufficit aptitudo ad constituendum, sed requiritur actu constituere. Antecedens patet, quia vox *blictiri* habet quidem aptitudinem, & potest imponi ad significandum, cùm hoc tantùm ex hominum voluntate dependeat; at verò quia non imposita est, non est nomen. Conseq. prob. Sicut nomen definitur vox significativa ad placitum, ita terminus signum constitutivum orationis; sed quia nomen definitur per esse significativum, ut sit nomen, non sufficit posse, sed requiritur actu significare: ergo paritèr.

139 Resp. neg. conseq. ad prob. ejus disting. min. Non sufficit posse significare, posse remotum, conc. posse proximum, neg. min. & eodem sensu conseq. Itaque ut sit nomen, non requiritur actu significare, hoc est, ducere in cognitionem alterius, sed posse, non quodlibet, sed proximum, nempè habere impositionem, & hoc est esse in actu, & formaliter significativum; ita paritèr esse constitutivum, non actu constituere, sed habere proximam aptitudinem ad constituendum significat, & quia hanc habent voces extra artefactum, habent rationem termini.

140 Sit secunda conclusio: Voces extra artefactum non habent rationem termini syllogistici, prout sumitur formaliter, benè verò, prout sumitur materialitèr. Pro intelligentia oportet terminos explicare: Dictum est suprà, quòd syllogismus pro materiali importat tres propositiones, pro formali verò tres terminos, qui sunt medium, & duplex extremitas: termini ergo syllogismi sumpti materialitèr, sunt subjectum, & prædicatum, qui nempè sunt partes propositionis; termini verò syllogismi formaliter, sunt medium, & duplex extremitas. Exempli gratiâ, iste syllogismus: *Omnis homo est vivens; sed Petrus est homo: ergo Petrus est vivens*, tres habet propositiones, & in qualibet subjectum, & prædicatum; quare termini hoc sensu sunt sex, tria subjecta, & tria prædicata: formaliter verò tres tantùm sunt, *homo, Petrus, vivens*, ex quibus ly *homo* est medium, quia bis ponitur in præmissis, & non intrat concl. ly *vivens*, & ly *Petrus* sunt extremitates, quia conjunguntur cum medio in præmissis, & constituunt conclusionem; ex quibus major extremitas est, quæ conjungitur cum medio in majori, nempè ly *vivens*, & minor, quæ in minori, nempè ly *Petrus*.

141 Sensus ergo conclusionis est: Rationem subjecti, & prædicati possunt habere voces extra om-

ne

ne artefactum, non verò rationem medii, aut extremitatum. Probatur brevitèr: In tantum habent rationem termini, in quantum habent formam, per quam in ratione termini constituuntur; sed formam, per quam constituuntur in ratione subjecti, aut prædicati, habere possunt extra omne artefactum, non verò per quam constituuntur in ratione medii, aut extremitatis: ergo. Prob. min. Talis forma est relatio rationis, sive secunda intentio; sed qua constituuntur in ratione subjecti, aut prædicati, potest intellectus ipsis vocibus attribuere extra omne artefactum, non verò qua constituuntur in ratione medii, aut extremitatis: ergo.

142 Hæc minor in primis supponit, quòd secunda intentio relatio est rationis ab ipso intellectu formata, sive rebus attributa; id suis respectivè locis infrà probabitur in Logica, & Metaphysica: interim relatio, quæ resultat, re ipsa convenit ei, in quo resultat, quare est realis, & ad primam intentionem, sive actum directum pertinet: quæ ergo secunda intentio est, rationis esse debet, & consequentèr non quæ re ipsa resultat, sed quam ratio, sive intellectus ordinando format. Deinde, quantum ad 1. de facili patet eadem minor, nam ante omne artefactum vocem concipit intellectus in ordine ad propositionem, tanquàm quod, aut de quo aliquid dicitur, quod est formare relationem, seu secundam intentionem subjecti, aut prædicati.

143 Prob. ergo minor quantum ad 2. quòd nempè relationem, qua est medium, aut extremitas, non possit intellectus attribuere vocibus extra artefactum: Illa relatio, quæ ex parte fundamenti supponit dispositionem artificiosam in syllogismo, non potest vocibus attribui extra omne artefactum; sed talis est relatio medii, aut extremitatis: ergo. Maj. patet ex terminis, & minor prob. Quia ratio medii convenit ei, quod bis ponitur in præmissis, & non intrat conclusionem; ratio verò extremitatis ei, quod conclusionem constituit, & ponitur in præmissis cum medio; sed hoc supponit ipsam syllogismi dispositionem: ergo.

144 Objic. 1. Sicut vocibus extra artefactum convenit forma, per quam constituuntur in ratione subjecti, aut prædicati, ita per quam constituuntur in ratione medii, aut extremitatis: ergo. Prob. antecedens: Ideo prior convenit, quia extra artefactum possunt ab intellectu considerari tanquam quod, aut de quo aliquid dicitur; sed paritèr extra syllogismum possunt considerari tanqnam quod bis ponatur in præmissis, aut constituat conclusionem: ergo. Ostenditur minor: Sicut enim intellectus extra propositionem accipit istas voces *Petrus*, & *homo*, & considerat, quòd vox *Petrus* potest esse,

de

de qua dicatur vox *homo*, ita pariter extra syllogismum considerat istas voces *Petrus*, *homo*, & *animal*, & concipit, quòd vox *homo* potest bis poni in præmissis, & esse medium ad probandum de Petro, quòd est animal.

145 Resp. neg. antecedens, ad prob. ejus disting. maj. Quia possunt proximè, conc. maj. quia possunt remotè, neg.maj. & in hoc sensu min. Ad probat. ejus dico, quòd intellectus videns illas voces in ordine ad propositionem,videt, quòd immediatè possunt componere propositioné; quare extra ipsam habet fundamentum proximum, & format relationem, quæ est intentio subjecti, aut prædicati; at verò considerans illas voces in ordine ad syllogismum, concipit, quòd ratione medii, aut extremitatis possunt habere media tali artificiosa dispositione: quare, quia fundamentum proximum talis intentionis medii, aut extremitatis, ipsa est artificiosa dispositio, tale non habet intellectus extra omne artefactum: potest ergo concipere, quòd ista vox potest remotè, & mediatè esse medium, non autem concipit, quod est medium, aut format intentionem medii, nisi in ipso artefacto.

146 Objic. 2. Per nos ratio elementi est naturâ suâ prior ipso elementato, id enim assumebamus in probatione conclusionis; sed ratio medii, & extremitatis, sicut quælibet alia, termini est elementum, & principium: ergo. Pro resolutione notandum, quòd elementum, seu principium potest duobus modis considerari; aut principians ipsum totum, & principiando, sive causando constituens; aut purè constituens, non verò principians: v. g. Aliter sunt partes Exercitûs Milites, aliter verò turmæ, talitèt dispositæ, puta dextrum cornu, sinistrum, & corpus Exercitûs, & eodem modo posset exemplificari in aliis totis artificialibus.

147 Ad argum.ergo respond. quòd de ratione termini est, quòd sit elementum quolibet modo; jam autem de ratione elementi, sive principii tantùm priori modo est, quòd sit naturâ prius principiato, est enim prius ratione, qua debet principiare: sequitur ergo, quòd ille terminus, qui habet principiare totum, cujus est terminus, sit naturâ prior, & detur extra ipsum totum. Jam autem non quilibet terminus habet principiare, terminus enim syllogisticus, de quo ad præsens, nempè medium, aut extremitas, tantùm habet constituere, non verò principiare, eo quòd præsupponit ipsam dispositionem artificiosam. Aliter dici posset,quòd talis non est principiũ syllogismi pro materiali, ut dicit propositiones, sed pro formali, ut dicit terminorum connexionem;& quia hæc supponit ipsum syllogismum pro materiali constitutum, nequit talis terminus extra syllogis-

gismum reperiri.

148 Quæres 2. Vtrùm voces nihil significantes sint termini logici? Prima sententia absolutè affirmat. Ita communiter DD. Societatis, & ex NN. Manso, ex aliis Elisæus, & inclinat Mast. licèt magis in oppositam. Secunda sententia absolutè negat. Ita communiter Thomistæ, Froyl. Parra, à S. Thoma, & alii. Tertia distinguit, asseritque, voces non significativas esse quidem terminos syllogisticos, non verò enuntiativos. Ita B. D. 1. Prior. quem sequitur N. Villan.

149 Sit prima conclusio: Voces non significativæ non habent rationem termini enuntiativi. Probatur 1. ex B.D. 1. Prior. ad text. *Primum oportet*, dub. 4. ubi in responsione sic ait: *Et nota, quòd propositio in communi dupliciter potest considerari, scilicèt, aut secundùm quod est in terminis significativis communiter quibuscumque; aut secundùm quod est in terminis transcendentibus non significativis; sic enim est consideratio duplex syllogismi, cui correspondet propositio. Primo autem modo est propositio pertinens in modo ad enuntiationem, quæ enuntiatio narrat res proprias propter alienas; secundo autem modo distinguitur ab enuntiatione, quia enuntiatio non est nisi in terminis significativis.* Cum his Ægidii verbis quomodo componat N. Manso conclusionem suam, ego non video, quam tamen ad mentem B. Doct. defendit; ait enim expressè Doctor, quòd enuntiatio non habet fieri nisi in terminis significativis.

150 Dicet fortassè, quòd enuntiatio fieri non potest tantùm in terminis non significativis, benè autem si adjungantur significativis, ut si dicatur *blictiri est vox*, aut *blictiri non est syndapsus*; & hoc non est contra B. D. qui tantùm negat enuntiationem fieri præcisè in terminis non significativis. Sed contra 1. Quòd non posset enuntiatio fieri, si nulla vox significat, per se est notum: non ergo hoc intendit Doctor. Secundò, expressè asserit, quòd non habet fieri nisi in terminis significativis; patet autem, quòd non nisi in significativis, idem valet, quod præcisè in significativis, & nullo modo in non significativis. Tertiò, sic negat B. D. quòd fit enuntiatio in terminis non significativis, sicut concedit, quòd fit propositio; sed propositio non fit, nisi saltim copulà significet: ergo id non sufficit ad enuntiationem.

151 Prob. 2. à ratione eadem conclusio: Terminus enuntiativus adæquatè dividitur in nomen, & verbum; sed vox non significativa non est nomen, aut verbum: ergo. Minor de se patet, tàm enim nomen, quàm verbum definiuntur vox significativa ad placitum. Major primò ostenditur, quia Philos. 1. Perih. non alias assignat partes enuntiationis. Secundò, quia D.N. 1. Prior. asserit, quòd nomen, &

ver-

verbum sunt partes enuntiationis, subjectum verò, & prædicatum sunt partes propositionis; at subjectum, & prædicatum adæquant terminos propositionis: ergo nomen, & verbū enuntiationis. Tandem neque Manso, neque alius hucusque alium assignavit præter nomen, & verbum.

152 Ulteriùs posset eadem conclusio probari ex propria ratione enuntiationis, quæ est significare; sufficit autem præcedens ratio, quæ satis est efficax. Ex qua colliges, syncategoremata, & negationes non esse terminos enuntiativos; etsi enim significent ad placitum, non tamen sunt nomen, aut verbum. Itaque duobus modis potest poni syncategorema, aut negatio; altero, se solis, ut si dicatur *non est negatio*, ubi ly *non* est subjectum; altero, si ponatur afficiens aliquem terminum, & neutro modo est pars enuntiationis, sive terminus enuntiativus: non quidem priori, sic enim non significat, sed est res significata per terminum enuntiativum, subintelligitur enim vox, aut sonus: neque item posteriori, sic enim non significat, sed consignificat.

153 Objic. 1. fundamentum N. Manso: Enuntiatio non alitèr petit voces significativas, quàm oratio; sed oratio non petit, omnes partes esse significativas: ergo nec enuntiatio; & sic aliqua vox non significativa poterit esse pars enuntiationis. Maj. hac ratione videtur probare: In hoc solùm differt enuntiatio ab oratione, quòd enuntiatio petit esse affirmativam, aut negativam, non autem oratio: conveniunt ergo in reliquis. Min. probat 1. ex definitione orationis, qua dicitur: *Cujus partium aliquid significativum est*: ergo non omnes partes. 2. quia B. D. in expositione ait: *Non dicit cujus partes, propter negationes, & alias partes syncategorematicas, quæ non significant aliquam rem absolutam, sed solùm habitudinem rei.* Ex quo infert Manso, quòd si Philosophus dixisset, omnes partes debêre significare, excludisset syncategoremata, quæ non debent excludi: ergo propter eandem rationem non debent excludi voces non significativæ.

154 Hoc tali discursu probat: Ideo non debent excludi syncategoremata, & negationes, quia, licèt non significent absolutè, adjuvant tamen alias voces, quibus adjunguntur; sed etiam voces non significativæ adjuvant significativas, quibus adjunguntur: ergo. Prob. min. In hac propositione: *Blictiri est vox*, ly *blictiri* adjuvat ly *vox*, in eo quòd se solâ non posset orationem constituere, constituit autem, adjuncto ly *blictiri*. Confirm. Licèt corpus non sit intellectivum, quia tamen adjuvat animal in intelligendo, totus homo dicitur intellectivus: ergo licèt voces non significativæ nihil de se significent, quia tamen adju-

vant significativas, quibus adjunguntur, tota enuntiatio dicetur significativa, & in ea vox non significativa erit terminus, & pars enuntiationis.

155 Resp. neg. maj. cum sua probatione; enuntiatio enim conceptum orationis importat tanquam genus, cui addit, non, ut intendit probatio, quòd sit affirmativa, vel negativa, hæc enim est differentia propositionis, sed quòd sit significativa: aliter ergo petit partes suas significare, quàm oratio. Adde, quòd oratio est vox significativa, enuntiatio autem oratio significans; quare oratio petit tantùm significare per modum vocis, enuntiatio verò petit significare per modum orationis.

156 Resp. 2. neg. min. ad cujus 1. probationem dicendum, quòd non intendit Philosophus, quòd aliqua tantùm pars orationis significat, sed quòd aliqua significat ut dictio, non autem ut affirmatio: vult ergo, non omnes partes debêre significare ut dictiones, sed sufficere, si aliqua significat ut dictio, aliæ autem non ut dictiones, sed ut dictionis affectiones. Quo patet ad 2. probationem ex authoritate D. N. Sensus enim est, quòd si posuisset, omnes partes significare ut dictiones, excluisset syncategoremata, quæ non ut dictiones, sed ut habitudines, sive affectiones dictionis significant: relinquitur ergo, omnes partes orationis debêre significare, sed non omnes ut dictio: ratio autem est, quia quod non significat, nihil omninò confert; quare non potest adjuvare id, quod significat ut dictio.

157 Ad rationem ejus negatur min. ad prob. neg. assumptum: non enim ly *blictiri* adjunctum voci sufficit constituere orationem: non enim additur in significando, sive ex parte significationis, sed ut res significata, sicut si quis digito designans Petrum, dicat *est homo*, ipse Petrus erit quidem subjectum, de quo dicitur ly *homo*, & subinde pars propositionis, non autem erit pars enuntiationis, non enim pertinet ad significationem veritatis, sed potiùs est res significata. Quo patet ad confirmat. negatur enim suppositum consequentis, quòd vox non significativa adjuvet significativam, cui adjungitur; id enim tantùm adjuvat, quæ posito, aliter se habet vox in significando, & ita adjuvat syncategorema, aut negatio; at verò addita voce non significativa, eodem modo relinquitur vox significativa in significando; non enim consignificat id, quod additur, aut diversificat significationem, sed est tantùm res significata.

158 Sed instabis: Uox non significativa determinat significativam: ergo ex quo illi adjungitur, aliter se habet significativa in significando, & sic adjuvatur. Prob. antecedens: Ista vox *sonus* v. g. de se est indifferens ad significandum quen-

quemcumque sonum, & significat in quadam confusione omnes; at ex quo illi adjungitur *blictiri*, determinatè hanc vocem significat: ergo cùm dico *vox blictiri*, vel *sonus blictiri*, ly *blictiri* determinat, & adjuvat.

159 Resp. dilling. anteced. Determinat materialitèr, ut res significata, conc. determinat formaliter, ut consignificans, neg. antecedens, & conseq. Itaque ly *sonus*, aut *vox* duobus modis potest determinari; altero, si dicas *hic sonus*, vel *ista vox*; altero, si dicas *sonus blictiri*; primo modo determinatur formaliter, & subjectivè in significando, quia additum determinans consignificat; secundo modo determinatur materialiter, & objectivè, quia additum non consignificat, sed est res significata: prima ergo determinatio adjuvat, non autem secunda.

160 Objic. 2. ex Elisæo: Licèt voces non significativæ non possint significare veritatem secundùm quid rei, possunt tamen significare veritatem secundùm quid nominis; sed hoc sufficit ad enuntiationem: ergo possunt esse partes enuntiationis. Maj. ostendit: Quia datur duplex esse, nempè reale, & nominale, & duplex sibi veritas correspondet, rei, & vocis; at voces non significativæ, licèt non habeant rem significatam, nec veritatem rei, hoc non tollit, quin significent veritatem ipsius vocis, cui conformatur intellectus.

161 Resp. neg. maj. ad ejus prob. neg. min. Imò, si quam habent veritatem, est veritas rei. Itaque quid nominis, sive vocis est, quod per vocem significatur, quid verò rei est ipsa quidditas rei significatæ; jam autem voces non significativæ possunt esse res significata, quare habent quid rei significatæ, significare autem omnino non habent: quare nunquam intellectus conformatur veritati in significando, sive significatæ per tales voces, quippè nulla talis est.

162 Objic. 3. Voces non significativæ faciunt in enuntiatione illud idem, quod voces significativæ, dum supponunt materialitèr; sed voces significativæ sunt termini enuntiativi: ergo. Patet major, quia tunc supponunt pro se ipsis, quare de materiali est significatum. Confirmatur: Cui convenit proprietas, convenit essentia; sed vocibus non significativis convenit proprietas termini enuntiativi: ergo. Prob. min. Suppositio materialis est proprietas termini enuntiativi; sed ea convenit vocibus non significativis: ergo. Patet minor, accipiuntur enim pro se ipsis. Prob. major: Suppositio ut sic dividitur in materialem, & formalem: ergo cui convenit ratio termini ut sic, utraque suppositio convenit; sed ratio termini ut sic convenit termino enuntiativo: ergo.

163 Resp. neg. min. Cùm enim voces significativæ materialitèr supponunt, non sunt vox signifi-

cans, sed res significata; dicatur enim: *Petrus est nomen substantivum*, ly *Petrus* supponit materialiter, non autem est pars enuntiationis, sed res significata; sensus enim est: *Vox Petrus est nomen substantivum*, & tunc pars enuntiationis est ly *vox*. Ad confirm. neg. min. ad probat. ejus neg. maj. ad ejus prob. dicitur, quòd cuicumque convenit ratio termini, convenit suppositio eo modo, quo convenit ratio termini, nempè enuntiationi convenit ratio termini determinata ad talem speciem, quare paritèr convenit talis determinata suppositio, nempè formalis: & ratio est, quam suprà dedit ex Boœtio B. Doctor, quòd nempè enuntiatio narrat res proprias propter alienas.

164 Sit secunda conclusio: Voces non significativæ habent rationem termini syllogistici. Prob. 1. ex B.D. verbis supr. datis in probatione præcedentis conclusionis, quibus ait, quòd propositio potest considerari *secundùm quod est in terminis transcendentibus non significativis*, & hoc sensu est propriè propositio, & differt ab enuntiatione. Prob. 2. ratione: Quod proximè potest componere propositionem, & mediâ eâ, syllogismum, habet rationem termini syllogistici; sed ita se habent voces non significativæ: ergo. Prob. min. Quod potest terminare affirmationem, aut negationem, potest componere propositionem; sed vox non significativa immediatè per se ipsam potest terminare affirmationem, aut negationem: ergo. Patet maj. tùm, quia definitur propositio oratio affirmativa, vel negativa; tùm, quia, quod terminat affirmationem, aut negationem, est hoc ipso subjectum, aut prædicatum. Patet deinde minor, quia affirmatio, vel negatio supra rem ipsam potest cadere; dicitur enim hoc est, aut non est hoc.

165 Confirmatur: Philosoph. in toto lib. Prior. exemplificat de propositione, & syllogismo in caracteribus nihil significantibus, ut *omne A est C; sed omne C est B: ergo omne B est A*, ubi loco terminorum ponuntur caracteres; at in lib. Perhier. pro enuntiatione non sic exemplificat: ergo quia tenet, quòd in propositione quidem, non verò in enuntiatione sunt partes, & termini voces non significativæ.

166 Ad hanc rationem respondent Thomistæ: Philosophum uti caracteribus, sed non tanquam non significativis, sed tanquam terminis, qui ex impositione ipsius significent subjectum, & prædicatum, medium, & extremitates; quia ipse eo, quòd Author Facultatis, potuit imponere caracteres ad hoc significandum. Sed hæc solutio mera est tergiversatio; nullibi enim constat sic imposuisse, imò constat oppositum, si enim aliquod imposuit, id significat medium v. g. & semper pro tali debet accipi; patet autem, quòd ipse Philosophus nunc

nunc unum, nunc alterum accipit, & unum, & eundem nunc pro medio, nunc pro extremitate accipit: non ergo imposuit. Præterea: Subjectum, & prædicatum, medium, & extremitas proprias habent voces, quibus significantur: superfluè ergo pro eis significandis imponerentur caracteres.

167 Objicies 1. De ratione communi termini est, quòd sit significativus; sed quod est de ratione communi, cuilibet particulari convenit: ergo etiam termino syllogistico convenit esse significativum. Minor patet, quia quilibet particularis contrahit rationem communem. Maj. ostenditur: De ratione termini est esse signum; sed habens rationem signi est significativum, sicut habens formam caloris est calefactivum: ergo.

168 Resp. neg. maj. ad prob. ejus neg. min. quia, ut jam suprà patuit, non est idem significare, & esse signum. Itaque significare ut sic, & communiter est utcumque ducere in cognitionem alterius; significare verò dialecticè est ad placitum, & ex institutione ducere; quare dicitur non significativum, quod non est impositum ad significandum, quamvis habeat rationem signi, & possit ducere in cognitionem alterius: est ergo de ratione termini esse signum, sive naturale, sive ad placitum, sive formale, sive instrumentale; & quia significare dialecticè tantùm convenit signo instrumentali ad placitum, non est de ratione termini, quòd sit significativus dialecticè.

169 Objic. 2. Quodlibet artefactum dialecticum debet significare doctrinaliter; sed voces non significativæ non significant doctrinaliter: ergo. Prob. maj. Quodlibet artefactum dialecticum doctrinale est, cùm ad hoc sit, ut intellectui sit doctrina, & instructio: ergo quodlibet debet significare doctrinaliter. Resp. neg. maj. & ad probat. negat. conseq. Et si enim quodlibet habeat instruere, non tamen quodlibet instruit significãdo doctrinaliter; syllogismo enim in caracteribus formato instruitur intellectus in modo formandi syllogismum, non tamen doctrinali significatione, sed exempli appositione: illud ergo artefactum, quod instruit doctrinaliter significando ut enuntiatio, requirit partes significativas, non verò quodlibet.

170 Quæres 3. An verbum sub munere verbi sit terminus logicus? Uerbum potest habere munus prædicati; multoties enim prædicatur ipsum verbum, ut cùm dicitur *Petrus est*, tunc ly *est* est, quod dicitur de Petro: hoc sensu nulli dubium, quin verbum sit terminus, quare consultò quæritur de verbo sub munere verbi. Deinde, non quæritur de verbo sub munere copulæ, ut comprehendatur munus verbi in enuntiatione; habet enim verbum & unire id, quod dicitur, ei, de quo dicitur, & significare cum tempore; primum

mum munus in propositione, posterius in enuntiatione habet, & de utroque quæritur.

171 Prima sententia non distinguens inter enuntiationem, & propositionem, absolutè affirmat. Ita communiter Thomistæ, Colleg. S. Thom. Lerm. Parra, & alii. Secunda sententia, quamvis distinguat, absolutè negat. Sic NN. Villan. & Manso, & pro hac citantur communiter DD. Societ. P. Eliseus intendit quidem communem Thomistarum sententiam, at de mente Resoluti singularem init viam: statuit, quòd in logicis philosophãdum est sicut in physicis; at in physicis unio non est pars à materia, & forma distincta: ergo nec in logicis verbum, quod est copula, sive unio: quare ponit, quòd verbum sub munere copulæ est terminus, non autem distinctus à subjecto, & prædicato, sed identificatus cum prædicato, sicut in physicis unio identificatur cum forma.

172 Sed in primis id non est respondere ad quæsitum; sicut enim de prædicato non dubitatur, ita neque de verbo, ut identificatur cum prædicato: quæritur ergo de verbo sub munere verbi, hoc est, secundùm id, quod habet præter subjectum, & prædicatum. Deinde: licèt munus verbi in propositione sit munus unionis; at in enuntiatione propriam habet significationem distinctam ab extremis, quare de ea relinquitur dubitatio. Præterea: nulla est major ratio, cur cum uno extremo indentificetur, quàm cum altero, aut cum utroque, æquè enim utrumque unit. Ulteriùs: quia nihil ponit præter extrema, dici deberet absolutè, quòd non est terminus, sicut unio in toto physico eâdem ratione non dicitur pars. Insuper: aliter est de toto physico naturali, & artificiali; in naturali enim, quia partes sunt actus, & potentia, se ipsis uniuntur; in artificiali verò nõ, nisi medio aliquo, quod est veluti clavus, cola, aut simile quid, quod non solùm unit, sed etiam suâ corporeitate componit, & est pars aliqua; at totum logicũ artificiale est: ergo in illo non tenet assumptum.

173 Nobis ergo dicendum 1. Uerbum sub munere verbi est terminus enuntiativus. Prob. 1. authorit. Philos. qui in principio 1. Perh. constituit agendum de nomine, & verbo, quia sunt partes enuntiationis; sed nomen formaliter sub munere talis est pars enuntiationis, aut terminus ejus: ergo, & verbum. Prob. 2. ex N. D. 1. Prior. ad text. *Terminum voco*, dub. 4. ubi ait: *Quòd nomen, & verbum sunt propriè partes enuntiationis, subjectum verò, & prædicatum propositionis*; sed subjectum, & prædicatum sunt æquè propriè termini in propositione: ergo & nomen, & verbum in enuntiatione.

174 Prob. 3. ratione: Quod in exercitio enuntiandi importatur ut pars, est terminus enuntiativus; sed verbum sub munere ver-

bi

bi importatur ut pars in exercitio enuntiandi : ergo. Prob. minor: Exercitium enuntiandi est significare verum, vel falsum ; sed significare importatur ut pars verbum sub munere verbi: ergo. Patet major, quia enuntiatio est oratio verum, vel falsum significans. Minor ostenditur : Munus verbi in enuntiatione est significare cum tempore ; sed hoc importatur ut pars in significando verum, vel falsum: ergo. Patet major, quia verbum ita definitur. Minor item patet, quia significare verum ex hac duplici parte componitur, nempè significare sine tempore ut nomen, & significare cum tempore ut verbum; nam si dicas *Petrus homo*, non significatur verum, aut falsum : similiter si dicas *est*, aut *currit* : requiritur ergo utrumque, & utrumque componit ut pars.

175 Confirm. 1. Quia terminus enuntiativus dividitur in nomen, & verbum ; sed verbum contradistinguitur à nomine, ut accipitur sub munere verbi : ergo. Patet min. quia sub munere subjecti, aut prædicati accipitur per modum nominis. Confirmat. 2. Ideo verbum non esset terminus enuntiativus, quia est nexus partium; sed in enuntiatione importat de materiali, quòd sit nexus partium: ergo. Prob. minor: Est nexus partium, in quantum importat affirmationem, vel negationem; sed in enuntiatione importat de materiali affirmationem, aut negationem: ergo. Prob. min. In enuntiatione importat de formali significare cum tempore, affirmationem verò, aut negationem præsuppositivè, & pro materiali, in quantum sine illis non reperitur veritas ; est enim essentia enuntiationis significare verum, vel falsum.

176 Objic. Quod non est pars artefacti, non est terminus ; sed verbum sub munere talis non est pars enuntiationis : ergo. Prob. min. 1. à paritate : Unio in physicis non est pars : ergo nec in logicis ; at verbum sub munere verbi est unio prædicati cum subjecto: ergo. Deinde probatur eadem minor ratione ex paritate deductâ: Ideo unio in physicis non est pars, quia tantùm habet unire componentia, non verò componere ; sed verbum in enuntiatione tantùm habet unire : ergo.

177 Confirmatur : Si verbum ut tale est terminus, in quolibet syllogismo sunt quatuor termini; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. major : In hoc syllogismo : *Omnis homo est animal*; sed *Petrus est homo*: ergo *Petrus est animal*, termini sunt *Petrus*, & *animal* extremitates, & *homo* medium: si ergo his additur verbum, erunt quatuor.

178 Resp. neg. min. ad prob. 1. neg. conseq. Quia aliter philosophari debet in physicis, & in logicis. 2. disting. anteced. Unio in physicis, quæ tantùm habet unire, nempè in toto naturali, non est pars, conc. anteced. unio in physicis,

ſicis, quæ præter unire habet componere, non eſt pars, neg. anteced. Itaque, ut jam dictum eſt, partes in toto naturali ſunt actus, & potentia, quæ ſe ipſis uniuntur; at verò in toto artificiali non ſunt actus, & potentia, quare medium requirunt, quo uniantur, & tale non ſolùm unit, ſed componit etiam. In logicis enuntiatio ſe habet veluti totum artificiale, quare verbum in ea non ſolùm unire, ſed proprium habet ſignificare, quo componit; propoſitio verò magis aſsimilatur toti naturali, non quòd ſit totum naturale, aut partes ejus ſe ipſis uniantur, requiritur enim ibi copula, ſed quæ tantùm habet munus uniendi.

179 Ad confirm. diſting. maj. Si eſſet terminus in propoſitione, conced. maj. ſi eſſet terminus in enuntiatione, neg. maj. nam in ſyllogiſmo non ponitur, ut eſt enuntiatio, & quantum ad ſignificare, ſed ut eſt propoſitio, & quantum ad affirmare, vel negare unum de altero. Ad illud 1. verbum importatur ut pars, & terminus, quia ex proprio munere habet ſignificare cum tempore; ad hoc 2. non importatur ut pars, quia ex proprio munere tantùm habet unire.

180 Dicendum 2. Uerbum ſub munere verbi non eſt terminus ſyllogiſticus. Iſta concluſio ſatis eſt expreſſa de mente Philoſophi, nam 1. Prior. ſtatuens, quod acturus eſt de propoſitione, & partibus ejus, partes aſsignat *prædicatum*, *& de quo prædicatur*. Item B. D. ſuper hunc text. dub. 4. ait: *Nomen, & verbum eſſe partes enuntiationis, ſubjectum verò, & prædicatum propoſitionis*; quo aperte ſtatuit, quòd aliter verbum comparatur ad enuntiationem, & aliter ad propoſitionem; nempè ad enuntiationem ut pars, non verò ad propoſitionem.

181 Prob. à ratione: Partes propoſitionis ſunt prædicatum, & de quo prædicatur; ſed verbum ſub munere verbi non eſt prædicatum, aut de quo prædicatur: ergo non eſt terminus ſyllogiſticus. Patet conſeq. quia ratio medii, aut extremitatis ei convenit tantùm, quod eſt ſubjectum, aut prædicatum. Minor item patet, pro cujus intelligentia notandum, quòd ponitur conſultò ſub munere verbi: habet enim ipſum verbum quodammodo munus prædicati, quare B. D. 1. Prior. ad text. *Terminus voco*, dub. ult. obſervandum jubet, quòd etiam in propoſitione de tertio adjacente, ut quando dicitur: *Petrus eſt homo*, verbum dum habet, & quòd determinat, & unit ly *homo* ad ly *Petrus*; & inſuper quòd prædicatur; de Petro enim dicitur eſſe hominem, quare ipſum *eſt* ingreditur prædicatum totale.

182 Non ergo eſt dubium de verbo, ut ſe tenet ex parte prædicati, & pertinet ad prædicatum totale, ſed de verbo ſub munere verbi, & quatenus præcisè determinat, & unit; ſic autem de facili p

tet min. quod enim est pura prædicatio, & determinatio illius, quod prædicatur ad id, de quo prædicatur, non est quod prædicatur, aut de quo prædicatur. Maj. tandem ex ipso patet Philosopho, qui has tantùm duas partes propositionis assignat.

183 Confirmatur: Munus verbi in propositione non est munus partis: ergo sub munere verbi non est terminus syllogisticus. Prob. anteced. Verbum duo tantùm habet, significare cum tempore, & quòd sit eorum, quæ de altero dicuntur nota; sed quantum ad primum non pertinet ad propositionem, quantum ad secundum non est munus partis: ergo. Maj. patet, quia id tantùm importatur in definitione verbi. Min. quantum ad primum satis patet ex dictis; enuntiatio enim, non autem propositio est oratio significans; quare sub munere significandi non ad propositionem, sed ad enuntiationem pertinet. Quantum ad secundum probatur eadem minor: Quòd sit nota eorum, quæ dicuntur, importat, quòd non sit, quod dicitur, aut de quo dicitur, sed determinatio tantùm; at partes propositionis sunt, quod dicitur, & de quo dicitur: ergo, ut est nota, non est pars.

184 Objicies 1. Verbum sub munere talis est forma propositionis; sed forma est pars principalis in toto: ergo verbum sub munere talis erit pars propositionis. Prob. maj. Quod est ultimum in propositione, & sub se continet reliqua, est forma propositionis; sed ita se habet verbum: ergo. Resp. disting. maj. Est forma compositionis, conced. maj. est forma compositi, neg. maj. & eodem sensu min. ad ejus prob. similiter disting. maj. Quod est ultimum perfectione, & sub se continet, quia includit, est forma, conc. maj. quod est ultimum ordine exercitii, & causalitatis, & continet reliqua, tantùm quia præsupponit, neg. maj. Et tantùm hoc secundo modo ultimum est in propositione verbum, sive copula.

185 Itaque forma in composito naturali duplex est, altera partialis, quæ est actus perficiens materiam; altera totalis, quæ est à toto abstracta, ut in homine forma partialis est anima, forma totalis est humanitas; prior est actus, & ultimum ordine perfectionis; posterior continet totius perfectionem: huic duplici formæ correspondet in propositione per quamdam analogiam, tamquàm forma totalis, secunda intentio propositionis, tamquàm forma partialis prædicatum, quod determinat subjectum, & se habet veluti actus ejus. Unio autem in utroque dicitur forma compositionis, quia cùm compositio sit distinctorum unio, importat de formali ipsam unionem: patet ergo, quòd copula in propositione se habet veluti quædam applicatio formæ ad materiam, nempè prædicati ad subjectum;

ctum; quare neque est actus, & forma, neque ut forma continet reliqua.

186 Dices: Compositum est tale per compositionē; sed per nos unio est forma compositionis: ergo erit forma compositi. Prob. conseq. Quod est causa causæ, est causa causati; sed compositionis, quæ est causa, forma est unio: ergo & compositi, quod est causatum. Resp. dist. maj. Est tale per compositionem formaliter, & tamquàm per causam, neg. maj. causaliter, & tamquàm per exercitium, sive causalitatem, conc. maj. & neg. conseq. cum sua prob. Solutio ex ipsis patet terminis, quare non eget ulteriori explicatione.

187 Dices iterum: Quod est differentia essentialis propositionis, nequit non esse pars ejus, & forma ipsius compositi; sed verbum sub munere verbi est differentia essentialis propositionis: ergo. Prob. min. Propositio essentialiter dividitur in affirmativam, & negativam: ergo differentia essentialis unius propositionis ab altera est, quòd ut affirmativa, vel negativa; sed hoc in ipsa copula consistit: ergo. Assumptum patet per Philos. 1. Prior. ubi propositionem divisit in affirmativam, & negativam, & ibi B. D. sæpè asserit, quòd affirmativum, & negativum sunt differentiæ essentiales propositionis. Proclividubio difficultatem continet hæc replica, cujus solutio ex doctrina B. D. superiùs adductâ petenda est; quare eam oportet latiùs expendere.

188 Itaquè B. D. 1. Prior. a textum: *Terminum voco*, dub. 5 quærit: An ipsum esse sit aliquo modo prædicatū? Et arguit, quòd non: 2. argumentum tale est: *In syllogismis* 1. *figuræ idem prædicatur in minori, quod subjicitur in majori; sed esse in majori neque est subjectum, neque pars subjecti: ergo in minori neque est prædicatum neque pars prædicati.* Cùm in resolutione teneat affirmativè, a hoc argumentum ita respondet: *Ad 2. dicendum, quòd prædicatum dupliciter potest dici, scilicèt totum id, quod dicitur de altero, & sic nunquàm excluditur esse à prædicato; vel potest dici id, quod ipsum esse specificat tantùm, & sic accipitur, cùm dicitur, quòd in syllogismis 1. figuræ idem subjicitur in* 1. *quod prædicatur in* 2. Et subdit, quòd consuevit sic loqui, ut ipsa ratio, quæ prædicatur, dicatur prædicari.

189 Intendit itaquè B. Doct. quòd cùm dicitur: *Petrus est homo* in communi modo loquendi, prædicatum est ly *homo*; & hoc sensu dicitur, quòd in syllogismis 1. figuræ idem est prædicatum in minori, & subjectum in majori; at vero in rei veritate prædicatum totale est totum id, quod dicitur; & quia dicitur esse hominem, ipsum esse pertinet ad prædicatum totale, & quodammodo prædicatur verbum ergo poterit accipi, ac secundùm quod se tenet ex parte prædi-

prædicati, & pertinet ad prædicatum totale; aut secundùm quod seorsim à prædicato est nexus, & copula prædicati cum subjecto, & priori modo non habet munus verbi, sed prædicati; posteriori autem accipitur sub munere verbi.

190 Ex quo ad argum. neg. min. ad prob. ejus distinguo subsumptum: Consistit in ipsa copula, præcisse sub munere copulæ, neg. submin. sub munere prædicati, conc. Itaquè affirmativum, & negativum sunt differentiæ essentiales propositionis; & quòd propositio sit affirmativa, aut negativa, videtur ex ipsa copula haberi, non autem præcisse sub munere copulæ; nam ipsum prædicatum aut attribuitur conveniens, aut disconveniens, priori modo facit judicium compositivum, & propositionem affirmativam; posteriori facit judicium divisivum, & propositionem negativam; ipsum ergo prædicatum totale, ut includit esse, aut non esse, est differentia essentialis, copula autem sub præcisso munere copulæ tantùm causaliter diversificat per modum exercitii, non verò formaliter per modum differentiæ.

190 Objic. 2. ex Elisæo: Copula identificatur cum prædicato; sed prædicatum est propriè terminus: ergo & copula. Prob. maj. Sic se habet copula in logicis, sicut unio in physicis; sed unio in physicis non distinguitur ab extremis: ergo. Ratio autem, quare magis cum prædicato identificetur, est, quia unio identificatur cum forma; est autem forma propositionis prædicatum. Deinde copula significat ipsum esse; at verò esse est à forma. Confirmatur: Ideo copula non est terminus, quia est unio; sed hæc ratio nulla est: ergo. Prob. min. Medium in syllogismo est terminus; sed unit extremitates, sicut copula unit prædicatum cum subjecto: ergo.

191 Resp. distinguo maj. Copula identificatur cum prædicato, sub præcisso munere copulæ, neg. maj. ut se tenet ex parte prædicati, conc. maj. imò deberet subdistingui; nunquàm enim identificatur copula cum prædicato formali, sed tantùm includitur in prædicato totali, ut suprà explicatum est. Itaquè, quòd copula proprium munus habet contradistinctum à prædicato, quod est pars propositionis, patet ratione B. D. superiùs adducta, quam ipse admittit Elis. dist. 3. q. 2. a. 1. §. 2. quòd nempè in syllogismo primæ figuræ idem prædicatur in minori, quod subjicitur in majori; sed ab eo, quòd in majori subjicitur, distinguitur copula, & præter id, proprium habet munus: ergo & ab eo, quòd in minori prædicatur. De copula itaquè, seu verbo sub hoc munere procedit præsens dubitatio.

192 Probationes deinde deficiunt, ut patuit suprà; tùm, quia aliter de toto logico, & naturali

philosophari debet; tùm, quia non magis cum uno extremo, quàm cum alio identificari debet unio, neque enim magis unit formam, quàm materiam, neque esse, quod significat copula, est esse, quod tribuit forma; alterum nempè est esse quidditativum, & nominale, alterum verò participiale. Ad confirmationem primo neg. mia. & ad prob. ejus neg. pariter min. Non enim medium est unio extremitatum, sed extremum, cui extremitates uniuntur in præmissis, quare in conclusione uniuntur inter se: imò non semper uniuntur; in syllogismo enim, cujus conclusio est negativa, non uniuntur, sed separantur, & repugnant. Secundò distingueitur maj. Quia est pura unio, conced. maj. quia est unio utcumque, neg. maj. Non excluditur à ratione partis unio, eo præcisè quòd unio; in artificialibus enim unio est pars, quia præter unire habet componere; verbum ergo in propositione tantùm habet unire, ideo non est terminus; in enuntiatione, præter unire, habet significare, ideo est terminus; jam autem medium, præter unire extrema, habet propriam rationem extremi, cui uniuntur, quare est terminus in syllogismo.

CAPUT V.

Dividitur Terminus ratione subjecti.

193 Dividitur terminus ratione subjecti secundùm aliam, & aliam rationem significandi, hæc enim est subjectiva intermino. Dividitur itaquè primò in *significativum*, & *non significativum*; significativus est, qui ex impositione significat rem, vel rei carentiam, ut *homo*, *nullus*, *nihil*; non significativus est, qui non ex impositus ad significandum; *blictiri*, *bufi*, & nota, quòd non ratio subjectiva, secundùm quam dividitur ratio significativi, sed signi; ratio enim signi cuilibet termino convenit, ratio verò significativi non cuilibet signo, sed instrumentali ad placitum; significare enim dialectice, ut sæpè dimus, non est utcumque ducere cognitionem alterius, sed ducere ex impositione.

194 Dividitur secundò terminus significativus in *categorematicum*, & *syncategorematicum*, quod idem est, significativum, consignificativum; multiplicia explicatur, ut videri potest apud N. Villan. missis aliorum explicationibus: categorematicus est, qui rem, & rei carentiam significat, *homo*, *leo*; syncategorematicus, qui non rem, sed rei affectionem, habitudinem, seu determina-

nem significat; ideo dicitur consignificare, quia cum altero significat, ut *vehementèr*.

195 Dividitur 3. in *absolutum*, & *connotativum*: absolutus est, qui significat rem ad modum per se stantis, ut *homo*, *albedo*: connotativus, qui significat rem ut alteri adjacentem; seu clarius, qui significat unum, & consignificat aliud; multi enim sunt termini connotativi, qui non significant per modum adjacentis, ut *Dominus*, *Magister* consignificant, & connotant, alter servum, alter discipulum, nullam tamen adjacentiam; etsi ergo multi connotativi per modum adjacentis significent, ut *albus* significat albedinem, & consignificat subjectum, & albedinem ut subjecto adjacentem significat; quia tamen iste modus non omni connotativo convenit, melius explicatur per significare unú, & consignificare aliud: notandum autem, quòd aliter connotativo, & syncategoremático convenit consignificare, nempè connotativus ita consignificat, quod etiam significat; syncategorematicus verò tantùm consignificat.

196 Dividitur 4. in *abstractum*, & *concretum*; hæc tamen divisio magis ad rem significatam, quàm ad terminum pertinet significantem: abstractus est, qui formam significat à subjecto separatam, ut *albedo* ipsam significat albedinem in se, & sine subjecto: concretus est, qui formam ut in subjecto significat, sive subjectum, ut habet formam, ut *albus* ipsam albedinem significat, ut in subjecto habente illam.

197 Dividitur 5. in *complexum*, & *incomplexum*: complexus est, cujus partes separatæ significant juxta significationem totius, ut *homo albus*; *homo* enim tàm separatus, quàm conjunctus significat hominem, & similiter *albus* incomplexus est, cujus partes separatæ non significant juxta significationem totius, nempè aut non habet partes, quæ separatæ significent, ut *homo*, si enim dividas ly *bo*, nihil significat; aut si partes habet, quæ separatæ significent, non tamen juxta id, quod unitæ significant, ut *Sacerdos*, *Dominus*; quamvis enim utraque vox duplici parte componatur, quarum alterutra significat, tamen longè aliud separatæ, quàm unitæ; Sacerdos enim dicit & adjectivum *sacer*, & substantivum *dos*; similiter Dominus componitur ex verbo *do*, & adverbio *minus*, quorum significatio longè alia est in separatione, ac erat in conjunctione. Ex quo colliges, quòd idem terminus potest esse complexus, & incomplexus, secundùm aliam, & aliam acceptionem; si enim hæc duo *Sacerdos*, aut *respublica*, accipias ut duo nomina substantivum, & adjectivum, erit terminus complexus; si autem quodlibet accipias ut unum nomen, erit terminus incomplexus.

Divi-

198 Dividitur 6. in *communem*, & *singularem*: communis est, qui significat plura divisim, ut *homo*, qui Petrum, Paulum, & reliquos divisim significat; dicitur autem divisim, ut excludatur nomina, quæ plura significant conjunctim, & per modum unius, ut *populus*, *civitas*, quæ non communia, sed singularia sunt, in quantum unam collectionem significant; si enim ad multas collectiones comparentur, erunt communia, ut *civitas* multas civitates, & *populus* multos populos significat: singularis est, qui significat unum tantùm, ut *Petrus*; qui subdividitur in *determinatum*, & *vagum*: determinatus est, qui unum determinatè significat, ut *Petrus*, *hic leo*: vagus, qui unum significat indeterminatè, *ut aliquis leo*, *quidam homo*.

199 N. Manso has definitiones rejicit, quia non distinguunt inter commune, & universale; debet autem distingui, quia aliquis terminus est communis, non autem universalis. Ipse itaquè definit terminum communem: *Qui significat rem pluribus communicabilem sine reali multiplicatione, ut Deus, omnipotens*: universalem verò: *Qui significat rem pluribus communicabilem cum reali multiplicatione, ut homo, leo*. Consequenter duos assignat terminos singulares, alterum, qui communi, alterum, qui universali opponitur: terminus singularis communi oppositus est: *Qui significat unum tantùm pluribus incommunicabile, ut Petrus*: terminus singularis universali oppositus est: *Qui significat unum tantùm pluribus communicabile, ut Deus*: quare singulare hoc modo idem est, quod commune.

200 Sed in primis terminus communis, ut ipse explicat, non differt à particulari, seu singulari vago; quare *aliquis homo* erit terminus communis; res enim per illum terminum significata, & immultiplicabilis est, nempè natura individua, & conveniens Petro, Paulo, & aliis; quilibet enim est aliquis homo. Præterea: oppositorum oppositæ sunt rationes; sed commune, & universale conveniunt in communicabilitate: ergo singulare utrique oppositum debet convenire in incommunicabilitate, sic autem non erit duplex singulare. Adde, quòd communicabilitas, & multiplicatio ad rem significatam, non ad modum significandi, seu significationem pertinet, quare penes hoc non dividitur terminus significativus: quare nobis standum videtur communi explicatio i.

201 Pro cujus intelligentia nota, quòd de materiali est ad præsens institutum universalitas, aut particularitas rei significatæ; dividitur enim terminus, sive vox ipsa significans, ratione significationis, quare attendere debemus significationem ipsam; jam autem voces significant mediâ impositione,

ne, & imponuntur ad significandas res, ut eæ concipiuntur ab imponente, & medio conceptu rem ipsam significant; quare non ut in se sunt, sed ut sunt in conceptu imponentis, seu ut natæ sunt concipi, significant.

202 Quæritur itaque: An terminus *Deus* sit communis? Negant DD. Societ. Suarius, Echalaz, & alii. Affirmant communiter Thomistæ, cum quibus N. Mauso, nec dissentit Uillan. & mirum, quanta disputandi contentione de re tam parvulâ controvertitur. Supponimus, rem significatam per hunc terminum neque esse propriè singularem, neque propriè universalem, ut docet B. D. in 1. dist. 19. q. 1. a. 1. sed habere aliquid simile singulari, & aliquid simile universali: dubitatur ergo de ipsa voce, & significatione ejus, & præoculis habitâ doctrinâ datâ num. præcedenti, facile est dubium solvere.

203 Resp. Terminus *Deus* non est dialecticè communis. Probat. Terminus est dialecticè communis ex modo significandi, quidquid sit de re significata; sed terminus *Deus* ex modo significandi non habet communicatem: ergo. Patet major: tùm, quia communitas essendi, sive rei significatæ pertinet ad Metaph. tùm, quia hic dividitur terminus ratione significationis. Prob. min. Voces significant mediâ conceptione imponentis, sive assumentis ad significandum; sed in conceptione terminus *Deus* non habet communitatem: ergo. Maj. suprà probata est. Ostenditur min. Res significata per terminum *Deus* est in conceptu imponentis ad significandam naturâ primi principii; sed hanc non potuit concipere ut communem: ergo. Patet maj. quia id est significatum illius vocis, primum principium, ut est naturali ratione cognoscibile; quo patet min. naturali enim ratione non potest concipi natura primi principii ut multis communis.

204 Notandum autem, quòd id, quod est per accidens, non tollit quod est per se; accidit, quòd aliquis male concipiat, & in concipiendo fallatur, putans naturam primæ causæ malis convenire, subindeque concipiat plures Deos, istis per accidens ex imaginatione sua erit communis ille terminus; per se autem, quia qui rectè concipit, non potest concipere rem ipsam multis communem, ipse terminus non communis est, sed singularis in significando.

205 Confirmatur primò, & explicatur præcedens ratio: Terminus *Deus* etiam nobis, qui lumine Fidei concipimus in Deo tres Personas, significat naturam Divinam, ut nos illam concipimus pro priori ad Personalitates; sed hoc modo concipimus ut perfectissimè unam, & nullo modo communem: ergo nullam habet communitatem in significando. Major patet,

patet, quia significat naturam, ut est perfectio absoluta, hoc modo prior est Personalitatibus. Minor item patet, quia, licèt natura sic concipiatur ut communicabilis triplici supposito, at non ut communis, quia communicari pertinet ad esse rei; significare autem communitèr petit concipi multa, quæ unâ communi voce intendantur exprimi; hoc enim est significare.

206 Confirmat. ulteriùs: Termino communi potest addi signum determinans; sed termino *Deus* non potest addi signum determinans: ergo non est communis. Patet maj. tùm inductione, quia potest dici *hic homo*, *quidam leo*, *aliquis equus*, eo quòd homo, leo, & equus sunt termini communes; tùm etiam ratione, quia terminus indifferens in significando potest determinari; at terminus communis est in significando indifferens: ergo. Deinde probat. min. quòd nempè termino *Deus* non possit addi signum determinans: Dicere *hic Deus*, vel *aliquis Deus*, supponit alium Deum, à quo distinguat ly *aliquis*, vel ly *hic*, alioqui superfluit determinatio; sicut de facto ineptè loqueretur, qui diceret *hic Sol*, vel *aliquis Sol*; at alter Deus est impossibilis: ergo.

207 Notandum autem pro intelligentia hujus rationis, quòd terminus potest esse indifferens in significando duobus modis, aut absolutè, & ad multa sive simùl, sive seorsim, ut *homo* est indifferens, quia omnes simùl; & quemlibet particulare significat; & hæc est indifferentia termini communis, qua determinatur, aut per signum determinatum, ut *hic*, aut per vagum, ut *aliquis*, *quidam*; alitèr est indifferens, non quia omnes simùl, sed quia quemlibet particularem indeterminatè significat, ut *quidam homo*; & hæc est indifferentia singularis vagi, quæ determinatur per signum singulare determinatum, ut *hic*: neutro ergo modo potest determinari terminus *Deus*; neque enim potest dici *hic Deus*, neque *quidam Deus*; quare nullam habet indifferentiam.

208 Confirmatur 3. Verè dicitur *hæc Persona*, vel *aliqua Persona* in Divinis, non verò *hic Deus*, vel *aliquis Deus*: ergo alitèr significat terminus *Deus*, ac terminus *Persona*; sed terminus Persona est communis tribus Personis: ergo terminus Deus non est communis. Respondet N. Manso, quòd differentia fiat in eo, quòd terminus *Persona* sic est communis, quòd est etiam universalis; at verò terminus *Deus* sic est communis, quòd non est universalis.

209 Sed contra 1. B. D. in 1. dist. 25. q. 1. a. 1. quærit: An in Divinis Persona sit nomen commune? Et respondet, quòd *quantum ad modum significandi*, *quandam dicit communitatem*; at verò art. seq. quærit: An Persona, prout habet esse in Divinis, sit quid universale? Et respondet, quòd

Perso-

Persona, neque aliquid in Divinis non habet rationem universalis: ergo contra B. D. asserit, sive quòd Persona est quid universale, sive quòd in hoc est differentia inter terminum *Deus*, & terminum *Persona*. 2. aliter concipimus significatum hujus vocis *Persona*, ac hujus *Deus*: ergo aliter utraque significat; at non stat diversitas in eo, quòd una est universalis, non altera, quia in Divinis juxta B. D. nihil est universale: ergo stat differentia in eo, quòd terminus *Persona* est communis, non autem terminus *Deus*.

210 Dices adhùc: Ex parte rei significatæ neutram vocem esse universalem, & hoc intendit B. D. at eo modo significandi *Persona* est universalis, non vero *Deus*, sed stricte communis. Contra: Universale, & commune solum differunt in eo, quòd universale dicitur penes rem significatam, commune vero penes modum significandi, nempè quod Metaphysicus dicit universale, Dialecticus vocem, qua significatur, dicit communem: ergo inepte recurritur ad commune, sive universale ex modo significandi. Patet antecedens: quia terminus communis est species termini significativi. Præterea: Nullus dividit terminum significativum in communem, & universalem, aut terminum communem in universalem, & non universalem; deberet autem sic dividi, si universale diceret modum significandi alium à communi, quia tunc universale esset alia species termini significativi.

211 Objic. 1. ex N. Villan. authoritatem B. D. in 1. tum q. 1. Prol. art. 2. §. *Tertia differentia*, tum dist. 19. q. 1. a. 1. quibus in locis docet, terminum *Deus* non esse singularem: ergo est communis. Et potest confirmari per authoritatem Damasceni, quam adducit B. D. in eod. 1. dist. 21. q. 1. a. 3. qua dicit, quòd *Dei vocabulum naturæ communitatem significat*.

212 Hoc argumentum quantum ad authoritatem B. D. directè est contra N. Manso, qui ponit, terminum *Deus* esse singularem, prout singulare opponitur universali, quod expresse negat B. D. Nobis de facili respondetur, quòd B. D. in utroque textu loquitur de re significata, de qua asserit, quòd nec est singularis, nec universalis; cum hoc tamen stat, quòd terminus significans sit singularis dialecticè, sive in significando; licèt enim res significata non sit singularis, concipitur à nobis ut singularis, & hoc modo significatur. Ad authoritatem Damasceni dicitur, quòd intendit ponere distinctionem inter vocabulum Dei, & vocabulum Patris, & ait, quòd primus naturæ communitatem significat, hoc est, naturam, quæ in tribus Personis reperitur, & talis communitas est rei significatæ, non modi significandi.

213 Objicies 2. ex N. Manso: Commune, & universale differunt; sed solùm potest assignari differentia in eo, quòd terminus communis significat rem communicabilem sine multiplicatione, universalis verò communicabilem cum multiplicatione: ergo, siquidem constat, quòd terminus *Deus* significat rem communicabilem tribus Personis sine multiplicatione, erit terminus strictè communis. Maj. probat ex B. D. loco suprà citato, ubi ostendit, quòd Persona est quid commune; negat verò, quòd est quid universale: ergo distinguit inter utrumque. Minorem ostendit, quia universale habet communitatem tantùm rationis, commune verò habet communitatem rei; at communitas rationis est realis multiplicitas, communitas rei est realis unitas: ergo.

214 Resp. conc. maj. neg. verò min. cum sua prob. 1. quia illa communitas, quam ipse assignat, dialecticè, & quantum ad significare est indifferentia, quam habet singulare vagum. 2. quia differentia inter commune, & universale in hoc stat, quòd commune accipitur dialecticè, & in significando, universale verò metaphysicè, & in essendo, sive ex parte rei significatæ: quare illud idem, quod in re significata dicit Metaphysicus universale, in voce significante dicit Dialecticus terminum communem. Et hoc satis clarè innuit B. D. loco, quem adducit; quærit enim de nomine *Persona*, nempè: *An sit nomen commune?* Et respondet, quòd *quantum ad modum significandi*; quo satis indicat, penes hoc accipi communitatem; de universalitate verò, non de ipso nomine quærit, aut ex modo significandi: quo patet, hanc in ipsa re significata attendi.

215 Objic. 3. ex fundamento Thomist. Ut aliquis terminus sit communis, sufficit, quòd ex modo significandi significet plura, sive naturam, quæ ex modo significandi sit pluribus communis; sed terminus *Deus* ita significat: ergo. Prob. minor: Terminus significat rem, prout à nobis concipitur; sed Deus à nobis concipitur ut pluribus communis: ergo. Min. 1. probat Froylanus: Deus concipitur à nobis sine singularitate: ergo ut communicabilis pluribus, quia impedimentum, ne sit natura pluribus communicabilis, sola est singularitas. 2. probat Lerm. Deus concipitur à nobis ad modum rerum materialiū; sed res materiales concipimus ut pluribus cōmunes: ergo.

216 Confirm. 1. Licèt albedo sit res adjacens, & quæ in subjecto existit, at vox significans est terminus absolutus: ergo licèt Deus sit res singularissima, & omnino excludens pluralitatem, nihilominùs vox significans erit terminus communis. Prob. conseq. Ideo *albedo* est terminus absolutus, quia licèt res significata sit adjacens, nos illam concipimus ad modum

per se stantis, & ita significamus; at naturam Dei nos concipimus ut pluribus communem: ergo. Confirmat. 2. Aliter significat terminus *Deus*, aliter *hic Deus*; sed *hic Deus* significat ut singularis: ergo *Deus* ut communis. Unde ait Froylanus, quòd S. Thomas ponit distinctionem inter hanc vocem *Deus*, & hanc *Tetragrammaton*; quia hæc secunda apud Hebræos significabat Deum ut singularem.

217 Resp. neg. min. ad prob. neg. min. ad ejus 1. prob. disting. maj. Concipitur à nobis sine singularitate formali, mitto maj. sine singularitate transcendentali, neg. maj. Itaquè duas possumus in Deo concipere singularitates; alteram, quam dicimus formalem, & consistit in eo, quòd concipiatur cum subsistentia personali; alteram, quæ transcendentalis est, & consistit in eo, quòd concipiatur ex prædicatis suæ quidditatis hæc, & immultiplicabilis: sine 1. singularitate possumus concipere naturam Divinam, non autem sine 2. & quælibet sufficit, ut concipiatur singularis.

218 Ad 2. prob. 1. instatur, & subsumo sic: Sed res materiales concipimus ut multiplicabiles: ergo & Deum. Hanc consequentiam nullus admittit, quia Deus concipitur à nobis ut essentialiter immultiplicabilis, & unus: ergo illa argumentatio non sequitur. Deinde directè disting. maj. Deus concipitur à nobis ad modum rerum materialium, hoc est, per species à rebus materialibus acceptas, sublatis tamen imperfectionibus, conced. maj. quia cùm Dei non habeamus speciem, invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicimus: Deus concipitur à nobis ad modum rerum materialium, hoc est, per omnimodam similitudinem, neg. maj. Itaque per species, quas habemus materialium rerum, formamus nobis aliqualem Dei notitiam, sublatis tamen imperfectionibus; & quia multiplicitas naturæ specificæ ex imperfectione est, & materialitate, imò nulla concipitur multiplicitas quidditativa, & naturæ, nisi ex potentialitate, & limitatione, in Deo non possumus multiplicitatè concipere: concipimus quidem cum perfectissima unitate pluralitatem Personarum; sed hæc pluralitas neque exprimitur per vocem, neque conceptui respondet, quem per illam formamus.

219 Ad 1. confir. neg. conseq. ad ejus prob. neg. min. quia jam patuit, quòd Dei naturam non possumus concipere ad modum rei communis, quia non possumus sine transcendentali unitate concipere: quare de necessitate concipimus cum positiva repugnantia, ut multiplicetur, quo modo non concipimus rem significatam per terminum communem. Ad 2. confirmat. disting. maj. Aliter significat vox *Deus*, ac vox *hic Deus*, per se, & ex natura rei, neg. maj. per accidens, & ex errore alicujus,

conc. maj. Sed hoc non facit terminum esse communem, sed ab aliquo male accipi ut communem. Hoc, & nihil aliud intendit Divus Thomas, quòd nempè nomen *Tetragrammaton*, quia significat Deum, quem Hebræi colebant habentes veri Dei cognitionem, significat Deum unum; at nomen *Deus*, quia Gentibus significabat Deos suos, quos ex errore multiplicabant, ex eodem errore non significat unitatem.

CAPUT VI.

Ulteriùs dividitur Terminus.

220 TErminus communis ulteriùs dividitur in *univocum*, *æquivocum*, *analogum*, & *denominativum*: univocus est, qui significat plura æqualitèr convenientia in ratione significata, ut *homo* significat omnes homines, qui in natura humana æqualitèr conveniunt: æquivocus est, qui significat plura, quæ in ratione significata omninò disconveniunt, ut *canis* significat cœlestem, terrestrem, & marinum, quorum natura omninò diversa est: analogus est, qui significat plura, quæ in ratione significata partim conveniunt, & partim differunt, ut *sanum* dicitur de animali, cibo, pulsu, & urina, sed diversa ratione; nam homo dicitur sanus, quia sanitatem habet; cibus, quia causat, vel conservat; pulsus, & urina, quia indicant: quare in eâdem sanitat[e] conveniunt, & differunt; & c[um] propriè convenit res significat[a] dicitur principale analogatum, [si] ve analogum analogans, cætera d[e] cuntur minus principalia, sive ana[-] logata.

221 Denominativus est, q[ui] significat plura appellatione d[e] sumpta ab alio, ut *Grammatic[us]* dicitur denominativè appellation[e] desumpta à Grammatica Faculte, quam profitetur: additur nonnullis in definitione: *Solo d[i]ferente casu, quia Grammaticus* i[n] terminatione differt *à Gramma[-]tica* denominante; sed illa addi[-]tio superfluit; *Grammatica* enim di[-]tur denominativè de fœmina, q[ui] Facultatem didicit, & tamen nullo differt à Grammatica den[o]minante, quare de ratione den[o]minativi so ùm est, quòd appel[-]tionem sumat ab altero, quod p[o]inde dicitur denominans.

222 Circa hanc divisio[nem] duæ assignantur regulæ: altera p[ro] analogis, qua dicitur, quòd a[na]logum per se sumptum stat pro[-]mosiori, nempè quando profer[-]sine addito determinante, deb[et] accipi pro principio analogat[i]. Ratio est, quia principale ana[-]gatum habet propriè, & finer[-]trictione rationem significata. Secunda regula est pro analo[-]& æquivocis, quòd posita ex p[ar]te subjecti talia sunt, qualia pern[o]tuntur à prædicatis; & similitèr parte prædicati talia sunt, qu[æ]

permittuntur à subjectis, ut si dicas: *Homo est in tabella*, ly *homo* æquivocum ad verum, & pictum, in propositione significat pictum, cui soli competit in tabella esse. Ratio est, quia indeterminata significatio per copulam determinatur ad id, quod alter terminus exigit.

223 Quæres circa hanc divisionem: An detur æquivocatio in mente, sive an terminus mentalis sit æquivocus? Aliqui absolutè affirmant, ut Lynce apud Parra, & alii apud Elisæum. Negant absolutè Thomistæ, Parra, Lerm. Froyl. quibus adhæret Elisæus. Nobis distinguendum ex doctrina B. D. 1. Elench. sup. text. *Verum sanabatur quidem.* Itaque cuilibet voci significativæ duplex conceptus respondet; alter de re significata, qui dicitur ultimatus; alter de ipsa voce, qui dicitur non ultimatus: primus accidentalitèr ex impositione respondet, secundus naturalitèr, quia vox est naturalis similitudo sui conceptûs, & sibi essentialitèr respondet, quòd proferens imaginatione concipiat, quod profert; & hæc est differentia vocis à sono.

224 Dicimus ergo: In mente ultimata, sive in conceptu de re non datur æquivocatio; in mente verò non ultimata, sive in conceptu de voce dari potest. Ita N. Villan. satis conformitèr ad mentem B. D. ubi suprà. Prob. quantum ad 1. partem: De ratione æquivoci est, quòd plura simùl significet, ut plura sunt, & diversa; sed conceptus de re non potest plura ut plura simùl repræsentare: ergo. Major patet ex definitione æquivoci. Min. ostenditur: Conceptus repræsentat rem, in quantum est similitudo rei intellectæ; sed nequit esse unus conceptus similitudo plurium, ut plura sunt, & differunt: ergo. Patet min. quia noster intellectus non potest uno actu plura ut plura attingere.

225 Quantum ad 2. partem prob. conclusio: Conceptus de voce est naturalis similitudo ipsius vocis; sed vox potest diversis impositionibus plura simùl significare: ergo idem conceptus de voce. Patet conseq. quia naturalis similitudo facit, quòd unum habeat, quod alterum habet. Patet item min. vox enim *canis* una impositione habet significare terrestre animal, aliâ piscem; neque per secundam impositionem amisit aptitudinem, quam habuit ex prima: simùl ergo retinet utramque.

226 Ad hanc rationem respondet Parra, quòd conceptus de voce est naturalis similitudo ejus, subindeque continet eodem modo respectum, sive aptitudinem ad plura; sed hoc non est, quòd conceptus sit æquivocus, sed solùm, quòd sit signum æquivocationis, quæ est in voce. Sed contra: Ideo in voce *canis* est æquivocatio, quia ex impositione habet simùl respectum, sive aptitudinem ad plura significanda, & potest ad quodlibet

bet determinari; sed eandem habet aptitudinem mentalis conceptus de voce: ergo. Patet min. quia sicut vocem, ita conceptum de voce possum ad quodlibet determinare.

227 Objic. Potest intellectus plura simùl concipere: ergo datur æquivocatio in conceptu de re. Prob. anteced. In intellectu componente sunt de necessitate plura; sed componit intellectus noster aut per affirmationem, & concipit ut convenientia, aut per negationem, & concipit ut disconvenientia: ergo concipit plura ut plura. Patet min. quia quando dico: *Petrus est homo*, apprehendo, Petrum, & hominem esse unum quid: ergo quando dico: *Petrus non est lapis*, apprehendo Petrum, & lapidem ut plura, & diversa, hoc enim enuntiat copula.

228 Resp. neg. antec. ad cujus prob. 1. disting. min. Apprehendit plura per unam speciem, sive conceptum de re, neg. min. per duas diversas, conc. min. & neg. conseq. Itaquè æquivocatio consistit in eo, quòd unum, & idem simùl repræsentet diversa; at in proposito non ita est, quia quando apprehendo, Petrum non esse lapidem, alia est mentalis similitudo, quam formo de Petro, & quam formo de lapide: nullus ergo est unus conceptus de re, qui plura simùl repræsentet.

229 Secundò: ad eand. prob. neg. min. & ad rationem ejus dico, quòd intellectus componens non attingit directè, & per se extrema actu, quo componit, sed solùm extremorum copulam, hoc est convenire, aut disconvenire: quare ille conceptus non extrema repræsentat, sed identitatem, aut distinctionem, quam significat copula. Itaque intellectus componens supponit apprehensionem, qua duplex formatur conceptus de extremis, & hos duos conceptus unit, aut separat, cognoscendo nempè, & enuntiando habitudinem distinctionis, quam habent, aut non habent.

230 Dubitatur ulteriùs: An terminus æquivocus significet plura sub copulatione, vel sub disiunctione? De hoc quæri B. D. loco cit. 1. Elench. & ait, quòd aliqui docent, quòd sub disiunctione: quia terminus significat mediâ conceptione; at intellectus non potest simùl, & copulativè plura, ut plura sunt, concipere: ergo. Alii per oppositum docent, quòd sub copulatione: quia, cùm de ratione æquivoci sit, quòd possit intellectum multiplicem generare, si significat sub disiunctione, non generat intellectum multiplicem; & consequentèr neque est æquivocus, cùm alterum tantùm inducat, ut vox *homo quidam*, licèt significet Petrum, Paulum, aut Franciscum, neque facit multiplicem conceptum, neque est æquivoca, quia non simùl omnes, sed alterum tantùm inducit. Sed utrique deficiunt, ait

Do-

Doctor, quia neutri considerant totum, sed partem tantùm.

231 Pro resolutione itaquè notandum jubet B.D. quòd in voce significante est duo considerare; alterum, quod ex impositione habet respectum ad suum significatum; alterum, quod per intellectum audientis potest ad suum significatum comparari. Tunc dicitur ad quæstionem, quòd prout ex impositione habet suum significatum respicere, de ratione æquivoci est, quòd contineat sua significata sub copulatione; at verò, prout per intellectum audientis ad sua significata comparatur, de ratione æquivoci est, quòd contineat sua significata sub disjunctione.

232 Ratio 1. est, quia impositio ad significandum, cùm non importet tempus præsens, non inconvenit, quòd sit multiplex, & ex qualibet relinquitur moraliter in voce quædam determinatio ad significatum, ad quod significandum imponitur; & sicut una impositio ad significandum non tollit, quominùs possit ulteriùs imponi, ita quod ex una impositione relinquitur, non impedit, quod relinquitur ex alia: simùl ergo potest habitudinem importare ad diversa significata, & sic ea in copulatione significat, prout ex impositione habet habitudinem ad illa.

233 Ratio 2. est: quia comparatio per intellectum ad suum significatum importat tempus præsens, actu enim comparatur; at non potest esse simùl multiplex comparatio, quia neque potest simúl esse multiplex actus, nec uno actu plura simùl attinguntur: ergo prout terminus æquivocus per intellectum comparatur ad sua significata, non illa simúl, & sub copulatione, sed sub disjunctione significat; quare nec sub hac consideratione erit æquivocus. Quo patet ad rationes suprà factas, quia 1. procedit de voce, prout per intellectum ad sua significata comparatur; & tùnc verum est, quòd non ea importat simúl. 2. procedit de voce, prout ex impositione significat, & tùnc eo est æquivoca, quia diversa simúl importat.

234 Objic. 1. Voces significativæ ad placitum constituuntur per relationem rationis; sed in nullo sensu potest vox importare simùl aut plures relationes rationis, aut unam ad plura, ut plura sunt, & diversa: ergo in nullo sensu potest vox æquivoca sua significata simúl, & sub copulatione importare. Maj. patet, quia significant ex impositione; impositio autem, cùm sit voluntas præterita imponentis, nihil reale ponit in voce. Minor etiam patet, quia relatio rationis non habet aliud esse, quàm quod illi dat intellectus actu, quo illam format; sed nullus actus potest plura simúl concipere: ergo, quandoquidem id requiritur, aut ad plures relationes simúl ponendas, aut unam ad plura, ut plura sunt, neutrum potest vox simùl habere.

Resp.

235 Resp. neg. maj. ad prob. distinguo assumptum: Nihil ponit reale physicum, conc. nihil ponit morale, neg. Itaque actu significare importat relationem rationis; & quia hæc non potest esse aut multiplex, aut una ad plura ut plura; ideo dicimus, quòd vox, prout per intellectum comparatur ad suum significatum, non potest plura sub copulatione importare; aliud verò est esse significativam, & hoc dicit multitudinem proximam, ut per intellectum comparetur ad suum significatum, quæ est intellectui fundamentum ad formandam illam relationem; & hæc est quædam determinatio à voluntate imponentis moralitèr durante, quæ non est quid physicum, sed morale; & quia potest à multiplici impositione plures tales determinationes habere; ideo dicimus, quòd, prout per impositionem habet significare, importat plura significata simúl.

236 Objicies 2. De ratione æquivoci est, quòd significet plura divisim: ergo nulla ratione potest sua significata sub copulatione importare. Prob. anteced. De ratione termini communis est significare plura divisim; sed terminus æquivocus est species termini communis: ergo. Patet conseq. quia species includit suum genus, & omne, quod est de essentia generis reperitur in specie, sicut, quod est de essentia animalis, reperitur in homine.

237 Resp. conc. antec. neg. conseq. Licèt enim divisim significet plura terminus æquivocus, quòd species termini communis cum hoc stat, quòd sub copulatione, sive simùl illa plura significet. Itaque terminus communis hoc sensu significat plura divisim, nempè non per modum unius, sicut *populus*, sed ita quòd possit pro quolibet illorum accipi; ita enim vox *homo* significat omnes homines, quòd pro unoquoque illorum accipitur; non autem sic vox *populus* significat civium collectionem, sed per modum unius collecti. Jam autem ita significans plura divisim indifferens est, omnia simùl importet, ut vox *homo* omnes homines importat suppositione collectiva, aut secus, ut in suppositione distributiva: terminus ergo æquivocus plura divisim significat, nempè non per modum unius collectionis omnia simùl importat, sive sub copulatione, nempè simùl habet quemlibet significationem.

CAPUT VII.

Reliquæ Termini divisiones.

238 Ulteriùs dividitur terminus in *transcendentem*, & *non transcendentem*: dunt nonnulli *supra transcendentem*: transcendens est, *qui significat rem omnibus convenientem*, ve cujus significatum de quocum-

q

què existente verificatur: isti communiter assignantur quinque, res, ens, verum, bonum, aliquid, unum, qui designantur voce barbara *Revbau*; de quocumque enim existente verificatur, quòd sit res aliqua, & aliquod ens, & subinde verum, bonum, & unum.

239 Non transcendens est, qui non habet tantam latitudinem in significando, sed licèt significet rem pluribus convenientem, quia terminus communis, quæ tamen non de omnibus verificatur: quare significat rem determinatam, sive uni, sive multis convenientem. N. Manso vult, terminum transcendentem esse, qui de ultimis differentiis verificatur; quare ponit, quòd *substantia* est terminus transcendens, quia de homine, & omnibus, quæ in eo sunt usque ad ipsam Petreitatem, verificatur. Sed hoc esset terminum communem cum transcendente confundere, & præterea plura essent transcendentia, quàm quinque communiter assignata, nempè *substantia*, & *accidens*: isti ergo termini communes sunt, non transcendentes; transcendens enim dialecticè, id est, quod omnia significat, sive aliquid, quod de omnibus verificatur.

240 Supratranscendens est, qui tantam habet latitudinem in significando, quod de omnibus verificatur non solùm existentibus, sed etiam non existentibus, possibilibus, & impossibilibus: tales sunt *cogitabile*, *imaginabile*; & si quæ sunt similes voces; istæ enim etiam de chimæra, & impossibilibus, quæ â nostro intellectu finguntur, verificantur, talia enim sunt cogitabilia: terminus ergo transcendens, licèt significet omnia, limitatur tamen ad esse reale, & ea, quæ verè sunt; terminus verò supratranscendens significat omnia in tota possibili latitudine.

241 Tandem dividitur terminus in *finitum*, & *infinitum*: finitus est, qui significat rem determinatè, ut *homo*, *leo*: infinitus est, qui præter aliquid, quod de se significabat, extenditur ad cætera significanda vi negationis præfixæ, ut *non homo*, *non leo*; *non homo* enim præter hominem, quem priùs significabat, de cæteris omnibus verificatur vi negationis, ut lapis est non homo, leo est non homo, & ita de reliquis; quare infinitatur terminus, quando vi præfixæ negationis, qui erat determinatæ significationis, fit significationis indeterminatæ, sive indefinitæ.

242 Nota, quòd aliud est significare indefinitè, seu vagè, aliud verò significare rem indefinitam; iste enim terminus *aliquis homo* finitus est, licèt significet indefinitè quemlibet hominem, quia indeterminatio, non significationis est, sed rei significatæ. Tria itaque importat terminus infinitus: 1. quòd ante negationem significet formam positivam, 2. determinatam, 3. finitam. Ratio est: quia terminus

infinitatur, quatenùs per negationem interimitur significatio, quam habebat, & relinquitur aliquid indeterminatè affirmandum de quolibet præter id, quod prius significabat; quia si quod relinquitur, de aliquibus tantum, sive in aliqua tantum linea affirmabile est, tunc per negationem non infinitatur, sed determinatur significatio.

243 Jam autem, si significatum vocis erat negatio, aut carentia, per negationem præfixam determinatur significatio ad extremum positivum illi oppositum: similiter, si res significata est indeterminata, aut infinita, eâ negatâ, nihil relinquitur affirmandum de aliquo, quare negatio his præfixa non infinitanter, sed pure negativè accipitur; quare ille terminus *intelligibile*, & idem de quolibet supratranscendente, nequit infinitari, quia ejus significatum adeo est indeterminatum, & infinitum, quòd, eo negato, nihil relinquitur affirmandum de aliquo, quia *non intelligibile* de nullo dici potest.

244 Quæres 1. An terminus transcendens possit infinitari? Respond. affirmativè, & prob. Per hoc infinitatur aliquis terminus, quòd per negationem præfixam fiat incircumscriptæ, & indeterminatæ significationis; sed terminus transcendens ita se habet: ergo. Major patet ex dictis, hoc enim est infinitari, vi negationis habere in significando indeterminationem, quam non habebat. Prob. min. Quoties negatio præfixa interimit significatum vocis, quòd relinquit aliquid indifferenter affirmandum, tunc per negationem fit significationis incircumscriptæ, sed ita fit terminus transcendens ergo.

245 Minor ostenditur: Quoties significatum vocis determinatur ad aliquam lineam, quantumcumque latam, tunc per negationem interimitur præcisa illa linea quam significat; sed eâ interemptâ, relinquitur cæterum: ergo. Major patet, quia negatio interimit significatum vocis. Min. item patet, quia loquimur de transcendente in stricta acceptione, ut distinguitur à supratranscendente; sic enim determinatur ad lineam entis realis, alioquì non transcendens, sed supra transcendens erit interempto verò esse reali, relinquitur esse rationis.

246 Objic. Quando negatio præcisa nullum relinquit subjectum, tunc negatio non infinitanter, sed neganter sumitur; sed negatio præfixa termino transcendenti nullum relinquit subjectum: ergo terminus transcendens non infinitatur. Prob. min. Quando significatum vocis ita extenditur quòd omnibus convenit, tunc negatio præfixa nullum relinquit subjectum; sed significatum termini transcendentis ita extenditur, quòd omnibus convenit: ergo. Maj. patet, quia negatis omnibus, nullum relin-

relinquitur. Minor item, quia terminus transcendens hoc addit supra communem, quòd significatum termini communis, licèt multis conveniat, non tamen omnibus, significatum verò transcendentis omnibus convenit.

247 Resp. neg. min. ad prob. ejus distling. maj. Quando significatum vocis sic extenditur, quòd omnibus convenit, absolutè, & pro omnem modum, tùnc negatio nullum relinquit subjectum, conc. maj. quando significatum vocis sic extenditur, quòd omnibus convenit, secundùm quid, & in aliqua acceptione, tùnc negatio nullum relinquit subjectum, neg. maj. & in eodem sensu min. Itaquè transcendens à supratranscendente in hoc differt, quòd transcendens de omnibus verificatur tántùm in linea entis realis, supratranscendens verò in omni linea etiam rationis; quare negato transcendente, non omne esse, sed esse tantúm reale interimitur, derelinquitur autem esse rationis. Solutio est B. D. 1. Prior. ad text. *Quoniam autem palam*, dub. 10. ubi ita habet: *Ad hoc autem, quod opponitur, hoc nomine ens non posse infinitari, dicendum, quòd potest, & non est necesse omne nomen infinitum aliquid ponere secundùm rem, sed secundùm rationem: unde cùm infinitatur ens, quod est secundùm rem, derelinquitur ens, quod est commune enti secundùm rem, & secundùm rationem.*

248 Quæres 2. An terminus supratranscendens, seu quod idem est, transcendens in latissima acceptione, possit infinitari? Affirmant aliqui Thomistæ, ut Lynce, Joan. à S. Thom. Ortiz, Prado, & alii apud Parra lib. 1. tract. 5. disp. 1. dub. 4. quibus addi potest Soto, quidquid dicat Lerma, nam cap. de Nomin. lect. unic. nota 6. sic habet: *Ex his sequitur, omnia nomina posse infinitari, quantumcumque transcendentia, & universalissima.* Resp. autem citatus Lerma, quòd nomina possunt infinitari, quantumcumque universalissima, secundùm aliquod sui significatum, non autem in latissima acceptione. Hoc autem est magis contradicere, quàm glossare textum; ipse enim expressè ait, quòd transcendentia possunt infinitari, quantumcumque universalissima.

249 Nobis dicendum, quòd terminus supratranscendens, nequit infinitari. Est B.D. ubi suprà, & prob. ex dictis: Ille solùm terminus potest infinitari, qui præter significatum, quod negatione excluditur, relinquit aliquod esse saltim rationis; sed terminus supratranscendens præter significatum, quod negatione excluditur, nullum relinquit esse adhuc rationis: ergo non infinitatur, sed negatur tantúm. Major patet, quia, licèt terminus infinitus non significet formalitèr, quia non habet ex impositione habitudinem ad id, pro

quo accipitur, tamen vi negationis habet pro aliquo accipi posse, quod non habet terminus negatus; si autem præter id, quod negat, nihil relinquit, omninò non potest pro aliquo accipi. Minor etiam patet, quia supra transcendens in suo significato comprehendit omne esse tam reale, quàm rationis.

250 Conf. & explicatur: In hoc differt terminus negativè acceptus, & acceptus infinitantèr, quòd negativè acceptus unam tantùm habet habitudinem ad id, quod excludit; infinitus verò præter habitudinem, & comparationem ad id, quod vi negationis excludit, potest comparationem habere ad aliquid aliud indefinitè, ut *non homo* non solùm habet excludere hominem, sed etiam posse accipi pro lapide, ligno, & aliis; jam autem terminus supratranscendens unam antùm potest habere comparationem ad id, quod excludit vi negationis: ergo præcisè negatus, non verò infinitus potest accipi. Patet min. quia præter omne esse reale, & rationis, quod significat, & vi negationis excludit terminus supratranscendens, nihil relinquitur, ad quod possit comparari.

251 Objic. Negatio entis in tota sua latitudine potest de aliquo accipi: ergo ens in tota sua latitudine potest infinitari. Prob. antec. Quia benè dicitur: *Nihil est non ens, chimæra est non ens,* etiam accipiendo ens in tota sua latitudine. Conf. Ista propositio affirmativa: *Amabile formaliter tale est non intelligibile*: ergo ly *non intelligibile* sumitur infinitantèr. Pater item conseq. quia copula affirmativa est, & consequenter de illo subjecto accipitur affirmativè prædicatum. Patet item antec. quia confuderentur potentiæ, non distinguerentur earum objecta: amabile ergo, objectum voluntatis, aliud est ab intelligibili objecto intellectûs, & sic amabile est affirmativè non intelligibile, quod idem est, ac esse aliud.

252 Respondent ad argumentum Thomistæ neg. antecedens. Quia negatio entis in tota sua latitudine non potest concipi, quare nec significari. Ita Lerma, & Parra, unde cogitur Parra asserere, quòd hæc vox *non ens* in tota sua latitudine non significat, & quòd tantùm apparenter est terminus, & propositiones componit. Id utrumque rejicitur de facili: primum quidem, quia non affirmatur, nec negatur aliquid nisi de eo, quod concipitur; affirmatur autem, aut non cnte in tota sua latitudine, quòd non potest concipi: ergo non concipitur. Alterum deinde, quia aliter concipimus istam vocem *non ens*, ac istam *chimæra* quantumvis significare, quia hæc secunda non est imposita ad significandum, *non ens* verò, seu *nihil* imposita est ad significandum affectionem animi cùm rem non videt, ait San-

Parens Augustinus lib. de Magist.

253 Ad argum. ergo respond. distinq. antec. Potest de aliquo significari affirmativè, neg. anteced. negativè, conc. anteced. & neg. conseq. Itaque de ratione termini infiniti est, quòd relinquat aliquid affirmandum, sive significandum affirmativè; si enim terminus solùm accipitur negativè, solùm pro carentia, & negatione accipitur, quare non indeterminatè significat, sed determinatè, & est terminus negatus; jam autem si in illis propositionibus ly *non ens* sumitur in tota latitudine, excludit ipsum esse, quod importatur per copulam, & facit propositionem negativam; si autem non excludit, non sumitur in tota latitudine.

254 Ad confir. neg. maj. ad prob. dicitur, quòd non confunduntur potentiæ, quia utique distinguuntur objecta, sed ita distinguuntur, quòd unum includitur in altero transcendenter, & implicitè, alioqui non esset supra transcendens: quia ergo ly *intelligibile* transcendenter involvitur in ipso amabili, & in ipso est, & in quocumque altero, negatio afficiens terminum *intelligibile* interimit significatum copulæ, & facit propositionem negativam.

255 Quæres 3. An syncategoremata possint infinitari? De singulis determinatè loqui valdè esset onerosum, quare generali distinctione clariùs procedemus. Dicendum ergo: Syncategoremata, quæ significant formam positivam, & determinatam, possunt infinitari, non verò cætera. Prob. Terminum infinitari consistit in eo, quòd qui erat circumscriptæ significationis, vi negationis fiat incircumscriptæ, seu indeterminatæ; sed syncategoremata, quæ significant formam positivam, & determinatam, sunt circumscriptæ significationis, secùs verò reliqua: ergo. Major est propositio Boëtii, quæ adducitur à B. D. loco suprà cit. & ratione patet, quia quando intercemptâ per negationem significatione vocis, relinquitur aliquid indifferenter accipiendum de reliquis, tùnc infinitatur terminus in significando; sed hoc est terminum, qui erat circumscriptæ significationis, fieri per negationem significationis incircumscriptæ: ergo.

256 Min. principalis per eandem rationem ostenditur, & quidem primò sic patet, quia quæ significant formam determinatam, & positivam, determinantur ad illam, & præter illam relinquunt cætera, ut cùm dico *vehementèr*, significatur determinata animi affectio, quâ negatâ, relinquitur indifferenter significandum omne, quod non est hæc affectio. Quantum ad 2. sic etiâ patet: quæ non significant determinatam formam, habent de se quamdam infinitatem in significando, quare eâ negatâ, non fiunt indefinitæ significationis, sed magis determinatæ; quare pronomina, v. g. *hoc*, licèt videatur determina-

minationem significare, at de se nihil determinatè, sed determinatur à re, cui applicatur: quare de se nequit infinitari, sed solùm ratione illius, cui adjungitur.

257 Similitèr, quæ significant negationem: Quia proprietas termini infiniti est interimere per negationem formam significatam per vocem, & relinquere aliquid præter ipsam indefinitè accipiendum, ut cùm dico *non homo*, accipitur infinitantèr, quatenùs sublatâ naturâ humanâ, quæ per vocem *homo* significabatur, cætera, quæ non sunt natura humana, relinquuntur accipienda, ut lapis, leo, lignum, & cætera sunt non homo; jam autem, si vox significat negationem, aut carentiam, per negationem illi præfixam non interimitur significatum determinatum, sed potiùs significati carentia: ergo talia non possunt infinitari. Ex his poterit de singulis patère. Superest major difficultas de verbo, quare

258 Quæres 4. An verbum in oratione possit infinitari? Extra orationem nulla est difficultas, quia *non currit*, *non laborat*, & similia, patet, quòd præter determinatam actionem, quam negant, relinquunt multa indifferenter significanda: tota ergo difficultas est de verbo in oratione; & nota, quòd non est loquendum de verbo in ordine ad propositionem, quia infinitatio pertinet ad significationem, & modum significandi; in propositione autem, formalitèr ut ab enuntiatione differt, non ponitur verbum ut significans, & de materiali est significatio, sed tantùm ponitur ut copulans.

259 Prima sententia vult, verbum in oratione non posse infinitari. Ita Thomistæ, Lerma disp. 12. q. 2. Parra lib. 1. tract. 5. disp. 2. dub. 6. apud quem alii. Secunda sententia docet, verbum etiam in oratione posse infinitari. Ita B. D. loco suprà cit. 1. Prior. dub. 15. & 2. Perh. ad text. *Intelligamus verò*, dub. unico. Tenet Eliseus dist. 1. q. 3. a. 2. §. 4. qui pro se alios citat, item N. Nicolaus à S. Joan. Bapt. cap. de nomine, & verbo dub. 5.

260 Dicendum ergo: Uerbum in oratione potest infinitari. Hanc conclusionem probat Mastrius ex Philosopho 1. Prior. cap. 10. ubi talem habet syllogismum: *Stellæ non scintillantes sunt propè; Planetæ non scintillant: ergo sunt propè.* Minor hujus syllogismi debet esse affirmativa; tùm, quia syllogismus est in *Darii*; tùm, quia si minor esset negativa, conclusio deberet esse negativa, quia sequitur debiliorem partem; jam autem, si illa minor est affirmativa, verbum infinitatur: ergo.

261 Sed ex hoc loco nihil potest deduci, & quidem non 1. Prio. sed 1. Post. habetur, ibi agit Philosophus de demonstratione *quia*, & à posteriori, quæ deficit à ratione demonstrationis, & hoc ipse intendit ostendere; quare posset aliquis

quis dicere, quòd adducit syllogismum à ratione syllogismi deficientem. Deinde: Syllogismus, quem facit Philosophus, hic est: *Omne B est A; sed omne C est B: ergo omne C est A*; iste autem neque est in *Darii*, neque habet minorem de verbo infinito. Quòd autem sit iste syllogismus, quem intendit, patet per verba ipsius, sic enim habet: *Vagæ stellæ sint C, non micare B, propè esse collocetur in A.* Et prosequitur de ipsis caracteribus syllogizans. Præterea: Quod in minori prædicatur, illud idem est, quod in majori subjicitur, nempè intendit syllogismum 1. figuræ; sed subjectum in majori non est verbum infinitum, sed *Planetæ non micantes*: ergo hoc ipsum prædicatur in minori, & sensus est: sed *Planetæ sunt non micantes*; quæ est de prædicato infinito, non autem habet verbum infinitum.

262 Probat. ergo 1. ex B. D. 2. Perhier. text. *Intelligamus verò* dub. unic. ubi, cùm de hoc quæreret, nempè: An verbum infinitum intret enuntiationem, sic resolvit: *Dicendum, quòd verbum infinitum intrat enuntiationem, & non differt à verbo negato nec officio, nec in voce; sed tamen in hoc est differentia, quia verbum negatum uno actu regitur, & unum significatum habet; verbum autem infinitum neque uno actu regitur, nec unum significatum habet.* Idem habet loco sup. cit. 1. Prior. ad text. *Quoniam autem palam*, fol. 53. in ult. dub. Quia autem verba ejus expositione indigent,

263 Pro intelligentia notandum, quòd terminus infinitus non significat, ut enim ait D. loco cit. 1. Prior. privatio qualitatis, quam interimit, est sibi pro qualitate: est ergo de ratione ejus, quòd, præter hoc significatum, quod negat, relinquat aliquid, pro quo possit accipi: ait ergo, quòd verbum negatum uno actu regitur, hoc est, tantùm habet respectum ad significatum, quod interimit; verbum autem infinitum non uno actu regitur, nempè præter respectum ad significatum, quod interimit, potest accipi in ordine ad alia, non quòd respectum dicat ad illa, non enim impositionem habet ad ea significanda; sed quòd pro illis potest accipi, seu accipi non repugnat, quod tantùm est de ratione termini infiniti, ut *non currit* tantùm habet respectum ad actionem currendi negatam, relinquit tamen multa alia, quæ, licèt non significet, pro eis tamen accipi permittit, ut qui sedet, qui legit, & multa alia, non currit.

264 Est ergo sensus Doctoris, cùm ait, quòd verbum infinitum neque in officio, neque in voce differt à verbo negato, quòd præter eamdem expressionem, nempè negationem præfixam, eamdem habet significationem, nempè respectum ad actionem interemptam; cum hoc autem verbum negatum unum significatum habet, & uno

actu

actu regitur, hoc est, præter illum respectum, pro nullo alio accipi permittit; verbum autem infinitum non uno actu regitur, nempè non illum tantùm respectum habet, sed ulteriùs pro aliis actionibus potest accipi; quia tamen illas de se non significat, sed tantùm pro illis accipi potest, ait Doctor loco 1. Prio. quòd verbum in oratione de se non est infinitum, sed negatum, nempè quòd infinitù sit, de se non habet, sed ab intellectu accipiente, & comparante ad alia.

265 Prob. 2. à ratione: Quicumque terminus est circumscriptæ significationis, potest per negationem præfixam infinitari; sed verbum in oratione ita se habet: ergo. Maj. jam supra patuit ratione, & authoritate Boëtii in parvo Comm. sup. Perihet. Min. ostenditur: Verbum in enuntiatione significat determinatam actionem de determinato subjecto, ut currere, legere: ergo est determinatæ significationis, ita quod, hac negatâ, cæteræ relinquuntur, pro quibus possit accipi.

266 Confirmatur, & explicatur: Illa enuntiatio: *Petrus non currit*, intellectui significat negationem illius actionis de Petro, & ulteriùs potest ab intellectu accipi, & verificari de Petro sedente, legente, & quamlibet aliam actionem exercente; sed prior sensus est verbi negati, posterior verbi infiniti: ergo. Notandum autem, quòd illa enuntiatio, ut est propositio, conjungit, aut separat id quod dicitur; quare sensus ejus, ut est propositio, hic est: *Petrus non currens*, aut iste: *Petrus non est currens*, quare in propositione non infinitatur verbum. Ex quo ulteriùs posset intentum confirmari: Si enim utrumque habet sensum, aut est non currens, aut non est currens, patet, quòd dy *non currit* utramque habet acceptionem & verbi infiniti, & negati.

267 Objic. 1. ex Parra: Philosophus 1. Perih. ita habet: *Omnis affirmatio, & negatio est, vel nomine, & verbo, vel ex infinito nomine, & verbo.* Ex quibus multipliciter arguitur: Primò: Omnis enuntiatio constat vero nomine & verbo; sed verbum infinitum non est verum verbum: ergo. Major eo patet, quia nomen, & verbum sunt partes enuntiationis. Min. autem est Philosophi, tùm quia in definitione verbi ponit *finita, & recta*, quare de ratione verbi est, quod sit finitum; tùm quia ait: *Differentiæ huic nomini non est impositum, sed sit verbum infinitum.*

268 Secundò: Philosophus ibi citat, loco docet, quòd, quamvis enuntiatio possit constare nomine infinito, aut infinito, non tamen verbo: ergo, quia sentit, quòd verbum in enuntiatione non infinitatur. Tertiò: Negatio præfixa termino omnem ejus significationem removet; sed verbum in oratione significat unitivè, quia significat esse,

esse, vel rationem aliquam de aliquo: ergo negatio præfixa removet hanc unionem, & efficit verbum negatum. Quartò: Quantumcumque intellectus velit præscindere, apponendo negationē verbo semper est oratio de verbo negato. Quintò: Si verbum in oratione infinitaretur, sicut infinitatur nomen, Philosophus distingueret enuntiationem de verbo infinito ab enuntiatione de verbo negato, sicut distinguit de nomine infinito; sed non distinguit: ergo.

269 Ad argum. resp. & ad 1. ly *finita*, *& recta* non ponitur in text. Philos. in definitione verbi; colligitur ea quidem ex text. Philos. sed pariter de verbo, ac de nomine colligitur, quia pariter ait, quòd nomen infinitum deficit à ratione nominis, & verbum infinitum à ratione verbi, ut videre est cap. 2. & 3. lib. 1. Perh. quibus agit de nomine, & verbo: & ratio eadem est de utroque; infinitum nempè, quò tale, non significat, sed relinquit indefinitè accipiendum; at tàm verbum, quàm nomen est vox significativa ad placitum: ergo æquè deficit ab utroque. Præterea: Illud argumentum, siquid probat, probat etiam de verbo extra orationem; at de verbo extra orationem nullus dubitat, quin possit infinitari. Insuper: Æquè probat de verbo infinito, & de obliquo, quia ponitur *finita*, *& recta*; at patet, quòd verbum obliquum intrat enuntiationem, imò sæpissimè enuntiatio fit ex verbo obliquo, ut *Petrus currit*, *homo disputat*, & similes: ergo.

270 Dicendum ergo, quòd Philosophus definit nomen, & verbum, ut perfectè accipiuntur à Dialectico; & quia infinitum, & obliquum deficient à ratione verbi, ideo in definitione Petri Hispani ponitur *finita*, *& recta*, quod non tollit, quin verbum infinitum verbum sit, & intret enuntiationem, sicut non tollit, quòd verbum sit, & intret enuntiationem verbum obliquum, licèt non ita perfectè, sicut rectum, & finitum. Ad 2. neg. anteced. non enim ait Philosophus, quòd oratio non possit constare verbo infinito, sed quòd sine verbo, & nomine non stat oratio affirmativa, sive enuntiativa, & quòd differt ea, quæ constat nomine finito, ab ea, quæ constat infinito; quare autem diversificat penes nomen infinitum, non autem penes verbum infinitum, infrà dicetur in solutione ad quintum.

271 Ad 3. concesso discursu, neg. subillatum, vel disting. Et facit verbum negatum tantùm, neg. & facit verbum negatum, quòd possit indefinitè accipi pro aliquo præter id, quod negat, conced. Itaque verbum in oratione duo habet, & unire, qualitèr pertinet ad propositionem; & significare, quo modo est pars enuntiationis: quantum ad unire nulla est differentia verbi negati, & infiniti, quia

negatio præfixa removet id, quod dicit, & significat verbum; quantum ad significare, est differentia, non positiva, quia verbum infinitum nihil significat formaliter, quia tamen relinquit accipiendum indefinitè, est differentia negativa: licèt ergo negatio præfixa semper removeat, & faciat propositionem negativam, enuntiatio tamen potest accipi, aut de verbo negato pro eo, quod removet, aut de verbo infinito pro eo, quod relinquit.

272 Contra hanc solutionem replicat Parra: Sublata ratione primaria, removeri debet secundaria; sed in verbo unire est ratio primaria, significare verò secundaria: ergo, sublato unire, removetur significare; at negatio semper removet unire; ergo nunquam relinquit significare, & sic neque verbum infinitum. Resp. 1. ex B. D. loco sup. cit. 1. Prior. dub. 6. in solutione ad 1. ubi ait: *Peremptâ significatione tollitur dictio, quæ prius erat, sed nihil prohibet ex hac peremptione aliam generari, ut tollitur dictio finita, & generatur infinita.* Concesso ergo toto discursu, neg. subsillatum; etsi enim auferatur significatio, quia tamen terminus infinitus non significa, sed relinquit indefinitè accipiendum, ex illa negatione fit aliud verbum, nempè infinitum. Resp. 2. disting. min. In verbo est ratio primaria unire, secundaria significare, in ordine ad propositionem, conc. in ordine ad enuntiationem, neg. min. quia enuntiatio est quidditativè oratio significans, quare in ea importat verbum pro formali, & primariò significare.

273 Ad 4. conc. quòd semper est oratio de verbo negato, quia semper negatio removet à subjecto, quod importatur per verbum, sed hoc non tollit, quin etiam sit de verbo infinito, quatenùs præter id, quod removet, aliquid relinquit, pro quo possit accipi. Ad 5. neg. maj. quia quantum ad diversificare enuntiationem, nihil differt verbum infinitum à verbo negato, quia, ut suprà vidimus ex B. D. neque in officio, neque in voce differt in oratione verbum infinitum à verbo negato, cum quo stat, quòd differat quasi negativè penes id, quod relinquit; at verò nomen infinitum aliter se habet, ac finitum in enuntiatione, ratione enim ipsius verbi aliter supponit, & ideo Philosophus docet distinguere enuntiationem de nomine infinito, non autem de verbo infinito.

274 Objic. 2. De ratione verbi est, quòd significet cum tempore; sed præfixa negatione, non significat cum tempore: ergo non remanet verbum, & sic nequit infinitari. Maj. patet, quia id est definitio verbi. Min. etiam patet; tùm, quia nos concedimus, verbum infinitum non significare; tùm, quia per negationem removetur significatio,

catio. Posset instari; probat enim, quòd nec verbum negatum possit poni in enuntiatione, quia per negationem removetur significatio, quare verbum negatum non significat cum tempore.

275 Resp. directè disting. maj. De ratione verbi finiti, prout definit Philosophus, est, quòd significet cum tempore, conc. maj. de ratione verbi, absolutè, neg. maj. Itaque ipse Philosophus, postquàm definit verbum, subjungit de verbo infinito, & ait: *Differentia huic nomen non est impositum, sed sit verbum infinitum*; quo intendit, quòd verbum infinitum aliud est verbum ab eo, quod prius definivit. Solutionem habet B. D. loco sup. citat. 1. Prior. dub. 7. Aliter posset distingui major; De ratione verbi est, quòd significet cum tempore, quòd significet determinatè, & in actu, neg. maj. quia solùm est de ratione verbi finiti: De ratione verbi est, quòd significet, sive determinatè, & in actu, sive indeterminatè, & quasi in potentia, conced. maj. Et tunc dicetur ad min. quòd verbum infinitum non significat determinatè, & in actu, quia hoc removet negatio; significat verò indefinitè, & quasi in potentia, quatenùs relinquit aliquid, pro quo possit indefinitè accipi.

CAPUT VIII.

De proprietatibus Termini; & primùm:

De Suppositione.

276 EXplicatâ naturâ termini, passionum explicationem rectus ordo exigit; eam nonnulli ad 2. disputationem relinquunt, eo quod istæ passiones non nisi in oratione exercentur: res est parvi ponderis, & quidem, cum pro cognitione passionum non requiratur cognitio artefacti, in quo exercentur, si aliunde non artefacti, sed termini passiones sunt, non artefacti, sed ad termini explicationem pertinet passionum explicatio. Eæ sunt *suppositio*, *appellatio*, *ampliatio*, & *restrictio*. Mitto ascensum, & descensum, quia sunt species argumentationis; item alienationem, quia species suppositionis est; diminutio item vix à restrictione differt; quare de assignatis dumtaxat agemus, & 1. de suppositione, quæ principalis est, nec in evolvendis difficultatibus ferè inutilibus immorabimur.

277 Suppositio ergo est *substitutio pro altero*, quasi sub alio positio. N. Villan. rejectis aliorum definitionibus, ità explicat: *Est positio tacita sub positione expressa*, quia semper sub expressa positione vocum ponuntur res significatæ.

catæ. Sed qua ratione ipse aliorum explicationes rejicit, posset ista calumniari; tùm, quia non convenit suppositioni materiali, in qua sub expressa positione vocum nihil ponitur, est enim acceptio termini pro se ipso; tùm deinde, quia suppositio cui libet termino competit, illa autem expressio soli vocali, aut scripto; tùm tandem, quia suppositio passio est termini; ponitur autem sub expressa positione non termino, sed rei significatæ competit: in re ergo parvi ponderis à communi non recedamus explicatione.

278 Est itaque suppositio: *Acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur juxta exigentiam copulæ. Vt homo disputat, homo est species, homo est bissyllabum.* Ly *homo* de se indifferens, ut accipiatur aut pro natura humana, aut pro aliquo individuo, aut pro ipsa voce, determinatur per copulam ad aliquod ex illis. Nota, quòd verba in definitione non dicunt actum; quare ly *acceptio* non debet pro ipso actu accipi, quasi consistat suppositio in eo, quòd terminus exercitè accipiatur ab intellectu, alioqui nullo intellectu cogitante non haberet suppositionem, & pro libito cujusliber benè, vel malè accipientis variaretur suppositio: debet ergo accipi pro aptitudine determinata, sive proxima, quasi sit acceptibilitas ipsa, qua vox subrogavit pro hoc, aut illo significato suo, & pro eo accipiatur.

279 Deinde nota, quòd ly *verificatur* non debet accipi cum ly *juxta exigentiam*, quasi copula exigente, quòd vox de aliquo verificetur, cui non convenit, non supponat; quia tunc in enuntiatione falsa non haberet suppositionem, ut cùm dicitur: *Homo est lapis*, ly *homo* non supponeret, quia juxta exigentiam copulæ nec de natura humana, nec de voce ipsa verificatur, cùm nulli conveniat, quòd sit lapis: debet ergo accipi ly *juxta exigentiam* cum ly *acceptio*, ita quòd juxta id, quod copula exigit, accipiatur vox pro aliquo, de quo simpliciter verificatur, cui si convenit id, quod affertur per copulam, erit propositio vera; si non convenit, erit falsa, ut in allata propositione, juxta id, quod copula exigit, accipitur vox *homo* pro natura humana, quam significat, cui quia non convenit prædicatum, est propositio falsa.

280 Ponitur autem ly *juxta exigentiam copulæ*, quia suppositio est quædam determinatio ipsius suppositionis, nempe per illam vox, quæ erat potens accipi pro ipsa, vel pro aliquo suo significato, determinatur, ut pro hoc, aut illo accipiatur; & licèt hanc determinationem videatur facere prædicatum, aut subjectum, quia ramen illam facit, ut per copulam unitur unum alteri, ideo ponitur ipsa copula exigere hanc, vel illam acceptionem. Colliges, qualiter

differ-

differt suppositio à significatione, quia est quædam determinatio ejus, non quòd sit species significationis, sed magis est quædam restrictio habitudinis, quam vox dicit ad suum significatum. Colliges item, voces principaliter supponere pro rebus, licèt immediatè accipiantur pro conceptibus; quia supponunt, sicut significant; diximus autem significare principaliter res, immediatè verò conceptus.

281 Dividitur suppositio in *materialem*, & *formalem*: materialis est acceptio termini pro se ipso, ut cùm dicitur: *Homo est nomen subjectivum*, ly *homo* juxta exigentiam copulæ accipitur pro ipsa voce: suppositio formalis est acceptio termini pro suo significato, ut *homo est animal*, ly *homo* non pro ipsa voce, sed pro natura humana accipitur. Hæc subdividitur in *propriam*, & *impropriam*: propria est acceptio termini pro eo, quod proprie significat: impropria est acceptio termini pro eo, quod significat translativè, & improprie, ut cùm vocem *leo* accipimus ad significandum leonem, tunc supponit formaliter proprie; cùm verò eandem accipimus ad significandam alicujus fortitudinem, tunc supponit formaliter impropriè.

282 Suppositio formalis propria subdividitur in *simplicem*, & *personalem*, quibus addunt nonnulli *absolutam*, sive *mixtam*: simplex est *acceptio termini pro suo significato immediato* præcisivè, sive simpliciter accepto, ut cùm vox *homo* accipitur pro ipsa natura humana accepta in communi, ut cùm dicitur: *homo est species*, quia tunc copula exigit, quòd vox *homo* non pro aliquo individuo, sed pro natura ipsa accipiatur; & dicitur hoc significatum immediatum, quia terminus communis immediatè significat naturam multis communem, & eâ mediante illa multa, quibus communis est.

283 Suppositio personalis est *acceptio termini pro suo significato mediato*, seu quod idem est, pro suo significato personaliter, & substitutivè accepto, ut cùm dicitur: *Homo currit*, ly *homo* supponit personaliter, quia copula exigit individuum, quod est significatum media tum vocis *homo*; quia cùm currere conveniat homini subsistenti, ly *homo* exigit accipi pro actione currendi suppositaliter, sive personaliter. Suppositio absoluta, sive mixta est, quæ utrumque habet, & est *acceptio termini pro suo significato absolutè, & omnibus modis*, hoc est, sive præcisivè, sive personaliter accipiatur, ut cùm dicitur: *Homo est animal*, ly *homo* accipitur & pro natura, & pro individuis ejus, quia omnibus convenit esse animal.

284 Nota, quòd hanc explicationem multi calumniantur ponentes, suppositionem esse, in qua accipitur terminus secundò intentiona-

tionaliter, ut cùm dicitur: *Homo est species*, ly *homo* supponit simpliciter, & accipitur secundò intentionaliter, quia hoc tantùm modo sibi convenit, quòd sit species; & suppositionem personalem esse, in qua accipitur terminus primò intentionaliter, quia sic tantùm habet esse personale, sive subsistens. Rationem assignant: Quia in ista propositione: *Petrus est individuum*, ly *Petrus* supponit simpliciter; & tamen non pro significato mediato, cùm nullum habeat, sed pro ipso Petro individuo accipitur. Insuper: In ista *Petrus currit*, ly *Petrus* supponit personaliter, quia copula exigit, subjectum accipi suppositaliter, sive ut est subsistens; sed habet idem significatum, ac in præcedente: ergo solùm potest distingui in illis suppositio penes hoc, quòd in una accipiatur primò intentionaliter, in alia secundò intentionaliter.

285 Sed ista non coguunt recedere à communi explicatione, quam putamus clariorem. Itaque ad 1. dicitur, quòd vox *Petrus* dupliciter potest Petrum significare, & pro eo accipi; nam Petrus accipitur, sive prout convenit cum cæteris individuis in eo, quòd sit existens particularis homo, & hoc modo accipitur quasi præcisivè, & quia communia sunt 1. cognita, ideo dicitur hoc modo significari immediatè. 2. potest accipi, prout personaliter, & subsistentialiter est hic homo; & hoc modo significatur quasi secundò, & mediatè, quia noster intellectus communibus descendit ad particularia: quia ergo eadem res significata potest à nobis duobus modis concipi, potest vox habere significatum mediatum, & immediatum, & penes hæc accipi utramque suppositionem.

286 Accedit, quòd in istis duobus *Petrus disputat*, *Petrus est homo*, in utraque accipitur Petrus primò intentionaliter, cùm neque disputare, neque esse hominem habeat beneficio intellectûs; & tamen in 1. supponit personaliter, quia disputare convenit individuo, ut est existens; in 2. supponit simpliciter, quia esse hominem ipsi essentiæ cõvenit præcisivè ab existentia. Insuper: In ista: *Homo est animal*, nihil prohibet, quòd *homo* accipiatur simpliciter, cui esse animal ipsi essentiæ conveniat, & tamen non secundò intentionaliter accipitur: non ergo benè penes hoc explicatur suppositio simplex.

287 Deinde dividitur suppositio formalis propria in *distributivam*, *collectivam*, *determinatam* & *confusam*: distributiva est *acceptio termini communis pro omni suo significato*, ita quòd de quolibet verificetur, ut *omnis homo est animal*, ly *homo* supponit distributivè, quia ita accipitur pro omni homine, ut de quolibet particulari verificetur. Collectiva est *acceptio termini communis pro tota collectione, quam*

signi-

significat, ita quòd non verificetur de particularibus seorsim, ut cùm dicitur: *Evangelistæ sunt quatuor*, ly *Evangelistæ* supponit collectivè, quia ita pro tota collectione accipitur, ut non de aliquo particulari possit accipi.

288 Suppositio determinata est *acceptio termini communis pro aliquo particulari determinatè designabili*, ut cùm dico: *Homo disputat*, ly *homo* supponit determinatè, quia ita accipitur pro aliquo homine, ut non de quocumque, sed de determinato disputante accipi debeat. Confusa est *acceptio termini communis pro aliquo particulari non determinatè designabili*, ut cùm dico: *Equus requiritur ad equitandum*, ly *equus* supponit confusè, quia ita de aliquo accipitur, ut de nullo determinatè designabili possit accipi, quia quocumque designato poterit equitari per alterum. Itaque suppositio collectiva est acceptio termini pro omnibus, sed non pro singulis: distributiva est pro omnibus, & singulis: confusa est pro singulis, sed non pro omnibus: determinata neque pro omnibus, neque pro singulis.

289 Suppositio distributiva subdividitur in *absolutam*, & *accommodam*: absoluta est *acceptio termini communis pro omni suo significato, sine ulla exceptione*, ut cùm dico: *Homo est animal*, ly *homo* distribuitur absolutè, & sine exceptione de omnibus verificatur animal: accommoda est *acceptio termini communis pro omni suo significato, cum aliqua tamen exceptione*, ut cùm dicit Textus: *Omnis homo mendax*, intelligitur cum distributione accommoda, nempè ita accipitur pro quocumque homine, ut excipiatur Christus Dominus, & Beata Virgo: similiter, cùm ait Apostol. *Omnes in Adam peccaverunt*, ly *omnes* intelligitur cum distributione accommoda.

290 Tandem suppositio distributiva dividitur in *completam*, & *incompletam*: completa, quæ etiam dicitur pro singulis generum, est *acceptio termini communis pro omni suo significato, tàm in specie, quàm in individuo*, ut cùm dicitur: *Animal est vivens*, ly *animal* distribuitur completè, & pro singulis generum, quia non solùm accipitur pro homine, leone, & aliis speciebus, sed etiam pro individuis; de quocumque enim verificatur, quòd sit vivens. Incompleta, quæ etiam dicitur pro generibus singulorum, est *acceptio termini communis pro omni suo significato in specie tantùm*, ut cùm dicitur: *Omne animal fuit in arca Noè*, ly *animal* distribuitur incompletè, & pro generibus, nempè de omni specie fuit aliquod, non verò omne individuum.

291 Observa, quòd suppositio, idem de cæteris passionibus, licèt sit proprietas, & supponat essentiam termini, nihilominùs in syllogismo variata passione, diversifica-

ficatur formaliter terminus; quare si aliter supponit in majori, ac in minori, nihil concluditur, quia fit syllogismus in quatuor terminis, ut si dicas: *Homo est bissyllabum; sed Franciscus est homo: ergo Franciscus est bissyllabum*; licèt utraque præmissa sit vera, & conclusio videatur legitima in modo, & figura, nihil concluditur; quia ly *homo* in majori supponit materialiter, in minori formaliter; similiter ly *Franciscus* in minori supponit formaliter, in conclusione verò materialiter: quare syllogismus habet quinque terminos, nempè *homo* medium materialiter in majori, & formaliter in minori est duplex terminus, similiter ly *Franciscus*, quibus additur *bissyllabum*, quare sunt quinque.

292 Hinc dicitur in Ethic. quòd omnis peccans syllogizat in quatuor terminis, quia peccans practicè regulatur hoc syllogismo: *Bonum est sequendum; sed furtum v. g. est bonum: ergo est sequendum*; in quo *bonum* in majori supponit pro honesto, in minori pro delectabili, quare paralogizat in quatuor terminis. Mitto regulas pro cognoscenda suppositione, quia facilius cognoscitur in praxi, præ oculis habita definitione, quàm ex regulis. Vide, si placet, Nostrum Manso.

CAPVT IX.

De reliquis Termini proprietatibus.

293 PAuca restant de reliquis terminorum proprietatibus dicenda, quare singulas percurremus breviter. Appellatio est *applicatio significati formalis termini ad significatum formale alterius*; ut si dicas: *Plato magnus Philosophus*, ly *magnus* appellat supra ly *Philosophus*, & facit sensum, quòd Plato sit magnus in Philosophia; at si dicas: *Plato magnus est Philosophus*, tunc *magnus* potest appellare supra *Plato*, & facit sensum, quòd Plato, qui est magnus, est etiam Philosophus: terminus, qui appliatur, dicitur appellans; terminus cui applicatur, dicitur appellatus. Ex variata appellatione varia syllogismus, ut si dicas: *Iste est magnus Philosophus: ergo iste Philosophus est bonus*, non sequitur, quia ly *bonus* in antecedente appellat supra ly *Philosophus*, & facit sensum, quòd benè callet Facultatem; in consequente verò appellat supra ly *iste*, & facit sensum quòd ipse sit bonus homo; potest autem pessimus esse, quamvis bonus Philosophus.

294 Ampliatio est *extensio termini à minori ad majorem significationem*, ut si dicas: *Pater videt*, ly *videt*, quod de se signi-

fica-

ficat passionem soli homini convenientem, ampliatur, quia extenditur ad significandam prati amœnitatem. Restrictio huic opposita, est *coarctatio termini à majori ad minorem significationem*, ut si dicas: *Canis latrat*, ly *canis* de se significans piscem, sydus, & terrestre animal, per prædicatum coarctatur ad significandum terrestre animal, unde habet restrictionem. Hæc dicitur diminutio, hæc eadem est, quando nempè ratione adjuncti minuitur significatio termini, ut si dicas: *Addiscens negligenter parum proficiet*, ly *addiscens* ratione adjuncti restringitur adeos, qui in addiscendo segnes sunt; quare minuitur ejus significatio, & ly *negligenter* est additum diminuens.

295 Alienatio est suppositio formalis impropria, est quippè *translatio termini de propria ad impropriam significationem*, ut cùm dicitur in Apocalypsi: *Vicit leo de tribu Judà*, ly *leo* alienatur, quia transfertur ad significandum Christum Dominum. Tandem assignant nonnulli inter proprietates termini *statum*, & *distractionem*. Statum dicunt, quando terminus non extrahitur à differentia temporis importata per copulam, ut si dicas: *Petrus disputat*, de Petro existente, & disputante habet statum, quia sumitur secundùm tempus præsens, quod importat copula.

296 Distractio est, quando terminus non accipitur secundùm differentiam temporis, quam importat copula, ut cùm in Evangelio dicit Christus Dominus: *Cæci vident, surdi audiunt &c.* ly *cæci*, & ly *surdi* habent distractionem, quia, cùm verbum importet tempus præsens, non accipiuntur pro ijs, qui de præsenti sunt cæci, & surdi; sic enim implicatoria erit enuntiatio, sed ita quòd nunc vident, qui priùs erant cæci. Nonnulli reducunt distractionem ad ampliationem, quia in utrâque extenditur significatio; sed differunt, ut benè notat Mastrius, quia ampliatio non habet respectum ad tempus importatum per copulam, quem tamen habet distractio.

DISPUTATIO II.

DE PERTINENTIBUS AD SECUNDAM INTELLECTUS OPERATIONEM.

CAPUT I.

De Oratione, & modo sciendi.

298 ORATIO est genus ad omnia instrumēta logica, ut enim videbimus, eā assumit Philosophus in cujuslibet definitione; ea quippe est ratio communis proximæ univoca ad definitionem, enuntiationem, propositionem, & syllogismum; ratio enim modi sciendi, sive instrumenti logici analoga est, cùm magis conveniat syllogismo, quām cæteris manifestare ignotum, & esse instrumentum logicum; imò ipsa ratio modi sciendi per orationem definitur tamquam per genus, quamvis alio modo accipiatur oratio, ut est genus in definitione modi sciendi, & ut est genus in definitione uniuscujusque particularis, ut patebit inferiùs.

299 Quia ergo convenienter natura generis explicatur, ubi agitur de speciebus sub eo contentis, ideo secundæ huic disputationi re licta est; non quòd oratio, quæ h definitur, ad secundam intellect operationem pertineat, ut innu re videtur N. Fulg. si enim ad s cundam intellectûs operatione pertineret, non posset esse gen ad definitionem, quæ ad prima operationem pertinet, quare n illi convenit, quòd sit oratio, pr ut hæc ad secundā intellectûs op rationem pertinet: agitur ergo h de oratione, quamvis ea ad pr mam operationem [illegible]rtineat, qu hîc incipit determinari de artef ctis logicis, quibus ipsa est genu

300 Itaque oratio, ut præsci dit â perfecta, & imperfecta, de nitur ab Aristot. *Uox significativ ad placitum, cujus partium aliqu significativum est, ut dictio, non affirmatio, vel negatio.* Hanc def nitionem nonnulli calumniantur sed in re parvi ponderis non e cùr à definitione Philosophi rec damus, aut in aliorum placitis r censendis, qui magis Gramma cè, quām Dialectice definiu r, in moremur, satis erit prædictam d finitionem explicare cum B. D.

ſi. Perhier. cap. 4. & quæ contra objiciuntur, nullius eſſe roboris oſtendere.

301 Itaque ly *vox ſignificativa ad placitum* ponitur loco generis, quod habet oratio commune cum nomine, & verbo; cætera autem ſunt differentia, quæ ab illis differt. Ait ergo *vox ſignificativa* in ſingulari, cùm tamen oratio non una ſimplici voce, ſed complatione plurium conſtet, ad denotandum, quòd voces componentes orationē debent eſſe unum quid quodammodo, aut conjunctione, ut *Petrus, & Paulus*, aut copula, ut *Petrus eſt homo*, aut ordine, ut *animal rationale*; quare ſi abſolutè proferas duas, vel tres dictiones diſparatas, non fit oratio, ut ſi dicas: *Petrus quia lapis*, quia, licèt hæc ſit oratio, prout eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, non autem Dialectica: ratio autem eſt, quia ratio quantitatis ſumitur ex pronuntiatione ſyllabarum, ratio autem orationis ex ordine ad intellectum: illæ ergo voces habent quidem ſyllabas, in quarum pronuntiatione inſumitur tempus, & ſit quantitas diſcreta; quia tamen nullum habent ordinem, non generant intellectum, quare non fit oratio Dialectica.

302 Alitèr poteſt explicari illa particula: Dicit itaque *vox ſignificativa ad placitum*, quo denotetur, quòd non requirit oratio plures voces ſignificativas, ſed ſufficere, quòd una ſit ſignificativa, alia conſignificativa, ut ſi dicas *vehementèr dolens*, ly *dolens* ſignificat, ly verò *vehementèr* non ſignificat, ſed conſignificat, quod etiam innuitur per ſequentem definitionis particulam, nempè quòd aliqua pars ſignificat ut dictio, quia ſyncategorema non ut dictio, ſed ut dictionis affectio ſignificat: quia ergo ſufficit, quòd una pars orationis ut dictio ſignificet, oratio dicitur vox ſignificativa in ſingulari.

303 Dicit deinde *cujus partium aliquid*, & non cujus partes, quia negationes, & ſyncategoremata non ſignificant *ut dictio*, ſed ut dictionis affectio, ſive determinatio: quia ergo ſyncategoremata, & negationes ingrediuntur orationem, non oportet, quòd omnes ejus partes ſignificent *ut dictio*, ſed ſufficit, quòd aliqua. Tandem ait, *ut dictio*, non ut affirmatio, vel negatio, ut denotet ad rationem orationis non requiri affirmationem, vel negationem; quare non eſt ſenſus, quòd excludatur, ſive quòd non ſit oratio, quæ affirmationem includit, aut negationem, ſed tantùm, quòd ea non requiritur.

304 Contra definitionem Philoſophi objic. 1. quòd ea convenit termino complexo: ergo non eſt bona. Patet conſeq. quia convenit aliis à definito. Patet antec. quia terminus complexus eſt, cujus aliqua pars ſignificat. Multi, conceſſo anteced. negant conſeq.

quia oratio ut sic, & in communi non differt à termino complexo, quare apud Aristot. *Homo albus* pariter est terminus complexus, & oratio. Nihilominùs nego antecedens, quia amplius requirit terminus complexus, quàm oratio; ad orationem enim sufficit, quòd partium aliquid significet, ad rationem verò termini complexi requiritur, quòd partes significent, quare ex syncategoremate, & termino categorematico bt quidem oratio, u *velocitèr currit*, *vehementèr dolens*, non autem fit terminus complexus.

305 Ratio autem est, quam suprà innuimus, quia ad rationem orationis Dialecticæ sufficit, quòd constituat intellectum apprehensivum, aut judicativum alicujus complexi; ad rationem verò termini complexi requiritur, quòd significet ipsum complexum; quare terminus complexus erit quidem oratio, non verò à contrario oratio quæ ib erit terminus complexus. Ex quo colliges, aliam esse rationem orationis apud Dialecticum, ac apud Grammaticum, quia oratio Grammatica non stat sine verbo, benè autem oratio Dialectica; quod non attendunt, qui definitionem Philosophi calumniantur.

306 Objic. 2. Ista oratio: *Si Sol lucet, dies est*, vera est oratio; sed illi non convenit definitio: ergo. Major patet, quia ea est propositio hypothetica, omnis autem propositio est oratio. Min. autem ostenditur: In definitione ponitur quòd partes orationis non significant ut affirmatio; sed partes illius adductæ significant ut affirmatio: ergo. Min. patet, quia partes illius sunt *Sol lucet*, quæ est una affirmatio, & *dies est*, quæ est alia.

307 Hanc difficultatem sibi objicit D. N. suprà cap. 4. lib. 1. Perih. & duobus modis respondet. altero disting. probat. min. Ponitur, quòd non significent ut affirmatio, hoc est, quòd non requiritur affirmatio, concedit; hoc est, quòd excluditur positivè, ita quòd si habeat affirmationem, non est oratio, negat. Alio modo resp. disting. aliter eamdem prob. Ponitur, quòd partes orationis in eo quòd oratio est, non significent ut affirmatio, conc. quòd partes orationis in eo, quòd talis oratio est, neg. & tunc ad min. dicitur, quòd partes illius in eo, quòd oratio est, non sunt illæ affirmationes, sed in eo, quòd est talis oratio; aliud nempè habet in eo, quòd oratio, & aliud in eo, quòd talis, & quòd sibi convenit in eo, quòd talis non est de ratione oratio.

308 Objic. 3. *Non omnis* v.g. non est oratio; sed illi competit definitio: ergo. Maj. patet, quia id non constituit intellectum apprehensivum alicujus complexi. Patet etiam minor, quia ly *omnis* significat ut dictio. Resp. neg. min. ad probat. ejus neg. assumptum, quia terminus syncategorematicus non

non significat, sed consignificat; est autem ly *omnis* syncategorema: quare nisi adjungatur *homo*, vel alius terminus categorematicus, *non* significat ut dictio.

309 Sed contra dices: *Non homo* non est oratio; & tamen ly *homo*, cùm sit terminus categorematicus, significat ut dictio: ergo solutio non tenet. Resp. neg. conseq. quia *non homo* non est vox significativa, sed infinita; infinitum autem nihil ponit, sed relinquit indefinitè accipiendum. Patet ergo, definitionem Philosophi, licèt Grammaticis non videatur exacta, quia apud illos alia est ratio orationis, Dialecticis tamen bonam esse, & congruentèr explicare quæ orationi Dialecticæ convenire debent.

310 Dividitur oratio in *imperfectam*, & *perfectam*: perfecta est, quæ generat perfectum sensum in animo audientis, ut *Petrus est homo*: imperfecta, quæ non generat perfectum sensum, ut *homo disputans*, ubi intellectus hæret expectans aliquid. Perfectæ orationis quinque species assignat Commentator, enuntiativam, deprecativam, imperativam, interrogativam, & vocativam; earum sufficientiam ostendit B. D. in cit. cap. 4. 1. Perh. & ex ipso NN. Villan. & Fulg. sed quia Philosophus ipse in textu asserit, quòd præter enuntiativam cæteræ ad Rhetores, & Poëtas pertinent, ideo illis dimissis, superest, explicemus communem rationem modi sciendi.

311 Multus est N. Villan. in aliorum referendis definitionibus, & argumentis, quibus communem impugnant: ipsum vide, si placet. Distinguit ipse modum sciendi à medio sciendi, sed illi non acquiesco; modus enim sciendi non sumitur hic subjectivè pro tendentia ipsa intellectûs, de qua agere spectat ad lib. de Anim. sed objectivè pro instrumento, quo utitur ad adipiscendam rei cognitionem, quare significat modus sciendi rationem communem artefacti logici, seu medii, per quod habetur rei cognitio.

312 Definitur modus sciendi: *Oratio ignoti manifestativa*, ly *oratio* genus est, in quo cum aliis convenit, cætera sunt differentia. Nota, quòd oratio hic sumitur pro ratione communi, ut abstrahit à perfecta, & imperfecta, quia hoc solùm modo potest esse logicè superior ad rationem communem modi sciendi; at verò in definitione cujuslibet artefacti sumitur pro oratione perfecta, in qua ratione conveniunt definitio, propositio, & syllogismus. Neque obstat, quòd definitio non videatur habere rationem orationis perfectæ; æquè enim relinquit intellectum suspensum *homo albus*, ac *animal rationale*. Non, inquam, obstat, quia *homo albus* non significat plenam apprehensionem, quare ipsa prima operatio suspensa manet, & quasi imperfecta; at verò

rò *animal rationale*, licèt non significet judicium de re, quia non determinat, an sit, vel non sit, quare videatur intellectus expectare judicium, & quasi suspensum manere, at significat plenam apprehensionem, & in ipsa prima operatione quievit intellectus.

313 Dividitur modus sciendi in *definitionem, divisionem*, & *argumentationem*. Ratio est, quia, cùm triplex sit intellectûs operatio, triplici generali medio ostenditur sibi, quod ignorat, quorum quodlibet multifariam subdividitur, de quo infrà. Multi volunt, quòd divisio, qua totum in partes secernitur, sit species modi sciendi, quæ ponitur in illa trimembri divisione. Quibus tamen acquiescendum non est: primò, quia tunc in illa divisione modi sciendi non includitur artefactum, quo dirigitur secunda operatio intellectus, talis enim divisio, qua totum in partes dividitur, v. g. qua dicitur *animal aliud rationale, aliud irrationale*, prima operatione fit.

314 Deinde: Talis divisio neque aliquod habet artificium, neque alicubi invenitur Philosoph. aut eam definire, aut de ea agere, sicut agit de reliquis: non ergo ea inter instrumenta logica debet computari. Divisio itaque significat in illa divisione propositionem, aut enuntiationem, quæ sunt artefacta, quibus dirigitur secunda operatio, nempè judicium divisivum, seu compositivum; quare autem magis divisionem; quàm compositionem assumit, aut propositionem, sive enuntiationem quæ utrumque comprehendunt, jam dictum est in præcedentibus ex B. D. Species ergo modi sciendi sunt definitio, enuntiatio, propositio, & argumentatio, de quibus agendum in sequentibus.

CAPUT II.

De Definitione.

315 DEfinitio est artefactum, quo intellectus in prima operatione dirigitur, quare explicat id, quod apprehenditur, sive ipsam essentiam sine ulla complexione ad alterum. De illa agit Philosophus in 1. Topic. cap. 4. & 6. & 7. lib. Et qui non habet unam rationem, non assignatur una definitio, sed 1. illam dividit Philosophus cit. cap. 4. in definitionem *quid nominis*, & definitionem *quid rei*: *Assignatur autem* (ait) *vel oratio pro nomine, vel oratio pro ratione*; & subdit, quòd definitio *quid nominis* non explicat rem ipsam: *Quicumque autem quovis modo nomine assignationem faciunt, manifestum, quòd non assignant rei definitionem.*

316 B. D. 2. Post. ad text. *Amplius omnes*, sic explicat definitionem *quid nominis*, est: *Ratio explicans id, quod dicitur nomen*, & exemplificat de hoc nomine *Il-*

lias

lias: Nam si quæreretur (ait) *quid importatur per nomen Illias? respondeo quòd Hector, & Achilles ita, & ita se habuerunt, ita quòd tota historia Trojana esset definitio quid nominis.* Ait autem ratio, non verò oratio, quia definitio *quid nominis* non habet artificium Dialecticum, quare non est oratio, sed est mera explicatio simplex illius, quod importatur per nomen: *Ratio autem potest dici* (ait ipse D. in eodem 2. Post. ad text. *Id autem quod quid est*) *omne id, per quod certificamur de aliquo, sumpsit enim nomen ratio ab ipsa ratione, sive ab ipso intellectu.*

317 Duplex est definitio *quid nominis*: *Etymologica*, & *interpretativa*. Etymologica est: Ratio explicans per nomina ejusdem idiomatis id, quod dicitur per nomen, ut *Jupiter* explicatur juvans Patrem; *lapis* dicitur à lædendo pedes; *homo* dicitur ab humo, eo quòd de terra formatus est. Interpretativa est: Ratio explicans id, quod dicitur per nomen, per verba diversi idiomatis, ut *Logos* explicatur sermo, seu ratio, *Syntaxis* vertitur constructio.

318 Definitio *quid rei* à Philosopho cit. 1. lib. Top. definitur: *Oratio quod quid erat esse rei significans*, seu ut communiter explicatur: *Oratio explicans essentiam rei*; essentia enim dicitur quidditas, sive quid ipsius rei, id nempè, quo respondetur quærenti, quid est res? Est duplex, quidditativa, & descriptiva: descriptivam vocat B. D. definitionem largè, sive generaliter sumptam; ait enim 2. Post. text. qualiter igitur ea in resolutione dubii: *Nam definitio potest dupliciter accipi, vel largè pro omni descriptione, prout non aggenerat scientiam, sed opinionem; vel propriè, prout eâ utitur demonstration, & prout aggenerat scientiam.*

319 Itaque quærenti, quid sit res? potest responderi per quasdam rei proprietates, quæ illam indicent, non tamen omninò certè, & immutabiliter, & tunc erit definitio descriptiva, quæ ideo dicitur non generare scientiam, sed opinionem; ut si de homine assignetur ut definitio, quòd est animal pulchrum, implume, bipes, habens caput erectum, ista est impropriè, & largè definitio. Aliter potest responderi per prædicata, quæ soli homini conveniant, & quæ certò, & sine formidine indicent ipsum hominem, & tunc erit definitio propria, quæ ideo dicitur generare scientiam, quia certè, & sine hæsitatione explicatur, quare eâ utitur demonstratio.

320 Hæc ulteriùs potest dividi in *essentialem*, & *accidentalem*. Essentialis est, quæ traditur per prædicata essentiæ; accidentalis verò, quæ per accidentia, non quidem communia, & quæ possunt adesse, & abesse, per hæc enim non potest dari certa definitio, sed pura descriptio; sed quæ traditur per accidentia propria, quæ omni, soli,

li, & semper conveniunt; per risibile enim benè potest certò explicari essentia hominis, cùm soli essentiæ hominis conveniat talem passionem habere. Itaque semper ac essentia definiti certò, & adæquatè explicetur, est definitio ipsius exacta, & qua uti possit demonstrator.

321 Essentialis definitio duplex est, secundum quod dupliciter accipiuntur prædicata essentiæ: *Physica*, & *metaphysica*. Physica est, quæ traditur per prædicata essentiæ physica, sive quæ sibi conveniunt à parte rei, ut si detur definitio hominis per corpus organicum perfectum spirituali, & rationali anima. Metaphysica est, quæ traditur per prædicata metaphysica, sive quæ interventu intellectus conveniunt, ut quæ datur de homine per esse animal rationale; quæ prædicata significant ipsam perfectionem, quam à parte rei habet homo, sed non modo, quo habet à parte rei, quare dicuntur metaphysica.

322 Quod ut intelligas, nota, quod homo à parte rei nihil habet nisi corpus hoc signatum hac anima informatum, à qua tamen perfectum esse habet, & virtutem, seu facultatem exercendi operationes vitæ, nutriri, sentire, & intelligere: concipimus ergo, quod anima perficit corpus, & reddit capax habendi quantitatem, & hoc totum, nempe materia, & anima sub hac ratione, dicitur corpus: deinde concipit, quòd perficit, & reddit capax operationum vitæ, & talem conceptum appellat vivens: deinde, quod reddit capax sentiendi, talem appellat animal: & tandem quòd præstat vim discurrendi, hoc dicit rationale.

323 Omnes isti conceptus significant rem ipsam, quæ est à parte rei, nempe corpus, & anima rationalem, sed non modo, quo est à parte rei, sed modo, quo accipiuntur ab intellectu, & dicuntur prædicata, sive gradus metaphysici; illi autem gradus, qui sunt superiores, & communes, dicuntur genera, particulares verò, & contrahentes dicuntur differentiæ, genera convenit cum aliis, differentias differt; ut homo hoc, quod sit corpus, convenit cum lapide; per hoc autem, quod sit vivens, differt; quare ly *corpus* est genus, ly *vivens* est differentia corporis; similiter *vivens* est prædicatum, quo convenit cum plantis, & arboribus, quæ viventia sunt vegetativa, à quibus differt per esse sensitivum; animal tandem genus est, quo cum equo, leone, & aliis convenit, à quibus differt per rationale, quod proinde est ultima differentia, & proprie dicitur differentia hominis.

324 Debet ergo omnis definitio, ut sit exacta, constare genere proximo, & ultimâ differentiâ: quidem, si genus, & differentia ita sumuntur, prout significant id per quod res convenit cum aliis

& id, per quod ab illis differt, de omni definitione intelligitur, quia etiam physica assumit aliquid commune, & id, per quod talis res definita determinatè constituitur: ratio autem ut sic, & in communi hæc esse potest: Quia definitio notificat essentiam rei: si ergo tantùm assumit prædicatum commune, non explicat rem, sed illam confundit cum aliis, quibus illud prædicatum convenit; si deinde tantùm assumit speciale, & differentiale, non dat totam rei essentiam, sed partem tantùm; si tandem non per duo, sed per unum tantùm explicat, non erit artefactum; quia nullum est artefactum, ubi nulla est compositio: ut ergo per modum artefacti totam explicet essentiam, duo debet assumere, alterum commune, quod sit genus, alterum speciale, quod sit differentia.

325 Sin autem propriè sumuntur genus, & differentia, quia hæc sunt prædicata metaphysica, conflare genere, & differentia convenit definitioni metaphysicæ. Quandoergo dicitur, quòd definitio est oratio explicans essentiam rei, addunt nonnulli *per genus proximum, & differentiam ultimam*; quo intelligatur de definitione metaphysica; id autem poterit etiam de physica accipi: si enim genus, & differentia latè accipiantur, etiam physicè convenit per genus, & differentiam essentiam rei explicare.

326 Leges bonæ definitionis, seu conditiones requisitæ, ut sit exacta, multæ assignantur, eas Philosophus in 6. Topic. cap. 1. ad duas reducit, ait enim: *Sunt autem ejus quod quid est non benè partes duæ. Una quidem, obscura interpretatione uti: oportet enim (ut contingit) definientem quàm clarissima interpretatione uti, eo quòd cognoscendi gratia datur definitio. Secunda autem, si ad plus dixit definitionem quàm par sit; nam omne, quod superadjectum est in definitione, superfluum est.* Ratione 1. dicitur, quòd definitio debet esse clarior suo definito; & rationem assignat Philosophus in text. quia datur definitio cognoscendi gratiâ, nempè si non est clarior, non poterit per illam essentia definiti cognosci. Ratione 2. dicitur, quòd non debet esse superflua, nec diminuta; & ratio est, quia si est diminuta, aliquid sibi deest ad explicandam essentiam; si autem superflua, confusionem parit, & aliquid exigit, quod non est de essentia definiti.

327 Utriusque varia capita assignat Philos. nam 1. erit obscura definitio, si utatur aliqua voce æquivoca, sive quæ quoquomodo habeat duos sensus; dum enim non constat, quo sensu accipit, confusionem generat; & exemplificat, si in definitione generationis dicatur *ductio ad substantiam*, aut in definitione sanitatis *commensuratio humorum*; cùm enim ly *ductio*, & ly *commensuratio* possint accipi, aut pro actione agentis, aut

pro motu, & formali commensuratione, quæ est in ipsis humoribus, dùm non determinat, utrùm isto, vel illo modo debeant accipi, confusa est. 2. si ponatur aliqua vox secundùm metaphoram, ut si in definitione terræ dicatur, quòd est *nutrix*, hoc enim per metaphoram, & consequenter impropriè convenit terræ. 3. si inusitatas voces ponit, ut Plato vocabat oculum *Cilliumbre*, aut araneum *putrimordax*, aut medullam *ossigenium*; hæc, & alia vitari debent in definitione, ut sit quàm clarissima esse possit.

328 Similiter ejus, quod est superfluum, aliquid ponere, 1. si assumit terminum aliquem transcendentem, quòd enim omnibus inest, superflue exprimitur. 2. si ponit aliquid, sine quo intelligeretur essentia definiti, ut si in definitione hominis ponatur, quòd est disciplinæ susceptivum, hoc enim sublato, intelligitur essentia hominis. 3. si aliquid ponit, quod non omni convenit definito. 4. si aliquem terminum ponit, cujus significatum in altero priùs posito includitur, ut si in definitione hominis dicatur, quòd est vivum animal, superfluit ly *vivum*, quia ejus significatum includitur in ly *animal*.

329 Multa alia ibi ponit hujusmodi, ex quibus erit vitiosa definitio, lib. 6. & 7. Topic. quibus de hoc agit, quæque longissimum esset percurrere, satis erit ex dictis colligere, quæ exigit bona definitio, ut capita vitentur, ex quibus potest vitiosa esse; assignatur autem communiter regula, qua cognoscatur bonitas definitionis, nempè dicatur ad convertentiam cum definito, ut si omnis homo est animal rationale, omne animal rationale homo sit; tunc enim omni & soli definito conveniet, & ita essentiam illius dabit, quòd neque plus, neque minus contineat.

CAPUT III.

De Enuntiatione, & partibus ejus.

330 ENuntiationem definit Philosophus lib. Perih. cap. 4. dùm explicatâ essentiâ orationis, subdit: *Enuntiativa verò non omnis, sed in qua verum vel falsum est*; supra quæ B. Doct. *Simùl ponit definitionem enuntiationis, & divisionem orationis*: dividit ergo orationem in enuntiativam, & non enuntiativam; definit autem enuntiativam per hoc, quòd sit *oratio verum, vel falsum significans*, ubi y *oratio* genus est, quo cum propositione, & syllogismo convenit, ly *significans* est differentia, qua ab illis differt; quia licèt materialiter idem sit enuntiatio, & propositio, formaliter verò differunt, ut apertè colligitur ex ipso Philosopho; tùm, quia diversum assignat utrique definitionem, tùm, quia diversis in locis de illis de-

determinat, nempè de enuntiatione in lib. Perhier. de propositione verò in libris Prior. quare non habet locum dubitatio, quam hic movet Mastrius: Utra ex illis definitionibus sit essentialis? Quia uterque essentialis est, altera propositionis, altera enuntiationis.

331 Consistit ergo essentia enuntiationis in significare verum, vel falsum, ad quod requirit tamquam conditionem, quòd sit affirmativa, vel negativa; quia verum, vel falsum reperitur tantùm in judicio intellectûs, quòd importat affirmationem, aut negationem; essentia verò propositionis consistit in eo, quòd sit affirmativa, vel negativa, & importat pro materia significare verum, vel falsum; quare *oratio significans verum, vel falsum* est definitio essentialis enuntiationis; similiter *oratio affirmativa, vel negativa unius de alio* est definitio essentialis propositionis.

332 Contra definitionem datam objicitur 1. Ly *oratio* non est genus proximum: ergo mala est definitio. Prob. antec. Genus proximum est oratio perfecta: ergo ly *oratio* ut sic, & in communi est genus remotum. Patet antec. Quia ratio orationis communis est ad *perfectam*, & imperfectam, & determinata ad perfectam genericè communis est propositioni, & syllogismo; determinatur autem ad enuntiationem per esse significativam: ergo genus immediatum ad differentiam enuntiationis est oratio perfecta. Ad hoc argumentum respondet B. D. quòd genus proximum in definitione enuntiationis est oratio perfecta, nihilominùs definitio est bona, quia apud Dialecticum non est alia oratio, nisi perfecta, cùm oratio imperfecta non ad Logicum, sed ad Grammaticum spectet; quare ly *oratio* simpliciter dictum debet accipi de oratione perfecta: ratio autem est, quia ratio orationis in communi ad perfectam, & imperfectam est analoga.

333 Objic. 2. Ly *verum, vel falsum significans* non est differentia essentialis enuntiationis: ergo definitio non est bona. Prob. ant. Id, quo posito, vel ablato, res eadem manet, non est ejus differentia essentialis, sed accidens illius; sed ita se habet ly *verum, vel falsum significans*: ergo. Prob. min. Hæc enuntiatio: *Petrus currit*, currente Petro, verum significat, eo non currente, significat falsum; at eadem est, sive currat, sive non currat Petrus, in ratione enuntiationis: ergo.

334 Resp. neg. antec. ad probat. ejus neg. min. ad ejus probat. disting. maj. Significat falsum Petro non currente, ex variatione significationis, neg. maj. ex variatione rei significatæ, conc. maj. & conc. min. neg. conseq. Itaque essentia enuntiationis non est ipsa veritas, sed significatio judicii, quod verum est, si rei conformatur, falsum, si non conformatur;

significat autem eodem modo judicium, sive hoc conformetur, sive non. Vide alia apud N. Villan.

Colligis, enuntiationem non esse in consortio aliarum, & ut pars in judicio intellectus, licèt ibi possit esse propositio, quia significare convenit vocibus, conceptui verò intellectus significari, sive enuntiari.

335 Hinc sequitur, partes enuntiationis esse nomen & verbum, quæ non proprie habent esse in voce, & quibus proprie convenit significare; quare Phil. acturus de enuntiatione, priùs explicat nomen, & verbum, sicut acturus de propositione in l. Prio. explicuit subjectum, & prædicatum, quæ sunt partes ejus. Nomen definit Phil. 1. Perih. c. 2. *Vox significativa ad placitum sine tempore, cujus nulla pars separata significat*: ly *vox significativa ad placitum* est genus, quo convenit cum verbo, & oratione, ly *sine tempore* distinguit à verbo, quod habet cum tempore significare; ly *cujus nulla pars* distinguit ab oratione, quæ habet, quòd aliqua pars significet, pro cujus intelligentia nota, quòd non est sensus, quòd nulla pars significet, si separetur; nam in hac voce *Dominus*, quæ proculdubio est nomen, si separes ly *Do*, significat, & est verbum; item, si separes ly *minus*, consignificat, & est adverbium; similiter, si separes ly *Domi*, casus est nominis.

336 Sensus ergo est, quòd nomen est vox, cujus nulla pars in ipsa, & ut pars ejus significat de se, & seorsim à reliquis, sed omnes sunt una simplex vox, & unam significationem habent; sicut est ratione orationis, quòd aliqua pars significet de se, nec sufficit, quòd facta separatione significet, alioquin dictio, imò vix esset vox, quæ non esset oratio; ferè enim in omnibus est accipere aliquid, quod separatum à reliquis significet.

337 Verbum definit Phil. ibidem cap. 3. *Vox significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars separata significat, & est semper eorum, quæ de altero dicuntur nota.* Per ly *vox significativa* convenit cum nomine, à quo pro differt per ly *cum tempore*, pro cujus intelligentia nota, quòd aliquid est significare cum tempore, aliquid verò significare tempus; hoc secundum nomini etiam convenit ut dies, mensis, annus, tempus; significare verò cum tempore significare actionem ipsam, quæ modo significandi importat tempus præsens, præteritum, aut futurum, & intelligitur nomine actionis ipsa etiam actionis carentis ut sedère, stare, quiescere, quæ modo significandi tempus important præsens, præteritum, aut futurum, ut sedebat, quiescit.

338 Dicitur deinde *cujus nulla pars*, sicut positum est in definitione nominis, ut distinguatur verbum ab oratione. Id tandem quod ultimò ponit *est semper*

ta, denotat, quòd verbum logicè acceptum significat applicationem, sive unionem illius, quod dicitur, ad id, de quo dicitur. Sed dices: Ista particula superfluit, quia per hoc, quod est significare cum tempore, satis explicatur essentia verbi. Resp. quòd non superfluit, licèt significare cum tempore explicet verbum, prout differt à nomine, non satis explicat verbum Dialecticum, prout differt verbo Grammatico.

339 Pro cujus intelligentia observa, quòd supra dictum est, solùm orationem enuntiativam ad Dialecticum spectare, cæteras verò, interrogativam, imperativam, deprecativam non pertinere ad Dialecticum. Ratio autem esse potuit, quia Dialecticus intendit inducere intellectum in cognitionem veritatis, quæ potissimè habetur per syllogismum; quare de vocibus, & orationibus agit, prout ad syllogismum ordinari possunt; & quia sola enuntiatio potest ordinari ad syllogismum, ideo reliquæ ad Rhetores, & Poëtas, quorum est alios affectus movere, relinquuntur. Verbum itaque spectat ad Dialecticum, prout potest constituere orationem enuntiativam, & prædicativam; & quia in hoc non solùm importat significare cum tempore, sed etiam unum de altero enuntiare, ideo ponitur, quòd est semper ora, quo excludantur verba non Dialectica, nempe imperandi, interrogandi, & similia, quæ licèt cum tempore significent, quia tamen non sunt notata eorum, quæ dicuntur, non possunt enuntiationem constituere.

340 Additur ab aliquibus tàm in definitione nominis, quàm verbi *finita, & recta*, ut excludantur à ratione nominis, & verbi obliqua, & infinita. Sed quamvis Philosophus in text. consequenter ad definitionem videatur intendere, quòd ea de finito, & recto, sive nomine, sive verbo intelligenda est, in definitione tamen non ponit illas particulas. Ratio est, quia deficiunt à ratione nominis, & verbi obliquum, & infinitum; definitio autem de eo accipi debet, quod propriissimè habet rationem definiti. Ratio 2. quia, licèt deficiant quodammodo à ratione nominis, & verbi, non tamen omninò, quare non debuit in definitione poni illa particula, qua omninò excluderentur à ratione nominis, & verbi obliquum, & infinitum.

341 Deficit quidem infinitum, quia, ut jam patuit, infinitum non significat, per negationem enim interimitur significatio ejus, sed relinquit aliquid, pro quo possit indemnitè accipi. Deficit deinde obliquum sive nominis, sive verbi, quia se solo non significat, sed cum recto aliquo alio sibi adjuncto; si enim dicas *currit*, vel *legit*, non est significatio Dialectica, nisi adjungatur Sortes, aut Plato; similiter, si dicas *Petri*, vel *Francisco*, oportet enim aliquid adjungere,

re, quod Petri sit, vel Francisco conveniat. Non autem omnino deficiunt, quia quodammodo possunt enuntiationem ingredi, ut jam satis ex præcedentibus patet.

342 Ex dictis potest haberi, non esse ad rem, quæ contra definitiones nominis, & verbi datas à Phil. objicit Hurtado; ea namque ex Nebrissensi, & Grammaticorum legibus desumit; at constat, quòd alio fine, & ratione verbo utitur Logicus, & Grammaticus: Grammaticus enim intendit congruam locutionem, pro qua oportet omnia considerare, obliquitates, casus, & ipsa etiam syncategoremata; quare ipse octo assignat orationis suæ partes; Dialecticus verò intendit veritatis cognitionem, ad quam solùm faciunt ea, ex quibus enuntiatio constituitur, quare duas tantùm partes assignat orationis suæ, scilicet nomen, & verbum: quia ergo aliter ab utroque accipitur nomen, & verbum, aliter ab utroque definiri habent.

CAPUT IV.

De Propositione.

343 PRopositionem definit Philos. 1. Prior. cap. 1. *Oratio affirmativa, vel negativa unius de alio.* Quæ definitio ex dictis clara est. Contra illam objiciunt nonnulli, primò: Quoties definitur ratio communis, debet abstrahi à suis speciebus; sed affirmativum, & negativum sunt species propositionis: ergo. Secundò: Illa definitio nulli speciei convenit quia affirmativam excludit per hoc, quòd ponit *negativa*, negativam item per hoc, quòd ponit *affirmativa*. Tertiò: Prædicta definitio, eo quòd disiunctione utitur, duplicem reddit definitionem, quia per unam partem disiuncti definit unam speciem, per aliam verò aliam. Quartò: Quia datur per opposita, quòd est contra rationem definitionis.

344 Sed ista non cogunt recedere à definitione Philosophi quam tenent omnes antiqui. Prima solutione nota, quòd differentiæ rerum plerumque sunt nobis ignotæ, quare oportet, aut quòd communis, cujus differentia ignoratur definiamus per sua particularia, quibus melius cognoscitur; aut quòd propriam differentiam nobis ignotam circumloquamur per duas; sic in definitione hominis quòniam rationale, intellectivum significat, quòd etiam Angelo convenit, omnes antiqui differentiam circumloquuntur per *rationale mortale*: ita sæpè habet Aug. expressè de quantit. Anim. cap. 25. ita habet: *Hæc definitio hominis perfici solet, cùm additur rationale mortale, nam homo est animal mortale rationale.*

345 Philosophus ergo, quoniam differentia propositionis nobis ignota, propositionem definit per species suas; quare ad primum

nnm dicitur, quòd ratio communis debet definiri abstracta à suis speciebus, quando talis differentiam habet nobis notam. Quòd si inquies: Propositio differentiam habet nobis notam, nempe si dicatur, oratio prædicativa, sive enuntiativa unius de alio. Resp. quòd tunc sensus esset: Prædicatio est oratio prædicativa; quod non est definire, sed explicare idem per idem; propositio enim prædicatio est, sive enuntiatio.

346 Ad secundum dicitur, quòd non ponis copulative utrumvis, sed disjunctive unum, aut alterum, & id de necessitate habet quilibet propositio. Ad tertium, quòd modo, quo definitum est duplex, non incovenit, quòd definitio duplex sit; est autem definitio disjunctive duplex, quia propositio, aut est affirmativa, aut negativa. Dices: Aliqua est, quæ neque affirmativa, neque negativa, nempe hypothetica; quia copula in hypothetica non est verbum, cujus est affirmare, vel negare, sed particula conjungens duas categoricas. Resp. quòd verbum affirmat, vel negat in eo, quòd copula est; habet hypothetica suam formam; quare affirmativa est, si copula unit; negativa, si separat duas propositiones; quod magis patebit cap. seq.

347 Ad quartum posset dici, quòd bene definiens contraria connotat, ut est proloquium ex Philos. in Topic. quare non est inconveniens, quòd definitio propositionis comprehendat simùl affirmativam, & negativam. Secundò respondetur, quòd ponere opposita collectivè esset contra rationem definitionis, quia opposita simùl nulli definito possunt convenire; ponere autem opposita sub disjunctione non est contra rationem definitio, is; & ita ponit Philosophus etiam 2. Physic. in definitione naturæ, quam omnes admittunt, *principium motus, aut quietis.*

348 Propositio dividitur ratione formæ, quæ est ipsa copula, in *affirmativam*, & *negativam*. Affirmativa est, in qua copula unit; negativa verò, in qua separat unum ab alio. 2. dividitur ratione substantiæ, quæ est id totum, ex quo constat, nempè quod dicitur, de quo dicitur, & copula ipsa uniens utrumque, in *categoricam*, & *hypotheticam*. Categorica, sive simplex est, in qua simplex dictum de subjecto affirmatur, vel negatur, ut *homo est animal*. Non dicitur simplex dictum per hoc præcisè, quòd sit incomplexum, sed per hoc, quòd non sit propositio aliqua, in qua solùm est compositio intellectûs. Hypothetica, sive compositæ est, in qua non simplex de simplici, sed compositum de composito dicitur, ut *si Petrus studeret, evaderet doctus*. De hoc infrà.

349 Categorica subdividitur in *modalem*, & *de inesse*. Modalis est, in qua dicitur aliquid de aliquo,

quo, & modus, quo illi convenit, ut *Petrum currere est contingens.* De in esse est, in qua solùm dicitur aliquid de aliquo, ut *homo est albus.* Ratione accidentium variè hæc subdividitur: accidentia sunt materia, & quantitas, non quòd propriè accidentia sint, sed modum habent accidentis, cùm sint quædam affectiones terminorum, & copulæ. Materia est convenientia prædicati ad subjectum: ratione hujus dividitur in *naturalem, contingentem,* & *impossibilem.* Naturalis est, cujus prædicatum necessariò convenit subjecto, ut *homo est animal.* Contingens, cujus prædicatum potest convenire, vel non convenire subjecto, ut *homo disputat.* Impossibilis, cujus prædicatum repugnat subjecto, ut *homo est lapis.*

350 Quantitas propositionis est extensio subjecti ad plura, vel pauciora; quæ contingit vel ratione suppositionis, vel ratione signi, quo afficitur, vel ratione materiæ, in qua est: ratione hujus dividitur in universalem, particularem, indefinitam, & singularem; his addit N. Fulgent. illam, quæ nullius est quantitatis. Universalis est, cujus subjectum afficitur signo universali; signa universalia sunt, *omnis* affirmativum, *nullus* negativum, ut *omnis homo est vivens*, est universalis affirmativa; *nullus homo est lapis*, universalis negativa. Particularis est, cujus subjectum afficitur signo particulari; signa particularia sunt *quidam*, *aliquis*, & similia, quibus significatur particulare indeterminatum, ut *quidam homo currit*, *aliquis homo non disputat.*

351 Singularis est, cujus subjectum est terminus singularis, aut communis, affectus signo singulari; hæc sunt *hic*, *iste*, & quæcumque determinant aliquod individuum, ut *Petrus currit*, *iste homo non disputat.* Indefinita est, cujus subjectum est terminus communis nullo signo affectus, ut *homo est Musicus.* Observa, quòd indefinita in materia naturali, aut impossibili æquivalet universali, ut si dicas: *Homo est animal*, sensus est quòd omnis homo est animal; materia verò contingenti æquivalet particulari, ut ista: *Homo disputat*, æquivalet isti: *Aliquis homo disputat.*

352 Quæ dicitur nullius quantitatis, ea est, in qua ponitur signum excipiens, aut coarctans, ratione cujus dicitur non habere quantitatem, ut *tantùm*, *præter extra*, & similia, ut *tantùm homo est rationalis.* Istæ dicuntur propositiones exponibiles, quia ratione signi adjuncti expositione indigent; sed de illis nihil superest dicendum, quia, intellectâ significatione exceptivi, patet sensus illarum. Quærunt nonnulli: An sint categoricæ, vel hypotheticæ? Dicendum esse categoricas, quia in eis simpliciter annùtiatur aliquid de aliquo cum sola restrictione in subjecto

aut prædicato, prout exigit signum exceptivum.

353 Quasi transcedenter dividitur propositio in *formalem*, & *identicam*. Hæc est, in qua dicitur idem de eodem sine ulla prorsus distinctione rei significatæ, ut *Marcus est Tullius*, *gladius est ensis*. Formalis est, in qua dicitur unum de alio, aliquo modo distincto, ut *Petrus est homo*; licet enim Petrus per eandem naturam humanam, qua est Petrus, sit homo, aliter tamen illam concipit intellectus, nempe per ly *Petrus* concipit naturam individuatam, per ly *homo* naturam secundum se, & in communi: requirit ergo propositio formalis affirmativa identitatem, & distinctionem inter subjectum, & prædicatum; identitate quidem, ut sit vera, quia id significat copula affirmans unum esse alterum; distinctionem verò, ut sit formalis, quia debet enuntiare unum de altero; quare habet identitatem rei, & distinctionem conceptûs de re.

354 Propositio formalis subdividitur in *directam*, & *indirectam*. Directa est, in qua prædicatur superius de inferiori, aut accidens de subjecto, ut *homo est animal*, *homo est albus*; quia naturale est, quòd superiora prædicata sint in inferioribus, & accidentia in subjectis; quare propositio sic enuntians dicitur naturalis, sive directa. Indirecta est, in qua inferius dicitur de superiori, aut subjectum de forma, ut *animal est homo*, *album est substantia*; quia, cùm prædicata inferiora determinent superiora, non est naturale, quod inferiora sint in superioribus; propositio autem hoc enuntiat, prædicatum inesse subjecto.

CAPUT V.

De Propositione hypothetica.

355 PRopositionem hypotheticam esse, jam diximus, in qua non simplex de simplici, sed compositum de composito dicitur, nempè in qua propositio conjungitur propositioni per particulam conjunctivam; quare hanc dicit Philosophus conjunctione unam. Pro intelligentia objicies: Ista est hypothetica: *Homo est anima est propositio*; sed in ea non enuntiatur propositio de propositione: ergo id non est de ratione hypotheticæ. Minor patet, quia enuntiatum est simplex dictum, nempè ly *propositio*. Major eo videtur certa, quia illa non est categorica, cùm in ea importetur duplex propositio, altera ly *homo est animal*, quæ est subjectum, altera ly *est propositio*, quod dicitur de illa.

356 Præterea: Illa, quæ à Philosopho dicitur enuntiatio duplex 1. Perhier. cap. 7. non est categorica, alioqui non esset duplex: ergo erit hypothetica; at illa non conjungit duas propositiones: er-

go id non requiritur. Prob. assumptum: Enuntiatio duplex illa dicitur à Philosopho, in qua subjectum est quodammodo duplex, quæ proinde potest importare duas affirmationes, vel negationes; exemplificat autem: Si hoc nomen *tunica* imponeretur ad significandum hominem, & equum, qui diceret *tunica est alba*, non faceret enuntiationem unam, quippè esset idem ac dicere: *Homo est albus*, & *equus est albus*; ista autem est hypothetica. Rursus: Qui dicit: *Homo currens movetur*, non facit enuntiationem unam; est enim sensus: Homo, qui currit, movetur; sed in his enuntiatur simplex dictum, in prima ly *albus* de homine, & equo, in secunda motus de homine currente: ergo.

357 Pro solutione nota, quòd Philosophus 1. Perh. cap. 4. sic habet: *Est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio, deinde negatio, cæteræ verò omnes conjunctione una*; supra quæ B. D. *Procedit dividens enuntiationem, unde dicit Expositor, quòd Aristoteles breviloquus duas ponit ibi divisiones.* Dividit ergo enuntiationem in categoricam, & hypotheticam; categoricam deinde in affirmativam, & negativam: quare hypotheticam notificat per hoc, quòd sit una secundùm quid, sive, ut ipse ait, conjunctione una. Pro cujus intelligentia ulteriùs observa, quòd judicium intellectûs est quædam compositio, quatenùs unit unum alteri; compositio autem per se, & simpliciter fit ex actu, & potentia, quæ se ipsis uniuntur; quæ autem non se ipsis, sed medio aliquo conjungente, uniuntur, non simpliciter unum faciunt, sed secundùm quid, & per alterum.

358 Vult ergo Philosophus, quòd hypothetica sit, cujus partes non sunt actus, & potentia, quæ proinde non per se, sive simplici affirmatione, aut negatione uniuntur, sed per accidens, sive conjunctione, quare dicit conjunctione unam: illa ergo propositio, cujus partes uniuntur per *est*, aut *non est*, sive per affirmationem, aut negationem, est simpliciter una, & consequenter simplex, sive categorica illa autem, cujus partes non uniuntur per *est*, aut *non est*, sed conjunctione aliqua, non est simplex, sive affirmatione una, sed est una secundùm quid, sive conjunctione una, quare est hypothetica.

359 Hinc ad primum dicendum, quòd illa: *Homo est animal est propositio*, est categorica, sive affirmatione una, quia subjectum, & prædicatum per *est* conjunguntur. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd subjectum in illa est formaliter simplex, licèt sit materialiter compositum; ly enim *homo est animal*, habet suppositionem materialem: quare sensus est quòd hoc dictum: *Homo est animal* est propositio, ubi subjectum est ly *hoc dictum*, & ly *homo est animal* est res significata; quare formaliter enu-

enuntiatur simplex de simplici.

360 Ad secundum dicendum, quòd enuntiatio, quæ dicitur duplex, explicitè est categorica, quia ejus partes explicitæ simpliciter uniuntur, sive per *est*, aut *non est*; est autem implicitè hypothetica, in quantum sensus ejus per duas explicatur; sed hoc modo non enuntiat simplex de simplici, nec est affirmatione una, sed conjunctione una; cùm enim exponitur: *Homo est albus, & equus est albus*, patet, quòd facit unum ly *&*. Similiter altera: *Homo currens movetur*, pro explicito est affirmatione una, nempè per *est* affirmatur motus de homine, non simpliciter, sed ut stat sub actione currendi; prout verò exponitur, non per *est*, sed per ly *qui*, conjunguntur duæ propositiones: patet ergo, quòd categorica est, in qua copula est verbum, sive affirmatio, aut negatio; hypothetica verò, in qua copula est conjunctio, partes verò propositiones.

361 Multiplex ergo est hypothetica, secundùm quod multiplex est copula illius: dividitur ergo in *conditionalem*, *causalem*, *copulativam*, *disiunctivam*, & *relativam*. Conditionalis est, cujus partes uniuntur conjunctione conditionali, ut *si Petrus studeret, evaderet doctus*, in qua *evaderet doctus* prædicatur de Petro studente per particulam *si*. Causalis est, cujus partes uniuntur conjunctione causali, ut, *quia vidisti me, Thoma, credidisti*, ubi credidisse prædicatur per particulam *quia*. Copulativa est, cujus partes uniuntur conjunctione copulativa, ut *Magister loquitur, & discipuli audiunt*, ubi copulatur utrumque dictum per particulam *&*. Disiunctiva est, cujus partes uniuntur conjunctione disiunctiva, ut *Petrus hebes est, aut minus studet*, ubi per particulam *aut* conjunguntur illæ propositiones. Relativa est, cujus partes uniuntur pronomine relativo, ut *qui currit, movetur*, ubi copula est ly *qui*. Nonnulli addunt rationalem, in qua nempè duę propositiones conjunguntur per particulam *ergo*, ut *currit, ergo movetur*; sed ista non est propositio, sed argumentatio.

362 Superest explicare accidentia propositionis hypotheticæ, quæ sunt *quantitas*, *qualitas*, & *forma*. Quantitas, cùm sit extensio subjecti, accipienda est ex illa propositione categorica, quæ se habet ut subjectum in hypothetica, ita quòd subjectum illius, non simpliciter, sed prout stat sub tali affectione, quam enuntiat categorica, sit subjectum in tota hypothetica, ut in ista: *Si Petrus studeret, esset doctus*, ly *Petrus studeret*, se habet ut subjectum, de quo enuntiatur altera propositio; quare subjectum in hypothetica est *Petrus*, non simpliciter, qualiter est subjectum in categorica *studeret*, sed ut stat sub tali affectione studendi, quare ea est particularis; & ex hoc facile est

venari quantitatem hypotheticæ.

363 Qualitas, nempè veritas, aut falsitas, non attenditur ex veritate, aut falsitate simplicium, ex quibus constat hypothetica, quia contingit, quòd utraque categorica si falsa, vera tamen hypothetica, ut ista: *Si homo volaret, haberet alas*, tàm falsum est, quòd homini conveniat volare, quàm habere alas; nihilominùs hypothetica vera est, quia casu, quo volaret, proculdubio haberet alas. Similiter contingit, utramque esse veram, falsam tamen hypotheticam, ut ista, quia *homo est albus, est Musicus*, potest homo esse Musicus, & esse albus; non tamen, quòd sit albus, est causa, quare sit Musicus.

364 Attendenda est ergo conjunctio, quam faci particula copulans; neque potest una generalis regula assignari pro omnibus; in aliquibus ad veritatem hypotheticæ requiritur veritas utriusque categoricæ, ut in copulativis; quia in istis copula enuntiat simultatem utriusque, sive quòd utrumque simul est: in aliis requiritur veritas alterius, ut in disiunctivis, quia in istis copula enuntiat, quòd alterum sub disiuncto, sive scorsim est: in aliis nullius veritas requiritur, sed connexio unius ad alterum, ut in conditionalibus, & causalibus, quia in istis copula non enuntiat, alterutrum esse, aut non esse, sed tantùm esse causam, sive conditionem respectu alterius.

365 Ex quo colligitur, abusum esse, quòd in praxi frequentissimè accidit, in syllogismo hypothetico, sive cujus aliqua præmissa est hypothetica, cùm vera altera tantùm ex categoricis componentibus, concedere quantum ad unam partem, negare quantum ad aliam. Est, inquam, abusus, quia una propositio unam habet copulam, sive hæc propositiones uniat, sive terminos; una autem copulæ una respondet veritas, nempè aut debitè conjungi, aut indebitè; quare absolutè ea concedenda, neganda, aut distinguenda, sive sit categorica, sive hypothetica. Cave ergo abusum.

366 Forma hypotheticæ ex dictis potest colligi, nempè, quæ sit negativa, quæ affirmativa; non enim negativa propositio per hoc quòd copula ipsius negatur; quia cùm copula hypotheticæ non sit verbum, sed conjunctio, quæ duas propositiones unit, non debet attendi negatio afficiens verbum, ut hypothetica dicatur negativa, sed negatio afficiens conjunctionem: quare ista erit affirmativa: *Quia Petrus non legit, non scit*, quamvis utraque categorica sit negativa; quia sensus est, Petrum non legere causam esse, quare non sciat, ubi propositiones affirmativè conjunguntur; & ita potest de singulis judicium fieri.

CA-

CAPUT VI.

De Propositione modali.

367 DE modalibus agit Philosophus 2. Perhier. cap. 3. nec de illarum essentia aliquid determinat, sed solùm de oppositione, æquipollentia, & conversione, quippè ex definitione suprà data facile est modalium naturam colligere: in modalibus ergo tria observantur, dictum, copula, & modus: dictum est propositio aliqua de in esse, quæ per modum infinitivum ponitur ut subjectum: modus est, qui de ista enuntiatur: & copula verbum *est*, quo enuntiatur, ut *Petrum currere est contingens*, ly *Petrum currere* est dictum, ly *contingens* est modus, ly *est* est copula.

368 Nota, quòd subjectum in his non est totum dictum, sed subjectum dicti; quare in illa modali subjectum est Petrus: prædicatum item non est solùm modus, sed actio verbi, quod importatur in dicto, non simpliciter, sed prout determinatur per modum; de Petro enim in illa modali prædicatur currere, non simpliciter, & absolutè, sed sibi contingenter convenire; quare negatio afficiens verbum dicti non facit modalem negativam, v. g. ista: *Petrum non currere est contingens*, est affirmativa de prædicato negato, & dicitur negativa de dicto: an ergo affirmativa sit, vel negativa? attenditur penes copulam ipsius modi, ut *Petrum currere non est necesse*, est negativa, quamquam ipsi modi per se negativam, aut affirmativam propositionem faciunt, ut *necesse*, & *possibile* faciunt affirmativam, *possibile non*, & *impossibile* negativam.

369 Veritas, aut falsitas non attenditur præcisè ex copula, sive verbo ipsius dicti, sed ex copula modi, ut *Petrum currere est necesse*, falsa est, quia, etsi Petro conveniat currere, quare vera est copula dicti, non tamen convenit necessario, quare falsa est copula modi. Quantitas accipitur ex ipso modo, qui quantum ad hoc se tenet ut subjectum; sicut enim in propositionibus de in esse signum universale, aut particulare facit propositionem universalem, aut particularem; ita in modalibus modus: triplex ergo est modus, *necesse*, *impossibile*, & *contingens*, seu *possibile*, in modalibus enim pro eodem accipiuntur; *necesse* facit propositionem universalem affirmativam; *impossibile*, universalem negativam; *contingens*, seu *possibile*, particularem affirmativam; *possibile non est*, particularem negativam.

370 Aliqui computant inter modos *verum*, & *falsum*, sed isti non faciunt propositionem modalem; non enim diversificant convenientiam prædicati ad subjectum, v. g. in ista: *Verum est, hominem*

minem esse animal, eadem importatur convenientia, ac in propositione de in esse: *Homo est animal.* Nonnulli item observandum jubent, quòd modus potest poni adverbialitèr, aut adjectivè, ut *Petrus contingentèr currit*, ponit modum adverbialitèr; *Contingens est Petrum currere*, ponit modum adjectivè. Sed modus adverbialiter sumptus non facit modalem, sed de in esse: ratio est, quia propositio de in esse enuntiat convenientiam; modalis verò debet utrumque enuntiare, & prædicatum convenire, & tali modo convenire, quare alia copula enuntiat dictum, alia modum.

CAPUT VII.

De proprietatibus Propositionis cathegoricæ de in esse.

371 PRoprietates propositionis, de quibus in præsenti loquimur, sunt, quæ propositioni competunt comparativè ad alteram; eæ sunt *oppositio*, *æquipollentia*, & *conversio*, de quibus pauca de more dicemus, quippè nihil est hoc circa disputationis, aut controversiæ, utilitatis verò parum: agimus primò de propositione de in esse categorica, in qua faciliùs explicantur prædictæ proprietates, deinde de reliquis, si quid est speciale, percurremus.

§. I.

De oppositione Propositionis categoricæ de in esse.

372 OPpositionem explic Philosophus 1. P hier. cap. 5. ubi N. D. potest utroque definiri: *Pugna duar propositionum inter se*: hæc pot esse, aut in quantitate, ut in univers alem, & particularem; in qualitate, ut inter affirmativa & negativam; aut in utrâque, inter universalem affirmativam, particularem negativam, aut contra. Inter universalem, & p ticularem dicitur oppositio subalterna: hanc, ait N. Manso, n esse verè oppositionem, & quid illam omisit Philosophus in te sed si ratio oppositionis, ut defi tio explicat, attenditur, vera op positio dici debet, quia non minus pugnant, quæ quantitate, quàm quæ affirmatione pugnant; s quia minùs pertinet ad naturam propositionis quantitas, quàm affirmatio, minùs attenditur pugn in sola quantitate, & eam Philo sophus hac fortè ratione omisit.

373 Oppositio in qualita tantùm, aut est inter duas univer sales, & dicitur contraria; aut in ter duas particulares, & dicitu subcontrari: hanc item omisi Philosophus, quoniam à contrari sola quantitate differt. Tande oppositio in quantitate, & quali tate

rare simùl dicitur contradictoria: hanc B. D. dicit omnium maximam, quia cæteras includit; dicitur etiam immediata, quia inter extrema contradictoriæ oppositionis non datur medium.

374 Nota, quòd Philosophus in text. ait, quòd inter duas indefinitas in materia contingenti non datur oppositio, ut *homo est albus, homo non est albus: quando autem (ait) in universalibus non universaliter, non sunt contrariæ, possunt autem, quæ significantur, contrariæ esse*, quibus rationem assignat; quia nempè, etsi contraria sint, quæ significantur, videlicèt esse, & non esse album; non tantùm de eodem, quia ratione materiæ æquivalet particulari, & de uno tenet affirmativa, de alio negativa: duplex ergo est apud Philosophum oppositio, contraria, & contradictoria, quia ipse omisit oppositionem ratione quantitatis, nempe subalternam, & subcontrariam; quas, quia attendit Petrus Hispanus, & cum eo reliqui, quadruplicem assignat, quarum exemplum sequenti exhibet figura.



375 Hæc sunt in materia necessaria, eodem modo poteris assignari in qualibet materia. Observa tamen, quòd ad salvandam oppositionem propositionum requiritur, quòd in illis enuntietur idem prædicatum de eodem subjecto, & secundùm idem, ut explicat Philosophus 1. Perh. cap. 7. & 8. quare, si in propositionibus ponatur terminus æquivocus, non opponuntur, quia, aut non sunt de eodem, si terminus æquivocus ponitur ut subjectum, ut istæ: *Canis latrat, canis non latrat*, quæ veræ sunt de cœlesti, & terrestri ca-

ne;

ne; aut non erunt ejusdem, si sit prædicatum, istæ: *Stella est canis, stella non est canis*, quæ aliter, & aliter accipiendo prædicatum, veræ sunt.

376 Debent ergo termini easdem servare proprietates, ut salvetur oppositio; & hac fortè ratione Philosophus in text. ab oppositione excludit eas, quæ sunt de universali non universaliter, ut *homo est albus, homo non est albus*, quia contingit, has esse simùl veras, ut ait cap. 6. tùnc autem variatur suppositio, quia ly *homo* pro diversis accipitur individuis. Nota, quòd, licèt hac ratione excludi debeant ab oppositione subcontraria indefinitæ in materia contingenti, aut particulares in suppositione determinata, non tamen propterea negandæ est oppositio subcontrariæ; quia in dubus particularibus potest dari affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundùm idem; tùm de particulari determinatè sumpto ut *Sortes legit, Sortes non legit*; tùm item de subjecto particulari in suppositione confusa, ut *aliquis equus requiritur ad equitandum; aliquis equus non requiritur*.

377 In istis ergo: *Aliquis equus currit, aliquis equus non currit*, non accipitur oppositio subcontraria, quia, cùm ly *equus* supponat determinatè, ly *equus* supponit pro aliquo designabili; quare, cùm aliquis designabilis currat, altero non currente, possunt accipi de diversis, & tunc non opponuntur; at verò in istis: *Aliquis equus requiritur ad equitandum, aliquis equus non requiritur*, accipitur oppositio; quia ly *equus*, sic exigente copula, supponit confusè pro aliquo designabili; quare, quin accipiatur de aliquo determinatè, habet idem subjectum. Quod dictum de subjecto, & prædicato, dicendum est de copula, quòd non percipienda est secundùm idem tempus, & locum, quare istæ non opponuntur: *Petrus cucurrit, Petrus non cucurrit*, accipiendo, quòd cucurrit heri, non cucurrit mudiustertius; item istæ: *Magister est, Magister non docet*, accipiendo, quòd docet in aula, non docet in foro.

378 Hinc colligas, non bene caluniari N. Manso legem subcontrariarum, quæ dicitur, quòd possunt aliquando esse simùl veræ; ait enim: Aut istæ: *Aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus*, habent pro subjecto eumdem hominem, & tunc non potest utraque esse vera, aut diversum, & tunc non opponuntur. Non, inquam, bene: primò quidem, quia assignatus non habere oppositionem, illa ratione potuit Philosophus; cum quo stat, quòd aliæ oppositionem habeant subcontrariam, & veræ sint, ut ostensum est in particularibus, in quibus subjectum habet suppositionem confusam in talibus casibus, ut habeant idem subjectum, non oportet accipi de eodem individuo, aliquin

non confusè, sed determinatè acciperentur. Secundò, quia Philosophus non assignat legem subcontrariarum, quòd oporteat simùl esse veras, sed quòd possit aliquando contingere, verba dabimus infrà.

379 Leges ergo assignatæ à Philosopho citat. cap. 6. sunt de contrariis, quòd altera non est de necessitate vera, sed in aliqua materia poterit utraque esse falsa, non autem utraque vera, ut in materia contingenti, v.g. *Omnis homo currit, nullus homo currit*, aliquo currente, redditur utraque falsa. De contradictoriis, quòd altera est de necessitate vera, altera de necessitate falsa in quacumque materia, & ob hoc dicuntur immediatæ; quia, cùm non admittant medium, altera de necessitate est. De his autem, quas ipse dicit de universali non universaliter, nempè de subcontrariis, sic ait: *Veræ nonnunquam sunt*; quandoquidem autem tantùm nonnunquàm veras dicit; non est ergo hæc lex adeo necessaria, ut si aliquæ non possint veræ esse, non sint subcontrariæ, ut *Petrus currit, Petrus non currit*; sed sufficit, quòd aliquando, sive in aliquibus verificetur.

380 Dices ex N. Manso: Hæc lex debet accipi de quibuscumque subcontrariis universaliter, & in quacumque materia. Prob. Si in quacumque materia non accipitur, aliquæ subcontrariæ non possunt esse simùl veræ; ergo altera erit de necessitate falsa; sed tùnc ruit regula assignata à Philosopho pro contrariis: ergo oportet legem subcontrariarum universaliter, & absolutè accipi. Prob. hæc minor: Duæ contradictoriæ non possunt esse simùl falsæ, ut patet per regulam earum; sed si ex duabus subcontrariis altera esset falsa, aut ejus contradictoria falsa esset simùl, aut duæ contrariæ non possent esse simùl falsæ: ergo.

381 Resp. primò neg. submin. ad prob. ejus neg. min. Lex enim contrariarum non est, quòd in quibuscumque potest simùl utraque falsa esse, sed absolutè, quod potest aliquando contingere: etsi ergo in aliquibus non contingat, non proinde ruit lex. Resp. secundò, quòd contingit contrarias esse simùl falsas, sive vera sit utraque subcontraria, sive altera sit falsa; quare neg. conseq. argum. & tùnc ad rationem ejus dicitur, quòd aliter comparantur subcontrariæ ad se invicem in suppositione confusa, aliter ad contrarias: ut comparantur ad se invicem, habent idem subjectum, quin determinent individuum; ut autem ad contrarias comparantur, oportet individuum determinare: ratio est, quia in materia contingenti, de qua tantùm potest argumentum procedere, oportet contrarias determinari per signa universalia; aliter enim non sunt universales; quare subcontrariæ, ut istis comparantur, determinari habent per

signum particulare, & sic habere suppositionem determinatam; inter se autem non tale signum requirunt; quare aliter de illis philosophatur, ut inter se, & ut contrariis comparantur.

382 Aliter, & clarius dicitur, quòd sicut non intelligitur universaliter, quòd subcontrariæ possunt esse simùl veræ, ita non intelligitur universaliter, quòd contrariæ possunt esse simùl falsæ, quare tenet inter ipsas oppositio, nempè quando subcontrariæ erunt simùl veræ, contrariæ erunt simùl falsæ; & ita contingit in suppositione confusa, ut si veræ sunt istæ subcontrariæ: *Aliquis oculus requiritur, aliquis non requiritur ad videndum*, falsæ sunt contrariæ in eadem suppositione, nempè: *Omnis requiritur, nullus requiritur*; quando autem non possunt esse simùl veræ subcontrariæ, ut in suppositione determinata, tunc sensu, quo non sunt veræ, non sunt oppositæ: nunquam ergo contradictoriæ erunt simùl falsæ; in istis enim non habebunt eamdem suppositionem, ut *omnis homo est albus*, habet suppositionem absolutam; *aliquis homo non est albus*, habet suppositionem determinatam.

§. II.

De Æquipollentia propositionum de in esse.

383 Æquipollentia est *equivalentia duarum propositionum in significando*, fit autem vi negationis, juxta regulas, alteri interserræ, ut negatâ aliquâ propositione verâ, possit disputans per appositam negationem deducere ejus æquivalentem forte clariorem; negatio autem hoc ordine ponenda est, ut dedicat æquipollentem: in contradictoriis ponitur negatio post subjectum, v. g. *Omnis homo est albus*, *nullus homo est albus*, sunt contrariæ, dicas: *Omnis homo non est albus*, idem valet, quod *nullus homo est albus*; similiter, si dicas: *Nullus homo non est albus*, idem valet, quod *omnis homo est albus*.

384 In contradictoriis negatio ponitur ante subjectum, v. g. *Omnis homo est animal*, *aliquis homo non est animal*, sunt contradictoriæ; si dicas: *Non omnis homo est animal*, idem valet, quod *aliquis homo non est animal*; similiter, si dicas: *Non aliquis homo non est animal*, idem valet, quod *omnis homo est animal*, quia sensus est, quòd non datur aliquis homo qui non sit animal. In subalternis ponitur duplex negatio, nempè ante, & post subjectum, ut istæ sunt subalternæ: *Omnis homo tur-*

aliquis homo currit, fiunt æquipollentes hoc modo: *Non omnis homo non currit*, sensus est, aliquis est homo, qui currat, quare æquivaler particulari subalternatæ; similiter: *Non aliquis homo non currit*, facit hunc sensum, non est aliquis homo, qui no currat, quare æquivaler universali subalternanti. Pro subcontrariis non assignatur regula, quia non possunt reri æquipollentes; regulæ autem hoc designatur versu.

Præ contradic; *post* contra; *præ postque* subalter.

Sensus est, quòd negatio præposita subjecto reddit contradictoriam, per regulam *præ contradic*; postposita autem subjecto reddit contrariam, per regulam *post contra*; si autem præponatur, & postponatur, reddit subalternam, per regulam *præ postque subalter*. Pro signis propositionum reducuntur ad praxim regulæ his versibus.

Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus.
Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.
Non alter, neuter: neuter non, præstat uterque.

Sensus est, quòd *non omnis*, ubi negatio præponitur, reddit contradictorium, per regulam *præ contradic*, est autem contradictorium *quidam non*; nempe *omnis* est signum universale affirmativum, *quidam non* particulare negativum. Similiter, *omnis non*, ubi negatio postponitur, reddit contrariam, per regulam *post contra*, est autem contrarium *nullus*; nempe *omnis* est signum universale affirmativum, *nullus* universale negativum; & ita potest de reliquis patere.

§. III.

De Conversione propositionum de in esse.

385 DE Conversione agit Philosophus 1. Post. cap. 2. & ibi B. D. probat uniuscujusque conversionis regulam; sed quia de illis non est controversia, probationes mittemus: vide, si placet, N. Villan. Est ergo conversio consequentia necessaria unius propositionis ad alteram ex aliqua mutatione; quare, ut vera sit conversio, oportet aliquam esse mutationem, vi cujus propositio fiat altera, quæ tamen ex prima per necessariam connexionem deducatur; oportet item terminos eosdem servare proprietates in convertente, & conversa.

386 Assignatur communiter triplex conversio, nempe *simpliciter*, quam Philosophus dicit ex toto; *per accidens*, quam dicit non ex toto; & *per contrapositionem*, quam ipse omisit, quia, ut ait N. Manso, magis est æquipollentia, quàm conversio; quia tamen cæteri cum Petro Hispano conversioni

annumerant, illam cum communi explicabimus. Simpliciter convertitur propositio, quando, servatâ quantitate, & qualitate, ex solâ mutatione subjecti in prædicatum una infertur ex alia, ut *nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo*; Philosophus hanc dicit ex toto converti, quia quæ erat universalis, relinquitur universalis, & sicut in prima totaliter ab homine removetur, quòd sit lapis, ita in secunda totaliter â lapide removetur, quòd sit homo.

387 Per accidens convertitur propositio, quando termini transmutantur, non servatâ quantitate, ita quòd non solùm fiat prædicatum, quod erat subjectum, sed etiam propositio, quæ erat universalis, fiat particularis, v. g. *Omnis homo est animal*: *ergo aliquod animal est homo*; Philosophus hanc dicit non ex toto, quia in prima totaliter dicebatur de homine, animal, in secunda dicitur de animali, non totaliter, sed ex parte quòd sit homo. Per contrapositionem fit conversio, quando, servatâ quantitate, & qualitate, termini sic transponuntur, quòd positas negationes fiant infinitæ, v. g. *Omnis homo est animal*: *omne non animal est non homo*, quibus, quia animal, & homo totaliter conjunguntur in prima, in secundâ deducitur in secunda, quidquid erit præter animal, erit non homo. Pro explicanda conversione, quæ cuique respondet propositioni, hoc assertum dicho:

Simpliciter feci; *convertitur* Eva *per acci*: Asto *per contra*, *sic fit conversio tota*.

Sensus est, quòd propositiones designatæ per vocales hujus vocis *feci*, quæ sunt *E*, *I*. convertuntur simpliciter; propositiones verò significatæ per vocales hujus vocis *Eva*, quæ sunt *E*. *A*. convertuntur per accidens; & propositiones designatæ per vocales vocis *Asto*, quæ sunt *A*. *O*. convertuntur per contrapositionem: quare propositio, quæ designatur per *E*. duobus modis convertitur, aut simpliciter per *simpliciter feci*, aut per accidens per *Eva per acci*; similiter, propositio, quæ designatur per *A*. convertitur, aut per accidens per *Eva per acci*, aut per contrapositionem per *Asto per contra*. Quæ autem propositio per unamquamque vocalem designatur, dicunt sequentes versus:

Asserit A. *negat* E. *sunt universaliter ambæ*.
Asserit I. *negat* O. *sunt particulariter ambæ*.

388 Igitur *A*. designat universalem affirmativam, quæ convertitur per accidens per *Eva per acci*, v. g. *Omnis homo est animal*: ergo *aliquod animal est homo*, aut per contrapositionem per *Asto per contra*, v. g. *Omnis homo est album*: ergo *omne non album est non homo*.

nis. Similiter, *E.* designat universalem negativam, quæ convertitur, aut simpliciter per *simpliciter fici*, v.g. *Nullus homo est lapis*: ergo *nullus lapis est homo*; aut etiam per accidens per *Eva per accì*, v.g. *Nullus homo est lapis*: ergo *aliquis lapis non est homo*. Per *I.* designatur particularis affirmativa, quæ convertitur simpliciter per *simpliciter fici*, v. g. *Aliquis homo currit*: ergo *aliquod currens est homo*. Tandem *O.* designat particularem negativam, quæ convertitur per contrapositionem per *Asto per contra*, v. g. *Aliquis homo non est justus*: ergo *aliquod non justum non est non homo*. Quo patet, quòd in conversione non habetur respectus ad materiam, in qua ejus propositio, sed æquè convertuntur in qualibet materia.

389 P. Hurtado in Sum. disp. 11. §. docet, primam regulam *simpliciter fici* non esse usquequaque veram; nam ista propositio: *Petrus est homo*, designatur per *I.* quæ convertenda erat simpliciter per *simpliciter fici*, at non convertitur, nisi per accidens, quia non valet: Ergo *homo est Petrus*, quæ est simpliciter, sed tantùm: Ergo *aliquis homo est Petrus*, quæ est per accidens. Sed in hoc non sibi constans; docet enim cum communi modo loquendi, quòd in conversione per accidens plurativa quantitas, in conversione simpliciter servatur eadem quantitas; at propositio convertibilis *Petrus est homo*, est particularis: ergo, quando convertitur: Ergo *aliquis homo est Petrus*, servat eamdem quantitatem, & sic convertitur simpliciter.

390 Objicit ipse primò: Sicut in ista propositione: *Omnis homo est animal*, ly *animal* sumitur particulariter, & sensus est: *Omnis homo est aliquod animal*, ita in illa: *Petrus est homo*, ly *homo* particulariter sumitur, & sensus est: *Petrus est aliquis homo*; sed prima convertitur per accidens, quando dicitur: Ergo aliquod animal est homo: ergo secunda dicenda est converti per accidens, quando dicitur: Ergo *aliquis homo est Petrus*, quia in utraq; par ratio est, cùm teneat in utraq; subjectum convertentis eandem quantitatem, quam habebat prædicatum conversæ.

391 Resp. neg. conseq. cum ratione subinducta, quia in conversione non attenditur quantitas terminorum, sed propositionis; at ad quantitatem propositionis de materiali est quantitas prædicati, quia quantitas propositionis habetur ex quantitate subjecti: quandoquidem ergo in prima propositione, conversa est universalis, nempè *omnis homo est animal*, convertens verò particularis, nempè *aliquod animal est homo*, dicenda est converti per accidens, etsi terminus *animal* eamdem suppositionem, & quantitatem habeat in utraque; at verò in secunda conversa particularis est, nempè *Petrus*

trus est homo; quare, quando convertitur *aliquis homo est Petrus*, eamdem quantitatem retinet utraque propositio, quare est conversio simpliciter.

392 Objicit secundo: Propositio convertitur simpliciter, quando convertens, & conversa habent eamdem quantitatem; per accidens verò, quando quantitatem mutant; sed in ista conversione: *Petrus est homo*: ergo *aliquis homo est Petrus*, mutant quantitatem convertens, & conversa: ergo non simpliciter, sed per accidens est illa conversio. Patet min. quia altera est singularis, altera particularis.

393 Resp. neg. min. ad rationem ejus dico, quod singulare, & particulare non habent diversam quantitatem, sed diversam suppositionem, in eadem tamen quantitate. Quod primo patet, quia æquè est in *Darii* syllogismus habens minorem, & conclusionem particularem, ac singularem. Secundo, quia quantitas est extensio subjecti ad plura, vel pauciora; sed æquè extenditur ad unum tantùm singulare, & particulare, nempe singulare ad unum determinatè, particulare ad unum indeterminatè; seu potiùs singulare ad unum designatum, particulare ad unum designabile.

394 Resp. potest secundò ex doctrina ipsius in primo argumento, quòd illæ duæ propositiones non differunt ut singularis, & particularis, sed utraque est singularis ratio est, quia per ipsum in universali: *Omnis homo est animal*, ly *animal* accipitur pro aliquo particulari, cui nempe convenit rationalitas, & tale subjicitur convertente: ergo pariter in singulari: *Petrus est homo*, ly *homo* pro aliquo accipitur, non utcumque, sed cui convenit Petrus, & ita subjicitur in conversione: quare ea erit pariter singularis, nempe, cùm dicitur: Ergo *aliquis homo est Petrus*; sensus erit: determinatus homo est Petrus.

CAPUT VIII.

De Æquipollentia, & Conversione modalium.

395 DE hypotheticis non fit omninò Pe... Hispanus oppositionem, conversionem, & æquipollentiam exo... care, cæteri similiter omittunt, quidem meritò; nulla quippe... terit expectari utilitas è re ad... dùm obscura, & perdifficili... dent autem ratione omitti p... in modalibus, præsertim æqui... lentia, fere enim eadem est c... fusio, & difficultas, & eadem... culdubio utilitas expectari d... quare breviter, quæ occurr... expendemus, si latiorem de... res tractatum, NN. præsertim... racrucem, qui in hypotheticis... modalibus explicandis multus... consule.

396 In modalibus duo est attendere, dictum, & modum; dictum est propositio *de in esse*, quæ per modum infinitivum enuntiat aliquid de aliquo; modus verò est determinatio enuntians modum conveniendi, ut *Petrum currere est contingens.* In his potest accipi quantitas, & qualitas, aut ex ipso dicto, ut suprà explicatum est de categoricis; quare illa erit particularis affirmativa de dicto; si autem dicatur: *Omnem hominem currere non est possibile*, erit universalis affirmativa de dicto; universalis, quia subjectum dicti est universale, nempè ly *omnem hominem*; affirmativa, quia prædicatum dicti, nempè cursus, enuntiatur affirmativè.

397 Aut etiam potest accipi quantitas, & qualitas ex ipso modo, & tunc assignat Petrus Hispanus, quem omnes sequuntur, *necesse*, & *impossibile* modos universales, quorum primus est affirmativus, secundus negativus; deinde *possibile*, sive *contingens*, & *possibile non*, sive *contingens non* particulares, quia pro eodem accipit *possibile*, & *contingens*, quare ait cap. 10. quo agit de modalibus, quòd in regulis non fit mentio de contingenti, quia convertitur cum possibili: modi ergo æquivalent signis in propositionibus de in esse; quod his explicatur versibus.

Omnis, necesse valet; impossibile, nullus.
Possibile, quidam; quidam non, possibile non.

398 Non ergo attenditur in his quantitas, & qualitas dicti, cum penes hoc salvatur oppositio juxta regulas de in esse; quare sunt contrariæ *necesse est esse*, & *impossibile est esse*; sunt subcontrariæ *possibile est*, & *possibile non est*; sunt subalternæ *necesse est*, & *possibile est*, item, *impossibile est*, & *possibile non est*; sunt tandem contradictoriæ *necesse est*, & *impossibile non est*, item, *impossibile est*, & *possibile est*; ex quibus poteris figuram oppositionis formare, sicut suprà formata est in propositionibus *de in esse*.

399 Ita, si leges tenent, salvari debet oppositio in modalibus, nempè penes qualitatem, & quantitatè modi; quantitas enim, aut qualitas dicti non ad modalem, sed ad propositionem de in esse pertinet; si autem bene consideres, vix aliquà salvatur: nam in primis *necesse*, & *possibile non est*, deberent esse contradictoriæ, nempè pugnant quantitate, & qualitate; sunt quippè modi, universalis affirmativus, & particularis negativus; si autem sensum attendas utriusque, non contradictoriæ, sed contrariæ sunt, nam *possibile non est*, reddit universalem negativam: quare, ut sensus sit contradictorius, oportet ponere, *possibile est non esse*, quæ in primis, quantum ad modum, non pugnat qualitate, est enim pariter affirmativa de modo;

do; deinde, non ut modalis, seu ratione modi, sed ratione dicti, & ut de in esse, servat oppositionem.

400 Deinde, *impossibile est*, & *possibile non est*, deberent esse subalternæ, nempè pugnantes quantitate tantùm, sunt enim particulare, & universale pariter negativa; at verò, si sensum attendas, non subalternæ, sed æquipollentes sunt; quare oportet item ad negationem in dicto recurrere, nempè, *impossibile est esse, possibile est non esse*; imò, neque sic redditsubal ernam, sed contradictoriam: oporteret ergo alias assignare regulas ad observandum, & comparandum affirmationem, & negationem dicti, & modi, neque universaliter posset; aliter enim in materia contingenti, aliter in naturali comparari habent, quod quia longum est, & nullius utilitatis, prætermitto.

401 De conversione modalium minor est difficultas; nam, ut communiter statuitur, modales convertuntur immutato modo: quare hic non attenditur pro conversione, & sic nihil refert, an sit universalis, vel particularis, affirmativus, vel negativus: quia ergo solùm attenditur dictum, quod est propositio de in esse, servantur regulæ suprà datæ pro conversione propositionum de in esse: v. g. *Necesse est omnem hominem esse animal*, non attenditur ly *necesse est*, sed ly *omnem hominem esse animal*, quæ cùm sit universalis affirmativa, convertitur per accidens per *Eva per acci*, nempè: Ergo *necesse est aliquod animal hominem*; & ita in reliquis.

402 Moneda hic observa dum jubet, quòd propositio de impossibili, & sibi æquivalen non habent conversionem, qu si convertantur, ex antecedenti ro sequitur consequens falsi v. g. *Omne animal esse leonem impossibile*, convertenda esset accidens per *Eva per acci*; t autem convertens falsa est, n pè: Ergo *aliquem leonem esse mal est impossibile*: & similiter contrapositionem per *Asto per tra*, v. g. Ergo *aliquod non le non animal est impossibile*, item est, quia lapis est non le tamen est non animal. Ratio esse, ait, quia non semper ex possibili sequitur impossibile. dem modo philosophandum d in propositionibus de contin ti, quia non semper ex contin ti sequitur contingens: v. g. *quem hominem esse album est tingens*, falsa est; si convertas si plicitèr per *Simpliciter feci*, n pè: Ergo *aliquod album esse ho nem est contingens.*

403 Sed hæc exceptio om nò non tenet, & quia quantum hoc secundum de propositioni de contingenti, patet, quòd convertens vera est; eo enim su, quo aliquis homo est alb ille erit aliquod album: quare net, quòd aliquod album est

mò, & consequenter, si contingens est, quòd aliquis homo sit albus, contingens paritèr erit, quòd aliquod album sit homo. Quantum ad primum de propositionibus de impossibili, illa, quam adducit, non convertitur; nihilominùs exceptio ejus non tenet, & vera est absolutè pro modalibus regula data pro conversione propositionum de in esse.

404 Pro cujus intelligentia nota, quòd propositio, quæ convertitur, debet esse vera, quia conversio est consequentia necessaria; at verum non nisi ex vero sequitur: ut ergo vera sit convertens, debet vera esse conversa. Nota deinde, quòd, ut suprà diximus, in modalibus pro conversione non attenditur modus, sed dictum tantùm, ac si esset propositio de in esse. Tunc patet, quare illa propositio de impossibili non convertitur; nempè sublato modo est indirecta, & proinde falsa, nempè *omne animal est leo*: tales ergo vere tunc ut modales, quia tamen non sic convertuntur, sed sublato modo, conversionem non habent, cum quo tamen stat, quòd, quæ sublato modo sit vera, conversionem habeat.

405 De æquipollentia modalium eodem modo discurrendum est, ac suprà de categoricis de in esse diximus, quòd nempè per negationem adjunctam fiunt æquipollentes, præponendo, vel postponendo negationem juxta regulam suprà datam; observato tamen, quòd in modalibus tunc dicitur præponi negatio, quando negatur modus; tunc postponi, quando negatur dictum; tunc demùm præponi, & postponi, quando negatur utrumque: v.g. *Impossibile est Petrum currere*, *possibile est Petrum currere*, sunt contradictoriæ, ut fiant æquipollentes, negatur modus per *Pro contradictoria*: *Possibile non est Petrum currere*, quod idem valet, ac *impossibile est Petrum currere*; similiter *impossibile non est*, idem valet, quod *possibile est*; idem facilè reperies in reliquis.

406 Figuram, qua simùl explicatur oppositio, & æquipollentia modalium, & dictionis, quibus illa figura disponitur, adhibet Petrus Hispanus, ex quo omnes transcribunt, mittendam duco; ex ea namque nihil video utilitatis Tyronibus deduci posse. Consule, si placet, citatum Veracrucium; eâdem ratione mittendum duco tractatum de propositionibus expositibilibus Tyronibus prorsus inutilem.

DISPUTATIO III.

DE PERTINENTIBUS AD TERTIAM INTELLECTUS OPERATIONEM.

CAPUT I.

De Argumentatione in communi.

1 TOtius Dialecticæ ſcopus, ſubindeque hujus tractatûs argumentatio eſt, qua tertiæ operationis inſtrumenta comprehenduntur. De illa agit Philoſophus per lib. 14. Artis novæ, quibus prolixè ſatis ſyllogiſmi, & aliarum argumentationum notitiam tradit; ad præſens inſtitutum, quæ tyronibus inſtruēdis ſufficiant, explicare pertinet, quæ brevitèr percurremus; docet enim experientia, quòd ſyllogizare magis docet uſus, & exercitatio, quàm regulæ.

2 Argumentatio itaque eſt oratio, qua unum ex alio infertur, ſeu, ut benè N. Fulg. obſervat, inferri denotatur; non enim conſiſtit argumentatio in eo, quòd ea, ex quibus componitur, unum ex altero inferatur, ut *Petrus eſt homo, & eſt animal*, oratio eſt, qua eſſe animal ſequitur ex eo quòd ſit homo, ſed non eſt argumentatio: conſiſtit ergo argumentatio in eo, quòd per notam illationis denotetur, unum ex alte inferri; ſunt notæ illationis *Ergo*, *Igitur*, ut *Petrus eſt homo: ergo animal.*

3 Argumentationis ſpec quinque communitèr aſsignant *Syllogiſmus*, *enthimema*, *induct exemplum*, & *dilemma*; aliqui, N. Villan. addunt inſtantiam; ali ut Maſtrius, quatuor tantùm ſignant, omittunt enim dilemm & inſtantiam. Diviſionem, ait Maſtrius, ex Phil. colligi 2. Prior. ca 29. & deinceps; ſed 2. lib. Pri tantùm habet cap. 28. & 27. de ſigno, inductione, & enthim mate agit, non de ſpeciebus arg mentationis, ſed de mediis pr bandi determinat.

4 Igitur de ſyllogiſmo ag mus infrà: enthimema eſt arg mentum duabus propoſitionib conſtans, quarum una infertur alia, prima dicitur antecedens, ſ cunda conſequens, v. g. *Petrus*

homo: ergo Petrus est animal. N. Villan. illud dividit in causale, conditionale, & rationale: causale dicit, in quo nota illationis est causalis, ut *quia Sol lucet, dies est*: conditionale, in quo nota illationis est conditionalis, ut *si Petrus currit, movetur*: rationale, in quo nota illationis est rationalis, ut *homo currit: ergo movetur.* Sed qua ratione à propositionibus hypotheticis relegandam diximus rationalem, quia nempè, non propositio, sed argumentatio est, eâdem ab argumentatione relegandæ sunt conditionalis, & causalis, quia non argumentationes, sed propositiones sunt hypotheticæ.

5 Inductio est argumentum, quo ex singularibus infertur universalis, ut *ignis, aer, aqua, & terra corpora sunt: ergo omnia elementa corpora sunt.* Dividitur in *ascensum*, & *descensum*: ascensus est, quo ex singularibus infertur universale, ut in exemplo dato: descensus est, quo ex universali infertur singularia; ut si idem formes argumentum à contrario, ponendo consequens pro antecedenti. Sed re verâ descensus non est inductio, sed potius deductio: quare ascensus ipsa est inductio, & descensus erit species argumentationis à cæteris diversa. Res est parvi ponderis, tene, quod libeat.

6 Exemplum est argumentum, quo ex uno simili aliud simile infertur, ut *Deus pepercit Magdalenæ pœnitenti: ergo & mihi parcet pœnitentiam agenti.* Hoc autem magis est medium probandi, quàm species argumentationis. Dilemma, quod dicitur etiam cornutum, sive bicorne, est argumentum, quod, assumens propositionem disjunctivam, pro utrâque parte deducit consequentiam, v. g. *Aut credis diem Judicii, aut non credis? Si credis, stultè peccas; si non credis, hæreticus es: ergo aut hæreticus es, aut stultè peccas.* Instantiam definit N. Villan. argumentum, quo ex falsitate unius infertur conclusio contraria asserto, ut si quis asserat omnem hominem currere, sic arguitur ab instantia: *Petrus est homo, & non currit: ergo non omnis homo currit.*

7 Sic communiter dividitur argumentatio; sed me judice, argumentatio Dialectica, seu, quod idem est, propriè sumpta convertitur cum syllogismo; assignata enim, aut in syllogismos reducantur oportet, aut non sunt argumentationes Dialecticæ, sed Rhetoricæ, quod de singulis breviter ostendere non erit operosum. In primis itaque enthimema, aut syllogismus est; aut non concludit: quando enim dicitur: *Sol lucet: ergo dies est*, aut intellectus subaccipit, quòd quandocumque Sol lucet, dies est, aut non cogitur assentire; si enim non semper, ac Sol lucet, dies est, poterit contingere, quòd luceat Sol, qui non sit dies, & non sequitur illa consequentia: nunc ita: Si subaccipit intellectus

illam propositionem, illa argumentatio est syllogismus; si autem non subaccipit, aut non assentitur, aut non per discursum, sed per judicium hypotheticum: oportet ergo aut subintelligere minorem, quo fiat syllogismus, aut non esse argumentationem.

8 Deinde: Inductio aut sumit in antecedente clarè, & expressè omnia singularia, & tunc non erit argumentatio, non enim deducit unum ex alio; universale enim nihil est in illo exemplo præter collectionem singularium; aut assumit in antecedenti non omnia singularia clarè, & expressè? Tunc autem, aut non cogitur intellectus assentire, aut oportet subaccipere minorem, nempè, aut quòd nihil continet universale præter illa assumpta, aut quod idem dicendum erit de reliquis, & ita erit syllogismus; aut si non ita subaccipit, non est argumentatio Logica, sed tantum Rhetorica; non enim cogit assentiri, sed tantum suadet.

9 Exemplum item, aut subintelligit, quòd ubicumque illa ratio reperitur, idem contingit, & tunc est syllogismus; aut non subintelligit, & tunc assentiri non cogit: quare Rhetoribus tanquam apparens suasio relinquitur, neque Logica argumentatio dici debet. Dilemma satis in terminis ipsis patet, quòd est duplex syllogismus, cujus propositiones hypotheticæ conjunguntur, quare non est, cur species argumentationis dicatur diversa à syllogismo, ni sensu, quo domus lutea à lateri diversum artefactum dicitur. Ide de instantia patet; nam ly *& non currit*, minor est, vi cujus con quentia sequitur: quare syllog mus est, non autem argumenta ab eo distincta.

10 Horum ratio esse pote quòd aliter exercetur discursus Dialectica, ac in Rhetorica, & si inde argumentatio aliter ap Rhetorem, ac apud Dialecticu accipitur. Rhetor oratoriè age discursum exercet ex fine mov di affectum; Dialecticus verò e ne extorquendi consensum: qu argumentatio apud Dialectic propriè sumitur, quatenùs nec sariò convincit unum ex alio; ap Rhetorem verò minùs propri qualiter non oportet, quòd de cessitate deducat, sed tantu quòd suadeat: jam autem, ut necessitate convincat, oportet t habere propositiones, in quib extrema, quæ deducuntur, cu medio conbinentur, ut ex conv nientia, aut repugnantia cum m dio deducatur convenientia, a repugnantia inter se.

11 Dices: Syllogismus Dial ticus ad differentiam demonstr tivi non habet de necessitate co cludere, sed tantùm probabilit & cum formidine alterius part ergo malè asseritur, quòd arg mentatio Dialectica sumitur pr priè, & quatenùs de necessit concludit. Resp. quòd aliter acc

pit

pitur argumentatio Dialectica, ut dicitur contra Rhetoricam; aliter verò syllogismus Dialecticus, ut accipitur contra demonstrativum: duplex ergo est necessitas; altera formæ, & hæc est de essentia syllogismi, sive argumentationis Dialecticæ, ut accipitur contra Rhetoricam; alia est necessitas materiæ, & penes hanc differt syllogismus Dialecticus à demonstrativo, quia nempè demonstrator assumit propositiones necessarias, quare habet necessitatem materiæ; at verò Dialecticus assumit propositiones probabiles, quare ratione materiæ, in qua syllogizat, non habet de necessitate concludere.

12 Quo habes quid dicendum de divisione consequentiæ in *formalem*, & *materialem*: formalis dicitur, quæ ratione formæ, materialis verò, quæ ratione materiæ convincit. Hæc divisio uno modo accepta, erit in duas species univoci contrahentes rationem formalem syllogismi; alio modo erit analogi in analogata; altera enim tantùm impropriè, & per quandam analogiam habet rationem syllogismi. Itaque aut sic intelligitur, quòd dicatur consequentia formalis, quæ ratione formæ, & ex dispositione terminorum habeat necessariò concludere, non verò ratione materiæ; materialis verò, quæ non solùm ratione formæ, sed etiam ratione materiæ habeat necessitatem, & tùnc est divisio univoca in syllogismum topicum, & demonstrativum, qui æquè conveniunt in ratione syllogismi, & habent inæqualitatem ratione materiæ.

13 Aut potest ita accipi divisio, quòd dicatur consequentia formalis, quæ ratione formæ, & & ex dispositione terminorum infertur; materialis verò, quæ tantùm ratione materiæ, quatenùs nempè termini non habent dispositionem, vi cujus consequentiam inferant, sed ratione materiæ, in qua sunt, propositiones ipsæ inter se connexionem habent, vi cujus una ex altera infertur; & hanc acceptionem magis videtur exigere ipsa vox consequentiæ materialis, nempè, quæ tantùm materialiter, & impropriè consequentia est; & illa divisio est analoga: sicut enim consequentia materialis in hac acceptione tantùm impropriè, & per quandam analogiam est consequentia, ita argumentatio per consequentiam materialem tantùm impropriè est argumentatio.

14 Item habes quid dicendum ad quandam instantiam, quæ hìc potest fieri, nempè: In definitione argumentationis ponit Philosophus pro genere orationem: ergo in definitione syllogismi danda cap. sequenti, non orationem, sed argumentationem debuit ponere, quia oratio genus remotum est ad syllogismum, nempè contrahitur immediatè ad argumentationem, & eâ mediante ad syllogismum; quare argumentatio genus ejus est pro-

proximum, sive immediatum. Ad hoc, inquam, ex dictis jam patet; argumentatio enim ut sic, & communiter ratio est analoga, quæ pro genere habet conceptum orationis; at verò argumentatio propriè sumpta, sive argumentatio Dialectica convertitur cum syllogismo, neque alia est propria argumentatio, nisi syllogismus.

15 Ita habet N. B. D. in 1. Prior. super text. *Syllogismus est*, dub. 1. quo de hoc ipso quærens, hanc rationem tanquam veriorem ultimò assignat, quare ait: *Adhuc: Ratiocinatio dicitur analogicè de syllogismo, & aliis differentiis ejus* (nempè ratiocinationis, sive argumentationis) *& primò de syllogismo; & propterea nihil est in se ante syllogismum, sed ipsa primò includitur in syllogismo; talis enim est natura analogi, & ideo neque sumitur ratiocinatio pro genere syllogismi, neque argumentum.* Quia itaque argumentatio propriè sumpta convertitur cum syllogismo; latè autem, & in communi ratio est analoga, nequit esse genus in definitione syllogismi, & ideo ponitur oratio. Quia item argumentatio propria Dialectici tantùm est syllogismus, cæteris missis, de syllogismo tantùm agunt communiter Doctores.

CAPUT II.

De Syllogismo.

16 SYllogismum definit Philosophus 1. Prior. cap. 1. sub finem: *Est oratio, in qua positis quibusdam, aliud quidem necessitate contingit, eo quòd hæc sunt.* Ex dictis præced. cap. constat, quare ponit loco generis oratio, non verò *argumentatio*. Quærit B. D. hìc dub. 2. quare ait oratio, non verò orationes? Respondet: *Dicendum, quòd id, quod aliud contrahit, non ponit in numerum cum illo: minor autem propositio syllogismo contrahit majorem conclusionem, & ideo non ponitur in numerum: ideo dicitur, quòd syllogismus est oratio, non orationes. Adhuc: Ab unitate finis, sive conclusionis, dicitur oratio una.*

17 Duas ergo rationes assignat: primam, quòd, sicut propositio hypothetica, licèt pluribus constet categoricis, à bonitate tamen formæ, qua una alteram determinat, ut ex utrâque fiat unum artefactum, dicitur una oratio, & una propositio; sic syllogismus, licèt tribus propositionibus constet, quia tamen omnes unam habent dispositionis formam, vi cujus una alteram determinat ad inferendam conclusionem, ab hac dispositione, qua sunt unum artefactum, dicitur una oratio. Secunda ratio est: Quòd, licèt in syllogi-

no sint tres propositiones, quia tamen omnes unum finem habent, nempè illationem conclusionis, ideo dicitur una oratio.

18 In reliquis ponit Philosophus differentiam syllogismi, & ait primò: *In qua quibusdam positis.* Quærit N. D. dub. 3. quid intendat per hæc verba? Resp. duobus modis; quorum secundum, quem dicit meliorem, sic proponit: *Vel potest melius dici, quòd dispositio est partium materialium propriè: unde intendit ibi dispositionem terminorum in propositionibus, per quam dignoscitur figura, & dispositionem propositionum ad invicem, per quam dignoscitur modus, quia tàm termini, quàm propositiones sunt partes materiales in syllogismo.*

19 Pro cujus intelligentia observa, quòd in quolibet syllogismo reperiuntur tres propositiones, quarum prima dicitur major, secunda minor, tertia consequens, seu conclusio; connexio autem istius ad præcedentes dicitur consequentia, sive illatio. Dispositio harum propositionum secundùm quantitatem, & qualitatem, nempè quæ universalis, quæ particularis, quæ affirmativa, quæ negativa esse debeat, dicitur modus, de quo infrà. Item in quolibet syllogismo formaliter tres tantùm termini sunt, licèt materialiter sint sex, nempè tria subjecta, & totidem prædicata trium propositionum; quia tamen quilibet terminus bis ponitur, nempè extremitates semel in conclusione, & semel in præmissis, medium verò in utràque præmissa, formaliter tres tantùm sunt, medium, & duplex extremitas: dispositio ergo terminorum dicitur figura, de qua item infrà.

20 Ait itaque Philosophus, quòd syllogismus est oratio, *in qua positis quibusdam*, hoc est, tali modo dispositis in modo, & figura propositionibus, *necesse est aliud sequi*, per quod denotatur necessitas illationis, de qua diximus præcedenti cap. Est ergo de essentia syllogismi necessitas consequentiæ, non verò consequentis, hoc est, quòd ratione formæ cogatur intellectus assentiri conclusioni; non verò, quòd ratione materiæ propositio consequens connectatur cum antecedentibus; hoc enim non est de ratione syllogismi, in eo quòd syllogismus est, sed in eo quòd demonstrativus.

21 Aliqui, ex quibus N. Venetus, cum Boëtio addendum putant in hac definitione: *Quibusdam positis, & concessis.* Sed hoc reprobat N. D. ibi dub. 4. *Boëtius* (inquit) *definit syllogismum, prout competit Dialectico, qui expostulat semper responsionem socii; Aristoteles autem hìc definit syllogismum simpliciter, ut convenit tàm Dialectico, quàm demonstratori.* Quia ergo hìc agitur de syllogismo, prout abstrahit à materia necessaria, vel probabili, de materia-

teriali est ad definitionem, & essentiam ejus, quòd concedantur, vel non concedantur præmissæ; tantùm enim dicit, quòd ex dispositione terminorum, & propositionum de necessitate inferatur conclusio.

22 Ex dictis habes distinctionem consequentis à consequentia; est enim consequens propositio ipsa, quæ deducitur; est autem consequentia, deductio ipsa, sive illatio, connexio nempè hujus propositionis deductæ cum præmissis. Unde item deduces, quòd consequentia non distinguitur, sed consequens; quia, cùm connexio consequentis cum præmissis consistat in indivisibili, aut ea datur, aut non datur; distinctio autem cadit supra terminum æquivocum, aut confusum, & hic solùm reperitur in propositione consequenti. Similiter non negatur consequens, sed consequentia; non enim intendit, & quasi asserit syllogismus, propositionem deductam esse veram, sed inferri; quare non propositionem, sed illationem concedere debes, aut negare; item arguens non propositionem, sed illationem tenetur probare, quando negatur consequentia; contingit enim sæpe, propositionem esse veram, & consequentiam benè negari, quia ea non sequitur ex præmissis.

23 Dividitur syllogismus ratione materiæ quasi remotæ, nempè materiæ, in qua sunt propositiones, in *demonstrativum*, *topicum*, & *sophisticum*: demonstrativus est, cujus præmissæ sunt necessariæ, & evidentes: topicus, cujus præmissæ sunt probabiles: sophisticus, cujus præmissæ sunt fallaces, sive in quibus æquivocatio includitur, vi cujus deducitur fallax, & deceptiva conclusio. Item ratione materiæ proximæ dividitur in *categoricum*, *hypotheticum*, & *modalem* juxta divisionem propositionis, quæ est ejus materia proxima. De categorico, utpotè clarior explicantur regulæ; cæteri, si ad categoricum habent reduci, ex illo possunt cognosci.

CAPUT III.

De dispositione Syllogismi in modo & figura.

24 Materia syllogismi duplex est, alia immediata, propositiones nempè, ex quibus constat; alia mediata, nempè termini: isti, ut jam dictum est, tres sunt; alter, qui dicitur medius terminus, seu medium, est, qui ponitur in utràque præmissa, & non ingreditur conclusionem; alii duo dicuntur extremitates, ex quibus componitur conclusio, & quorum alter cum medio in una quaque præmissa ponitur; ex quibus ille qui cum medio ponitur in majori dicitur major extremitas; ille autem, qui cum medio ponitur in minori, dicitur extremitas minor.

25 Quærunt aliqui: Qua ra-

tion

tionē prima propositio syllogismi dicenda sit major, secunda minor? Quare item, altera ex extremitatibus major, altera minor dicatur? De primo, Oviedo, Pontio, Aversa, & alii putant, non eo præcisè, quòd primo loco ponitur, dicendam esse majorem, sed majorem propositionem dici debere ex eo, quòd medium in illa subjiciatur, minorem verò ex eo, quòd medium in illa prædicetur. Sed hæc explicatio solùm in syllogismis primæ figuræ relinquit majorem, & minorem, quia solùm in illa subjicitur medium in altera tantùm; in secunda verò, ubi medium bis prædicatur, utraque erit minor; tertia item, in qua medium bis subjicitur, utramque habebit majorem, quod inconveniens est, quidquid dicat Oviedo.

26 De secundo, P. Hurtado disp. 12. sect. 11. docet, majus extremum dici, quod universalius est, & sub se plura continet, idem de propositionibus prius dixerat: quare in syllogismis habentibus utramque præmissam universalem proprie non reperitur major, & minor, sed tantùm in syllogismis particularibus. Motus autem videtur ex eo, quòd majoritas, vel minoritas quantitatem dicit; quantitas autem in propositionibus, & terminis sumitur ex extensione ad plura, vel pauciora. Sed hæc ratio non sufficit, ut ab explicatione Petri Hispani communi suffragio approbata, recedamus; quoniam majoritas non semper quantitatem dicit; ex quavis enim antellatione, sive ex dignitate etiam quis major dicitur.

27 Dicendum itaque ex B. D. loco sup. cit. quòd major propositio ea dicitur, quæ prima est, non quidem eo præcisè, quòd primò profertur, sed quodammodo ex natura rei: nam semper informe, & potentiale præcedit formatum: illa ergo propositio, quæ in ordine ad inferendam conclusionem se habet ut per alteram determinabilis, est veluti potentialis; & quia, quæ primò ponitur, habet determinari per alteram, ideo illa dicitur major, hæc minor. In extremis item majoritas, vel minoritas non ex quantitate, quæ cuilibet absolutè convenit, sed ex comparatione utriusque ad medium, quod se habet veluti virtus, & ratio conclusionis inferendæ, sumi debet: ille ergo terminus, qui cum medio ponitur in majori, quandam præstantiam habet ad alterum, qui cum medio ponitur in minori; & ideo ille dicitur major extremitas, iste minor.

28 Duplici ergo materiæ syllogismi respondet duplex forma, seu dispositio; altera dicitur modus, nempè dispositio propositionum; altera dicitur figura, dispositio videlicèt terminorum. Figura ergo est dispositio terminorum in præmissis secundùm subjectionem, & prædicationem. Triplex est, secundùm quod triplex esse potest

combinatio medii cum extremitatibus. Prima figura dicitur, in qua medium in majori subjicitur, in minori prædicatur, v. g. *Omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* En terminus *homo*, qui medius est, in majori subjicitur, in minori prædicatur. Secunda figura est, in qua medium in utrâque prædicatur, v. g. *Omnis homo est risibilis; nullus equus est risibilis: ergo nullus equus est homo.* En *risibilis*, quod est medium, in utrâque prædicatur. Tertia figura est, in qua medium in utrâque subjicitur, v. g. *Omnis homo est risibilis; omnis homo est animal: ergo aliquod animal est risibile.* Ubi *homo* in utrâque subjicitur. Omnes hoc concludit versiculo Petrus Hispanus: *Sub, præ* prima: *bis præ* secunda: tertia *bis sub.* Sensus est: *Sub, præ prima*, hoc est, prima figura medium subjicit, & prædicat: *Bis præ secunda*, hoc est, secunda figura medium bis prædicat: *Tertia bis sub*, hoc est, tertia figura medium bis subjicit.

29 Quæres: An ponenda sit quarta figura, quæ dicitur Galenica, quoniam à Galeno propugnata fertur, in qua nempe medium, per oppositum ad primam figuram in majori prædicatur, in minori subjicitur? Affirmat Caram. qui contendit eam à Platone positam; sequitur Lalem. tùm hic, tùm disp. 8. Log. part. 3. Negant cæteri, propugnantes, hanc aut non esse distinctam à prima figura Aristotelis, aut esse prorsus inutilem. Probat Arriaga: quia hæc quarta figura eo solùm differt à prima Philosophi, quòd ponit pro majori minorem, & è contra; sed hæc distinctio nulla est: ergo. Probat. min. Quia, propositionem dici majorem, vel minorem, est pura denominatio extrinseca, in eo enim consistit, quòd primò ponatur: ergo in intellectu nulla est major, &

30 Espinosa, posquam levi culum dicit hoc ratiocinium, ali probat viâ ex Complut. Quia figura in tantum utilis est, in quantum in illa directè concluditur; autem directè concludere, quòd in conclusione major extremitas de minori prædicetur; sed in quarta illa figura non concluditur directè: ergo. Ratio minoris est: Quia si major extremitas est re verâ subjectum, ut esse oportet ad hoc, ut de illa prædicetur medium, minor autem est prædicatum de medio, tùnc major extremitas non continet minorem, sed potiùs continetur ab illa, quoniam subjectum non continet, sed continetur sub prædicato.

31 Sed re verâ levior est hæc ratio, quàm præcedens; non solùm enim falsum assumit in minori, sed in ipsum redit arguentem: hoc secundùm sic patet: Per ipsum, & omnes Aristotelicos in prima figura aliqui modi indirectè concludunt; at ij non reputantur inutiles:

les: ergo contra ipsum redit major. Deinde primum ex hoc ipso ostenditur: Si enim syllogismus primæ figuræ concludit indirectè, per hoc solum, quòd mutentur præmissæ, & major fiat minor, concludit directè in quarta figura; sed per ipsum, & omnes, aliqui syllogismi primæ figuræ concludunt indirectè: ergo.

32 Major, in qua est difficultas, minorem enim ipse concedit, sic patet, primò ratione: In syllogismo enim primæ figuræ medium in majori subjicitur, in minori prædicatur: si ergo mutentur præmissæ, minor fiet major, quare medium manet prædicatum in majori, quod exigit quarta figura. Deinde: Si in prima figura concludebat indirectè, minor extremitas prædicabatur de majori: si ergo mutantur præmissæ, quæ erat minor extremitas, evadit major, nempè ponitur in majori cum medio, quare, si ista prædicatur, fit conclusio directa.

33 Deinde: Id ipsum clariùs patet exemplo ipsius, nam differt. 11. Theo. 2. exemplum ponit in *Celantes*, hoc modo: *Nullum animal est lapis; omnis homo est animal: ergo nullus lapis est homo.* Mutentur præmissæ illius syllogismi sic: *Omnis homo est animal; nullum animal est lapis: ergo nullus lapis est homo.* Ea tibi syllogismum quartæ figuræ directè concludentem: quòd sit quartæ figuræ, eo patet, quia medium, nempè ly *animal* in majori prædicatur, in minori subjicitur; quòd autem directè concludat, eo patet, quia ly *homo* major extremitas, nempè quæ cum medio ponitur in majori, prædicatur in conclusione. Insuper: Qui quartam figuram propugnant, multos assignant syllogismos directè concludentes in illa, ut videre est apud cit. Lalem.

34 Dicendum ergo primò, quòd distributio medii, ex qua diversificantur figuræ, hæc debet esse: In prima, quòd medium semèl prædicetur; in secunda, quòd bis prædicetur; & in tertia, quòd bis subjiciatur. Dicendum secundò, quòd ex duobus modis, quibus potest medium semèl prædicari, nempè, aut in majori tantùm, aut tantùm in minori, utilis est tantùm secunda; primum ex probatione secundi constabit, & ex utroque relinquitur, quòd illa combinatio, qua medium prædicatur in majori, non est quarta figura, sed modus inutilis primæ.

35 Conclusionem utramque habet B.D.1. Prio. text. *Palam autem quoniam*, dub. 1. quærit de hoc ipso: An ponenda sit quarta figura, in qua medium prædicetur de prima, hoc est, de majori extremo? Resp. *Et dicendum, quòd tres sunt hac ratione: Figura est dispositio terminorum trium tantùm in duabus propositionibus: aut ergo idem prædicatur in utraque, & sic est secunda figura; aut idem subjicitur in utraque, & sic est tertia figura;*

aut subjicitur, & prædicatur de altero: & hoc non potest esse, nisi ita quòd subjiciatur de primo, & prædicetur de postremo, & sic est prima figura. Rationem hujus ibi adducit, dum paucis interjectis, ait: *Ad aliud dicendum, quòd medium syllogisticum aut habet conditionem primi in ordine prædicabili, & tunc est secunda figura; aut conditionem ultimi, & tunc est tertia figura; aut conditionem medii, & sic est prima: & necesse est medium sub tali conditione subjici primo, & prædicari de postremo: si enim subjiceretur ultimo, & prædicaretur de primo, oporteret accipere propositiones falsas, scilicèt, si acciperentur universales; aut accipere propositiones particulares, & ex talibus non est syllogismus.*

36 Hanc Doctoris N. rationem attingit N. Villan. in præsenti, & ea quidem difficilis est, & quæ explicatione indiget: pro ejus intelligentia notandum, quòd in ordine prædicabili dicuntur prima, quæ sunt universaliora, postrema autem, quæ minùs universalia, sive particularia; hæc enim se habent veluti actus determinans, & contrahens magis universale; & quia universalius de minùs universali prædicatur, oportet, primum de postremo prædicari. Quia tamen non semper prædicatio est quidditativa, & universalis de particulari, seu minùs universali, sed aliquando accidentis de subjecto, notandum ulteriùs, quòd in syllogismo intenditur ostendi, quòd passio convenit, vel non convenit subjecto, & dicitur passio, quod alteri inest, & de eo dicitur: sicut ergo universalia in ipsis sunt particularibus, ad quæ contrahuntur, ita accidentia in subjectis; & sicut in ordine prædicabili universalia sunt prima, & prædicari habent de inferioribus, ita accidentia de subjectis: quare, si comparentur *homo*, & *albus*, ex natura rei *albus* est primum in ordine prædicabili & proinde majus.

37 Ait ergo B. D. Aut medium est majus utroque extremo & sic debet de utroque prædicari & est secunda figura; aut est minus utroque, & utrique subjicitur, atque est tertia figura; aut altero major, altero majus est, & tunc majori subjicitur, de minori prædicatur, & est prima figura. Quòd autem in hac tertia dispositione debeat medium subjici in majori quæ est dispositio primæ figuræ non autem prædicari, quæ est dispositio quartæ, tali ratione probat B. D. Sicut in terminis, ita in propositionibus major est, & primum quæ universalior, hæc enim determinari habet per minùs universale ad conclusionem inferendam sed in hac medium debet subjici ergo, si prædicetur, aut erit propositio falsa, aut dispositio præter naturalis, & indirecta. Ostenditur minor: Positum est, quòd medium est minùs universale alterâ extremitate, magis autem universale al-

terâ: ergo prædicatur de minùs universali, & magis universali subjicitur: ergo universalior est propositio, in qua subjicitur medium, altera, in qua prædicatur. Patet hæc consequentia: Prima enim habet pro subjecto medium, secundam minorem extremitatem, quę minùs universalis est ipso medio: relinquitur ergo, quòd aut erunt particulares præmissæ, ex quibus non fit syllogismus; aut erit dispositio indirecta, quòd minùs universalis ponatur pro majori; aut eadem, si magis universalis ponitur pro majori, medium in illa subjicitur, quæ est dispositio prima; si enim prædicatur, prædicabitur de magis universali, & erit propositio indirecta, atque subinde falsa; quo patet, quòd modus quartæ figuræ inutilis est.

38 Hæc ratio efficax est, & illâ inveniuntur defectuosi omnes syllogismi, qui ut perfecti assignantur in quarta figura: accipiamus exemplum ex ipso Lalem. In primo modo perfecto quartæ figuræ, qui est *Barmapi*, talem format syllogismum: *Omnis homo est intellectivus; omne intellectivum est vivum ergo aliquod vivens est homo.* Quæ ponitur loco minoris in hoc syllogismo, ex natura rei major est; subjectum enim illius intellectivum est, majus, & universalius ipso homine, de illo nempè in altera prædicatur; at ex natura rei non universale determinat particulare, sed ê converso: ergo ille syllogismus non perfectus quartæ figuræ, sed imperfectus est primæ, nempè *Baralipton*; idem poterit in reliquis patêre.

39 Objic. Lalem. Ubi est diversa dispositio medii, ibi est diversa figura; sed quarta habet diversam medii dispositionem a reliquis: ergo. Probat minorem: Prima figura talem exigit dispositionem medii, quòd in majori subjiciatur, in minori prædicetur; sed quarta oppositum exigit: ergo. Et confirm. Per oppositam enim medii dispositionem nequit eadem figura constitui; sed prima, & quarta oppositam exigunt dispositionem medii: ergo non possunt esse una figura. Minor patet, quia prima exigit medium in majori subjectum, in minori prædicatum; quarta verò in majori prædicatum, in minori subjectum.

40 Resp. disting. maj. Ubi est diversa dispositio medii naturalis, & legitimi, ibi est diversa figura, conc. maj. ubi est diversa dispositio medii non naturalis, sed deficiens, ibi est diversa figura, subdisting. Diversa materialiter tanquam artificiosa dispositio recta differt à defectuosa, conc. maj. diversa formaliter tanquam duplex artificiosa dispositio, neg. maj. Eodem sensu disting. min. Quarta figura habet diversam dispositionem naturalem, & legitimam, neg. min. præternaturalem, & defectuosam, conc. min. Ad prob. eodem sensu disting. maj. Prima figura

talem exigit medii disposition em, absolutè, neg. maj. talem exigit dispositionem in modo perfecto naturali, & legitimo, conc. maj. Quare altera dispositio non est alia â dispositione primæ figuræ, sed tantùm â dispositione legitima, & naturali. Quo patet ad confirmationem.

41 Solutio itaque ex jam dictis patet: Prima figura medium exigit altero quidem extremo majus, altero minus, quo differt à secunda, quæ exigit medium utroque extremo majus, & de utroque prædicatum; & à tertia, quæ exigit medium utroque extremo minus, & utrique subjectum. Quoniam autem medium altero extremo minus, altero majus, potest in utralibet prædicari, prædicari in ista, vel in illa non faciet diversam figuram. Ratio autem est, quia non poterit naturaliter, & legitimè in utralibet prædicari; si enim altero majus, altero minus est, altera propositio erit universalior, altera minùs universalis, & naturaliter habet prædicari in ea, quę est minus universalis, nempè in ea conjungitur cum extremitate, quæ minor est ipso medio: quia ergo hæc ex natura rei minor est, naturalis dispositio est, quòd prædicetur in minori, & quòd prædicetur in majori, non diversa dispositio, sed defectus est à naturali dispositione.

42 Dices: Aliqui ex modis à Philosopho assignatis talem habent dispositionem, quòd major propositio minùs est univers[alis] ergo id non est defectuosum, præternaturale. Patet antecede[ns] siquidem *Disamis, Bocardo, Fe[-] somorum* majorem habent parti[-] larem. Resp. Hos modos assig[-] ri ut defectuosos, imperfectos, reducendos ad perfectos: si ergo lud idem de quarta figura co[n] datur, nempe defectuosam ess[e] reducendam ad primam, de n[i] relinquitur controversia; con[-] dunt autem oppositum, ne[c] magis esse naturalem, quod ex p[ro]fesso probat Caram. Ex quo

43 Objic. secundò: Nat[u]lior est dispositio, qua mediu[m] medio ponitur; sed hoc h[a] quarta figura: ergo. Major co[n]tet, quia medium præternatur[a]ter in extremo ponitur. Min[or] tendit: Quia ubi medium pr[æ]catur in majori, & subjicitur in [mi]nori, incipit syllogismus à majo[ri] extremitate, quę est subjectum m[a]joris, & terminatur in minori e[x]tremitate, quæ est prædicatum m[i]noris, inter quas relinquitur m[e]dium, sic est in quarta figura; u[bi] verò medium subjicitur, inci[pi]t syllogismus ab ipso medio, qu[od] in majori subjicitur, & termina[tur] ad ipsum medium, quod in mino[ri] prædicatur, & extrema relinqu[un]tur in medio, sic est in prima fig[u]ra. Posset in confirmationem a[d]duci Philosophus, qui in 1. Pri[or.] cap. 4. sic explicat medium in pr[i]ma figura: *Voco autem mediu[m] quod & ipsum in alio, & aliud [in] ip[so]*

ipso est, quod & positione medium sit.

44 Hoc argumentum certè non redolet Caramuelis ingenium. Itaque medium non dicitur tale situali positione, alioqui in syllogismis secundæ, & tertiæ figuræ non esset medium, non enim potest medio loco poni: est ergo medium, ex quo termini, qui cum ipso conjunguntur in præmissis, ex hoc deducuntur inter se conjungi in conclusione, quare est medium ad illam conjunctionem. Ultra hoc habet in prima figura, quòd etiam positione medium est, ut ait Philosophus, nempè altero extremo majus, altero minus, sive, ut ipse ait, in altero continetur, alterum continet. Patet ergo sensus Philosophi. Ad formam disting. maj. Naturalior est dispositio, in qua medium in medio ponitur, absolutè, & in qualibet figura, neg. maj. quia in duabus nequit in sensu ejus in medio poni: in prima figura, subdisting. Naturalior est dispositio, qua medium in medio ponitur, materialiter, sive situaliter, neg. maj. formaliter, quantum ad continere, & contineri, conc. maj. & hoc sensu neg. min. quia jam patuit, quòd in quarta eo non disponitur naturaliter, quia relinquitur in medio situaliter.

45 Dices: Conveniunt prima, & quarta figura in eo, quòd medium est positione medium, nempe majus unâ, minus alterâ extremitate, seu alteram continens, in altera contentum; sed præter hoc præstat quarta, quia etiam situ tenet locum medium: ergo naturalior est. Resp. neg. suppositum minoris, quòd hoc sit præstare, imò vitium est, nempè aut quòd minus prædicetur de majori, si subjicitur major extremitas; aut quòd minor propositio ponatur pro majori, si subjicitur minor extremitas, quare neg. conseq.

46 Eliseus, qui ratione Caramuelis se fatetur convictum, sic illam confirmat: Ideo prima figura præstat aliis duabus, quia medium in prima tenet locum medium, in secunda, & tertia tenet locum extremum; sed dispositio quartæ figuræ constituit medium in loco medio, dispositio verò primæ ponit in medio extremitates: ergo illa congruentior est. Hæc confirmatio non addit difficultatem ipsi argumento, nec nova indiget solutione. Neg. itaque maj. vel claritatis gratiâ, disting. Quia tenet locum medium formaliter, & quantum ad continere, & contineri, conc. maj. sed hoc sensu neg. min. quia tenet locum medium materialiter, & quantum ad situm, neg. maj. Medium itaque, quia virtus est, & ratio conjungendi extrema in conclusione, naturalius est medium ipsis, nempè majus uno, minus altero, & hoc æquè habent prima, & quarta figura; ex hoc autem vitiosum est, ut jam patuit, quòd sit materialiter, & quantum ad situm medium.

Modus

147 Modus est dispositio propositionum secundùm quantitatem, & qualitatem; quare tot sunt in unaquaque figura modi, quot possunt esse dispositiones, & combinationes propositionum in illa; ex eis autem quidam sunt modi perfecti, quidam imperfecti; quidam utiles, quidam inutiles; aliqui concludunt directè, aliqui indirectè. Perfecti dicuntur, qui nullo indigent extrinseco, ut concludant, imperfecti, qui aliquo indigent; utiles dicuntur, qui seipsis perfecti sunt; inutiles, quos oportet reducere ad alteros, tandem directè concludent, in quibus major extremitas prædicatur de minori in conclusione, indirectè, in quibus minor prædicatur de majori.

148 Philosophus ergo assignat perfectos, & utiles, qui primi quatuor sunt; imperfectis verò aliquos assignat, ut in illis regulas tradat reducendi cæteros; non est ergo, cùr Caramuel inopiam, & pauperiem vituperet Peripateticorum, qui novemdecim tantùm modos syllogizandi habent, cùm ipse pene infinitos invenerit; nec est, cùr aliqui defendere nitantur totidem, & non amplius esse posse; sunt utique pene infiniti, cùm à scopo multis modis sit deviare, sed merito irridetur inutilis labor assignandi omnes possibiles, quoniam ex una parte, præceptorum multitudo confunderet; ex alia, assignatis perfectis, & ex imperfectis, qui sufficiunt, ut cæteris reducendis ad fectos tradantur regulæ, nulla via sufficiens ad perfectam syllogismum, & cavendi incommodum sufficientiam ergo [illegible] di B. D. in Prior. text. sup. dub. 6. quærit enim de sufficientia modorum, quoniam Philosophus assignat sexdecim in qualibet figura: ad quod respondet, quòd syllogismus constat duabus propositionibus: aut ergo utraque est universalis, aut utraque particularis, aut universalis tantùm major, tantùm minor; & sic quatuor combinationes possunt fieri secundùm quantitatem; quatuor deinde secundùm qualitatem, aut enim utraque erit affirmativa, aut utraque negativa; aut major tantùm affirmativa, aut tantùm minor; ergo quatuor quater dicta, id est sexdecim, totidem esse possunt modi in qualibet figura; quare Peripatetici Hispanus, & reliqui non assignant illos novemdecim, ex inopia, sed quia cæteri superfluunt.

150 Ex his, quot sint perfecti facile est assignare; in prima enim tantùm figura possunt fieri syllogismi omninò perfecti, quoniam tantùm in illa medium perfectè tale servatis ergo regulis, cognoscitur de facili, quot modi relinquantur omninò perfecti. Regulæ sunt, generales quidem pro omni figura duæ, ait ibi B. D. prima est, quòd ex puris negativis nihil sequitur; secunda est, quòd altera præmissarum sit universalis. Duæ item [illegible] cialis

tiales prō prima figura : altera, quòd major sit universalis ; altera, quòd minor sit affirmativa. Regulæ istæ ab omnibus admittuntur, quare non est, cùr in eis probandis immoremur: vide, si placet, B. D. loco sup. cit. dub. 7. & 8. hoc pulchrè satis explicantem : eâdem ratione mittemus regulas in aliis figuris, quia, cùm syllogismi in illis imperfecti sint, & ad primam reducendi, satis erit in ista regulas attendere.

51 Relinquitur ergo, ex his regulis duas tātùm esse posse combinationes secundùm quantitatem utiles, & perfectas in prima figura; quoniam ex secunda regula non potest utraque præmissa esse particularis : item ex prima regula speciali non potest major esse particularis: erit ergo de necessitate aut utraque universalis, aut major tantùm. Similiter secundùm qualitatem duæ tantùm esse possunt combinationes utiles, & perfectæ; nam ex prima regula non potest utraque esse negativa ; ex secunda autem speciali minor debet esse affirmativa : quatuor ergo relinquuntur modi perfecti ; aut enim utraque est universalis, & hoc duobus modis; aut universalis affirmativa, & sic est *Barbara* ; aut major negativa, minor enim esse non potest ex secunda regula, & sic est *Celarent* ; aut erit major universalis, minor particularis, & hoc item duobus modis ; aut utraque affirmativa, & sic erit *Darii* ; aut major negativa, & sic erit *Ferio*. Quia in cæteris non servantur regulæ, isti tantùm sunt perfecti. Pro facili observatione modorum, de quibus regulæ traduntur, hoc confecit tetrastichon Petrus Hispanus:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In quibus observare debes in unaquaq; dictione tres primas syllabas, per quas designantur tres propositiones syllogismi; siquę enim dictio plures habet, eæ ponuntur pro versu: item, per quamlibet vocalem designari unam propositionē juxta regulam suprà datam : *Asserit A, negat E*, quare *Barbara* denotat, syllogismum habere tres propositiones universales affirmativas; *Ferio*, quòd major est universalis negativa, minor particularis affirmativa, conclusio particularis negativa, & ita in reliquis.

52 Ad primam figuram pertinent novē voces contentæ in duobus primis versibus, ex quibus quatuor primæ designant modos perfectos, reliquæ imperfectos ; ē quibus item *Celantes*, & *Dabitis* eandem habent syllabarum dispositionem, ac *Celarent*, & *Darii*, quod eo fit, quia in his duobus potest concludi directè, aut indirectè; & qui directè concludunt, ad mo-

dos perfectos, qui indirectè ad imperfectos pertinent. Ad secundam figuram pertinent quatuor primi in tertio versu. Reliqui pertinent ad tertiam. In his prætermittuntur modi indirecti, quia vel sola transpositione præmissarum fiunt directi; vel facilè possunt à quocumq; cognosci ex sola conversione conclusionis. Exempla cuique ex regulis præstò sunt, unum, aut alterum subjicio:

Bar:: omne animal est vivens;
Ba:: sed omnis homo est animal:
Ra:: ergo omnis homo est vivens.
Fe:: nullus homo est lapis;
Ri:: sed Petrus est homo:
O:: ergo Petrus non est lapis.

53 Ex his possunt cuilibet patere exempla in aliis modis, & figuris. Observandum tamen, quòd in illo syllogismo in *Ferio* medium non est minus altero extremo, cùm sit æquale majori extremitati; est enim species infima æquè lapis, & homo; quod cùm in aliis multis possit contingere, item extremitates ipsas esse inter se æquales, ut cùm passio probata æquè universalis est ac subjectum, de quo probatur, explicandum restat, quomodo teneat, quod suprà ex B. D. posuimus, medium in prima figura minus esse altero extremo, & extremitates ipsas esse inter se unam alterâ majorem. Id ibi explicat B. D. ait enim: Medium majus est altero extremo in ratione prædicabilis. Itaque licet in se, & absolutè æqualia sint, id tamen, quod de altero prædicatur in ratione prædicabilis, majus est, quia hac ratione subjicit sibi id, de quo dicitur & ideo propositio indirecta con naturalis est; quia, cùm subjici natura rei competat minori, in subjicitur majus: ibi ergo absolu lapis æquale est homini, in ratio prædicabilis majus est, quoni de homine dicitur.

CAPUT IV.

De reductione syllogismorum perfectorum ad perfectos.

54 Reductio est princ extrinsecum red candi syllogismos imperfectos los nempè ad perfectos reduc est duplex, *Ostensiva*, quæ co dicitur, quia reductione ostend tur vis, & rectitudo syllogis quæ occulta erat; & *per impossi le*, quæ eo dicitur talis, quia illam cogitur respondens contra ctoria admittere. Nota autem, qu quando dicitur syllogismũ imp fectum reduci ad perfectum, in gere debes de imperfecto acci taliter, hoc est, qui re ipsa hab essentiam syllogismi, subinde de necessitate concludat; qui men, quia vis consequentiæ n est evidens, aut indirectè con dit, reducitur ad evidentio formam; si enim essentialem imp fectionem habet, vi cujus non necessitate concludit, nulla re

est

tione potest rectificari, quia tunc non est syllogismus.

56 Pro reductione ostensiva observa primò, literales literas, quæ in omnibus modis quatuor sunt, nempe B. C. D. F. per quas denotatur, quòd modus quilibet reducitur ad perfectum primæ figuræ, qui eadem literæ incipit; ut *Baralipton* ad *Barbara*, *Celsare* ad *Celarent*, & sic de reliquis. Observa item in qualibet dictione consonantes, quæ ex industria ponuntur quatuor, videlicet S. P. M. C. quibus denotatur, quòd propositio designata per vocalem præcedentem quamcumque literam, convertenda est modo, quem illa exigit; nempe S. denotat, quòd propositio designata per vocalem præcedentem, convertitur simpliciter; P. denotat, quòd propositio designata per vocalē præcedentem, convertitur per accidens; M. denotat mutādas esse præmissas; C. tandem, quòd modi, in quibus reperitur, qui tantùm sunt *Baroco*, & *Brocardo*, non possunt reduci per ostensionem, sed debent per impossibile, quod totū hi versus exprimunt:

S. *vult simpliciter verti*: P. *vero per accis*;
M. *vult transponi*: C. *per impossibile duci*.

Exemplum sit *Baralipton*: Primus modus imperfectus primæ figuræ incipit B. quare reducendus est ad *Barbara*: deinde in literis solum significat P. quare vocalis antecedens debet converti per accidens, mutata quantitate: ubi obiter nota, conclusionem istius modi posse esse conversam de universali in particularem; quare illam conversione facere universalem, potius est illam reducere ad statum naturalem: hunc ergo syllogismum in *Baralipton*: *Omnis homo est animal, sed omne risibile est homo: ergo aliquod animal est risibile*, si vis convertere, retine easdem præmissas, converte conclusionem per accidens hoc modo: *Ergo omne risibile est animal*, & habes syllogismum in *Barbara*.

57 Similiter *Fapesmo* incipit F. quare reducitur ad *Ferio*: deinde post primam vocalem sequitur P. quare prima propositio convertenda est per accidens; post secundam sequitur S. quare secunda propositio simpliciter convertenda est; item habet M. quare præmissæ mutandæ sunt, v. g. *Omne currens est mobile*; *sed nullus lapis est currens*: *ergo aliquod mobile non est lapis*. Prima propositio convertitur per accidens: Ergo *aliquod mobile est currens*: secunda convertitur simpliciter: Ergo *nullum currens est lapis*: mutentur deinde præmissæ, ut hæc fiat major, & habetur eadem conclusio in *Ferio* hoc modo: *Nullum currens est lapis; aliquod mobile est currens: ergo aliquod mobile non est lapis*. Ex his facile erit cuique cæteros modos reducere per ostensionem.

58 Reductio per impossibile consistit in eo, quòd per syllogis-

mum perfectum cogatur respondens, aut concedere quod priùs negaverat, aut admittere duas contradictorias, sit hoc modo: Negata consequentia, deducitur ejus contradictorium, quod negari non poterit, cùm duæ contradictoriæ non possint esse simùl falsæ: hæc ergo assumpta cum altera ex præmissis prioris syllogismi juxta regulas statim assignandas, deducitur oppositum alterius præmissæ priùs concessæ; quare, cùm simùl esse veras duas contradictorias, sit impossibile, dicitur reductio illa per impossibile: debet autem syllogismus reducendus de necessitate concludere, alioqui, neque est syllogismus, neque reduci potest.

58 Regulæ, observandæ hæ sunt: In prima figura, ut modus

Major sit minor, & fit contradictio major,
Dempto Celantes, *in quo pervertitur ordo.*
Servat majorem, variatque secunda minorem.
Tertia majorem variat, servatque minorem.

imperfectus reducatur per impossibile, assumitur pro majori contradictorium conclusionis negatæ & pro minori major priùs concessa, & deducitur oppositum minoris item concessæ; exsipitur *Celant* in quo ê contrario, minor pri concessa assumitur pro majori, pro minori contradictorium conclusionis negatæ, & deducitur oppositū majoris concessæ. In secunda figura assumitur major prioris syllogismi, & ponitur pro min contradictorium conclusionis, deducitur oppositum minoris concessæ. In tertia figura assumitur majori contradictorium conclusionis, & cum minori prioris syllogismi deducitur oppositū majoris concessæ. Quæ regulæ, ut memorandentur, his traduntur verbis

59 Mitto exempla, tùm, quia cuiq ex regulis erunt obvia; tùm, quia de reductione præcepta multiplicare, laborem puto Tyronibus, pro quibus hoc opus instituitur, penitùs inutilem; vix enim provectioribus possibile est æstus disputationis attendere, dum consequentia negatur, an syllogismus per ostensionem possit reduci, an sit per impossibile reducendus; & cuique facilius est per rectum syllogismum negatam consequentiam probare, quàm priorem syllogismum reducere. Eâdem ratione mitto Tractatum de Arte inveniendi medium, quo Summulas absolvit Petrus Hispanus: si de hoc, & singulis syllogismi speciebus latiorem desideres calamum, consule N. Veracruc. nobis de Summulis dicta sufficiant, ad altiora gradum faciamus.

TRACTATUS IN UNIVERSAM LOGICAM.

PROOEMIUM.

ARISTOTELES DISSERENDI FACULTATEM PER varios distributam lib os tradidit: cum enim de syllogismo, ut ipse ai. in princip. Elench. vel ea tem instituere, sive, ut Expositores ejus interpretantur, Facultatem Rationis directivam sive juxta tres intellectus operationes, sive juxta triplicem ipsius syllogismi acceptionem, tres principales partes divisit: In prima de pertinentibus ad primam intellectus operationem, seu de remotis partibus syllogismi, de simplicibus nempe intentionibus instituit lib. Prædicam. In secunda de pertinentibus ad secundam operationem, seu de syllogismi partibus proximis, lib. Perhier. in quibus agit de propositionum, seu enuntiationum variis speciebus. In tertia de pertinentibus ad tertiam operationem, seu de syllogismo ipso, tum lib. Prior. in quibus de syllogismo simpliciter, sive in materia transcendenti, tum lib. Post. in quibus de demonstrativo, lib. Top. in quibus de probabili, lib. ult. Elench. in quibus de sophistico, seu fallaci syllogismo agit, in-

Ad lib. Prædicam. quo primam Logicæ partem absolvit Philosophus, veluti præliminarem addidit Porphyrius tractatum de quinque Universalibus, quem subinde omnes exponendum suscipiunt; considerantur autem Universale vel quantum ad esse, vel quantum ad prædicari, & sic duplex erit tractatus: Prima ergo pars, quæ fere tota nunc Logica absolvitur, de tribus principaliter agit, de Universalibus, de Prædica-

dicabilibus, & de Prædicamentis: Secunda autem, & tertia, in qu magis, quod Logicum est, continetur, aut prætermittitur omninò, perfunctoriè satis attingitur; neque hoc solum vitio Scholæ laborat thodus, interserunt enim, imò ferè ex toto contexunt hanc parte Metaphysica, dùm tota fermè insumitur in disputando de quiddi distinctione, & cæteris passionibus, tùm universalium, tùm prædica torum.

Non possumus ex integro hoc vitium cavere, Scholæ methodum s coacti; curabimus tamen, quoad fieri poterit, difficultates plenè M physicas suis sedibus disputandas relinquere. Hunc ergo tenorem s mur, ut per Disputationes materiam explicandam dividamus, Disp tiones in Quæstiones, Quæstiones in Articulos, & Articulos etiam, opus erit, per §§. ut partitio ipsa minùs tædiosam reddat prolixita neque enim optatam brevitatem patitur status ferè omnium contro siarum. Consuevit autem in qualibet Facultate præmitti Disput quam dicunt Procemialem, in qua ex principiis Metaph. de natura, jecto, & dignitate Facultatis disseritur; ex principiis, inquam, Met siquidem scientia de subjecto suo supponit, quia est, & quid est, se ipsa nihil attingit, non enim extenditur ultra subjectum suum, n est supra se ipsam reflexiva; quare hoc explicare est Facultatis co nis, qualis est Metaphysica. Sit ergo

DISPUTATIO I.

DE PROOEMIALIBUS LOGICÆ.

DE QVOCVMQUE OPORTET HABITU PRÆCOGN cere quia est, & quid est, & hoc intendit Procemialis Disp tio; sed quæstionem: An sit Logica, tanquam penitùs superfluam, to; quid est? Per quatuor causas inquiritur, ad tres tamen reducen quæstiones, de subjecto, de his, quæ consequitur ex subjecto, & de fine. Quare sit

QVÆS

QUÆSTIO I.

DE OBJECTO LOGICÆ,

ARTICVLVS I.

Quid sit objectum habitus in communi?

1 NUlla ferè est in tota Logica controversia, quæ magis difficultatibus, & confusione plena sit, quam præsens de objecto Logicæ propter sententiarum multitudinem; neque exigua, ut videtur, causa est discordia in principio, unusquisq; enim leges, & conditiones, ad rationem objecti quam sibi statuit, & juxta illas de Logicæ objecto philosophatur: stabiliendum ergo priùs est, quæ sit ratio objecti, sive quid nomine objecti in quocumque habitu intelligatur?

2 Objectum ergo est, quod potentiæ attingendum objicitur, hoc enim nomen objecti habet, ut visui coloratum, vel lucidum, intellectui verum, voluntati bonum: in quo duo considerantur, quorum, quod se habet ut materia, & dicitur objectum materiale; alterum, quod se habet ut forma, ratio attingendi, & est objectum formale. Primum est res ipsa, quæ attingitur; secundum id, ratione cujus attingitur, ut visus materiale objectum est superficies, quæ coloratur; formale verò est ratio ipsa coloris, quæ dicitur objectum formale *quo*, seu ratio, quæ attingitur, & ratione cujus superficies dicitur attingi; totum verò coloratum, sive concretum ex materiali, & formali dicitur objectum formale *quod*.

3 Hoc aut est adæquatum, illud nempè, ultra quod non se extendit potentia, ut coloratum respectu visûs; nihil enim attingit visus, quod non sit coloratum, nec aliquid coloratum est, quod non sit à visu attingibile. Aut est inadæquatum, ultra quod videlicet potest attingere aliquid, ut album, ultra enim potest visus attingere alios colores. Hoc item, in habitibus saltim, subdividitur in attributionis, & attributum: attributionis est illud, in quo ratio specificativa, quadam principalitate ad cætera particularia, reperitur; ut, quia ratio entis specificativa Metaphysicæ principaliter reservatur in substantia, hæc erit objectum principalitatis, seu attributionis illius: attributum, seu minùs principale est, in quo minùs principaliter reservatur talis ratio, ut accidens respectu Metaph.

4 Sic communiter de objecto poten-

potentiæ statuitur, aliquantò autem aliter oportet de objecto scientiæ loqui: quia objectum potentiæ sic adæquat latitudinem ejus, quod quocumque actu potentiæ attingitur, quare est ratio per prædicationem communis omni attingibili à tali potentia; non autem ita contingit in scientia, sicut patebit consideranti per singulas: Philosophiæ objectum est mobile, aut naturale; hoc autem non est per prædicationem commune omni ei, quod per se attingitur à Philosophia; per se enim agit de forma, de materia, de motu, de termino motûs, & de multis aliis, quæ formaliter non sunt mobile, aut naturale, sed ejus partes, passiones, aut quomodolibet affectiones: similiter Medicina habet pro objecto sanabile; attingit verò per se ægritudines, & remedia, quibus non est commune per prædicationem ipsum sanabile; & sic poterit de aliis patêre.

5 Ratio hujus est diversitas, quam habent potentia, & scientia in ordine ad objectum suum: scientia enim attingit objectum suum, ut illius passiones, partes, & proprietates explicet, & hoc modo illius cognitionem assequatur; potentia verò tantùm habet objectum attingere, & suo modo capere: potentia ergo, quia uniformiter se habet ad objectum suum, & quilibet actus nihil habet nisi objectum attingere; in quocumque actu suo debet reperire rationem objectivam, & illa per prædicationem communis est omni attingibili; at verò scientia non uniformiter se habet ad ea, quæ se attingit, sed aliquid respicit tanquam id, cujus naturam intendit, alia tanquam partes hujus, passiones, aut proprietates; quare non æquè per se omnia attingit, sed magis id, cujus naturam intendit, & quod proinde dicitur subjectum.

6 Et quia specificari habet eo, quod omnino per se, & non modo ratione alterius attingitur ideo subjectum ipsum, cujus partes, passiones, aut proprietates explicat, habet rationem specificativi, non autem partes ipsæ, passiones, aut proprietates, quia ista per se quidem attingit, nempè per relationē, quæ est in ipsis, sed non per se primò, quia sunt in ordine ad subjectum, cujus sunt partes, passiones, aut proprietates: non ergo oportet, specificativum scientiæ esse aliquam rationem per prædicationem communem omni eo quod per se attingit; quare Philosophus in 1. Post. ait, quòd *scientia una est, quæ unius generis subjecti passiones, & proprietates considerat*, nempè speciem, & unitatem sumit à subjecto, cujus passiones, & proprietates considerat, non à ratione aliqua his omnibus per prædicationem communi: hinc Antiqui Doctores de specificatione scientiæ nomine subjecti potius quàm objecti determinant.

7 Id expresè docet B. D. q. 1. Prol. art. 1. in principio resolutionis, ubi ait: *Igitur subjectum in scientia est objectum, & quia quilibet habitus ex objecto suo principali, & formali sumit speciem, scientia cùm habeat rationem habitus, ex objecto suo principali trahet speciem; cùm igitur scientiæ dividantur per subjecta sua, & ex eis trahant speciem, subjectum in scientia est objectum.* Non ergo audiendi sunt, qui distinguendum putant inter objectum, & subjectum, & aliquid accipiendũ, quod per prædicationem commune sit iis omnibus, quæ attingit scientia, nempè subjecto, & partibus ejus, passionibus, & proprietatibus, quod erit objectum. Non, inquam, id fieri potest, tùm, quia in multis, imò penè in omnibus id accipi non potest, ut patebit considerantis; tùm, quia inutile id, & superfluum est; specificationem enim, unitatem, & divisionem ex subjecto ipso habet scientia, ut omnes fatentur.

8 Pro cujus intelligentia N. B. D. ubi sup. §. *Consequitur namque*, sub finem, ita habet: *Notandum, quòd quatuor modis aliquid consideratur in scientia: primo aliquid consideratur per se, & primò, & principaliter, & per omnem modum. Secundo, per se, & primò, sed non per omnem modum. Tertio, per se, sed non primò. Quarto, & ultimo, neque per se, neque primò, sed per accidens, & per aliud, secundùm quod videre possumus in Metaphysica.* Et procedit exemplificans de subjecto Metaphysicæ, quòd ens per se primò principaliter, & per omnem modum consideratur, quare est in ea subjectum: deinde, quoniam ratio entis magis reservatur in substantia, quàm in accidenti, ideo per se, & primò, & principaliter consideratur, non autem per omnem modum, quare erit subjectum principalitatis, sive attributionis; per se quidem consideratur substantia, quia per rationem, quam in se habet, nempè entis; deinde primò, & principaliter, quia non in ordine ad accidens, sed magis accidens in ordine ad ipsam; non tamen per omnem modum, quia non intendit Metaphysicus de substantia, ut substantia est, sed de ipso ente, sive de substantia, ut in ea reservatur ratio entis: deinde, quia in accidente ratio entis reservatur minùs principaliter, quàm in substantia; ideo hoc considerat per se quidem, sed non primò, nec principaliter, quare erit subjectum minùs principale, sive attributum: quæ tandem gratiâ exempli attingit Metaphysicus, sive quovis modo præter ens, ea omninò per accidens attingit.

9 Notandum autem ulteriùs est, quòd intellectus noster duobus modis habet cognitionem de re, aut conceptu confuso, aut determinato; in cognitione confusa procedit à toto ad partes, in cognitione verò determinata procedit à partibus ad totum, ut uno

modo cognito homine descendit ad cognoscendum partes ejus, sive ut est totum potestativum, nempè individua; sive ut est totum essentiale, nempè partes suæ quidditatis sive physicas, sive metaphysicas; sive ut est totum integrale, nempè partes organicas; alio modo venatur cognitionem hominis ex cognitione eorum, quibus constat: processus ergo cujuslibet Facultatis est venari cognitionem subjecti sui conceptu determinato, nempè ex cognitione partium, & passionum ejus.

10 Dicta ergo possumus, ex probandis infrà, subjecto Logicæ adaptare: dicamus ergo, quòd subjectum in tota Logica erit syllogismus in communi, ut abstrahit à demonstrativo, topico, & sophistico; hoc enim considerat Logica per se primò, principaliter, & per omnem modum; quidquid enim considerat, in ordine ad syllogismum considerat; ipsam autem syllogismi cognitionem non ad aliud ordinat, non enim cognitione determinata proceditur à ratione communi ad species suas: quarè non ordinatur determinatio de syllogismo ad cognitionem demonstrationis, sed magis ê contra; de demonstratione determinat, quia species est syllogismi, & pro plene habenda syllogismi notitia. Deinde, quia in demonstratione principaliter reservatur ratio syllogismi, de ea agit per se, & primò, & principaliter, sed non per omnem modum; quare ea erit objectum principalitatis, sive attributionis. Tandem cætera attingit per se, sed non primò, quare objectum minùs principale, sive attributum, nempè topicum, & sophisticum ut partes syllogismi, quantum est totum potestativum cætera sive ut passiones ejus, sive ut partes, in quantum est totum integrale, aut essentiale.

ARTICULUS II.

Quodnam sit objectum materiale Logicæ?

11 NOto primò, quòd conceptus dividitur in formalem, & objectivum: formalis est actus ipse intellectûs, quo rem concipit: objectivus est res ipsa concepta, sive idôlum, seu imago rei, quam intellectus apprehendendo se format de re, & dicitur res ipsa ut concepta; quare non benè adeo qui calumniantur, ponentes objectum materiale Logicæ esse res ipsas; non enim ponunt res secundùm quod in se ipsis sunt, sed res ut conceptas; nullus enim ponit Logicam esse de rebus, ut res sunt, sed ut intentionibus subjiciuntur: hoc autem est esse de conceptibus objectivis.

12 Noto deinde, quòd nomen *Intentio* propriè significat actum voluntatis, quo finem sibi præstituit, inde autem transfertur ad intellectum: dividitur pariter

in formalem, & objectivam: formalis est actus ipse, seu tendentia intellectûs; objectiva verò terminus ejus, sive conceptus objectivus. Utraque subdividitur in primam, & secundam: prima intentio est tendentia intellectûs ad rem ipsam, secundùm quod in se ipsa quid est: secunda autem, quæ rem attingit secundùm aliquod esse, vel denominationem, quam sibi tribuit intellectus: v. g. actus, quo concipitur homo, est prima intentio formalis, & homo ipse ut conceptus, est prima intentio objectiva: actus, quo concipitur hominem esse speciem, est secunda intentio formalis; id, quod tali actu attingitur, nempè ratio ipsa speciei, in quocumque ea consistat, est secunda intentio objectiva.

13 Prima ergo sententia ponit, objectum materiale Logicæ esse voces. Hæc sententia fuit Nominalium, qui sic dicebantur, quòd ponerent, scientias non esse de rebus, sed de nominibus, sive vocibus, quibus res significantur: eo autem sic ponere coacti sunt, quia putabant nihil esse in re universale, & quia de singularibus non est scientia, posuerunt omnes esse de vocibus. Sed hæc jam à Scholis exulat. Secunda sententia docet, esse conceptus formales. Sic tenent communiter DD. Societatis, qui ponunt, objectum formale esse directionem, vel dirigibilitatem actuum in formam artefacti Logici. Tertia sententia ponit, esse conceptus objectivos; sive primam intentionem objectivam, quæ est fundamentum secundæ, in qua consistit forma Logicæ. Sic cæteri communiter; & hanc expresse docet B. D. in Prol. ad lib Elench. Pro qua

14 Sit nostra Conclusio: Objectum materiale Logicę sunt conceptus objectivi. Prob. primò ex B. D. cit. Prol. ad lib. Elench. ubi ait: *Tenet enim se Dialectica ex parte rationis; non quòd propriè sit de actibus rationis, ut in dubitationibus patebit, sed propriè est de conceptibus, & intentionibus, quæ per actus rationis formantur.* Rursùs ibi dub. 1. quærit: An Logica sit de actibus rationis? Respondet autem: *Ad quod dici potest, quòd, etsi aliquomodo de actibus rationis sit Logica, propriè tamen non est de actibus, sed de intentionibus, & conceptibus, qui per hujusmodi actus formantur: quod duplici via venari possumus.*

15 Duas ergo rationes adducit ad probandam hanc conclusionem. Primò sic proponit: *Nam cùm Logica propriè dicatur scientia rationalis, ut dictum est, propriè erit de his, ad quæ comparatur ratio in eo, quòd ratio; ratio autem ad duo comparatur, scilicèt ad actum, & ad id, quod per actum constituitur. Ad hæc autem duo ratio nostra non uniformiter comparatur; nam quòd tendat in actum, hoc non habet, ut ratio est, nam & sensus tendit in actum suum; sed*

quòd ex actu aliquid formet, competit intellectui, & rationi magis per se: Dialectica ergo, quæ propriè rationalis est, magis erit de hujusmodi conceptibus, quàm de actibus. Secundam rationem sic proponit: *Amplius discurrendo per lib. Logicæ videmus verum esse, quod diximus: liber enim Prædicament. est de conceptibus, quos formamus in intelligendo prædicamenta, & non de actu intelligendi, per quem talia intelligimus; cùm enim dico substantia, ly substantia non significat actum intellectus, per quem intelligo substantia, sed significat conceptum quendam, & rationē quandam, quam formo in intelligendo substantiam.* Et prosequitur, de singulis idem ostendens.

16 Prob. secundò ratione: Illud est objectum materiale Logicæ, quod se habet velut materia, in qua immediatè, & per se fundatur forma ipsius; sed talis forma immediatè, & per se fundatur in conceptu objectivo: ergo. De majori nullus dubitat, prob. ergo minor: In illo fundatur forma Logicæ, cui convenit disponi in formam artefacti; sed sic disponi per se, & ratione sui convenit conceptibus objectivis: ergo. Patet maj. quia forma Logicæ est dispositio artificiosa in formam modi sciendi. Ostenditur minor: Talis artificiosa dispositio solùm reperitur in vocibus, in conceptibus formalibus, & in conceptibus objectivis; sed vocibus, & conceptibus formalibus non ratione sui convenit sic disponi, sed ratione conceptûs objectivi: ergo in conceptu objectivo per se, & immediatè fundatur illa forma.

17 Hæc minor quantum ad primam partem de vocibus, patet de facili: utimur enim vocibus, ut manifestemus conceptus: ergo in tantum voces habent artificiosam dispositionem, in quantum significant conceptus, & pro eis substituunt, in quibus propriè reperitur illa dispositio. Antecedens patet ex ipsa vocis definitione, qua dicitur, quòd est sonus articulatus ex intentione aliquid significandi, quare ad hoc assumitur, ad manifestandam illam intentionem, & conceptum, quem habemus in mente. Conseq. item clara est, si enim pro conceptu substituunt, dispositio est tantùm significativè in vocibus, formaliter verò in conceptu, quem significant. Præterea: Logica non est de vocibus, est enim rationalis scientia: ergo in tantum voces disponit in formam artefacti, in quantum per eas significat dispositionem, quæ est in conceptu formaliter, & propriè.

18 Quantum ad secundam partem de conceptibus formalibus, in quo est difficultas, probatur eadem minor, primò: Quia conceptus formalis specificatur à conceptu objectivo; sed specificatum trahit perfectionem suam ex ipso specificativo, quod se habet ut forma ejus: ergo in tantum habet repe-

reperiri in actibus forma Logicæ, in quâtum ea reperitur in conceptibus objectivis. Secundò: Actus, sive conceptus formalis, quo apprehenditur homo, quantum est ex parte ipsius actûs, idem omninò est, ac quo apprehenditur animal: ergo, si alter dicitur conceptus generis, alter verò speciei, ex ipso habet conceptu objectivo, & re, quam attingit. Patet antecedens, quia quantum est ex parte actûs, tantum est tendentia intellectûs in objectum; sed hoc uniformitèr se habet: differentia ergo tota est ex conceptu objectivo, & re attacta.

19 Præterea: Aut actus ponitur objectum materiale Logicæ secundùm se, & præcisè, ut actus intellectûs est, aut prout comparatur ad conceptum objectivum, qui per illum formatur? Sed primo modo spectat ad lib. de Anim. secundo modo habet à conceptu objectivo specificari: ergo. Rursùs: In tantum ad Logicam pertinent actus intelligendi, in quantum possunt dirigi; sed solùm ratione conceptus objectivi possunt dirigi: ergo. Prob. minor: Directio Logicæ non est subjectiva, sed objectiva: ergo non actus per se, sed objecta actuum respicit, & attingit. Explicatur exemplo B. D. in 2. dist. 26. de puero nesciente scribere, quem duobus modis poterit Magister dirigere, nè erret in scribendo: primò ostendendo ei literas benè formatas, ut adinstar illarum benè efformet; secundò accipiendo manum ejus, & ducendo calamum in formando literas: prima directio est objectiva, & quæ respicit objecta actionum; secunda est subjectiva, & quæ respicit actiones ipsas; jam autem patet, quòd Logica non hoc secundo modo, sed priori dirigit intellectum: non ergo habet pro objecto, & materia, circa quam versatur, actiones intellectûs, seu conceptus formales, sed objecta earum, seu conceptus objectivos.

20 Ex his præclusa manet evasio, qua quis posset dicere, quòd Logica non agit de actibus secundùm se, & ut actus sunt, sed in eo, quòd disponuntur in formam modi sciendi; ita quòd hæc dispositio, quæ est secunda intentio formalis, sit objectum formale Logicæ; ipsi verò actus, qui sic disponuntur, sint objectum materiale, quoniam Logica est directiva intellectûs, nè erret in actibus suis: ergo ipsos actus debet habere pro materia, non conceptus objectivos, qui cùm sint res ipsa cognita, agere de his magis esset dirigere res ipsas, quàm intellectum in actibus suis. Præclusa, inquam, manet, quia tàm prima, quàm secunda intentio formalis sunt propter objectivam, & ab illa specificantur; quare magis objectivam, quàm formalem attingit Logica, quoniam objectivam per se, formalem verò ratione objectivæ. Nec obstat ratio, quia directio Logicæ non est subjectiva, & ad ipsos actus

per

per se, & immediatè, sed objectiva; nec hoc est res ipsas dirigere, sed ostendendo modum attingendi res, dirigere actus, per quos debent attingi: ipsas ergo res ut conceptas, seu, quod idem est, conceptus objectivos habet pro materiali objecto.

21 Arguitur primò: Logica non attingit adhùc tanquam materiam, immediatè conceptus objectivos, sed formales: ergo hi potiùs sunt illius objectum materiale. Prob. antecedens: Logica non attingit conceptum formalem medio objectivo, sed ê contra, objectivum medio formali: ergo hunc potiùs, quàm illum attingit immediatê. Patet antecedens, quia quælibet potentia immediatè exercetur per actum suum, & intellectus medio actu format conceptum objectivum. Nec ostat, si dixeris objectum materiale non esse, quod immediatè attingitur, sed in quo immediatè reperitur forma. Non, inquam, id obstat; si enim conceptum objectivum attingit Logica medio formali, in conceptu objectivo habet inducere formam, mediâ formâ, quam inducit in conceptu formali.

22 Resp. disting. antec. Non attingit immediatè conceptus objectivos, in ordine exercitii, conc. antec. in ordine dignitatis, & perfectionis, neg. antec. & sub eâdem distinct. probationem ejus. Itaque exercitio, & executione non nisi mediq actu attingitur terminus ejus; hoc autem non tollit, quin talis terminus sit, quod potentia immediatè, & per se intendit, quia actum non per se ipsum, sed propter terminum respicit, & attingit: Logica ergo, quia non subjectivè, sed objectivè intellectum dirigit, nõ actiones ipsas, seu actus intelligendi immediatè, & per se ipsos respicit, sed objecta, seu conceptus objectivos, quamvis executione, & exercitio non nisi medio actu objectum attingat.

23 Arguitur secundò ex Pontio: Scientia agens de beatitudine nostra, æquè attingit objectivam, & formalem, similitèr facultas dirigens actus humanos, non solùm agit de objectis, sed etiam de actibus: ergo paritèr Logica dirigens intellectum, æquè respicit actus, & objecta, & non solùm habet pro objecto materiali conceptus objectivos, sed etiam formales.

24 Hoc argumentum duo assumit æquè falsa, quare neg. anteced. quantum ad utrumque, & ad primam partem dico, quòd Theologia, quæ agit de beatitudine nostra, habet pro objecto Deum sub ratione Glorificatoris, ut docet B. D. q. 1. Prol. quare beatitudinem objectivam, quæ est Deus ipse, respicit per se, & primò per omnem modum, tanquam subjectum, sive specificativum suum, beatitudinem verò formalem, quæ est actus, quo illam assequimur, per se quidem, sed non primò, sed in ordine ad subjectum suum, cujus

jus cognitionem intendit. Neque ex hac facultate, sicut neque ex cæteris realibus licet paritatem facere ad Logicam; quia istæ sunt de rebus ipsis, Logica verò non de rebus est, sed de conceptibus rerum: nihilominùs potiùs ex argumento pro nobis, quàm contra nos colligitur; sicut enim, quia formalis beatitudo est actus noster de se ordinatus ad attingendam objectivam, non æquè per se attingitur, sed ordine, & propter ipsam objectivam; ita in Logica dicendum de conceptu formali.

25 Ad secundam partem antecedentis dicitur, quòd Ethica dirigit voluntatem agendo de objecto illius, & tradendo regulas, & præcepta illud debitè attingendi; quare non respicit per se actus æquè, ac objecta, sed per se ipsa objecta, actus verò, ut objecta attingunt. Accedit, quòd Ethica, ut præcepta tradat, quibus dirigit voluntatem, non attingit objectum ejus, secundùm quod sub actu est, seu secundùm denominationem aliquam secundò intentionalem, & ab actu provenientem, sed attingit illud, secúdùm quod in se ipso est attingibile; at verò Logica intellectum instruens de rebus cognoscendis, attingit res, non ut in se ipsis sunt attingibiles, sed secundùm quasdam denominationes generis, definiti, propositionis, & similes, quæ rebus ut conceptis dumtaxat conveniunt; quare sunt materia Logicæ res ipsæ, ut in conceptu sunt, qualitèr ipsis tales intentiones conveniunt.

26 Arguitur tertiò ex eodem: Definitio tradita à Logico de syllogismo, & quovis artefacto æquè cõvenit conceptibus formalibus, & objectivis: ergo æquè utrique sunt objectum materiale Logicæ. Prob. antec. Quando dicitur, quòd syllogismus est *oratio in qua quibusdam positis &c.* æquè potest intelligi de oratione formali, & objectiva; sed intelligendo de formali, convenit syllogismo, qui est in conceptu formali, intelligendo de objectiva, convenit ei, qui est in conceptu objectivo: ergo.

27 Resp. neg. antec. ad probat. ejus neg. maj. Quia hoc, quod per definitionem significatur, videlicèt, quòd ex uno aliud sequitur, non æquè convenit conceptibus formalibus, & objectivis; est enim illa vis connexio ipsa, quæ est in rebus, quare rebus ipsis sive in se, sive conceptis per se convenit; & actibus, sive conceptibus formalibus, in quantum objectivos respiciunt tanquam terminum, à quo specificantur: non ergo æquè per se convenit utrisque, sed ordine, & uni propter alterum, nempè formali propter objectivum, & sic attinguntur à Logica.

28 Arguit. quartò ex eodem: Finis Logicæ est cognoscere bonum syllogismum, & traderc regulas pro eo formando; sed hoc æquè præstat agens de formali, ac agens de objectivo: ergo. Probat. min.

min. Si quis cognoscat formalem discursum juxta regulas factum, vel faciendum, æquè benè erit instructus ad formandum syllogismum, ac si cognoscat objectivum: ergo æquè benè dirigit Logica per objectivum, & per formalem. Patet antec. quia non est alia structura hujus, & illius.

29 Resp. missa maj. neg.min. ad prob.ejus dato antec. neg.consec. Ratio est, quoniam rectitudo formalis artefacti non nisi ex objectivo cognosci potest; ex eo enim, quòd quis videat conceptus de re juxta regulas ordinari, cognoscit actus, per quos hujusmodi conceptus formantur, rectè attingere: eadem ergo est rectitudo, & dispositio conceptuum, & actuum, per quos formantur; sed quoniam isti ex natura rei ad conceptus objectivos ordinantur, & ab illis specificantur, non æquè, sed ordine, & dependentia unius ad alterum, attinguntur à Logica. Poterit ergo haberi cognitio de rectitudine, quæ est in conceptibus objectivis præcisivè à cognitione rectitudinis, quæ est in formalibus, si intellectus in illa sistens non progrediatur ad considerandum de actibus; non autem poterit à contrario haberi notitia rectitudinis, quæ est in actu, nisi habeatur de conceptu objectivo, quoniam ab ista specificatur, & cognoscitur illa, sicut quilibet motus à termino suo. Ex his poterit ad alia patere solutio.

ARTICVLVS III.

Quodnam sit objectum formale specificativum Logicæ?

§. I.

Quibusdam notatis, referuntur sententiæ.

30 NOtandum primò, quod Logica, sicut quicunque alius habitus, non respicit objectum suum in esse entis, & ut est, sed in esse objecti; procedit enim quælibet facultas circa objectum suum ostendendo passiones & proprietates ejus, vel per rationes demonstrativas, si est habitus scientificus; vel per probabiles, si est opinativus, ut ex hoc subjecto sui plenam tradat notitiam: quare sibi solùm est de per se ordo ipsius subjecti ad passiones suas, non autem, quòd sit ens reale, vel rationis, id enim omninò est sibi per accidens; si enim constet, hoc subjectum has, vel illas partes, passiones, & proprietates habere, quæ de illo probentur, & tali gradu certitudinis cum illo connecti, eodem modo pertinet ad habitum & illum specificat, sive sit ens reale, sive rationis; tantum enim de illo determinat secundùm ordinem & connexionem ad passiones, & proprietates suas.

31 Hoc notaverim, ut omninò abstrahendum constet ab illa

qua-

quæstione: An objectum Logicæ sit ens reale, vel rationis? Si enim constare poterit, an Logica passiones, & proprietates ostendat de secunda intentione, vel de syllogismo, aut de conceptibus directis in formam artefacti, illius notitiam intendit, & de illo tanquam de subjecto agit, de quo sic ostendit, sive id sit ens reale, sive rationis, easdem enim passiones habet, & eodem modo de illo probantur, sive reale sit, sive rationis, cùm per definitionem ipsius probentur, quæ eadem esse supponitur, v. g. supponitur, quòd syllogismus est *oratio, in qua quibusdam positis* &c. Ex hac definitione, qua explicatur quidditas syllogismi, probantur, quæ de syllogismo ostendit Logica: quid ergo sibi refert, quod postea quæritur: An syllogismus formaliter sit ens reale, vel rationis?

32 Hinc colliges, qualem habeat vim argumentum illud, quod multoties nonnulli contra Thomistas urgent: quòd nempè ens rationis non potest habere realem passionem, qualis est causare scientiam; item, quòd Logica est realis habitus: ergo, cùm causetur ab objecto suo, hoc non poterit esse ens rationis. Contemnendum, me judice, argumentum: quoniam causare scientiam, nihil est aliud, quàm causare assensus certitudinem talem; hæc autem non fundatur in entitate objecti, sed in connexione illius, ad passionem, quæ probatur; poterit autem æquali certitudine, & evidentia connecti, sive sit ens reale, sive rationis. Similiter: Habitus causatur ex frequentatis actibus circa objectum; actus autem causatur ab objecto, in quantum ab illo specificatur, quod non importat in objecto realem aliquam causalitatem, aut influentiam, sed terminabilitatem tantùm, seu rationem formalem, vi cujus terminat, ad quod de materiali est omninò, quòd sit ens reale, vel rationis.

33 Noto secundò, quòd syllogismus, de quo potissimè quærimus, an sit subjectum in Logica, multiplicitèr accipitur: primò pro ipsa forma abstracta ab omni materia; sic est secunda intentio consistens in dispositione ipsa artificiosa propositionum, & terminorum. Secundò accipitur pro concreto ex utroque, hoc est, pro ipsis propositionibus dispositis præscindendo ab omni materia; sic est syllogismus simplicitèr, qualem gratiâ exempli sæpè adducit Philosophus in lib. Prior. in caracter. formatum; de quo notandum ulteriùs, quòd non dicitur præscindere ab omni materia, quasi solam formam dicat; sic enim non syllogismus, sed forma esset, sive secunda intentio syllogismi, ut primam accipi diximus: dicitur ergo præscindere ab omni materia, quia nullam determinat, sed transcendentem accipit, & communem.

34 Tertiò accipitur determinatus ad aliquam materiam, nempè pro ipsis propositionibus in materia necessaria, probabili, aut sophistica dispositis in formam syllogismi; & secundùm hanc acceptionem triplex est syllogismus, nempè demonstrativus, in materia necessaria; topicus, in materia probabili; & sophisticus, in materia fallaci, seu æquivoca. Certum est, syllogismum in materia determinata non esse subjectum specificationis totius Logicæ, quia secundùm specialem acceptionem determinat sibi specialem partem Logicæ, ut de demonstrativo agitur in lib. Post. de topico in lib. Top. de sophistico in lib. Elench. relinquitur ergo dubium de syllogismo simpliciter, sive in communi.

35 De quo noto tertiò, quòd facultas quælibet de subjecto suo agit, ut est quoddam totum; & quia in cognitione determinata, notitia totius ex partibus habetur, partes, passiones, & proprietates subjecti explicat, quo plenam de ipso notitiam assequatur. Multipliciter itaque accipitur totum; est enim totum potentiale, seu potestativum, cujus partes sunt species, in quas ratio communis dividitur; deinde totum essentiale, sive actuale, cujus partes sunt prædicata quidditatis, sive physica, sive metaphysica; & totum integrale, cujus partes sunt accidentia, passiones, & quæcumque ad integritatem entitatis pertinent.

36 De subjecto secundùm pl[e]nam totalitatem tota facultas de[-]terminat, & est specificativum to[-]tius facultatis secundùm hanc om[-]nimodam totalitatem, quia qua[-]cumque ad subjectum pertinent, sive ut species ejus, sive ut parte[s] essentiales, sive etiam ut passiones & accidentia, tota determinat fa[-]cultas; non est autem inconve[-]niens, quòd idem subjectum se[-]cundùm aliquam tantùm totali[-]tem determinet sibi specialem pa[-]tem, & tractatum in facultate, sit subjectum illius, ut patere[t] terit in multis, v. g. totius Ph[i]sophiæ subjectum est mobile, u[t] naturale, quod etiam est subject[um] in lib. Physic. Theologiæ subj[e]ctum Deus est, de quo tamen sp[e]cialem tractatum instituit Theo[-]logia. Idem poterit in aliis pate[t] quare poterit syllogismus esse su[b]jectum in speciali parte Logic[æ] nempè in lib. Prior. & nihilom[i]nùs esse subjectum in tota Logic[a] nempè syllogismus simpliciter [se]cundùm specialem totalitatem [e]subjectum in speciali parte Log[i]cæ, secundùm totalitatem omn[i]modam est subjectum totius L[o]gicæ.

37 His præmissis, omnes ve[-]le sententias referre, longissimu[m] esset; refert enim ex Lync. Esp[i]21. capitales: ergo & principali[a] res sententias referemus, mis[-]in unaquaque particularibus [a]cendi modis. Prima itaque sente[n]

tia ponit, ſpecificativum Logicæ eſſe conceptus intellectûs ut dirigibiles, ſeu dirigibilitatem ipſam in formam modi ſciendi, ſeu artefacti Logici. Sic communiter DD. Societatis, quibus ê Schola Reſoluti adhæret Dionyſ. lib. 2. diſt. 4. q. 3. & huic annumerandam puto ſententiam N. Manſo, qui q. 8. proœm. §. 7. ponit veritatem formalem reflexam. Quia enim veritas eſt objectum intellectûs, habitus intellectuales ipſum adjuvantes de eodem ſunt objecto, nempè de veritate; quare Logica, quæ eſt ſcientia reflexa, habebit pro objecto veritatem reflexam: conſiſtit autem hæc in conformitate intellectûs cum ſecundis intentionibus.

38 Hæc, inquam, à præcedente ſolis terminis differt, quoniam idem omninò eſt directio actuum in formam modi ſciendi, ac conformitas cum regulis Logicæ, & natura ſecundarum intentionum; per hoc enim, quòd intellectus rem attingit, prout attingi exigit ſecunda intentio, quam format, quod eſt conformitatem habere, habet directionem, quæ in illa eadem conformitate conſiſtit: quòd ſi illa conformitas non actus ſit, ſive conceptus formalis, ſed objecti, ſeu conceptûs objectivi, non formalis veritas eſt, ſed objectiva, & tunc eſt ſecunda ſententia, ipſa nempè ſecunda intentio.

39 Secunda ſententia ponit pro objecto Logicæ ſecundam intentionem objectivam in communi, prout comprehendit omnia, de quibus tractat Logica, tàm intentiones ſimplices generis, ſpeciei &c. quàm compoſitas propoſitiones ſyllogiſmi &c. Ita Thomiſtæ, eſtque communior ſententia, cui adhæret Schola Reſoluti, Eliſeus licèt in explicando, in quo conſiſtat ſecunda intentio, à Thomiſtica ſententia differat, & ex NN. Villan. diſp. 1. dub. 4. Hæc latè nimis ſubjectum Logicæ aſſignat; habent enim Rhetoricus, & Grammaticus ſecundas intentiones, ſiquidem nomen, verbum, oratio, & ſimiles non ſunt denominationes à parte rei convenientes, ſed ex attributione intellectûs: quòd ſi ſubjectum Logicæ, non quæcumque ſecunda intentio, ſed Logica dicatur, tunc dubium ſupereſt, per quid ad Logicam determinatur, propoſitiones enim, argumentationes, & definitiones Rhetorica etiam habet; quare ſolus ſyllogiſmus eſt ſecunda intentio propriè Logica.

40 Tertia ſententia ponit, ſubjectum Logicæ eſſe ſyllogiſmum ſimpliciter, ſive in communi, prout abſtrahit à demonſtrativo, topico, & ſophiſtico. Hanc tenet B. D. locis infrà citandis, ſequuntur ejus Diſcipuli, Fulg. Bonher. Gavardi, & alii; pro eadem citatur Scotus, & Scotiſtæ, qui tamen de Logica diſtinguunt; ut enim Maſtrius docet q. 1. artic. 3. eſſeque, ait, communem Scotiſtarum ſententiam, uno excepto Pontio, Logica,

gica, ut à Philosopho traditur, habet pro subjecto syllogismum; at vero ex natura rei, & prout exigit ipsa, habet pro subjecto modum sciendi, ut comprehendit tres operationes intellectûs, definitionem, divisionem, & argumentationem.

41 Hæc tamen distinctio inutilis prorsùs apparet: præterquam quòd enim dicetur, Philosophum non tradidisse Logicam, ut ex natura rei tradi exigit; quandoquidem subjectum, quod ibi competit ex natura rei, non competit, ut à Philosopho traditur; ulteriùs: non ampliùs comprehendit modus sciendi, quàm syllogismus, neque Logica, ut à Philosopho traditur, ad tertiam limitatur intellectûs operationem dirigendam: primum eo patet, quia definitio, propositio, & termini etiam, partes sunt syllogismi, de quibus agere debet habitus habens pro subjecto syllogismum; quare ea omnia, quæ comprehenduntur sub consideratione modi sciendi, comprehenduntur etiam sub consideratione syllogismi. Secundum item patet, quia Logica, ut à Philosopho traditur, de simplicibus intentionibus, de definitione item determinat, quæ ad primam pertinent intellectûs operationem, nempè lib. Prædicam. qui est de simplicibus; deinde lib. habet Perher. in quibus de enuntiatione agitur, quæ ad secundam pertinet: tres ergo intellectûs operationes dirigit Logica, ut à Phil. traditur.

§. II.

Proponitur, & probatur nostra Conclusio.

42 Dicendum ergo: Subjectum specificativum Logicæ est syllogismus simpliciter. Prob. primò ex B. D. in Prol. super univ. ubi sic ait: *Logica, in quantum subjectum est syllogismus, sic dicitur: aut est de syllogismo, aut de partibus ejus: si de partibus, aut de propinquis, aut remotis: si de remotis, sic est lib. Prædicam. in quo terminatur de termino, qui est pars remota syllogismi: si de propinquis, sic est lib. Perh. in quo determinatur de enuntiatione: si autem de syllogismo, hoc erit, aut de syllogismo in communi non contracto ad aliquam materiam, & sic est lib. Prior. aut contracto ad aliquam materiam, & hoc dupliciter, quia aut contrahitur ad materiam necessariam, & sic est lib. Post. aut ad materiam probabilem, & hoc dupliciter; quia, aut ad probabilem simpliciter, & sic est lib. Top. aut ad probabilem apparenter, & sic est lib. Elench.*

43 Ex quibus hæc deducitur ratio: Illud est specificativum facultatis, quod adæquat considerationem illius, & ex cujus divisione dividitur facultas; sed ita est syllogismus respectu Logicæ: ergo &c. Patet maj. ex tali enim consequitur unitatem, & distinctionem

quod est specificari: Ostenditur minor: Logicæ consideratio ad ea extenditur, quibus intellectus dirigitur in suis operationibus, & secundùm ea habet dividi; sed illa omnia adæquat, & comprehendit syllogismus simpliciter: ergo. Patet major, quia Logica est facultas directiva rationis, & secundùm quod tres sunt intellectûs nostri operationes, tres partes essentiales assignantur Dialecticæ, ait D. N. in Prol. ad lib. Post. Minor item patet divi one suprà assignata in tot. B. D. syllogismus enim secundùm totalitatè actualem comprehendit, ut partes sive proximas, sive remotas, terminos, & propositiones; secundùm totalitatem verò potestativam, omnes species syllogismi, quæ omnia sunt, de quibus tota est Logica, & quibus triplex operatio nostri intellectûs dirigitur.

44 Prob. secundò ex eodem B.D. in Prol. ad lib. Elench. dub. 1. ubi, cùm quæreret: An Logica differat à Rhetorica? respondet: *Dicendum, quòd inter ea, quæ ex parte rationis se tenent, quædam sunt violentiora, & magis efficaci, quædam verò sunt infirmiora, & magis debilia, ut syllogismus est efficacior, quàm enthimema, & inductio magis, quàm exemplum: est ergo rationalis Dialectica, & Rhetorica, aliter tamen, & aliter, quia Dialectica principaliter considerat, quæ sunt efficaciora ad concludendum, ut sunt syllogismus, & inductio; Rhetorica verò considerat debiliora, ut enthimema, & exemplum* Neque moveat, quod ait, Logicam esse de inductione, & syllogismo; ut enim habet ipse Doctor in Prol. ad lib. Prior. dub. vlt. in solutione ad 3. *Inductio nullam habet necessitatem de se, sed à syllogismo*; quare inductio ad Logicam pertinet, ut reducitur ad syllogismum; & quia efficacior est, & magis habet reduci, quàm enthimema, & exemplum, dicitur magis ad Logicam pertinere.

45 Ex hoc loco ratio deducitur valdè efficax, sic formatur: Illud est specificativum cujuslibet, per quod habet ab omni alio distingui; sed Logica solùm per syllogismum habet ab omni alia facultate distingui: ergo. Maj. nota est, quia specificativum notificat speciem, & quidditatem specificati; non autem potest notificare, si non distinguit. Minor, in qua est difficultas, probatur per singula, de quibus posset dubitari: in primis enim directionem in formam proprii artefacti habent Grammatica, & Rhetorica, cùm in utraque facultate propria sint artefacta; & quamvis Grammatica tantùm voces dirigat; Rhetorica autem dirigit conceptus, cùm argumentari habeat, quod soli rationi competit.

46 Deinde: De secundis intentionibus agunt pariter Grammatica, & Rhetorica, ut patuit suprá n. 39. Tandem; Instrumenta scien-

sciendi, nempè propositiones, definitiones, & argumentationes Rhetorica habet, ut cuique notum est: relinquitur ergo Logicæ speciale, & quo ab illis differat, tale speciale instrumentum sciendi, nempè syllogismus, & quod de cæteris agit, ut ad syllogismum ordinantur, nempè in hoc differt v. g. definitio Logici à definitione Grammatici, aut Rhetorici, quòd Logica definitio, eo quòd ad syllogismum ordinata, cujus est de necessitate concludere, certior est; Rhetorica autem, aut Grammatica magis est quædam descriptio.

47 Confirmat. hæc ratio: Logica, ut contradistinguitur á Rhetorica, est directiva intellectûs, ne erret in suis operationibus: ergo ejus subjectum est syllogismus, & de instrumentis sciendi tantùm agit, in quantum ordinantur ad syllogismum. Ostenditur anteced. Quia quidditas, & institutum Rhetoricæ est affectum commovere, quare dirigit intellectum, ut benè ratiocinetur, non ad vitandum errorem, & assequendam veritatem, sed tantùm ad commovendum audientis animum; at verò Logica ex instituto suo habet intellectum dirigere præcisè ad vitandum errorem, & assequendam veritatem; & ideo ait Doctor, quòd Logica assumit efficaciora, quæ nempè de necessitate convincunt, Rhetorica verò apparentia, & quæ animum movent. Hinc patet conseq. quia tantùm syllogismus de necessit... habet convincere, & alia argume... ta tantùm, quatenùs reducunt... ad syllogismum; item, definiti... quatenùs ordinata ad syllog... mum, debet esse certa, & quid... tativa.

48 Prob. tertiò ex eodem... D. q. 1. sup. univ. qua de hoc i... so quærit: An subjectum in Log... ca sit syllogismus? respondet affi... mativè. Rursùs, in Prol. ad li... Post. dub. 2. Item, in Prol. ad li... Prior. dub. ult. in solutione ad... ubi, cùm argueretur, quòd n... est subjectum totius, & partis,... syllogismus simpliciter est s... ctum in tota Logica: ergo non... subjectum in lib. Prior. resp. ... *tertium dicendum, quòd tota Lo... ca est de syllogismo simpliciter,... lib. Prior. est de syllogismo simp... citer, sed alio, & alio modo: na... cùm dicitur, quòd tota Logica est... syllogismo simpliciter, hoc intel... gendum est, quòd est de syllogis... totaliter, & secundùm omnes e... differentias; cùm autem dicitur... quòd lib. Prior. est de syllogis... simpliciter, hoc intelligendum e... quòd est de syllogismo in genere, ... non contracto ad materiam speci... lem.* Ubi non obstante, quòd s... logismus secundùm totalitate... actualem est subjectum in li... Prior. illum ponit subjectum ... tota Logica secundùm omnim... dam totalitatem.

49 Prob. quartò ex doctrin... ejusdem B. D. sup. data ex q. ...

Pro...

Prol. In quacumquè facultate specificativum non comprehendit æquè per se, & per communitatem prædicationis quæcumque tractantur in illa facultate, sed aliqua per se secundò, alia per se primò, non tamen simpliciter; est autem subjectum, quod per se primò considerantur simpliciter, seu per omnem modum; jam autem in Logica se habet syllogismus: ergo. Major latè explicata est art. 1. & ratione patet, siquidem facultas quælibet per se habet considerare partes, passiones, & proprietates subjecti sui; non autem eodem modo per se subjectum, & partes, aut passiones ejus. Patet item minor, quia communis ratio secundæ intentionis, aut directio, sive dirigibilitas conceptuum communis est per prædicationem univocam; solus autem syllogismus se habet ut totum, cujus partes, aut proprietates sunt quæcumque determinantur in Logica.

50 Et confirmatur: Subjectum non prædicatur per se de his omnibus, quæ per se tractantur in scientia; sed secunda intentio, sive directio conceptuum ita prædicatur: ergo non ista, sed syllogismus est subjectum in Logica. Patet major, quia processus scientis, sive facultatis intellectualis est tradere notitiam objecti sui, probando de ipso quæcumque sibi conveniunt, sive ut partes, sive ut passiones; quæ aliter se habet objectum scientiæ, & potentiæ, quia potentia quidquid attingit, attingit, quatenùs in eo includitur ratio specificativa; unde objectum potentiæ commune est per prædicationem omnibus, quę potentia attingit; at verò subjectum non prædicatur de passionibus, aut etiam de partibus sive essentialibus, sive integrantibus: ergo. Patet item principalis minor, quia quæcumque tractantur in Logica per se, sunt secunda intentio simplex, aut composita, & propriam directionem habent, non autem omnia sunt syllogismus.

§. III.

Solvuntur argumenta, quæ directè sunt contra conclusionem.

51 MUlta quidem in contrarium objiciuntur, quæ si vellemus omnia percurrere, in immensum abiret disputatio; oportet autem principaliora, & quæ magis urgent, solvere; quod, ut commodiùs fiat, primùm, objiciemus, quæ directè contra nos militant; deinde aliorum fundamenta, quatenùs possunt contra nos esse. Arguitur itaquè primò ex authoritate B. D. in Prol. ad lib. Elench. ubi ait: *Videtur tamen, si per se loqui volumus, quòd divisio Logicæ magis sit accipienda secundùm conceptus, & intentiones, qui formantur ex his actibus.* Et procedit dividendo libros Logicæ, ita quòd

quòd lib. Prædicam. sit de intentionibus simplicibus, lib. Perhier. de intentionibus complexis, quæ pertinent ad judicium, & reliqui libri de intentionibus item complexis, quæ pertinent ad discursum; sed specificativum est, ex quo facultas divisionem habet, ut nos suprà diximus: ergo.

52 Resp. quòd locus B. D. non absolutè facit divisionem Logicæ, sed comparativè ad conceptus formales, sive actus intelligendi: quare ait, quòd per se loquendo, magis ex divisione conceptuum, & intentionum, quàm ex divisione actuum accipienda est divisio Logicæ, quo intendit, quòd magis sunt materia, circa quam versatur Logica, conceptus, & intentiones, quàm actus; quod non tollit, quin subjectum specificativum syllogismus sit; quia quando materia, circa quam potest una communi ratione accipi, nihil prohibet, quòd ex divisione ejus accipiatur divisio facultatis, quæ tamen minùs propria erit: subjectum ergo est id, ex quo facultas habet unitatem, & divisionem propriè, & simpliciter, quod in Logica competit syllogismo.

53 Arguitur secundò ex eodem B. D. in eodem Prol. dub. 1. quærit, de quibus sit Logica? Et postquàm probat, quòd est de conceptibus, & intentionibus per actus formatis, sub finem ita habet: *Patet ergo, de quibus sit Logica, quia est de hujusmodi conceptibus, & intentionibus formatis actum intelligendi: partiales libri Logicæ dividuntur, secundum quod in diversis libris determinatur de diversis conceptibus, & intentionibus: nam sicut corpus mobile communi modo acceptum subjectum in tota naturali Philosophia, contractum tamen ad vel illud est subjectum in hoc vel in illo; sic hujusmodi intentiones universaliter Logicam comprehendunt; determinatæ verò ad vel illud, ut ad syllogismum, vel enuntiationem, determinant sibi versos libros Logicæ.* En ubi intentiones respectu Logicæ com ad corpus mobile respectu P sophiæ; sed corpus mobile in tentia ipsius est specificati Philosophiæ: ergo. Deinde quòd determinatæ ad syllogis determinant sibi specialem libr ergo syllogismus non est to Logicæ subjectum.

54 Nonnihil habet appare locus iste, sed quandoquidem non debet, quòd Doctor sibi trarius est, præsertim in uno, & dem loco; fateamur, necesse quòd non de subjecto loquit sed de materia, circa quam ver tur Logica, ut dictum est ad p cedens; præterquamquòd enim pissime intendit, quòd subjec Logicæ est syllogismus, hoc i lib. Elench. in principio, ad t *Nam syllogismus quidem*, sic bet: *Dicendum, quòd, ut pat potest ex habitis, Dialectica in*

tum est scientia specialis, in quantum est de aliquo speciali, ut de syllogismo. En ubi in eodem loco expresse habet, quòd subjectum, de quo est Logica, & à quo habet, quòd sit specialis facultas, est syllogismus: non ergo ibi vult, quòd sit de intentionibus tanquam de subjecto, sed tanquam de materia, circa quam versatur.

55 Dicendum ergo, quòd B. D. in toto illo Prologo intendit, quòd Logica non est de actibus intelligendi, sed magis de conceptibus, & intentionibus, qui per actus formantur; quare non de subjecto specificativo debet accipi, quando ait, quòd Logica est de intentionibus. Quando itaque comparationem facit ad corpus mobile, non intendit in ratione specificativi comparare, sed tantum quantum ad divisionem; sufficit autem, quòd intentiones sint materia, ex cujus divisione accipitur divisio Logicæ, ut teneat paritas, & comparatio. Quod deinde ait, quòd determinatæ ad syllogismum determinant sibi specialem librum, jam suprà patuit, quòd secundùm specialem totalitatem determinatur syllogismus ad considerationem libri Prior. quod non tollit, quin secundùm totalitatem omnimodam sit totius Logicæ subjectum, & in ipsa patet comparatio assumpta; nam corpus mobile uno modo determinat sibi specialem partem, nempè lib. Phys. alio modo est subjectum totius Philos.

56 Arguitur tertiò ex eodem D. in eod. Prol. dub. 8. quærit: An Dialectica differat ab aliis scientiis realibus? Et resolutionem ita concludit: *Quia Dialectica magis est de istis, ut nominent intentiones secundas; aliæ verò magis sunt de his quantum ad ea, quæ talibus intentionibus sunt subjecta.* En ubi secundas intentiones esse, ait, id, de quo est Logica, tanquam distinctivum ejus ab aliis facultatibus; sed est specificativum, quod sic determinat, & distinguit: ergo.

57 Resp. quòd duobus modis aliquid differt, aut ex conceptu communi, & quasi genericè; aut ex conceptu speciali, quod est propriè, & ab omni non ipso differre; v. g. homo differt ab omni inanimato per conceptum vitę, sive animalis; non tamen proinde id erit differentia specifica, sed quo ultimo, sive ab omni non ipso differt. Logica itaque differt à scientiis realibus per hoc, quòd rationalis est, & non de rebus, sed de intentionibus, & de his, quæ sunt in ratione; hoc tamen conceptu, quo à realibus differt, convenit cum Grammatica, & Rhetorica, quæ etiam sunt de intentionibus; quare illa distinctio, non ex objecto specificativo, sed ex materia sumitur circa quam, & conceptu generico; distinctio autem ultima, & ab omni non ipsa, ex syllogismo accipitur, quo ab illis etiam differt, quare syllogismus est specificativum. Quia ergo B. D. de di-

stinctione quærit generica, & à scientiis realibus, non ex subjecto accipit, sed ex materia.

58 Arguitur quartò à ratione: Nihil est specificativum totius, & partis; sed syllogismus simpliciter est subjectum in speciali parte Logicæ: ergo. Patet major, quia nulla pars toti suo adæquatur. Patet item minor, quia syllogismus simpliciter est subjectum in lib. Prior. Hoc argumentum contra se objicit, & solvit B. D. loco sup. dato n. 34. & solutio latè explicata est n. 25. Ad formam itaque neg. maj. patet enim, quòd tota Philosophia habet pro subjecto corpus mobile, quod tamen subjectum est in lib. Physic. vel claritatis gratiâ, disting. maj. Nihil est subjectum totius, & partis, sub eâdem acceptione, conc. maj. sub diversa, neg. & disting. min. Syllogismus est subjectum in lib. Prior. sub speciali totalitate, conc. min. sub omnimoda totalitate, neg. min. & eodem sensu conseq.

59 Itaque in lib. Prior. non agitur de speciebus syllogismi, & de his, quę singulis speciebus conveniunt; at patet, quòd de his per se agit Logica: alia ergo consideratione totum est syllogismus potestativè ad species suas, & hac excedit considerationem lib. Prior. & adæquat totam Logicam; alia verò acceptione totum est actuale ex propositionibus, & terminis constans, & hac specialiter adæquat considerationem lib. Prior. syllogismus ergo, ut est totum actuale, quàm potentiale toti Logicæ subjectum est, ut verò specialiter totum actuale, subjectum est libri Prior.

60 Arguitur quintò: Specificativum debet habere unitatem simpliciter, & propriè; sed syllogismus non habet unitatem simpliciter: ergo. Patet major, quia specificativo habet facultas unitatem. Min. prob. Aut syllogismus ponitur specificativum, prout abstrahit à partibus suis; aut prout sumitur totaliter, & includit partes, & passiones; sed primo modo, licèt habeat unitatem, non adæquat considerationem Logicæ secundo modo, licèt adæquet, non habet sufficientem unitatem: ergo. Minor quantum ad primum patet, quia syllogismus tali modo sumptus, licèt sit una communis ratio adæquat tantùm considerationem lib. Prior.; quantum ad secundum ostenditur, quia ad syllogismum, & partes, ac passiones non est una ratio syllogismus ipse, sed tantùm secunda intentio: ergo syllogismus totaliter cum partibus suis, non unam rationem, sed aggregatum importat, & sic non habet unitatem sufficientem.

61 Resp. neg. min. ad prob. ejus dicitur, quòd syllogismus subjectum in Logica, prout est totum secundùm omnimodam totalitatem. Ad probat. cùm dicitur quòd ad totum, & partes non una communis ratio syllogismi

ad secunda intentio, respondetur, quòd hac ratione non secunda intentio, sed syllogismus specificat, quia specificativum non est communis ratio ad totum, & partes, neque facultas æquè per se totum, & partes attingit, sed totum ratione sui, partes verò in ordine ad totum; quare unitas specificativi non est communis ad totum, & partes, sed ipsius subjecti: si ergo talem habet syllogismus, poterit esse specificativum.

62 Arguitur sextò: De syllogismo nullas probat Logica passiones; sed hæc est ratio subjecti, quòd de illo partes, & passiones considerat facultas: ergo. Prob. maj. Logica considerat de syllogismo, aut abstracto à speciebus in lib. Prior. aut determinato ad species in lib. Post. Top. & Elench. sed neutro ex his modis est subjectum in Logica: ergo de syllogismo, prout ponimus subjectum in Logica, nullæ probantur passiones.

63 Resp. neg. maj. ad prob. ejus neg. conseq. imò ea contradicit in eo, quod intendit; intendit enim, quòd in aliqua speciali parte probentur passiones de subjecto sub acceptione, qua totius facultatis subjectum est, id autem est contradictio; hac enim acceptione, qua in speciali parte de eo determinatur, non totius, sed partis subjectum erit. Itaque de subjecto suo determinat facultas, quatenus de eo, & omnibus acceptionibus, partibus, & passionibus ejus, in omnibus suis partibus determinat, nempè respectivè, & in singulis partibus de singulis partibus subjecti, ut ita in tota facultate adæquetur tota consideratio subjecti; nullibi enim de subjecto sub acceptione specificativi determinat, quia sic pars adæquaretur toti.

§. IV.

Solvuntur fundamenta aliorum.

64 EX his, quæ alii pro se adducunt, quatenùs contra nos esse possunt: primò occurrunt fundamenta N. Manso, qui pro se adducit primò B. D. in Prol. ad lib. Physic. dicentem: *Cùm universaliter omnis scientia in intellectu consistat, ad scientiam, & ad Philosophiam illa essentialiter pertinere poterunt, in quæ fertur intellectus secundùm se; objectum autem intellectus est verum, & per se intellectus fertur in veritatem; si autem fertur in bonum, hoc non est per se, sed ut habet ordinem ad voluntatem.* Ex quo deducit, quòd scientiæ sunt de veritate, sicut intellectus ipse, nempè intellectus habet pro objecto veritatem ut sic, & in communi, scientiæ autem determinatam.

65 Rationem autem ex hoc deductam sic proponit: Illud est objectum formale Logicæ, quod

est objectum intellectûs vt adjuti per Logicam; sed tale est veritas formalis reflexa: ergo. Patet maj. tùm verbis B. D. sup. datis, tùm ratione, quia scientiæ sunt perfectiones intellectûs ipsum adjuvantes in attingentia sui objecti. Minor ostenditur: Veritas formalis reflexa est objectum partiale intellectûs contentum sub communi ratione veritatis, quæ est tota e objectum ejus; sed nulla est scientia præter Logicam adjuvans intellectum ad attingendam veritatem reflexam: ergo. Patet hæc minor, tùm, quia aliæ scientiæ sunt reales, & directæ, quare agunt de veritate directa; tùm, quia sola Logica est scientia reflexa tractans de conformitate cum regulis, in qua consistit veritas reflexa.

66 Cætera mitto, quoniam ex solutione hujus patet ad omnia: & quidem hoc, eo dato, quod assumit, non convincit intentum; præter Logicam enim Grammatica, & Rhetorica, non de rebus, sed de intentionibus agunt, & conformitate cum regulis; & quamvis Grammatica magis esse videatur de conformitate, quæ est in vocibus, & oratione vocali; Rhetorica autem rationem ipsam dirigit, & argumentari docet, & conformitatem intendit intellectûs cum regulis propriis.

67 Deinde: Hac etiam data consequentia, non habetur propositum; sequitur enim, quòd, quia intellectus est de veritate, scientiæ ipsum adjuvantes erunt de particulari respectivè veritate, nempe scientiæ directæ de veritate directa, & Logica, quia scientia reflexa, de veritate reflexa; at neque intellectus, neque ulla scientia directa habet pro objecto veritatem formalem consistentem in conformitate, sed objectivam consistentem in ipsa quidditate objecti: ergo Logica habebit quidem, quia reflexa, pro objecto veritatem reflexam, non verò formalem consistentem in conformitate intellectûs.

68 Præterea: Veritas formalis reflexa aut consistit in conformitate actûs, sive conceptûs formalis, aut in conformitate objecti, sive conceptûs objectivi cum natura & regulis secundæ intentionis? utrumque enim probabile putat N. Manso? Si primum dicat: contra primis apertè est contra B. D. ut suprà dicentem, quòd Logica non est de actibus, sed de conceptibus qui per hujusmodi actus formantur: deinde ipsa est sententia de directione actuum in formam modi sciendi; nihilo quippè differt, dicere, actus esse regulis conformes, & habere passivam directionem. Si autem dicat secundum, nempe consistere in conformitate conceptûs objectivi, ipsa est communis Thomistarum sententia de secundis intentionibus; idem enim est conceptum objectivum, qui formatur in concipiendo genus v. g. esse conformem regulis, ac habere

secundam intentionem generis.

69 Ad formam ergo neg. min. ad probat. ejus pariter neg. min. tum, quia præter Logicam aliæ sunt facultates adjuvantes intellectum ad attingendam veritatem reflexam, nempè Grammatica, & Rhetorica; tùm, quia neque Logica, neque ulla alia adjuvat, sive habet pro objecto veritatem formalem, sed objectivam. Itaque verum est, quòd, quia objectum intellectûs est veritas, facultates ipsum adjuvantes habent pro specificativo particularem veritatem, prout unaquæque sibi determinat subjectum; & hoc intendit B. D. in allatis verbis; non autem est alia scientia, sive directa, sive reflexa de veritate formali, & conformitate intellectûs, tanquam de proprio subjecto: Logica ergo, quia reflexa, & secundo intentionalis, erit de veritate reflexa, & secundò intentionali, objectiva tamen; & quia talis facultas reflexa distincta a Grammatica, & Rhetorica habebit pro subjecto particularem veritatem objectivam reflexam, & secundæ intentionis, seu particulare subjectum reflexum, & secundum intentionale, & tale est syllogismus.

70 Arguitur secundò pro sententia ponente directionem: Quælibet facultas artificialis, & directiva habet pro objecto formam ipsam, quam introducit in propria materia; sed Logica est facultas artificialis, & directiva intellectûs in suis operationibus: ergo habebit pro objecto formam ipsam, quam inducit, nempè passivam directionem, sive in conceptu formali, sive in objectivo. Major patet ex terminis, & minor à nemine negatur.

71 Resp. & quidem, si intendat argumentum de directione actuum, jam suprà patuit, Logicam non esse de actibus, nisi propter conceptus objectivos; si autem de his procedat argumentum, conceditur totus discursus, & nihil inde contra nos; idem enim est ponere syllogismum, ac ponere passivam directionem conceptuum in formam syllogismi. Si autem intendat arguens, subjectum Logicæ esse directionem passivam in formam modi sciendi ut sic, & in communi, tùnc ad argumentum patet per rationes, quibus suprà ostensum est, Logicam non esse de modo sciendi ut sic, & in communi, sed ut ordinatur ad syllogismum: definitiones enim, propositiones, atque etiam argumentationes habet Rhetorica, ; quare eæ Logicæ sunt considerationes specialiter, prout ordinantur ad syllogismum. Ad formam ergo hoc sensu distinguenda est min. Logica est facultas directiva intellectûs, ut sic, & communiter, neg. min. sic enim non solius est Logicæ, dirigit enim intellectum etiam Rhetorica: est facultas directiva intellectûs, præcisè ad vitandum errorem, conc. min. tùnc autem,

quia

quia Rhetorica dirigit ad commovendum affectum, non habet necessitatem argumentatio Rhetoricæ, sed apparentiam; quia verò Logica dirigit ad vitandum errorem, necessitatem, & efficaciam debet habere argumentatio ejus, quæ soli per se competit syllogismo.

72 Arguitur tertiò pro sententia Scotistarum: Logica in tota latitudine sua non solùm habet considerare complexa, & incomplexa, ut partes sunt syllogismi, & ad illum ordinantur, sed etiam secundùm se; sed, licèt syllogismus illa omnia comprehendat, ut sunt partes ejus, non tamen, ut attinguntur secundùm se, & ratione sui: ergo, licèt syllogismus sit subjectum Logicæ, ut à Philosopho traditur, non tamen Logicæ secundùm se, & in tota latitudine sua. Patet conseq. debet enim specificativum comprehendere omnia, quæ per se tractantur in facultate; & quia syllogismus sub se comprehendit partes suas, Logica, ut illam instituit Philosophus, de syllogismo est, siquidem omnia attingit, ut ad syllogismum ordidantur, & sunt partes ejus. Patet deinde minor, quia definitio v. g. secundùm se, & ut dirigit primam intellectûs operationem, nullum habet ordinem ad syllogismum.

73 Major ergo, in qua tota est difficultas, probatur: Logica per se dirigit intellectum, quatenùs ipse errare potest in operationibus suis; sed intellectus errare potest in prima, & secunda operatione, non solùm, prout istæ ordinantur ad tertiam, sed etiam per se, secundùm se: ergo artefacta, quibus prima, & secunda operatio dirigiuntur, non solùm attingit, ad tertiam ordinantur, & sunt partes syllogismi, sed etiam unumquodque per se, & secundùm se. Patet major, quia Logica est directiva rationis, & propter vitandum errorem in actibus intellectûs. Patet item min. error enim contingit in actibus intellectûs propter potentialitatem ipsius; autem po entialis, & subinde tens errare in quacumque operatione per se, & secundùm se, quamvis nulla esset posibilis tia operatio, posset errare in prima, & secunda: quandoquidem ergo ex natura sua æquè habet nes dirigere, ejus subjectum per quid commune est ad omnia strumenta Logica.

74 Hoc argumentum potissimam continet difficultatem communi sententia Thomistarum; si enim per se, & nullo habito respectu ad syllogismum, potest intellectus errare in formando intentionem simplicem, hanc respicit Logica, non solùm, ut ad syllogismum ordinatur, & est pars remota, sed etiam secundùm se ratione sui; quare ejus subjectum erit ratio communis ex æquo comprehendens syllogismum, & artefacta, atque etiam intentio

simplices : & quia ea aliquando multum innitebar pro illa sententia, sed benè considerata ratione B. D. ea non convincit. Pro solutione itaque notabimus, quod sæpe dictum est, & in quo ratio B. D. fundatur, quòd nempè Rhetorica habet instrumenta, quibus intellectum dirigit, definitiones, propositiones, atque etiam argumentationes, quare intendit pariter, ac Logica, intellectum dirigere, & ejus errorem vitare.

75 Hoc ergo differt directio utriusque, quòd Rhetorica non intendit præcisè vitare errorem, ut intellectus veritatem assequatur, sed quatenùs congrua ratiocinatio habet animum commovere, & suadere, quod ipsa intendit; verò Logica habet dirigere præcisè ad vitandum errorem, & ex hoc assequendi veritatem : hinc Logica intendit argumentationem efficacem, & quæ de necessitate convincit, Rhetorica verò apparentem, & quæ tantùm suadet. Ex quo sequitur, quòd alia est consideratio Logicæ de definitione v.g. & his, quibus prima operatio dirigitur, & alia Rhetoricæ, nempè, quia Logicæ directio firmior esse debet, & quæ errorem omninò excludat; Logica de his considerat, ut habent certitudinem, & efficaciam, non verò Rhetorica; jam autem ista secundùm se non habent talem certitudinem, sed tantum ex ordine ad syllogismum: specialiter ergo habet Logica de his considerare tantùm, ut ad syllogismum ordinantur.

76 Ad formam ergo neg. maj. ad prob. ejus disting. maj. Logica per se dirigit intellectum, speciali directione, nempè certa, & quæ sit ad vitandum errorem, conced. maj. per se dirigit, ut sic, & communiter, neg. maj. & concessa min. disting. eodem sensu consequens : Ergo artefacta, quibus prima, & secunda operatio diriguntur, certò, & ad vitandum errorem attingit &c. neg. suppositum, quòd nempè artefacta, quibus prima, & secunda operatio diriguntur, per se, & sine ordine ad syllogismum habeant certò dirigere : ergo artefacta, quibus prima, & secunda operatio utcumque diriguntur, attingit &c. neg. hoc sensu conseq. hac enim acceptione definitio v.g. (idem de aliis) non ad Logicam per se pertinet, sed ad Rhetoricam etiam. Itaque verum est, quòd intellectus in quacumque operatione sua potentialis est, & potest errare; non autem quancumque dirigere habet Logica æquè per se, sed primam, & secundam dirigit, ut ordinantur ad tertiam; quia certò dirigere non habent artefacta earum, nisi per syllogismum, & ut ad ipsum ordinantur; quare casu, quo nulla esset possibilis tertia operatio intellectûs, nulla esset Logica; quia tùnc non esset syllogismus, per quem certò, & efficacitèr dirigeretur intellectus, aut alia esset Logica ab

ea, quæ nùnc est, & alio modo dirigeret, quare aliud subjectum haberet.

77 Dices: Propositio, ex B. D. in Prol. ad lib. Prior. cujus verba tract. præcedenti dedimus, duobus modis, consideratur, aut secundùm se, & sic est enuntiatio; aut secundùm quod in ordine est syllogistica, & sic est propositio; sed Logica non solùm considerat de propositione in lib. Prior. sed etiam de enuntiatione in lib. Perhier. ergo non solùm attingit illam, ut est pars syllogismi, sed etiam secundùm se, & præcisivè ab illo ordine.

78 Resp. quòd propositio duobus modis accipitur, altero, ut significat veritatem, vel falsitatem, quæ est in judicio; altero, ut continet affirmationem, vel negationem, & utroque modo ordinatur ad syllogismum; sed hoc posteriori ad syllogismum formalitèr, ut syllogismus est, priori verò ad syllogismum ratione materiæ; diversificatur enim syllogismus à syllogismo penes affirmativum, vel negativum, penes veritatem autem significatam, demonstrativus à topico, aut sophistico. Logica itaque sive propositionem, sive enuntiationem considerat, quia partes sunt syllogismi, & ex utrâque diversificatur syllogismus; quia tamen B. Doctor ibi agebat de syllogismo simplicitèr, ad quem est de materiali enuntiatio, ait, quòd potest considerari secundùm se, seu, quod idem est, sec luso ordine ad syllogismum, nempè simpliciter, de quo ibi est consideratio.

79 Arguitur quartò pro communi sententia Thomistar. Consideratio Logica se extendit ad omnia, de quibus ens reale prædicatur, nempè de quolibet docet definire, syllogizare, & propositiones formare: ergo omnia considerat sub aliqua ratione omnibus communi; sed nulla alia est ratio una, quæ omni enti conveniat, nisi secunda intentio: ergo. Cætùm hujus sententiæ, tùm aliarum de hoc potissimùm digladiantur. An scilicèt objectum Logicæ ens reale, vel rationis; quod, præmissimus, nihil refert. Resp. itaque, quòd Logica æquè ac Metaphysica, est de omni ente; Metaphysica quidem de ente secundùm se, & ut ens est; Logica verò de ente, ut secundis intentionibus subjicitur, sed non proinde subjectum ejus est secunda intentio; quia, jam patuit, hæc consideratio Rhetoricam, etiam & Grammaticam communis est, quare ad Logicam determinatur per specialem rationem, quæ nulla est alia, nisi syllogismus, nempè intentio secunda; per hoc est Logica, quæ est pars syllogismi, & ad ipsum ordinatur, hoc enim secluso ordine de secundis intentionibus Rhetorica considerat: patet ergo ad formam.

ART.

ARTICULUS IV.

Quodnam sit objectum attributionis Logicæ?

80 DE hac controversia nulla relinquitur difficultas; omnes enim conveniunt inter, quòd subjectum attributionis, seu principalitatis id est, in quo reperitur principaliter ratio specificativi, seu quod est principalis species sub eo contenta, ut quia specificativum Metaphysicæ ens est, attributionis erit substantia; si specificativum Philosophiæ est mobile, attributionis erit mobile ad vitam: quare statuto, quodnam est specificativum Logicæ, habetur de facili, quodnam esse debeat attributionis, sive principalitatis.

81 Prima sententia ponit, subjectum attributionis esse modum sciendi. Ita nonnulli apud Arriag. sed hæc sententia aut confundit objectum attributionis cum specificativo, aut substineri non potest: si enim objectum attributionis est modus sciendi, specificativum erit secunda intentio; sed hæc non reservatur principaliter in modo sciendi: ergo. Patet maj. quia nulla relinquitur ratio superior. Min. ostenditur, quia ratio modi sciendi analoga est, & principaliter reservatur in syllogismo; analogum autem non dicit unam rationem omnibus communem: & præterea, si ratio modi sciendi principaliter reservatur in syllogismo, syllogismus erit objectum attributionis.

82 Secunda sententia ponit syllogismum. Ita N. Manso, & ponere coguntur, qui secundam intentionem, vel modum sciendi constituunt specificativum; constat siquidem, utriusque rationem in syllogismo principaliter reperiri. Tertia demùm sententia ponit demonstrationem. Ita omnes NN. & quotquot ponunt, syllogismum esse specificativum Logicæ, imò eam tenent nonnulli, qui pro specificativo ponunt secundam intentionem, aut directionem conceptuum, ut à S. Thoma, Hurtado; licet minùs consequenter, quia ratio secundæ intentionis, aut directio non reperitur principaliter in demonstratione, sed in syllogismo, cùm demonstratio ad syllogismum non addat ratione formæ, aut directionis, sed tantùm ratione materiæ.

83 Nostra Conclusio: Objectum attributionis Logicæ est demonstratio. Prob. Illud est objectum attributionis in qualibet facultate, in quo principaliter reperitur ratio specificativa ipsius; sed ratio specificativa Logicæ principaliter reperitur in demonstratione: ergo. Major patet, quia objectum attributionis dicitur, quod inter particularia quandam principalitatem habet, & quod proinde qua principalitate intendit facultas. Minor ostenditur: Subje-

ctum Logicæ specificativum est syllogismus; sed ratio syllogismi principaliter reservatur in demonstratione: ergo. Major probata est art. præcedenti; minor autem patet de facili, quia inter omnes syllogismi species perfectior est demonstratio, quam proinde principaliter intendit agens de syllogismo.

84 Objic. Demonstratio solùm addit supra syllogismum determinationem ex parte materiæ: ergo ratio syllogismi non reservatur principaliter in demonstratione. Patet conseq. si enim demonstratio solùm determinat materiam, non perficit syllogismum formaliter in ratione syllogismi, neque respectu syllogismi probabilis habet principalitatem in ratione syllogismi, hæc enim eadem est in utroque: solùm ergo præstat ratione materiæ, hæc autem non pertinet ad Logicam, sed ad facultatem, quæ demonstrat.

85 Et confirmatur ex B. D. in Prol. ad lib. Post. dub. 14. ubi ita habet: *Dicendum, quòd in arte est considerare duo, aliquid, quod est formale, & aliquid, quod est materiale, ut in arte domificandi, quid formale est ibi ordo lapidum, & ordo eorum, quæ domum constituunt; materiale autem sunt ibi lapides ipsi: videmus autem, quòd, si homo esset sufficienter instructus in arte domificandi, & sciret congruè ordinare lapides in domo, cùm videamus aliquos lapides esse molles, & aliquos duros, & ex mollibus fiat domus debilior, ex duris fortior, si ille sic instructus in arte domificandi nunquam feciſſet domum ex lapidibus duris, ad hoc ut sciret domum ex lapidibus facere, non oporteret, quòd aliquis doceret eum artem domificandi, nec quòd domificaret coram eo, sed sufficeret quòd ostenderet, qui sunt lapides duri, dicens, quòd ex eis fortior domus; nam domificare ex lapidibus duris non differt à domificare simplicitèr nisi in materia necessaria & syllogizare ex propriis, & veris, quod facit demonstratio, de quo agitur in hoc lib. Post. non differt à syllogizare simplicitèr, de quo determinatur in lib. Prior. nisi in materia.*

86 Hæc B. D. quibus apertè docet, quòd demonstratio à syllogismo tantùm differt ratione materiæ, & omninò materialiter, sicut domus facta ex his lapidibus à domo facta ex illis: & sicut differentia ad artificem est de materiali, nec magis ipse habet considerare de hac domo, quàm de illa, ita est differentia demonstrationis á syllogismo: quare Logica non magis demonstrationē, quàm syllogismum respicit, & consequenter ea non est objectum principalitatis.

87 Resp. neg. conseq. ad demonstrationem ejus dicitur, quòd ad Logicam non pertinet materia demonstrationis exercitè; hoc est quòd Logica habeat demonstra-

pertinet tamen signatè, nempè habet ostendere, quæ est materia demonstrationis, & hoc præstat in lib. Post. quamvis ergo in secunda intentione syllogismi, & dispositione formę æquè conveniant syllogismus topicus, & demostrativus, differunt nihilominùs formaliter in ordine ad Logicam, quia Logica non solùm formam, sed materiam utriusque considerat signatè, & ostendendo, quis syllogismus sit topicus, & qualis esse debeat demonstrativus; quare principalitatem habet respectu ipsius demonstratio.

88 Et ex hoc patet ad confirmationem, & authoritatem B. D. intendit enim, quòd Logica non demonstrat, nec oportet demonstrare, ut tradat artem demonstrandi, sed tantùm ostendere qualis est materia demostrationis, quia syllogizare in materia necessaria, quod est demonstrare, non differt à syllogizare simpliciter, sicut domificare ex his lapidibus non differt à domificare; habet tamen ipsa Logica ostendere qualis est materia demonstrationis: quare de ipsa demonstratione considerat per se, non solùm ut est syllogismus, sed etiam ut est demonstratio, & de hoc agit in lib. Post. non quidem exercitè, & demonstrando, sed signatè.

QUÆSTIO II.

DE HIS, QUÆ LOGICA CONSEQUITUR EX OBJECTO.

EX OBJECTO CONSEQUITUR FACULTAS PRIMO Ab aliis distinctionem, de quo satis quæst. præcedenti, deinde in se ipsa speciem, & quidditatem, & hujus passiones: tria ergo in præsenti quæstione occurrunt dubitanda; primum: An Logica sit scientia simpliciter? Secundum: An distinguatur docens ab utente? Tertium: An sit unus simplex habitus?

ARTICULUS I.

An Logica sit scientia simpliciter?

§. I.

Præmittuntur necessaria, & referuntur sententiæ.

89 NOtandum, quòd Philosophus 6. Ethic. cap. 3. & sequentibus dividit virtutem animæ, qua verum attingit, in hæc quinque, quæ sunt *ars, scientia, prudentia, sapientia, & intellectus*; excludit autem fidem, & opinionem; fidem quidem, quia loquitur de virtute, qua anima verum attingit: fides autem non tàm verum, quàm dicentis authoritatem attingit; opinionem verò, quia fieri potest, ait, quòd falsum existimatione, & opinione dicat. Non itaque, ut aliqui malè arbitrantur, dividit habitus, sive facultates intellectuales; tùm, quia non deberet excludere fidem, & opinionem habitus enim sunt; tùm deinde quia Prudentia non habitum dicit, sed generalem virtutem intellectûs, ad quam multiplex facultas pertinet, ut Ethica, Politica, & aliæ: intellectus item non habitum dicit, sed naturalem virtutem, qua intellectus assentitur primis veritatibus; habitus enim est facultas acquisita, in assentiendo autem primis veritatibus, neque ullam habet intellectus difficultatem, neque indiget facilitate acquisita non ergo benè aliqui quærunt: An in Logica detur habitus principiorum? Etsi enim principia habeat Logica, eis tamen non aliquo habitu, sed naturali virtute intellectus assentitur.

90 Pro intelligentia ergo hi oportet explicare: & primò intellectus, ut ab ultimo incipiamus est naturale lumen, seu virtus, qua intellectus principiis assentitur; ideo dicitur etiam lumen principiorum

piorum; quia enim principia sunt veritates per se notæ, quæ se ipsis faciunt fidem, eis naturali lumine assentitur intellectus, & quia hæc virtus non habet nomen speciale, retinuit sibi nomen commune, & dicitur intellectus. Principia, ut explicat B. D. sup. 1. Prior. cap. 1. in duplici sunt differentia; alia enim sunt principia simpliciter, sive, quæ ipsi intellectui principia sunt, quæ etiam dicuntur dignitates, ut de quolibet est affirmatio, aut negatio vera: alia sunt principia secundùm quid, seu, quæ huic facultati principia sunt, & dicuntur positiones.

91 Ratio est, quia principium, seu, quod idem est, prima veritas, eo dicitur, quia non ad aliam priorem reduci habet, sed se ipsa fidem facit; hoc autem duobus modis esse potest, aut simpliciter, quia immediatè reducitur ad ens, & esse, ut *quodlibet est, vel non est*; aut secundùm quid, nempè absolutè ad aliam priorem veritatem reducitur; in hac tamen facultate non habet veritatem priorem, per quam probetur, sed probari habet, & reduci ad principia sua ab alia facultate superiori, ut *totum est majus sua parte* apud Mathematicos: est prima veritas, quia immediatè reducitur in naturam quantitatis, quare ab ipso non habet reduci ad aliam veritatem priorem, habet tamen à Metaphysica per communem dignitatem ostendi, & ad veritatem reduci simpliciter primam.

92 Artem definit Philosoph. cap. 4. *Est habitus cum ratione activus, vel factivus circa ea, quæ aliter se habere possunt.* Pro cujus intelligentia observa, quòd activum, vel factivum apud Philosophum non idem significant; dicit enim factivum, quod pertinet ad actiones exteriores; activum verò, quod ad actiones animæ: hinc ars dividitur in Liberalem, & Mechanicam, hæc est factiva, sive quæ in actionibus externis exercetur, ut Textoria, Fabrilis, & similes; illa verò activa, sive quæ exercetur in actibus animæ, ut Grammatica, Rhetorica, & similes; utraque autem versatur circa ea, quæ possunt aliter se habere, quo artem distinguit Philosophus à scientia, quare id est de essentia artis.

93 Prudentiam definit Philosophus cap. 5. sub medium: *Habitus agendi vera cum ratione circa ea, quæ sunt bona homini, aut mala*: est ergo Prudentia de his, quæ possunt aliter se habere, nempè de quibus est consultatio; versatur enim circa ea, quæ sunt bona homini, vel mala: de his autem, quæ nequeunt aliter se habere, non est consultatio: quare hoc differt Prudentia à scientia, quæ de his est, quæ nequeunt aliter se habere: differt item ab arte, quia ars non versatur circa ea, quæ sunt bona homini, vel mala, non enim benè domificare bonum hominem reddit.

94 Sapientiam, & Scientiam expli-

explicat cap. 7. quæ conveniunt in eo, quòd utraque est de necessariis & quæ nequeunt aliter se habere; utraque similitèr certa, & evidens notitia rei per causam: in hoc tamen discriminantur, quòd Sapientia est de primis, & sublimioribus veritatibus, quæ immediatè reducuntur in causas primas, & principia, quæ assumit, dignitate sunt: quare benè ait D. N. quòd una est tantùm Sapientia, nempè in naturalibus Metaphysica, & in supernaturalibus sacra Theologia, quod in hoc ipso cap. docet Philosophus; deducit enim pro inconvenienti, quòd, si Sapientia esset de quibuslibet, multiplex esset Sapientia; Scientia autem est de quacumque veritate determinata, de qua esse potest rigorosa demonstratio.

95 Pro intelligentia ergo illius, quod quæritur, oportet altiùs expendere quid est demonstratio, quid Scientia, & differentiam ejus à Sapientia. Philosophus itaque 1. Post. cap. 2. sic Scientiam definit: *Scire autem opinamur simpliciter unumquodque, & non sophistico modo, quod est secundùm accidens; cùm causam arbitramur cognoscere, per quam res est, & quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere.* Ad notitiam ergo scientificam, ait B. D. ibi, oportet hæc omnia concurrere: primò, quòd veritatem cognoscamus per causam suam; non quidem per quam infertur, sæpe enim effectus causa est in inferendo, tamen per effectum demonstratur causa, quare ait, *per quam res est*, quia oportet cognoscere causam in essendo, sive ratione cujus passio inest subjecto.

96 Secundò oportet cognoscere, *quoniam illius est causa*; licèt enim cognoscatur causa hujus passionis, si ulteriùs non cognoscitur, quod illius est causa, non habetur scientia de passione; etsi enim interpositio terræ inter Solem, & Lunam causa sit eclipsis, non sufficit, quòd aliquis noverit terram interponi, & aliunde videat eclipsim, ut habeat scientiam de eclipsi, nisi aliunde sciat, quòd illa interpositio causa est hujus effectûs. Tertiò oportet cognoscere, *quod non contingit aliter se habere*, hoc est, de necessitate, & per se ita sequitur effectus ad illam causam, ut non possit aliter evenire: ad hoc autem oportet, quòd causa, ex qua deducitur, sit causa per se, & immediata illius effectûs: si enim non est causa per se, per accidens infert, & potest aliter se habere; si autem non est immediata, licèt sit per se, non est per illam scire nisi secundùm accidens; quod B. D. sic explicat: Veritas consistit in adæquatione rei ad sua prædicata; ut tunc dicitur verum aurum, quando habet, quod est de ratione auri; quare non poterit intellectus scire, aliquid esse verum aurum, nisi sciat ipsum referre in sua principia, & adæquatam

cau-

causam: quia ergo commuis, & remota causa non infert, aut includit specialem, & immediatam, benè autem è converso, ideo oportet, demonstrationem causam assumere immediatam; & ideo ait sæpe B. D. quòd per communia non est demonstrare.

97 Hinc facilè intelligitur definitio demonstrationis, quam tradit Philosophus in eodem cap. dicens, quòd est *syllogismus ex primis veris, immediatis, notioribus, causisque conclusionis.* Et subdit: *Sic sunt propria principia ei, quod demonstratur; syllogismus quidem erit sine his, demonstratio verò non erit, non enim faciet scire.* Ait ergo, demonstrationem constare ex primis veris, seu primis principiis, non quibuscumque, sed immediatis hujus veritatis, quæ demonstratur; si enim non assumit principia sic immediata, erit quidem syllogismus, hoc est, poterit de necessitate concludere, non autem erit demonstratio: hinc dictum est suprà n. 90. quòd scientia non dignitates assumit, sed positiones, nempè veritates non simpliciter primas, & quæ immediatè reducuntur in ipsum ens, tales enim nequeunt esse immediatæ ei, quod demonstratur.

98 Quod ut magis pateat, adducemus exemplum ex ipso Philosopho, qui cap. 7. de hoc ipso agens, adducit argumentum Brisonis de quadratura circuli, & ait non esse demonstrationem, quia procedit ex communibus. Notandum ergo, quòd, ut habet B. D. sup. cit. cap. 7. S. Thom. lect. 17. Venetus, & omnes Expositores Philosophi, Briso, ut ostenderet demonstrativè circuli quadraturam, ponebat circulum intra duos quadros, quo posito, sic arguebat:

Vbi est reperire quantitatem majorem, & minorem est reperire quantitatem æqualem; sed est dare quadraturam majorem, & minorem circulo: ergo est dare æqualem. En majorem de primis veritatibus in Mathem. en minorem ad sensum veram in suppositа figura, & conclusionem legitimam.

99 Nihilominùs subjungit Philosophus: *Sed conclusionem non demonstrant hujusmodi rationes, sed quòd & alteri inest: unde & in aliis conveniunt hæ rationes non proximis; non itaque, secundùm quod illud est, scit, sed secundùm accidens.* Sensus est, ut habet B. D. ibi, quòd ista, & similes rationes non demonstrant, quia procedunt ex quibusdam communibus; quod enim assumit ut principium, non est immediata, & propria causa hujus passionis, neque ex propria ratione circuli, aut quadrati, sed ex communi ratione quantitatis, ideo accidit, quòd hanc inferat: ut ergo demonstrativè concludat, oportet assumere principiũ proprium, & determinatum ad hanc veritatem, quæ probatur; alioqui erit qui-

quidem ratio de necessitate concludens, non autem demonstratio, quia non omnis necessaria ratio est demonstratio; quod oportet valdè notare, quia multum conducit ad intentam conclusionem.

100 Ex his facile est cognoscere differentiam scientiæ à sapientia; ut enim habet Doct. N. q. 3. Prol. art. 1. si sapientia sumatur largè, non differt á scientia; si verò sumatur propriè, oportet differre, alioqui superfluè diceret Apostolus ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei!* quod sæpe repetit, ut arguit S. P. 13. de Trinitat. cap. 19. & Philosophus ipse cit. 6. Eth. cap. 7. ex instituto distinguit sapientiam à scientia. Sapientia ergo assumit causas altissimas, & primas; & quia principium debet adæquari cum veritate demonstrata, sapientia non est nisi de honorabilioribus, ut ibi ait Philosophus, hoc est, de altissimis, & primis veritatibus, & ideo de ente naturali non est nisi una sapientia, nempè Metaphysica, cujus principia sunt dignitates, seu veritates simplicitèr primæ, & quæ immediatè reducuntur in ipsum ens.

101 Scientia autem assumit causam immediatam, & propriam hujus determinatè; quare, ut adæquetur causa cum effectu, qui demonstratur, oportet scientiam esse de specialibus, & determinatis; & licèt dignior sit sapientia, quàm scientia, quia sapientia est de primis, & altioribus veritatibus, certior tamen est scientia ex natura rei, quia assumit causam hujus quantum tale determinatam, immediatam, cujus per se est inferre hanc veritatem; Sapientia verò assumit causam communem, quæ non ita per se infert: hinc B. D. cit. q. 3. Prol. art. 2. ait, quòd Theologia certior est aliis Scientiis, non tamen via claræ speculationis, quia hoc modo magis per se habet certitudinem scientia quàm sapientia, sed quatenus principia Theologiæ certa sunt de Divina, quæ certior est quacumque alia cognitione viæ.

102 Non ergo quæritur in Logica: An sit scientia latè, & deductivè? De hoc enim nullum debet esse debet, quippè omnibus constat, in Logica plures fieri rationes, quæ de necessitate concludunt; quare ipsam reduci ad scientiam apertè docet B. D. in Prol. ad lib. Post. dub. 14. quo de hoc quærit, ita habet: *Patet ergo, quòd rationes Logici, ut tradit artem demonstrandi, & syllogizandi, non sunt demonstrationes, licèt possint aliquomodo ad demonstrationes reduci, sicut modus sciendi reducitur ad scientiam.* Dubitatur itaque, an scientia sit propriè, & simplicitèr, nempè facultas propriè demonstrativa.

103 De quo prima sententia affirmat; alii quidem tenent absolute, & in omni parte sua; alii communiùs, Logicam docentem

scientiam simplicitèr, utentem verò esse artem. Hunc secundum modum tenent communitèr Thomistæ, paucis exceptis, qui sunt pro prima Scotistarum apud Mastrium, & habet expressè Scotus q. 1. sup. univ. N. Manso docet non esse scientiam realem, esse tamen simplicitèr, & propriè scientiam rationalem, hoc est, esse vera, & propriè demonstrativam, sed non circa objectū reale directum, sed circa objectum reflexum, & secundæ intentionis.

104 Secunda sententia docet, Logicam non esse scientiam simpliciter, sed modum sciendi. Pro hac citantur aliqui de Antiquioribus, eam expressè docet B. D. in Prol. ad lib. Post. ubi per multas dubitationes de hoc ipso quærit, & late explicat, cujus textum si vidisset Manso, non assereret, utramque sententiam fundamentum habere in B. D. nullibi enim asserit Doctor, Logicam esse scientiam, nisi latè accipiendo nomen scientiæ, quo modo etiam Metaphysica, & sacra Theologia scientiæ dicuntur, quæ tamen, propriè loquendo, non scientiæ, sed sapientiæ sunt; ubi autem B. D. ex instituto quærit: Utrùm Logica demonstret? Nimius est in explicando, quòd Logica non demonstrat, & rationes ejus, quantumcumque necessariæ, demonstrationes dici non debent. B. D. sequuntur Discipuli, Fulg. Bonh. Gavard. Villan. & alii; illi autem, quos pro opposita refert Manso de Nostris, non computantur inter Discipulos Beati Doctoris.

§. II.

Nostra Conclusio proponitur, & probatur.

105 LOgica non est scientia simpliciter, & propriè. Prob. primò ex B. D. citat. Prol. ad lib. Post. dub. 2. quærit: Utrùm de demonstratione sit scientia? Et postquàm improbavit modum dicendi, qui ex Avicenna sumitur, sic resolvit: *Sciendum, quòd si proprium organum Logicæ esset demonstratio, sicut est syllogismus Dialecticus, vel syllogismus simpliciter sumptus, sicut fortè congruè subsistineri potest, quòd Dialecticus syllogizando docet syllogizare, sic congruè posset subsistineri, quòd demonstrando docet demonstrare, & quòd per demonstrationem habetur scientia de demonstratione: verùm, quia proprium instrumentum Logici non est demonstratio, possumus dicere, quòd docens demonstrare non demonstrat, nisi fortè per accidens, in quantum adducit demonstrationes aliquas gratia exempli.*

Ulteriùs: Postquàm dub. 7. ostendit, quòd per syllogismum traditur ars syllogistica, dub. 9. quærit: Quare ars demonstrativa non possit tradi per demostrationem? rationem assignat per hæc verba

verba: *Nam ars demonstrativa se extendit ad omnem demonstrationem; non enim traderetur ars demonstrandi, nisi daretur notitia de omni demonstratione: ille autem, qui docet omnem demonstrationem, oportet, ut utatur terminis communibus ad omnem demonstrationem; sed per communia non est demonstratio: ergo tradens artem demonstrandi non demonstrat. Diceret enim Logicus tradendo artem demonstrativam, quòd demonstratio est ex propriis, & veris; his autem omnes speciales artifices utuntur, quælibet enim scientia demonstrativa ex propriis, & veris est; sed hæc procedit ex his propriis, & ex his veris, illa autem ex aliis propriis, & ex aliis veris: dicere autem demonstrationem esse ex propriis, & ex veris, est procedere per communia ad omnem demonstrationem; & quia arguens per communia non demonstrat, cùm demonstratio sit ex propriis, tradens artem demonstrandi non demonstrat.*

106 Hæc eadem latissimè repetit dub. seq. & sæpe in toto illo Prologo, & in expositione ad cap. 2. & 7. lib. 1. quæ si vellemus ad longum expendere, nimium oporteret protrahi, dicta autem sufficiunt, quo pateat de mente B. D. non esse dubium, neque, ut ait Manso, oppositam sententiam habere fundamentum in B. D.

107 Prob. secundò ratione, quam ubi sup. intendit B. Doctor: Scientia simpliciter, & propriè talis est, quæ per demonstrationes propriè talem procedit; sed Logica non procedit per demonstrationem propriè talem: ergo. Maj. est definitio scientiæ. Minor probatur: Logica tradit artem demonstrandi; sed tradens artem demonstrandi non demonstrat: ergo Prob. minor: Tradens artem demonstrandi de necessitate assumit principia communia ad omnem demonstrationem; sed per communia non est demonstratio: ergo Patet major, quia tradens artem dat notitiam de omni demonstratione; non potest autem de omni tradere, nisi per principia communia. Minor patet ex definitione demonstrationis data Philosopho, qua dicit, quòd demonstratio est ex propriis; & subjungit, quòd syllogismus erit his, non autem demonstratio: patet deinde ratione superiùs facta, quia ex communibus non ducitur per se, & scientificè concluso: patet tandem, quia syllogismus Brisonis non alio nomine demonstratio, nisi quia non ex propriis, sed ex communibus procedit.

108 Confirmatur: Tales sunt demonstrationes Logicæ, quæ erat syllogismus Brisonis, & quales sunt, quos format Metaphisicus in probando passiones de ente; sed isti non sunt demonstrationes propriè tales: ergo. Patet minor, quia de syllogismo Brisonis id docet expressè Philosophus,

nes uno ore Expositores ejus, & de syllogismis Metaphysicæ apertissimè colligitur ex Philosophio, & fateri tenentur omnes, siquidè facultas demonstrans scientia est, ut nullus ambigit; sed Metaphysica non scientia est, sed sapientia, alioqui nulla erit sapientia contradistincta à scientia: ergo syllogismi Metaphysicæ non sunt demonstrationes.

109 Major ergo principalis ostenditur: Ideo syllogismus Brisonis non est demonstratio, quia, licèt sit syllogismus de necessitate concludens, non assumit causam determinatam hujus, sed principium commune ad omnes veritates, quæ sunt de natura quantitatis; sed paritèr rationes Logicæ non assumunt causam hujus determinatæ veritatis, sed principia communia ad omnem veritatem demonstrabilem: ergo. Major clara est in text. Phil. suprà dato n. 30. Minor nota est; tùm, quia Logicus docet formare omnem demonstrationem, quare oportet principia illius esse communia ad omne demonstrabile; tùm, quia utitur principiis, & terminis secundò intentionalibus, quos oportet ad omnes res esse applicabiles.

110 Præterea: Quando Metaphysicus probat de ente hanc passionem, v. g. *verum*, per hoc principium: *Quodlibet est, vel non est*, assumit principium proprium facultatis probantis, & adæquatum, ac immediatum passionis probatæ; nihilominùs talis probatio non est demonstratio propriè: ergo idem de Logica. Patet minor per jam dicta, quia Metaphysica non est scientia, sed sapientia, quare rationes ejus non sunt demonstrationes, sed syllogismi necessariò concludentes. Patet item major, quia illud principium immediatè reducitur ad conceptum entis, quare proprium est Metaphysicæ, & adæquatum, atque immediatum passionibus cum ente convertibilibus. Ostenditur itaque conseq. Principia, quæ assumit Logica, communia sunt, & applicabilia ad omnem veritatem demonstrabilem; sed eo illa ratio Metaphysicæ non est demonstratio, quia assumit principium commune ad omnem veritatem: ergo.

111 Ex his potest patère ad solutiones, quæ huic rationi adhibentur, sed claritatis gratiâ singulas expendamus: prima est Scoti q. 1. sup. univ. in solutione ad 3. ex quo Mastrius, & communitèr alii respondent, quòd Logica ut utens, nempè in quantum illam applicamus ad res, procedit ex communibus, quia ad omnes scientias applicantur principia Logicæ; at verò ut docens procedit ex principiis sibi propriis, per quæ probat passiones de subjecto suo: licèt ergo, ut utens, non sit scientia, nec procedat per demonstrationem, ut docens propriè demonstrat, & rigorosè scientia est.

112 Hæc solutio apertè est

contra textum Philos. ait enim, demonstrationem esse ex propriis, non facultatis demonstrantis, sed veritatis demonstratæ; ait enim: *Sic erunt propria principia ei, quod demonstratur.* Deinde: Intendit, quòd demonstratio est ex propriis, hoc est, specialibus, & determinatis principiis; sed principia Logicæ, etiam ut est docens, non sunt specialia, sed communia: ergo. Minor patet, quia ipsa Logica docens est facultas communis, & docet syllogizare de re qualibet. Major ostenditur, primò, quia ratio Brisonis suprà adducta ex propriis procedit facultatis probãtis, nempè assumit principium proprium Mathematicæ; non autem est demonstratio, quia illud principium non est speciale, & determinatum ad hanc veritatem, sed commune ad multas alias. Secundò: Rationes Metaphysicæ principia assumunt propria ipsius Metaphysicæ, & quæ ex subjecto ejus desumuntur; & tamen non sunt demonstrationes.

113 Dices, & potest esse secunda solutio ad principalem rationem: Docet quidem Philosophus, quòd per communia non est demonstrare, & quòd demonstratio debet esse ex propriis; intendit tamen, quòd propria sint veritati demonstratæ; ait enim: *Sic erunt propria principia ei, quod demonstratur*; sed principia Logicæ non solùm ipsius Logicæ propria sunt, sed etiam veritatis, quæ probatur: ergo. Patet minor, nam Logica hanc passionem probans, quæ [illegible] causare scientiam, de syllogismo demonstrativo, assumit hoc principium: *Demonstratio constat primis veris*; hoc autem non solùm proprium Logicæ est, sed etiam propria causa illius passionis, quæ probatur, nempè est definitio subjecti, de quo probatur, nec alia assignabitur magis propria hujus passionis causa: ergo.

114 Sed contra: Metaphysica probans passionem aliquam de [illegible] te per definitionem ipsius [illegible] assumit propriam causam [illegible] passionis, neque enim alia [illegible] nabitur magis propria, quàm [illegible] nitio subjecti; nihilominùs [illegible] probatio non est demonstra[illegible] propria, neque generat scienti[illegible] sed sapientiam, non alio, nisi [illegible] subjectum ipsum commune est [illegible] applicabile ad omnia, subinde [illegible] eandem communitatem habet [illegible] principium, quàm passio pro[illegible] ta: ergo quandoquidem eand[illegible] communitatem habet, & pari[illegible] applicabile est subjectum Logi[illegible] nempè syllogismus, aut demo[illegible] stratio: dicendum pariter, q[illegible] rationes Logicę non sunt demo[illegible] trationes, quibus generetur sci[illegible] sed rationes generales neces[illegible] quibus generetur modus scien[illegible]

115 Itaque demonstratio [illegible] ctè talis non est nisi de subje[illegible] speciali, & determinato, de [illegible] possit probari propria passio [illegible] principium ita proprium, q[illegible]

ñon sit applicabile aliis; hinc Philosophus 1. Rhet. cap. 2. ostensurus, quòd nec Logica, nec Rhetorica scientiæ sunt, hoc assumit, quòd neutra est de subjecto determinato; ait enim: *Neutra enim earum de re determinata, quomodo habeat scientia, est, sed facultates quædam sunt inveniandarum rationum*, quasi apertè dicat scientiam esse debere de re aliqua, sive subjecto determinato, & speciali; Logicam verò, & Rhetoricam, quia sunt de subjecto communi, non esse scientias, sed communes facultates; atque eâdem ratione cap. 4. ejusd. lib. ait sub initium: *Si quis autem aut hanc, aut Dialecticam non ut facultates, sed ut scientias instituere, ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu interimere videtur*: non ergo sufficit ad rationem demonstrationis, quòd assumat principium proprium, & immediatum veritatis demonstratæ, nisi aliunde ipsa veritas sit demonstrabilis, nempè specialis, & determinata, cujus proinde principium, & causa non talem habeat communitatem, qua possit cæteris applicari.

116 Respondet ulteriùs N. Manso ad principalem rationem §. 3. n. 21. quòd Logica procedit ex communibus ratione formæ, ex propriis verò ratione materiæ, hoc est, ut ipse ibi explicat, principia Logicæ sunt communis forma aliarum scientiarum, sed sola Logica respicit tamquam materiam sibi propriam talia principia. Sed hæc solutio solis verbis differt à prima: hoc in primis nihil aliud est, nisi quòd Logica habet pro materia sibi propria id, quod est aliis communitèr applicabile; quare erit Logicæ proprium non esse demonstrativam, quia sibi proprium est habere pro materia quid commune, de quo esse non potest demonstratio. Præterea: Nihil refert, principia esse propria facultatis, ut jam patuit, alioqui nulla erit sapientia, sed quælibet erit scientia, quia quælibet assumit principia sibi propria.

117 Potest insuper responderi ex doctrina N. Manso, quòd Logica non est scientia realis, sed rationalis; tùnc autem: De ratione demonstrationis, qua generatur scientia realis, de qua solùm agit Philosophus 1. Post. est, quòd procedat ex propriis; & quia Logica procedit ex communibus, non est scientia realis, neque demonstrat illo sensu: de ratione verò demonstrationis, qua generatur scientia rationalis, non est, quòd procedat ex propriis, sed poterit esse ex communibus; quia, cùm tradat artem ratiocinandi, & sit de his, quæ per rationem constituuntur, oportet procedere per quędam communia ad omnem discursum; & ideo Logica erit propriè scientia rationalis, & propriè demonstrabit hoc sensu. Quòd Logica est scientia rationalis, priùs tradidit Scotus cit. quæst. 1. sup.

univ-

univ. in solutione ad secundum.

118 Hæc solutio verum quidem assumit, sed malè loquitur: verum quidem assumit, nempè quòd Logica, licèt non habeat rationes, in quibus reperiantur conditiones demonstrationis propriè talis, sive quam definit Philosophus 1. Post. habet tamen rationes de necessitate concludentes, quibus probat passiones de subjecto suo, quod totum verum est, & nos fatemur: malè tamen loquitur, quoniam tales rationes dicit demonstrationes, & Logicam propter illas propriè scientiam, & verè demonstrativam: si enim ratio demonstrationis communis esset ad illam, quæ 1. Post. definitur, & ad rationes necessarias, quas habet Logica, magis propriè illis, quàm istis conveniret: solùm ergo istæ erunt demonstrationes impropriè, reductivè, & per quandam analogiam ad illas; quare Logicam esse propriè scientiam rationalem, erit esse scientiam reductivè, & impropriè, hoc est, facultatem de necessitate concludentem, non autem per demonstrationem propriè talem, & hoc apertè concedit B. D.

119 Præterea: Philosophus ibi ait, quòd si aliqua ratio formatur, quæ non habeat conditiones ibi assignatas, erit quidem syllogismus, hoc est, poterit de necessitate concludere, demonstratio tamen non erit; sed rationes Logicæ juxta hanc solutionem tales sunt, quòd non servant conditiones ibi assignatas: ergo. Verbi Phil. hæc sunt: *Syllogismus quidem erit sine his, demonstratio verò non erit; non enim faciet scire.* Ulteriùs: Scientia propriè talis distingui debet à sapientia; sed non aliter, nisi quia scientia per demonstrationem procedit, quæ ibi definitur: si ergo talem non habet Logica, non erit scientia propriè talis. His potest sufficienter patere conclusio; quia tamen ait N. Magister, oppositam fundamentum habere in textu B. D. Prol. ad lib. Elench. oportet illum textum longum adducere, quo mens pateat.

120 Probatur ergo tertiò conclusio ex B. D. citat. Prol. ad lib. Elench. dub. 2. quo de hoc ipso quærit: An Logica, propriè loquendo, possit dici scientia? respondet autem: *Ad quod dici potest, quòd secundùm Philosophum 2. Metaph. text. 15. Dialectica debet dici modus sciendi: unde super illo verbo, quòd malum est simul quærere scientiam, & modum sciendi, vult Commentator, quòd per hujusmodi modum intelligat Dialecticam: ratio autem, quare Dialectica est magis modus sciendi quàm scientia, ex hoc sumi potest, quia scientia est in intellectu, & illis propriè, & principalitèr scientia, quæ propriè, & principalitèr esse possunt objectum intellectus; & inde est, quòd, quia propriè particularia non sunt objectum*

inte-

intellectus, benè dictum est, quod scribitur 7. Metaph. text. 35. quòd eorum non est scientia, neque definitio. Cùm ergo intellectus per se, & primò intelligat ipsas res, & alia à se, & intelligendo ea intelligat se ipsum, ut potest haberi ex 3. de Anim. text. 15. nihil, quod sit in intellectu, secundùm quod hujusmodi potest esse principale objectum intellectus: Dialectica ergo, quæ est de conceptibus, & intentionibus, ut sunt quid rationis, propriè scientia esse non poterit, erit tamen modus sciendi; nam, licèt intellectus non feratur in conceptus, & intentiones, quæ sunt in ipso, primò, & principaliter, tamen secundùm hujusmodi conceptus, & intentiones accipitur modus sciendi, & intelligendi; nam, licèt principaliter sciamus ipsas res, scimus tamen eas secundùm modum, quo sunt in nobis conceptus, & intentiones earum: modus ergo sciendi ex talibus intentionibus accipitur propriè: ergo Dialectica est magis modus sciendi, quàm scientia; communi tamen nomine scientia dici potest, non propriè, quia, ut patet ex jam dictis, scientia est de rebus, modus tamen sciendi accipitur secundùm intentiones, & conceptus.

121 Hæc B. Doctor, quæ oportuit ad longum adducere, ut pateat, qua fronte asseritur, quòd hoc ipso loco fundamentum præbet B. Doctor sententiæ asserenti, quòd Logica est scientia simpliciter; de hoc enim expressè quærit, & probat ex institutò, quòd non scientia est, sed modus sciendi, neque enim dicere juvat, quod intendit, non esse scientiam realem, cum quo stat, esse scientiam rationalem. Non, inquam, id juvat; tùm, quia expressè ait: *Non propriè, sed communi nomine*; tùm deinde, quia eodem modo id asserit de Rhetorica; Rhetoricam autem nullus hucusque dicit propriè scientiam, etiam cum addito, rationalem.

122 Ratio igitur, quam ibi intendit B. D. sic formatur: Scientia propriè, & simpliciter talis est de objecto propriè, & simpliciter scibili; sed Logica non est de objecto propriè, & simpliciter scibili: ergo. Major patet, quia specificatur ab objecto suo. Minor ostenditur: Objectum propriè, & simpliciter scibile est propriè, & simpliciter intelligibile; sed Logica non est de objecto propriè, & simpliciter intelligibili: ergo. Major patet, quia *intelligibile* est conceptus essentialis genericus in eo, quod dicitur scibile, nempè, intelligibile tali modo, notitiâ certâ per demonstrationem habitâ. Probatur minor: In tantum aliquid est intelligibile, in quantum est objectum intellectûs; sed Logicæ objectum non est propriè, & simpliciter objectum intellectûs: ergo. Major patet, quia hoc est intelligibile, objectum intellectûs. Min. ostenditur, primò, quia, sicut habet esse, ita intelligibile est, cùm intelligibi-

ligibilitas sit ipsa quidditas; constat autem, quòd Logicæ objectum non habet esse proprié, & simpliciter, cùm ea sit de secundis intentionibus. Secundò, quia objectum intellectûs, sive intelligibile, id est, per se, & simpliciter, in quod per se, & directè fertur intellectus; id autem secundùm quid, & impropriè, in quod fertur secundariò, & per reflexionem; constat autem, quòd objectum Logicæ se habet hoc secundo modo.

123 Respondeti potest primò ad hanc rationem ex communi Thomistarum doctrina, quòd scibile non dicitur ex eo, quod est, sed ex eo, quod passiones habet verè connexas cum essentia, cujus dicuntur passiones; iste enim est processus scientiæ, ostendere passiones de subjecto suo, qui totus fundatur non in entitate, & realitate ipsa subjecti, sed in connexione illa; jam sic est, quod, quidquid sit de entitate subjecti Logicæ, habet passiones æquè necessariò connexas cum natura ipsius, ac connectuntur passiones cujusvis alterius; æquè enim necessariò convenit demonstrationi causare scientiam, ac triangulo habere tres angulos: ergo æquè erit scibile hoc, & illud.

124 Sed contra: De ratione scientiæ propriè, & simpliciter, de qua loquimur, duo sunt: primum, quòd necessariò deducat passiones de subjecto suo, hoc est, per syllogismum, qui nequeat aliter se habere. Secundum, quòd talem passionem probet per medium quod sit propria, & determinat causa hujus passionis, nempè ita hujus, quòd non illius; tùm, quia hoc exigit Philosophus: *Sic erunt propria principia ei, quod demonstratur; syllogismus quidem erit ne his, demonstratio verò non* tùm item, quia facultas commnis non alio non demonstrat, quia non assumit causam propri nùnc ergo primum ex illis hab ex connexione passionis ad subi ctum; secundum verò solùm hab tur, ex quo passio, & subject de quo probatur, tale sit, ne speciale, & quod proprium, & ciale medium habet: ex quo e certam connexionem habeat p sio, quam Logica probat de s jecto suo, sequitur, quòd per tionem necessariam probet; q tamen neque subjectum, nec passio quid speciale est, non p demonstrationem, quia non qu vis necessaria ratio est demonst tio, sed quæ procedit ex propri

125 Respondet secundò Manso §. 4. n. 27. sub fin. Qu scientiæ sunt de objecto intell ctûs cum distributione, & propo tione, ita nempè, quòd scient directæ sunt de objecto directo, reflexæ de reflexo; nùnc autem, cut propriè, & simpliciter est o jectum intellectûs directi veri directa, & res ipsa, de qua agu scientiæ reales, subindeque sci le simpliciter scientia reali, ita p

ster propriè, & simplicitèr est ob-
jectum intellectûs reflexi verum re-
flexum, & secundò intentionale,
de quo Logica agit, subindeq; erit
scibile simpliciter scientia reflexa.

116 Hæc in primis solutio ip-
sam nititur eludere rationem B.D.
quod quomodò cohæreat in eo,
quod doctrinam ejus sequi protesta-
tur, ipse viderit. Deinde: Si hac
ratione uti velis, nullus poterit
me convincere asserentem, quòd
homo pictus est proprie, & simpli-
citèr homo: quantumcumque enim
urgat, quòd unumquodque deno-
minatur, sicut habet formam; sed
homo pictus non habet propriè, &
simpliciter formam hominis: Res-
pondetur, quòd homo pictus non
habet propriè, & simplicitèr for-
mam hominis veri; habet tamen
propriè, & simplicitèr formam ho-
minis picti.

117 Itaque de hoc controver-
titur: An illud additum, quo Lo-
gica dicitur scientia, tantùm ratio-
nalis, & reflexa, sit additum dis-
tractivum, & relinquat rationem
scientiæ tantùm impropriè, & re-
ductivè, an propriè, & simplicitèr?
Non negat ergo B. D. quin Logi-
ca sit propriissimè scientia ratio-
nalis, & reflexa, & quòd per prin-
cipia communia, & applicabilia
omne scibile, format syllogis-
mos evidentes, & de necessitate
concludentes; contendit tamen,
quod sic esse scientiam est impro-
prie, & reductivè scientiam esse,
quia tales syllogismi eo, quòd per
communia, non sunt propriè de-
monstrationes.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

128 ARguitur primó com-
muni ferè omnium
fundamento: Scientia est habitus
per demonstrationem acquisitus;
sed in Logica multæ fiunt demon-
strationes: ergo. Prob. min. De-
monstratio est syllogismus neces-
sarius probans de subjecto debi-
tam passionem per debita princi-
pia; sed in Logica multi tales sunt:
ergo. Prob. minor: Syllogismus,
quo probatur de demonstratione,
quòd generat scientiam, v. g. iste:
*Omnis syllogismus constans ex pri-
mis veris causat scientiam; sed de-
monstratio constat ex primis veris:
ergo causat scientiam*: iste, in-
quam, probat de demonstratione
debitam passionem per debita
principia, nempè per definitio-
nem ipsius demonstrationis; sed
constat, quòd multi sunt tales in
Logica: ergo.

129 Resp. neg. min. ad prob.
ejus disting. maj. Probans de sub-
jecto quocumque, neg. maj. pro-
bans de subjecto speciali, conc.
maj. & in hoc sensu neg. min. as-
signatus enim syllogismus, & qui-
cumque tales fiunt in Logica, pro-
bant de subjecto communi, nem-
pè applicabili ad quamcumque
rem, quare passionem commu-

nem, & per communia principia. Itaque non quicumque syllogismus de necessitate concludens est demonstratiò, etiam procedens à priori, & per causam, in quo valdè falluntur contrarii; sed ille tantùm, qui de speciali subjecto probat propriam passionem per debita principia, in quo differt syllogismus generans scientiam à generante sapientiam, aut modum sciendi: quia ergo syllogismi Logicæ non sunt de subjecto speciali, sed communi, non sunt propriè demonstrationes.

130 Arguitur secundò ex Mastrio: Si Logica non est scientia simpliciter, non pertinet ad aliquod genus notitiæ ex assignatis à Philosopho 6. Eth. sed hoc est inconveniens: ergo. Patet major, quia non est propriè ars, ut nos ipsi fatemur. Rursus: Nec est prudentia, quia hæc est de agibilibus, in quibus est bonum, aut malum. Insuper: Nec est intellectus, quia hic est de principiis, quibus assentitur intellectus sine discursu. Tandem: Nec sapientia est, quia de naturalibus una tantùm est sapientia, nempè Metaphysica: si ergo non est scientia, non pertinet ad illam divisionem. Id autem esse inconveniens patet; tùnc enim diminuta esset divisio Philosophi, non enim adæquaret divisum, cùm aliquis habitus eâ non comprehenderetur, nempè Logica; quod dici non debet.

131 Resp. neg. maj. ut enim ad illam divisionem pertineat, non oportet, quòd sit scientia simpliciter propria, sed sufficit, quòd scientiam reducatur. Posset secundò negari minor, & ad probationem ejus dicitur, quòd Philosophus non dividit habitum intellectualem, debuisset enim includere fidem, & opinionem, & debuisset excludere intellectum, sive lumen principiorum; non enim habitum dicit, sed naturalem intellectus virtutem: qua ergo ratione æquata est, & sufficiens divisio Philosophi; quamvis opinionem non includat, eâdem dici posset sufficiens, quamvis non includat Logicam, sive modum sciendi.

132 Arguitur tertiò ex Lem. Quod dat esse veris scientiis non potest non esse scientia vera & propriè; sed Logica dat esse veris scientiis: ergo. Major patet duplici principio communi: *Propter quod unumquodque est tale, illud magis*: ergo, si propter Logicam aliæ scientiæ habent, quòd sint scientiæ, magis ipsa Logica. Rursus: *Nemo dat, quod in se non habet*: ergo, si Logica dat veris scientiis, quòd sint scientiæ, id ipsa in se habet. Minor item de facili ostenditur: dicemus enim 2. seq. quòd Logica est necessaria simpliciter ad scientias acquirendas, quia sine Logica nulla potest formari demonstratio: ergo Logica dat esse scientiis mediâ demonstratione, qua acquirantur.

133 Resp. disting. maj. Quæ

ge esse veris scientiis adæquatè, & ut tota causa, mitto maj. quod dat esse inadæquatè tantùm, neg. majorē, & eodem sensu minorem, qui item distinctione accipi debet utrumque principium. Major jussa est transire, quia etiam in illo sensu distinctionis falsa est; id enim solum tenet de dante esse formaliter, seu ut causa formalis, non autem absolutè, & de omni dante: Sol enim dat esse calidum, nec tamen calidus est; licèt autem hoc admittatur absolutè, & de omni dante adæquatè, & ut tota causa, *nihil* inde sequitur; quia Logica non est tota causa, quare veræ scientiæ scientiæ sint, & verè demonstrent; duo enim ad hoc concurrunt, nempè dispositio formæ, & necessitas materiæ: primum dat Logica, quare id ipsa habet, nempe necessariò concludere ratione formæ; alterum neque habet, neque tribuit.

134 Arguitur quartò ex N. Manso, qui primò probat, Logicam esse scientiam rationalem, authoritate P. Augustini, & B. D. nam S. P. lib. 8. de Civit. Dei ait, tres esse partes sapiētiæ: *Unam moralem, quæ in actione versatur; alteram naturalem, quæ contemplationi data est; tertiam rationalem, quæ verum discernit à falso; quæ, licèt utrique, id est, actioni, & contemplationi sit necessaria, maximè tamen contemplatio perspectionem sibi vendicat veritatis.* En Logica, quam dicit S. Parens discretivam veri à falso, non est scientia moralis, aut naturalis, sed rationalis. Item B. D. in Prol. ad lib. Physic. datâ eâdem scientiarum partitione, subjungit: *Et sicut scientiæ operativæ essentiales Philosophiæ partes esse non possunt, sic nec rationales; talia enim magis sunt modi sciendi, quàm scientiæ, ut Commentator ait, & poterit declarari, si contingat nos in Logicalibus aliquid scribere.*

135 Mirabitur quilibet ingenium N. Manso ex his probationem desumere: & in primis authoritas S. P. si quid probat de Logica, non scientiam, sed sapientiam esse probat; ait enim, tres esse partes sapientiæ, in quibus Logicam computat: ergo, fateamur, necesse est, S. P. non loqui propriè, & rigore scholastico, sed latè, & in sensu historiali; non enim dici potest, quòd Logica est sapientia. Deinde, eo sensu Logicam dicit scientiam, quo Morales; at istas nullus dicit propriè scientias: ergo nec Logicam. Insuper, scientias rationales eodem sensu ibi accipit; sed aliæ duæ rationales non sunt scientiæ, nisi latè, & impropriè: ergo paritèr. Tandem, scientiam rationalem, ait S. P. utrique deservire; sed scientia propriè talis non est multis communis: ergo idem.

Deinde, authoritas B. D. non solùm non est pro ipso, sed pro nobis satis apertè est; postquàm enim Doctor divisit scientiam

communiter acceptam in speculativam, & practicam, ostendit, scientiam naturalem non esse practicam, subjungit, quòd sicut operativæ, sive practicæ non pertinent ad Philosophiam, ita neque rationales; quo plurali nomine non solam Logicam significat, sed Rhetoricam etiam, & Grammaticam; & rationem adducit, quia magis sunt modi sciendi: & quis, quæso, ex eo, quòd Doctor asserit, Logicam esse magis modum sciendi, quàm scientiam, deduceret de mente ipsius esse propriè, & simpliciter scientiam rationalem?

136 Arguitur quintò ex eod. §. 3. ubi ex instituto probat suam conclusionem, & adducit iterùm P. Augustinum lib. 1. de lib. arb. cap. 7. ubi Evodio loquens, ait: *Illa, quæ purè, ac propriè scientia nominatur, ratione, atque intelligentia paratur*; subsumit autem: Sed Logica paratur, seu acquiritur ratione, atque intelligentia: ergo ea est scientia purè, ac propriè. Major est S. P. minor patet, siquidem Logica acquiritur syllogismo, in quo exercetur ratio; deinde, in illa multa sunt principia, in quibus exercetur intelligentia: ergo ea est scientia; sed non realis: ergo rationalis.

Ineptissima quidem argumentatio, & authore suo prorsus indigna: primùm subsume: Sed Rhetorica paratur ratione, atque intelligentia, & idem de Metaphysica: ergo utraque est scientia pura ac propriè. Hæc subsumpta pat quoniam Rhetorica argumen tionem habet, qua ratio exer tur, sua item principia, quibus telligentia; idem de Metaphy cuique notum est. Quòd con quens sit absurdum, nemo non det; Rhetorica enim ars est, M taphysica verò sapientia. Prae ea, eodem syllogismo probat quòd quælibet facultas, in q exercetur discursus, atque int gentia, est scientia purè, ac p priè, neque requiritur, quòd demonstrativa, cùm citra dem strationem exerceatur disc atque intelligentia; sed quamli esse scientiam, etiamsi non dem streт, negare debet ipse: ergo, teatur, necesse est, illam ration esse fallacem, quare neg. cons

Defectus illius ut pateat, tandum, quòd aliud est dic *Quæ propriè scientia est, para ratione, atque intelligentia*, ali verò conversa propositione di re: *Quæ paratur ratione, atque telligentia, purè, ac propriè scie tia est.* Prior propositio, quæ authoritas S. P. vera est, quia quacumque scientia utrumq exercetur; posterior falsa est, quia quæcumque, in qua exercetur intelligentia, & ratio, scientia est, sed in qua exercetur per demonstrationem; jam autem: Aut syllogismus assumit priorem, & tunc deficit in forma, & non deducit consequens; aut assumit posterio-

rem,

tem, & tùnc falsa est major. Syllogismus N. Manso priorem assumit, quare non est legitimus; ex triplici enim affirmativa, quarum major est universalis, debet esse in *Darii*, habet enim medium in utrâque prædicatum, quare esset secundæ figuræ, in qua nullus est modus, qui habeat conclusionem particularem affirmativam; ut autem ad *Darii* pertineat, converti debet major, ut medium in ea subjiciatur: aut ergo falsa est major, aut deficit in forma, & nihil concludit.

137 Vlteriorem probationem desumit paritèr ex P. Aug. 1. Retract. cap. 14. ubi ait. *Propriè quippè, cùm loquimur, id solum scire dicimus, quod firma mentis ratione comprehendimus*; sed circa Logicam multa comprehendimus firma mentis ratione: ergo ea scimus per Logicam, & sic ea scientia est, propriè loquendo. Minor patet, quia per syllogismum necessarium multa probantur in Logica de subjecto suo. Confirmatur: Hæc, quæ certò cognoscimus per Logicam, ad aliquem habitum pertinent; sed non ad fidem, aut opinionem, prodentiam, artem, aut sapientiam, ut nos fatemur: ergo à sufficienti numeratione habituum intellectualium pertinent ad scientiam.

138 Hæc probatio eodem vitio laborat, ac præcedens, quippè quia est, quòd propriè loquendo, quidquid scimus, firma ratione comprehendimus, & id solum scimus, quod ita comprehendimus; sed non á contrario, quidquid firma ratione comprehendimus, id habemus per scientiam propriè talem; tùm, quia, ut ait D. N. suprà adductus, non omnis necessaria ratio est demonstratio; tùm item, quia sapientia non est scientia, propriè loquendo, cùm sit extremum in divisione positum contra scientiam; at in sapientia multa comprehenduntur firma ratione: ergo, ex quo multa probantur in Logica firma ratione, non sequitur, eam esse scientiam, propriè loquendo, quare ad formam neg. conseq. Ad confirmationem jam suprà patuit in solutione ad secundum. Insuper neg. suppositum consequentiæ, quòd nempè sit sufficiens enumeratio; aut enim divisionem Philòsophi accipit, & tùnc superflua est, non enim habet Philosophus fidem, & opinionem; aut divisionem accipit, quæ posset fieri, & tùnc deficit modus sciendi.

ARTICULUS II.

Utrùm Logica docens, & utens distinguantur?

139 SOlemnis est inter DD. divisio Logicæ in docentem, & utentem; sed in qua plus est confusionis, quàm utilitatis, dum enim acceptiones Logicæ utentis variè explicant, ferè imperce-

perceptibile reddunt, quod posset omitti. Itaque observandum primò, non quæri: An Logica docens, & utens sit duplex facultas? Ex ipso enim titulo supponitur, unam esse Logicam. Ex quo constat, æquivocationi niti probationem, quam nonnulli adhibent Thomistæ, quo ostendant, unum esse habitum, ex quo nempè Div. Thomas, & omnes Antiqui reduplicatione utuntur, dicentes: Logica secundùm quod est docens, vel secundùm quod est utens; sed reduplicatio, inquiunt, supra idem cadit: ergo idem est habitus. Mala consequentia; reduplicatio enim non supra unum habitum, sed supra unam facultatem cadit; cum quo stat, quòd sit duplex habitus.

140 Deinde observandum, quòd habitus est facilitas relicta ex actibus ad similes actus inclinans, v. g. ex actibus definiendi, quamdam facilitatem, & promptitudinem acquirit intellectus ad definiendum, & ista dicitur habitus definiendi. Deinde, in quacumque facultate, quomodolibet operativa, duo est considerare; & judicium, quod intellectus format, seu idèam de ipso operabili; & executionem ipsam, qua operabile ponit in re: v. g. architectus ad formandam domum priùs mente concipit illius idèam juxta regulas artis, deinde illam idèam exequitur, & in re ponit: sic suo modo est in Logica: ad formandum syllogismum v. g. concipit intellectus idèam syllogismi juxta regulas artis, nempè quòd sic, & sic debent disponi propositiones, & termini, & hæc est Logica docens; deinde, syllogismum format, & hęc est Logica utens; quæ, si in materia propria format, dicitur à rebus avulsa; si autem in terminis alicujus scientiæ, dicitur rebus concreta.

Quia ergo nonnulli reperiuntur, à quibus si quæras, quid habere debeat syllogismus, ut rectè concludat? statim respondent, quòd termini, & propositiones sic, & sic debent disponi, & promptissimè regulas callent, & idèam formant syllogismi faciendi, qui habent facilitatem, & habitum Logicæ docentis; si autem ad syllogizandum provoces, tardi inveniuntur, & difficiles in syllogizando; quare habitum, & facilitatem usûs, & executionis, sive utentis Logicæ non videntur habere: de hoc quærit articulus: An nempè diversa sit facilitas, & distincta habitus docens, & utens, sive utens in propria, sive in aliena materia sumatur?

141 Pro cujus intelligentia ulteriùs observandum jubet N. Manso, quòd habitus ponitur ad vincendam difficultatem; hæc autem duplex esse potest, aut formalis, aut materialis: materialis dicitur, quando est circa idem objectum per eamdem potentiam exequendum; formalis verò, quando est circa aliud objectum, vel per aliam potentiam: v. g. qui habet noti-

notitiam de regulis Musicæ, & tamen in cantando difficultatem habet, hæc difficultas formalis est, & novam requirit facilitatem, & habitum præter habitum speculationis, seu notitiæ regularum, quia usus, & executio cantandi ad diversam potentiam pertinent, & similiter, si sit actus circa novum objectum; si autem actus exercendus, de eodem objecto est, & per eamdem potentiam, tùnc difficultas, si aliqua est, materialis est, & quæ non requirit novum habitum pro ea vincenda.

142 Hæc doctrina, quæ ad propositum quidem utilis est, explicatione indiget; tùm, quia ubicumque est difficultas, per facilitatem vincenda est; sed habitus nihil est nisi facilitas: quicumque ergo novam, & ulteriorem difficultatem habet, novam, & ulteriorem requirit facilitatem, & habitum, sive ea difficultas formalis sit, sive materialis; tùm deinde, quia experientiâ comperi, nonnullos apprimè instructos, & faciles in regulis syllogizandi, qui tamen in syllogizando, etiam in propria Logicæ materia, difficiles sunt, & tardi: in istis ergo de eodem objecto, & per eamdem potentiam exequendo, nova difficultas novum requirit habitum.

Dicendum ergo, quòd ubicumque nova est difficultas, novus habitus, & nova facilitas requiritur; quòd si difficultas sit formalis, & de aliquo pertinente formaliter ad objectum; & facultatem, quam præhabet, requirit novum habitum illius facultatis; si verò difficultas sit materialis, sive de aliquo non pertinente formaliter ad facultatem, quam habet, & objectum ejus, requirit quidem novum habitum, sed non illius facultatis: v. g. qui instructus est in arte domificandi, & scit domum fabricare, poterit habere difficultatem in formando domum lapideam; quia fortè ipse nescit lapides scindere, & præparare; iste quidem novum habitum requirit, sed non domificativæ, sive qui ad illam facultatem pertineat, sed qui sit alterius facultatis, nempè scindendi, & præparandi lapides.

Similiter ergo, qui habet docentem Logicam, & facilitatem in regulis, & præceptis, si difficultatem habet in exequendo ipsas regulas, novo habitu indiget; iste tamen non erit Logicæ, nec ad Logicam pertinebit, sed erit facilitas in habendo voces, & terminos, in quibus regulas exequatur; ipse enim expertus sum, quòd illi ijdem, qui in syllogizando difficultatem habent, si jubeantur in caracteribus syllogismum formare, eâdem facilitate, qua regulas callent, exequuntur, & formant: non ergo facilitate indigent pro exequendo, sed pro habendo voces, & terminos: hoc autem multum juvat observare pro facili hujus difficultatis expeditione.

143 Prima sententia docet, Logi-

Logicam docentem esse habitum realiter distinctum ab utente. Ita Mastrius q. procem. art. 1. Lalem. disp. 3. partit. 2. & alii nonnulli. Secunda sententia docet, esse unum realiter habitum, cum sola distinctione rationis, seu penes munera. Ita Thomistæ omnes, & est valdè communis; colligitur ex B. D. in Prol. ad lib. Post. quare tenent communiter NN. Bonh. Villan. Gavard. Manf. & alii.

144 Nostra conclusio: Logica docens, & utens est unus realiter habitus. Probatur facilè ex præmissis: Ubi nulla est difficultas pertinens ad Logicam, nullus requiritur habitus Logicæ; sed posita facilitate, & habitu docentis Logicæ, nulla relinquitur difficultas pertinens ad Logicam: ergo præter Logicam docentem nullus datur habitus, qui sit Logica utens. Major patet ex terminis, si enim ad Logicam non pertinet difficultas, non erit Logicæ habitus, quo vincitur. Min. probatur: Posita facilitate Logicæ docentis formare syllogismum, solum poterit esse difficultas in formando, quia quis non habeat in promptu terminos, vel eorum significata; sed hanc difficultatem vincere non spectat ad Logicam: ergo. Major patet, quia habens terminos, & sciens illos disponere, statim disponit: si ergo non disponit statim, ea est, quia terminos non habet. Minor item patet, quia Logica non agit de aliqua determinata materia; quare applicatio regularum ad terminos hos, vel illos non pertinet ad Logicam.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio: Tunc Logica utens esset nova facilitas, & habitus distinctus docente, quando instructus regulis Logicæ, & habens habitum Logicæ docentis nova indigeret Logicæ facilitate ad expedite, & prompte exequendum, quod regulæ præscribunt; at nulla tali facilitate indiget, si enim ei præcipias, ut in caracteribus formet propositionem, vel syllogismum statim efformat: sicut sciens dare figurare difficultatem forte habet formanda domo, si ei quæras est materia, ex qua formet, non proinde aliquis diceret, indiget habitu facilitate indigere, quæ habitu effectiva utens, ad vincendam difficultatem illam, sed solum indiget ministratione sufficiens materiæ: hic similiter instructus arte syllogizandi difficultate formare habet in formando syllogismum, sed pro hac vincenda non requirit habitum, qui sit Logica, sed facultatem ministrantem materiam, in qua debet formare.

145 Dices: Sicut ad syllogizandum in materia Philosophiæ requiritur habitus Philosophiæ, cujus est ministrare terminos, materiam illius facultatis, ita ad syllogizandum in propria materia Logicæ, ultra instructionem requiritur habitus ministrans terminos, & materiam; at ille habitus

procul-

procul dubio est Logicæ, sicut ministrans terminos in materia Philosophiæ est habitus Philosophiæ; aliunde non est Logica docens, quia sæpe habens facilitatem doctrinæ non est facilis in syllogizando, etiam in propria materia: ergo præter habitum Logicę docentis requiritur Logica utens.

146 Resp. quòd instructio Logicæ, & habitus docendi est exacta explicatio totius materiæ Logicæ; nihil enim aliud est Logica docens, nisi explicatio intentionum, sive simplicium, sive compositarum, quæ sunt materia Logicæ: si ergo non habet hujus materiæ copiam, non est sufficienter instructus, & consequenter non habet habitum Logicæ docentis, aut si est sufficienter instructus, copiam materiæ habet, & solùm sibi deest copia vocum, quibus illa materia significatur; de vocibus autem non est Logica, neque voces ministrare illius est.

147 Objic. primò ex B. D. in Prol. ad lib. Post. dub. 6. ubi quærit: Utrùm idem aggeneretur per rationes Logicæ, ut est docens, & ut est utens? Resp. quòd non, sed per rationes factas à Logico, ut est docens, aggeneratur modus sciendi, ut verò est utens, *quia secundùm quod hujusmodi, proprium instrumentum ejus est syllogismus topicus, ex quo generatur opinio, per rationes, quas facit, non aggenerat propriè scientiam in nobis, sed modum sciendi, sed opinionem;* patet autem, quòd habitus, qui est opinio, & qui est modus sciendi, sunt realiter distincti: si ergo Logica est modus sciendi, utens verò est opinio, non sunt unus, & idem habitus secundùm mentem ejus.

148 Resp. quòd argumentum difficultatem continet valdè quidem apparentem, quare pro ejus solutione, & mente B. D. percipienda, notandum, quòd B. D. & communiter Antiqui Logicam dicunt docentem, secundùm quod in propria materia versatur, utentem verò, secundùm quod rebus applicat propriam formam, quòd illæ eodem dubio expressè habet B. D. ait enim: *Dicendum, quòd Logica est de actibus rationis applicabilibus ad res: prout ergo Logicus determinat de ipsis actibus rationis, vel de his, quæ per hujusmodi actus constituuntur, & probat de eis debitas passiones per debita principia, dicitur esse docens; sed prout hujusmodi rationis actus applicat ad aliquas res, & format syllogismum de rebus aliis, dicitur esse utens.*

Deinde observandum, quòd hæc applicatio potest esse in materia determinata alicujus scientiæ, vel in materia communi per rationes probabiles, vel sophisticas: si fiat primo modo, tunc illa ratio non dicitur Logica, sed Philosophica, vel Mathematica; quare dicitur, quòd usus in parte demonstrativa est aliarum scientiarum, & quòd Logica tantùm habet do-

ctrinam: si verò fiat secundo modo, quia illa materia non est alicujus facultatis determinatæ, sic arguere dicitur dialectice probare, & media illa dicuntur loca topica: ait ergo B. D. quòd Logica sic utens generat opinionem ratione materiæ, in qua exercetur, quæ non est ipsius Logicæ, nisi tantùm denominative.

Exempli gratiâ: Probat Philosophus in principio Metaphys. quòd scientia diligenda est, ex eo quòd diligitur sensus, qui ordinatur ad scire. Hæc probatio Dialectica est, & per locum à signo, ut ibi ostendit B. D. non quòd dilectio sensus, aut scientiæ sit propria materia Logicæ, ut cuique patet, sed quod illud medium commune, & probabile, & dicitur medium Dialecticum, & dicitur locus à signo, qui computatur inter loca topica; quòd ergo signum infert probabiliter signatum, est propria materia Logicæ, & id probat Logicus in topicis per syllogismum necessarium, sicut quòd definitio est medium ad probandum necessariò passiones de subjecto, probat in analiticis; quare de se, & in propria materia non habet Logica utens, & exercitè probans generare opinionem; habet autem in aliena materia, sive applicata ad res ratione ipsius materiæ, & tunc non in quacumque, sed in materia topica, quæ denominativè dicitur locus Dialecticus, & probatio per tale medium dicitur Logica.

149 Ad argumentum ergo dictis explicatur authoritas B. quòd Logica docens est Logica propria materia, in qua item tur regulis, ut enim ipse Doct ibi ait, probat passiones de subj cto suo, ista unicum habitum nerat, qui est modus sciendi, & mul docens, & utens, syllogiz do enim docet syllogizare; Lo ca verò utens est Logica applic ad res, & ista ratione materiæ nerat opinionem; quia verò materia non est Logica nisi de minativè, non generat habit qui sit Logica utens; sicut ehi materia topica generat op nem, ita in materia Philoso v. g. generat scientiam; quam ipse Doctor in eodem dub. *per rationes factas à Logica quando generatur in nobis scientia, aliquando scientia, aliquando modus sciendi, aliquando opi* Patet ergo ad formam dist maj. Logica, ut est utens, gene opinionem, per se, & in prop materia, neg. maj. in aliena ma ria, & ratione ipsius materiæ to cæ, conc. maj.

150 Objic. secundò ex Ma trio: Logica docens est habit speculativus; sed utens est prac cus: ergo distinguitur. Patet co seq. quia speculativum, & prac cum sunt oppositæ differentiæ videntes habitum, quare nequeu eidem convenire. Major item cl ra est, siquidem Logica docens ta versatur in contemplatione fo

cum

modæ intentionis, & regularum, quibus debet construi modus sciendi, hoc enim est docere. Minor eadem pariter patet, quia Logica utens est, quæ exequitur regulas, & præcepta docentis, quare tota est in constructione, & fabrica modi sciendi.

151. Difficultas hujus argumenti q. seq. examinanda est, interim respondetur primo ad maj. quod si Logica utens est practica, docens nequit esse speculativa; tùm quia non aliter docet, quam per syllogismos, & artefacta, quæ hæc formare practicam constituit Logicam utentem, debet pariter practicam constituere docentem; tùm deinde, quia practicum, & speculativum dicuntur ex fine; at finis docentis intrinsecus, & per se usus est: si ergo usus est praxis, vi cujus Logica utens sit practica, tùnc Logica docens habet pro fine praxim, quare erit practica.

Resp. secundò ad minorem, quod non quæcumque exercitatio sit praxis, ipsa enim speculatio operatio est intellectûs, quare quamvis Logica utens sit operativa, & executiva, poterit non esse practica. Præterea: Hujusmodi exercitatio, sive executio non habet pro fine bonitatem operis, sed veritatis assecutionem; at finis speculativæ est veritas, practicæ verò opus, ut habent verba ipsa Philosophi: ergo non practica, sed speculativa est. Tertiò ad illationem dicitur, quòd idem habitus non poterit esse speculativus, & practicus simpliciter, bene autem secundum quid, quia hoc nihil est aliud, nisi quòd habeat quamdam similitudinem cum utroque; Logica autem non est speculativa, aut practica simpliciter, quia hoc solis competit realibus, facultatibus, quæ sunt de rebus: poterit ergo simùl esse practica, & speculativa secundum quid, & per quamdam similitudinem.

152. Objic. tertiò ex eodem; Quoties cognitio aliquorum non est propter speculari præcisè, sed quodammodo propter operari, oportet duos habitus ponere, alterum, qui sit universalium, & se habeat velut doctrina, alterum, qui sit ex particularibus actibus genitus, & in similes actus inclinet, & erit habitus utendi; sed Logica non est præcisè propter speculari naturam modi sciendi, sed propter ipsum definire, dividere, & argumentari: ergo. Minor cum consequentia nota est, major ostenditur à paritate in moralibus, ubi præter habitus universales dictantes, bonum esse sequendum, datur Prudentia, quæ est particularis quidam habitus ex actibus particularibus genitus, dictans, hoc hic, & nunc ita esse exequendum: ergo pariter in Logica præter habitum in universali dictantem, esse definiendum per genus, & differentiam, qui erit Logicæ docentis, requiritur ulterior habi-

tus genitus ex ipsis actibus definiendi, dictans, hanc definitionem constare debere ex hoc determinato genere, & differentia, & erit Logica utens.

153 Hujus argumenti doctrina plurimum arrisit Eliseo, eamque de mente Resoluti tanquàm dicendorum basim stabilire conatur, quamvis, ut puto, parum consequens; eâ enim positâ, non potest unus, & idem habitus utrumque præstare, sicut patet in Moralibus; ipse autem ponit, docentem, cujus est universalium consideratio, cum utente directiva, cujus est particularium dictamen, esse unum habitum.

Ad argumentum ergo respondet communis fere omnium solutio ex disparitate Logicæ ad Moralem; quia in Logica post facilitatem doctrinæ nulla relinquitur difficultas vincenda per novum habitum; at in Moralibus post exactam cognitionem boni in communi, relinquitur difficultas vincenda per habitum prudentiæ in hoc bono amplectendo, propter ipsius voluntatis libertatem.

154 Hæc solutio non quietat: nam illa difficultas, quæ est in Moralibus in assequendo hic, & nunc hoc bono, non vincitur à prudentia; post exactum enim prudentiæ consilium relinquitur in voluntate plena libertas, imò & prava inclinatio ad oppositum ex passione, vel habitu; quare sæpe contingit, quod quis sit promptus, & facilis in formando hoc judicio prudentiæ Hic, & nunc expedit hoc facere, & tamen voluntate male inclinante in oppositum, difficultatem habeat in exequendo: non ergo pro vincenda hac difficultate ponitur habitus prudentiæ; & tamen ponitur distinctus habitus à Synderesi, & Eugalia dictantibus in communi: ergo illa disparitas non valet.

155 Resp. ergo neg. ma. probat. ejus dicitur, quòd non sit simile in Moralibus & in primis omnes illi habitus ex Moralibus sunt propter institutionem, & doctrinam, æquè enim habitus universales instruunt, & docent communi bonum esse sequendum, ac habitus particularis docet, hoc bonum hic, & nunc esse sequendum; & pariter in Logica, si habitus communis docet in communi, definiendum esse per genus & differentiam, ita particularis docet in particulari, hanc definitionem debere constare hoc genere & hac differentia: si ergo inde deducitur paritas ad Logicam, ne duplex habitus deducitur, alter docentis, alter utentis; sed duplex quidem, alter universalis, alter particularis, quorum tamen quilibet simul est docens, & utens.

Deinde: In Moralibus cogimur ponere diversos habitus boni in communi, & in particulari consulendum, & proponendum, quia bonum ipsum formaliter, & in ratione assequibilis

voluntate differt, prout hic, & nunc sumitur, à se ipso in communi; eo quòd circumstantiæ individuantes diversificent assecibilitatem; at hoc in Logicalibus non contingit, posità enim facultate, & habitu, quo intellectus habetur de eo, quòd definitio debet constare genere, & differentia; item, quòd genus est prædicatum sic commune, & differentia prædicatum sic speciale, tunc difficultas, quæ relinquitur in exequendo hic, & nunc definitionem, non Logicæ est, sed facultatis, cujus est quidditatem definiti attingere.

156. Objic. quartò ex eodem: Hæc est communis natura cujuslibet facultatis organicæ, ut dividatur in docentem, & utentem, ut Frænofactiva, Scriptoria, & similes; sed in his omnibus docens importat habitum realiter distinctum à utente: ergo idem de Logica. Minor probo. Quia Scriptoria docens est habitus ille, qui tradit regulas bene scribendi, utens verò, qui acquiritur ex frequenti scriptione; sic etiam Medicina docens, quæ tradit regulas, & præcepta medendi, quæ solet dici Theorica, & acquiritur ex auditu Magistri; utens verò est alter habitus, qui acquiritur exercitio ipsò curandi, & dicitur Practica.

157. Resp. minorem esse veram, ubi usus addit novam difficultatem de formali se habentem ipsum habitum, ubi enim usus vel non addit difficultatem, vel ea de materiali se habet ad facultatem, quæ docet, tunc vel non requirit novum habitum, vel iste alterius erit facultatis: v. g. Frænofactoria potest habere difficultatem in usu fræni, & in regendo equum, sed hæc materialis est ad ipsam, requirit quidem novum habitum, sed non Frænofactivæ, sed Militaris, cujus est equum regere; quòd si in faciendo frænum post habitum docentis difficultas relinquitur, novum quidem habitum requirit, sed eo est, quia ad aliam potentiam pertinent doctrina, ac usus, nempè habitus doctrinæ est in intellectu, usus verò manibus exequitur.

Ubi autem usus addit difficultatem pertinentem ad ipsum artificem, requirit novum habitum ejusdem facultatis; non autem ita est in Logica, difficultas enim, quæ post habitum doctrinæ relinquitur in usu, & executione præceptorum, est ex defectu materiæ, & quia materia ad Logicam non pertinet, iste novus habitus non erit Logicæ: in Medicina utique post exactam doctrinæ notitiam novus habitus requiritur pro usu, & quidem Medicinæ; sed eo est, quia objectum ipsum, nempe ægritudo curanda, ex circumstantiis individuantibus diversificatur, & aliud est scire ex doctrina facultatis, epylepsim sic esse curandam, aliud verò cognoscere, quòd hæc ægritudo est epylepsis, & quia hoc

utrum-

utramque ad Medicinam pertinet, Medicinę est uterque habitus.

158 Objic. quintò ex eodem: Postquàm intellectus sufficienter instructus est regulis Logicę, arguit quidè, atque definit, sed cum difficultate; postquàm verò iteratò repetit hos actus, promptus est, & facilis in arguendo: ergo ista facilitas est novus habitus ipso usu genitus. Patet assumptum, quia experimur, Tyrones benè regulis instructos, difficiles in principio esse in syllogizando, quoadusque exercitatione facilitatem acquirant. Confirm. Applicatio præceptorum Logicæ, etiam post exactam eorum cognitionem, potest benè, vel malè fieri: ergo pro ista applicatione requiritur novus habitus Logicæ utentis.

159 Resp. quòd illa difficultas in arguendo potest esse vel ex defectu materiæ, & terminorum, in quibus debet syllogizari, & tunc requirit quidem novum habitum, sed non Logicæ, sed illius facultatis, cujus erit ministrare materiam; vel poterit esse difficultas, ex quo habitus ipse doctrinæ valde remissus est, & tunc major facilitas, quæ ex repetitione actuum acquiritur, non est novus habitus, sed prioris intensio, & augmentum: sic evenit Tyronibus, quia in principio non habent habitum, sed dispositionem, nempè qualitatem, quæ de facili amittitur, ista exercitatione firmatur, & fit habitus, qui postea ulteriori exercitatione augetur, & perficitur.

Ad confirmationem similiter dicitur, quòd applicatio præceptorum potest benè, vel malè fieri, aut, quia quis non est benè instructus in regulis, aut, quia non bene callet materiam, cui debet applicari; si ex primo oriatur, adhuc Logicam pertinet illam difficultatem vincere, sed non per novum habitum distinctum à docente: enim munus docentis est iustum intellectum in applicando formas Logicæ ad res; quare tunc intenget, vel quòd aggeneretur habitus Logicæ docentis, si nondum acquisivit; vel quòd perficiatur, non est sufficienter intensus; si autem ex secundo oriatur difficultas, id non pertinet ad Logicam, sed ad illam facultatem, cujus est materia, in qua debent regulæ applicari, & illius erit habitus.

160 Objic. sextò ex eodem: Per actum Logicæ utentis generatur aliquis habitus, sed non Logicæ docentis: ergo utentis. Min. patet, quia quicumque actus habet expedire, & facilitare potentiam ad actus similes. Min. prob. Quia actus Logicæ utentis generant scientiam, qualis est Logica docens, sunt enim actus probabiles, & opinativi. Hæc probatio apertè innuit, argumentum procedere de usu Logicæ applicato ad alienam materiam, ipsa enim in propria materia sua necessario probat, syllogismum topicum generare opinionem, & demonstrativum

ntum generare scientiam; probatur autem est nti: rationes ergo Logicæ utentis in propria materia non sunt probabiles.

161 Resp. ergo primò, quòd argumentum in sensu, quem intendit, solutum est suprà in responsione ad primum. Secundò: Quia in alio sensu posset objici de actu utendi in propria materia, neg. maj. etsi enim actus de se habeat facilitare, & expedire potentiam, non semper tamen habitum generat, sed aut perficit, & intendit, aut perfectum conservat; quare actus Logicæ utentis in propria materia, aut ipsam doctrinæ facilitatem perficiunt, & firmant, aut perfectam conservant; non verò de necessitate facilitatem generant.

161 Tandem objicies ex Latin. Illi habitus sunt distincti realiter, quorum actus principales, & primarii realiter distincti sunt; sed actus Logicæ docentis, & utentis principales, & primarii distinctisunt: ergo. Maj. nota est, quia habitus, cùm generetur ex actibus, ab illis habet specificari. Min. ostenditur, quia actus principalis, & primarius docentis Logicæ est considerare naturâ modi sciendi, ut recte fiat; actus verò principalis, & primarius utentis est formare modum sciendi rectè, & juxta regulas. Resp. neg. min. ad prob. dicitur, quòd actus Logicæ docentis est considerare naturam modi sciendi, sed formando modum sciendi considerat, syllogizando enim docet syllogizare; quare usus, & formatio non est distinctus actus per se, & in propria materia à doctrina, in aliena autem distinctus est, & distinctum habitum generat ratione ipsius materiæ.

ARTICULUS III.

An Logica sit unus habitus, & simplex qualitas?

§. I.

Quibusdam notatis, referuntur sententiæ.

163 SUpponitur, quamlibet scientiam esse qualitatem de prima specie, quæ dicitur habitus; id docet S. P. lib. de decem categ. cap. 7. ubi ait: *Disciplina est categoria qualitatis.* Rursus cap. 11. habitum definiens ait: *Habitus affectio animi est longo tempore perseverans, ut est virtus, & disciplina.* Definitur habitus communiter: *Facilitas relicta ex actibus ad similes actus eliciendos*; quare pro nunc supponitur item, habitum in qualitate consistere, qua facilitatur intellectus ad aliquos actus, contra nonnullos de Antiquis, qui ponebant, habitum nihil esse aliud, quàm specierum congeriem, quibus juvatur intellectus in attingendo objectum; quo sensu patet, quòd nulla scientia esset simplex qualitas: suppo-

suppositò ergò ex probandis suo loco, quòd habitus est facilitas illa, quæritur: An Logica sit una, vel multiplex facilitas?

Insuper: non est sensus quæstionis: An qualitas sit forma simplex, vel composita ex gradibus, quorum additione, vel detractione intendatur, aut remittatur? De hoc enim in lib. de Gener. disputatur, ubi quæritur de intensione qualitatis: est ergo sensus: An Logica sit unus habitus, & una qualitas, quæ sufficiat intellectum facilitare ad omnes conclusiones Logicas, sive ea sit simplex, sive composita ex gradibus; an potiùs ponendus sit multiplex habitus, secundùm multiplicitatem partialis objecti, puta, alter pro definitione, alter pro propositione, & alter pro singulis speciebus argumentationis?

164 Pro cujus intelligentiâ nota, quòd Philosophus 2. Post. ait, quod *scientia una est, quæ unius generis subjecti passiones, & proprietates considerat*; quare unitas scientiæ ab unitate subjecti sumitur, cujus passiones, & proprietates considerat: quandoquidem ergo constat ex quæstione præcedenti, quòd Logica unum subjectum habet totale, cujus passiones, & proprietates ostendit, non est dubium, quin ea sit una facultas. Quamvis autem eadem sit realitas, quæ est habitus intellectum facilitans, & quæ est facultas de hoc subjecto determinans, non ab eodem principio sumitur uni[tas] ejus, ut est facultas, sive scien[tia] & ut est habitus: ut enim est ha[bi]tus, per actus generatur, & actus inclinat, quare unitas e[jus] ut est habitus, ex objecto sumi[tur] sive subjecto, ut per actus ha[bi]tus attingi.

Quia ergo unitas in ratio[ne] scientiæ, & prout est una facult[as] ex unitate subjecti sumitur secu[n]dùm se, & ut est totum quoddam posito, quòd multi concurrant habitus ad integrandam unam scientiam, non debemus quæ[rere] Quomodò isti inter se uniun[tur] aut quam habent unitatem? S[i] enim deberent uniri ad con[sti]tuendum unum habitum, unam[a]tem facultatem constituunt, [et] ex quo inter se uniuntur, sed quo eorum objecta ordinem h[a]bent ad unum totum ut par[tes] aut passiones ejus, sicut multi[pli]lores unam constituunt imagin[em] multi humores unam sanitat[em] & ita in multis aliis.

165 Tandem oportet præ oc[u]lis habere, quod q. 1. art. 1. B. D. notavimus, quòd nem[o] non uno modo per se consid[e]ret facultas quæcumque consider[et] sed aliquid per se, sed non prim[o] aliquid per se, & primò, sed n[on] per omnem modum; aliquid ta[n]dem per se primò, & per omn[em] modum: ratio est, quia quæcu[m]que facultas habet consider[a]re subjectum suum, & partes ejus; p[o]tet autem, quòd non uno mod[o] qu[a]

quia partes non nisi ratione subjecti considerat, cujus sunt partes, subjectum vero ratione sui. Deinde inter partes subjectivas, principalem, & in qua magis reservatur ratio subjecti, quæ proinde dicunt objectum principalitatis, si attributionis, quamvis in ordine ad subjectum, & ut partes ejus, magis tamen per se, quàm speciem totius principalem, istam nempe quodammodo ad illam ordinat, non è converso: hinc sequitur, quòd nulla facultas possit omnia attingere sub una ratione formali specificativa actûs, nunc enim non per se attingeret.

166 His præmissis, prima sententia affirmat, Logicam, & quamcunque aliam facultatem esse qualitatem simplicem, & unum habitum. Hanc tenent uniformiter Thomistæ, paucis exceptis de Antiquioribus, qui pro contraria citantur, ut Sonc. & Capreol. ex aliis tenet Elifeus, & de Ital. Manforq. 7. qui pro se citat Villan. & Gavard. sed apud illum nihil invenio; Villan. autem tenet eadem illam sententiam, dubium tamen his verbis terminat: Qui dicunt, Logicam non esse unam simplicem qualitatem, non facilè poterunt ex Ægidii doctrina convinci, quia potius hoc indicat sup. Prædicam. q. 26. ad 3. Secunda sententia docet, Logicam non esse unam simplicem qualitatem. Ita Scotistæ cum Subtili Doct. q. 3. Prol. ex aliis Suarez disp. 44. Metaph. sect. 1. Venet. q. 1. Physic. Veracruc. q. 1. Logic. Bonh. q. 3. procem. & novissimè Lasor. in procemial. Theolog. q. 2. tanth, quem communiter sequuntur DD. Societ. hanc tenent fere omnes NN. Arim. q. 3. Prol. Tolet. q. 8. Venet. q. 1. Physic. Veracruc. q. 1. Logic. Bonh. q. 3. procem. & novissimè Lasor. in procemial. Theolog. q. 2.

§. II.

Proponitur, & probatur nostra Conclusio.

167 NObis dicendum: Logica non est unus habitus, & simplex qualitas. Probatur primò ex B. D. in Prol. ad lib. Post. in principio, ubi ostendens necessitatem ponendi Logicam ex potentialitate nostri intellectûs, qua ipse potest errare, unde oportet ponere facultatem, qua in operationibus suis dirigatur, ne erret, subjungit: *Quare, si ex potentialitate intellectus nostri oportet investigare necessitatem Dialecticæ, juxta triplicem nostri intellectus operationem possumus tres essentiales partes assignare Dialecticæ*; sed in facultate, quæ est unus habitus, & simplex qualitas, non sunt partes essentiales: ergo.

168 Quòd si primò dicas: Hæc divisio non accipitur ex objecto; sed divisio facultatis ex objecto accipi debet, à quo ipsa speciem sumit: ergo hic non dividit Logicam, prout de ea nunc quærimus. Contra: Ex triplici intellectûs nostri

ſtri potentialitate ſequitur, quòd objectum adæquans tres intellectûs operationes, quod eſt Logicæ ſpecificativum, triplex eſt, ſeu tres habet partes; ſed Logica, eo quòd directiva intellectûs, ab eo ſpecificatur, quo triplex intellectûs operatio dividitur: ergo aſsignare partes Logicæ juxta triplicem intellectûs potentialitatem eſt ex objecto ipſo aſsignare.

169 Si dicas ſecundò, quòd B. D. non aſsignat partes Dialecticæ, prout eſt facultas ſpecificata ab objecto ſuo, ſed aſsignat partes materiæ, circa quam verſatur, ſubindeque varios libros, & tractatus, in quos ipſa Logica habet dividi. Contra: Doctrina, quę in variis libris Logicæ traditur, eadem eſt, quæ à diſcente acquiritur; non enim ſic materialiter accipienda eſt diviſio Logicæ in varios tractatus, quaſi ſit tantùm diviſio foliorum, ſed pro diviſione ipſius doctrinæ traditæ: ſi ergo doctrina tradita, & materia, quæ in illis libris docetur, diviſionem habet, illam habet ipſa facultas. Præterea: Sicut accipitur materia in ordine ad varios libros, in quibus de ea agitur, ſic ipſa facultas, talis enim materia ſubjectum eſt, prout de illo agit, & ab eo ſpecificatur facultas; ſed talis materia diviſionem habet in tres partes eſſentiales: ergo & facultas.

170 Si tandem tertiò dicas: Ex verbis B. D. ſequitur, quòd ex pluribus Logicę habitibus unus totalis habitus fieret tanquàm tum ex partibus ſuis; at hoc negamus, & veritas ipſa non tur: quia unum totum ex parti eſſentialibus non fit, niſi alter habeat ut actus, alterum ut po tia; habitus autem Logicales, quòd multi ſint, non ita ſe hab quia unus non perficit, aut de minat alterum; quo argum utitur B. D. in 1. diſt. 17. p. 1. art. 2. ad probandum, augmentum Charitatis non additionem novæ Charitat præcedentem: ergo aliter re debemus verba D. N.

Contra eſt: Nam parte tiales Logicæ, quas aſsignat non ſunt partes unius habitu facultatis, quare non uniunt conſtituendum unum habi ſed facultatem; ad hoc, ut tan partes eſſentiales conſtitu unum habitum, quo ſenſu lo tur Doctor de augmento Cha tis, oporteret, quòd unirent actus, & potentia; ad hoc au ut tanquam partes conſti unam totalem facultatem, ſ requiritur, quòd ordinem hab ea, de quibus illæ partes facu tis ſunt ad unum totale ſubjec cujus ſunt partes. Ratio aute quia habitus dicitur per comp tionem ad intellectum, quem bilitat, & facilitat; quare eſt litas omninò abſoluta, cui u competit in ſe, & ſubjectivè, aut erit ſimplicitatis, aut com poſitionis ex actu, & potentia,

...ñam alia est unitas absoluta, & ...hoc subjectiva; at verò facultas dici... ...on p...tur per ordinem ad totale subje... ...arti...ctum, quare est quidem secundùm ...ertu...esse, & realitatem suam qualitas, ...t po...relativa tamen secundùm dici, ...es, d...quare unitatem habet aggregatio... ...habe...nis, & ordinis ad unum totale subj... ...t de...ctum; quo sensu multæ turmæ ...gum...unum constituunt exercitum, non ...p...nitate subjectiva, & absoluta, ...q...quam in se ipsis habeant, sed ag... ...n fi...gregatione, & ordine ad unum ...catis...Ducem.

171 Prob. secundò ratione, *quæ* ex illa authoritate colligitur: Ubicumque est ponere facilitates *formaliter*, & essentialitèr diversas, ibi oportet ponere plures habitus; sed in Logica, & idem in quacumque alia facultate, est de necessitate ponere facilitates formaliter, & essentialitèr diversas: ergo. Prob. min. Ubi objectum in ordine ad actus, quibus attingitur, est multiplex in ratione specificativi, ibi multiplex est formaliter, & essentialitèr habitus, sive facilitas relicta; sed ita est in Logica: ergo. Patet maj. quia habitus est facilitas relicta ex actibus; qui secundùm quod diversificantur specificè, & essentialitèr actus, quibus generatur, diversificatur habitus. Patet item minor, quia actus definiendi, essentialitèr diversus est, differt, & diversum habet specificativum ab actu arguendi, ut de se satis patet.

Confirmatur: Ibi est ponere multos habitus, ubi post unam facilitatem, & habitum plenissimè, & omninò perfectè acquisitam, relinquitur difficultas, & nova facilitas acquirenda ad actus, qui sunt circa totale subjectum; sed ita est in Logica: ergo. Ostenditur min. Totale subjectum Logicæ est syllogismus; actus autem circa syllogismum sunt non solùm syllogizare, sed etiam definire, & propositiones formare; definitio enim, & propositio ad syllogismum ordinantur tanquàm partes ejus; jam autem patet, quòd post exactissimam facilitatem in definiendo, relinquitur difficultas in formando propositiones, & post hanc in syllogizando: ergo.

Confirm. secundò, & est ratio præcedentis: Quoties motivum vincens difficultatem diversum est in uno, ac in altero, facilitas acquisita ad unum, non sufficit vincere difficultatem, & facilitare ad alterum, & consequentèr nova facilitas, & habitus requiritur; sed motivum vincens difficultatem, quæ est in definiendo, non sufficit vincere difficultatem, quæ est in formando propositiones, aut syllogizando: ergo. Prob. min. Motivum vincens difficultatem in definiendo, non est communis ratio secundæ intentionis, aut aliquid propositioni, & syllogismo commune, sed id, quo intellectus de definitione instruitur, nempè quidditas ipsa definitionis; sed hæc non instruit formare propo-

sitiones, aut syllogizare: ergo.

172 Prob. tertiò ratione generali ad omnem scientiam, quam suprà innuimus n. 165. In quacumque facultate non uno modo per se attingitur quidquid attingitur; sed hoc posito, nulla facultas est unus simplex habitus: ergo. Major ibi ostensa est, quia nempè quælibet facultas agit de subjecto, & partibus ejus; non autem uno modo per se attingit totum, & partes, sed partes per se quidem, & per rationem, quæ est in ipsis, in ordine autem ad totum, & propter ipsum totum; totum verò ita per se, quòd non in ordine ad alterum. Min. ergo ostenditur: Hoc posito, diversa est ratio specificans attingentiam, sive actum attingendi totum, & partes; sed diversa ratio specificans actum, diversum habitum requirit: ergo. Patet minor, quia habitus est facilitas relicta ex actibus, & ad actus inclinat; quare ex diversitate essentiali actuum infertur diversitas essentialis habituum. Patet item major, quia totum attingitur, & specificat actum per rationem propriam totius, & pars per rationem partis, v. g. syllogismus per rationem syllogismi, & definitio per rationem definitionis.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

173 Arguit primò Pe-
ra contra nostr-
rationem: Non alio ponitur d-
tinctus habitus Logicæ pro sing-
lis tractatibus ejus, & non pro
gulis actibus, nisi quia omnes co-
clusiones cujuslibet tractatûs
ducuntur ad principia illius; i-
omnes conclusiones totius Log-
reducuntur ad principia
subjecti specificativi totius:
unus sufficit habitus pro tot-
gica. Minor patet, quia princ-
cujuslibet tractatûs Philoso-
v. g. reducuntur ad principia
tis mobilis; deinde ratione: N-
sicut idem est subjectum pri-
piorum, & totius scientiæ, ita pr-
cipia scientiæ virtute conti-
totam scientiam; ac proi-
principia subjecti scientiæ
principia totius scientiæ: e-
sicut omnes tractatus scientiæ
dinantur ad subjectum tot-
scientiæ, quia ejus passiones,
partes intendunt; ita principia
juslibet tractatûs ordinantur
principia totius, & virtute il-
rum concludunt.

Confirmatur: Aut princi-
singulorum tractatuum, & habi-
illi differunt specie, & formali-
aut tantùm materialitèr? Si fo-
malitèr: ergo Logica, & quæli-
scientia non erit una scientia,

tia facultas, sicut sunt multiplex scientia omnes Mathematicæ: si materialitèr tantùm differt: ergo sicut particulares actus ejusdem tractatûs non generant diversos habitus, quia omnes conveniunt in una ratione formali, & tantùm materialitèr differunt, ita principia totius facultatis, quia tantùm materialitèr differunt, unum tantùm generant habitum.

174 Hoc argumentum apertam habet instantiam: Sicut enim principia cujuslibet tractatûs reducuntur ad principia totius facultatis, ita principia subalternata reducuntur ad subalternantem; ita etiam principia cujuslibet de Mathematicis reducuntur ad principia quantitatis, omnes enim de quantitate agunt; imò principia cujuslibet scientiæ ad principia Metaphysicæ reducuntur, & per illa probantur: ergo aut sequitur, quòd subalternans, & subalternata, omnes species Mathematicæ, imò omnes scientiæ sint unus habitus, & una facultas; aut non sufficit reductio illa. Præterea: Apertè patet, quòd, quæ probantur de definitione, & sibi conveniunt eo præcisè, quòd definitio est, non possunt probari ex eo, quod est secunda intentio; tùnc enim definitioni, & syllogismo convenirent æqualitèr, cùm æqualitèr utrique conveniat secunda intentio: quòd ergo ad unam communem rationem, seu totale subjectum reduci habeant, non tollit, quin multiplex sit, & diversa difficultas, & multiplex habitus requiratur pro ea vincenda.

175 Directè respondeo neg. maj. non enim eo, quòd reducuntur ad principia illius tractatûs, sed eo quòd motivum assentiendi omnibus conclusionibus, & vincendi difficultates omnes in quolibet tractatu unum est, differens formalitèr à motivo, quod sumitur in alio tractatu, unus habitus ponitur diversus pro singulis tractatibus: v. g. quæcumque de definitione probantur, ex quidditate, & propria ratione definitionis probantur, & sic de reliquis; jam autem non ita omnes tractatus reducuntur ad unum totale subjectum; patet enim, quòd quidditas secundæ intentionis, aut syllogismi, & principia, quæ ex illa ratione sumuntur, non sunt commune motivum assentiendi, & vincendi difficultatem in singulis tractatibus.

Ad confirmationem dicitur, quòd principia illa differunt formalitèr, quantum ad specificandum habitum; nec inde sequitur, quòd sit multiplex scientia, vel facultas, quia quantum ad specificandam facultatem tantùm materialitèr differunt. Ratio autem suprà data est, quia comparantur ad totam facultatem ex ordine ad unum totale subjectum, cujus sunt partes; ad habitum verò ex propria uniuscujusque ratione, quatenùs hæc est motivum vincens difficul-

ficultatem: possunt ergo unam facultatem constituere, quia unum est totale subjectum, cujus sunt partes, non autem unum habitum, quia multiplex est propria uniuscujusque ratio, & motivum vincendi difficultatem.

176 Dices: Contra hanc solutionem redit instantia á nobis facta, quia subalternans, & subalternata, licèt non sint unus habitus, erunt tamen una facultas, idem de omnibus Mathematicæ speciebus, & omnes scientiæ erunt una Metaphysica. Assumptum patet, quia quantum ad specificandam facultatem, comparantur formaliter plura ex ordine, quem dicunt ad unum totale subjectum, secundùm quod sunt partes ejus; sed particulare, de quo agit subalternata, ordinem partis habet ad subjectum subalternantis, v. g. mobile ad sanitatem pars est, & species mobilis ut sic, & cujuslibet scientiæ subjectum pars est entis, de quo agit Metaphysica: ergo licèt habitus posimus multiplicare, non tamen scientias.

177 Hæc difficultas infrà examinatur ex instituto, ubi agitur de subalternatione scientiarum, nempè disp. 5. nec desunt, qui difficultate pressi concedunt consequentiam, & unam tantùm facultatem communem ponunt, cujus cæteræ sunt partes. Nihilominùs neg. assumptum, & ad prob. ejus disting. min. Subjectum subalternatæ pars est subjecti subalternantis, & ut pars attingitur à subalternata, dist. min. pars est, non tamen ut pars attingitur, sed propter se, & ut totum quoddam, conced. min. & idem dicitur de speciebus Mathematicę, & scientiis respectu Metaphysicæ; non enim ea, quæ attingunt, attingunt ut partes entis, & in ordine ad ipsum ens, sed per se, & propter propriam uniuscujusque rationem; at verò Logica definitionem v.g. attingit per se quidem, & per propriam rationem definitionis, sed in ordine ad syllogismum, & pro venanda notitia syllogismi, quam intendit.

Itaque pro intelligentia distinctionis notandum ex dicendis loco citato, quòd subalternata agit de eodem subjecto subalternantis, addendo tamen passionem minus universalem, quæ extranea est, sive extra rationem quidditativam subjecti; si enim intranea est illa passio, non ad subalternatam, sed ad ipsam facultatem pertinet, quæ agit de subjecto: v. g. Arithmetica agit de numero, & sibi competit determinare de omnibus partibus, & passionibus, quæ intranea sunt, & ex propria ratione numeri; quia tamen ratio sonori passio est numero conveniens, quæ tamen non ex propria numeri ratione oritur, ideo de hac non determinat Arithmeticus; & hæc subjectum constituit alterum, & quod ad alteram facultatem pertinet, nempè Musicam: quia ergo hæc de numero agit aliquo, Arithmeticæ sub-

subordinatur, & ab illa accipit principia; quia tamen hîc aliquis numerus sub ratione accipitur, quæ extranea est ad rationem numeri, aliud totum constituit, & non accipitur in ordine ad numerum, & ut pars ejus, quare aliam facultatem constituit.

178 Arguit secundò idem: Si Logica non est unus habitus, non est una facultas simplicitèr; sed hoc est falsum: ergo. Probatur major: Quod in ratione generica unum est tantùm secundùm quid, non est unum simpliciter in ratione specifica; sed ratio habitûs est generica ad scientiam: ergo. Patet major, quod enim non est unum animal, non est unus homo: minor item, quia habitus intellectualis dividitur, tanquàm in species, in scientiam, sapientiam &c. Confirmatur: Si Logica non est unus habitus, tantúm est una scientia unitate ordinis, in quantum omnes illi habitus ordinantur ad unius subjecti naturam explicandam; sed unitas ordinis non est unitas per se in genere qualitatis, sed per accidens, cùm sit de alio genere: ergo.

179 Resp. neg. maj. ad prob. ejus neg. minor, & probatio ejus, non enim habitus ita dividitur, sed communis ratio facultatis intellectualis: non ergo se habent habitus, & scientia tanquàm genus, & species, sed tanquàm duplex acceptio disparata ejusdem realitatis, nempè eadem qualitas sive una, sive multiplex, ut sumitur absolutè, ut est forma perficiens intellectum, & ipsum facilitans, est habitus; eadem autem, ut sumitur comparativè ad unum totale subjectum, de quo passiones tali modo probat, est scientia, aut sapientia. Ad confirmationem dicitur, quòd ejus consequentia deducit, Logicam non esse unam qualitatem, quod fatemur libenter, non autem, non esse unam facultatem: ratio est, quia unitas qualitatis est absoluta, & in se; quia tamen facultas relativa est secundùm dici, unitas per se in ratione facultatis est unitas ordinis ad unum totale subjectum; quare multæ qualitates unam facultatem constituunt, sicut multi colores unam pulchritudinem.

180 Arguit tertiò idem communi Thomistarum fundamento: Perfectio, & perfectibile debent proportionari; sed Logica est perfectio intellectûs, ut est cognoscitivus: ergo sicut intellectus est una simplex forma se extendens ad omne cognoscibile, ita Logica. Nimis probat hoc argumentum; probat enim, si quid probat, quòd omnes scientiæ sunt una simplex qualitas, siquidem omnes sunt perfectio intellectûs. Ad formam itaque neg. conseq. proportio enim perfectionis ad suum perfectibile non in hoc accipitur, quòd talis sit entitas unius, qualis alterius; imò in hoc nulla est proportio, quia perfectibile est potentia, perfectio verò actus: tantùm ergo accipi-

cipitur proportio penes hoc, quòd perfectio tantum perficit, quantum perfectibile perfici potest; ex quo nihil ad propositum.

181 Arguit quartò Joan. de S. Thom. à paritate, tùm in habitibus infusis, tùm in virtutibus Moralibus; utrobique enim datur multiplex difficultas; sed pro ea vincenda sufficit unus habitus: ergo pariter in Logica. Patet maj. quia major est difficultas in diligendo inimicum, quàm Deum, ad utrumque autem sufficit una Charitas: similiter, non est eadem difficultas in credendo, Deum esse, quàm in credendo, esse in Personis trinum, utramque autem difficultatem vincit una Fides: tandem, contingit sæpe, quòd quis facilè habet temperantiam in potu, non autem in cibo, aut è contra, ad utrumque autem una sufficit virtus temperantiæ.

182 Resp. disting. maj. Datur multiplex difficultas, formalis, & quæ ad habitum pertineat virtutis, neg. maj. materialis, conced. maj. & concessa minori, neg. conseq. Itaque ex eodem motivo diligitur inimicus, & Deus, nempè propter Deum præcipientem; similiter ex eodem assentitur intellectus utrique veritati, nempè propter authoritatem Dei revelantis: pariter, ex eodem motivo virtutis imperat voluntas temperantiam in cibo, & potu: voluntati ergo non est major difficultas in diligendo Deum, quàm inimicum, aut in imperando temperantiam in cibo, ac in potu: similiter, intellectui in credendo unam quàm alteram veritatem; quæ difficultas, quæ in uno superet appetitus est malè inclinantis ex passione, vel habitu, & pro hac vincenda facilitas requiritur, aut quam tribuit auxilium actualis gratiæ, aut etiam, quæ ex frequentatis actibus acquiritur. In Logica verò multiplex difficultas ex ipsa est formali ratione objecti specificantis actum, nempè alia est ratio quidditativa definitionis, ac propositionis; quare alia requiritur facilitas, & habitus Logicæ.

183 Arguit quintò N. Mairo ex fundamentis, quibus communiter solet probari contraria sententia: Habitus attingens plura ad unum ordinata, est una simplex qualitas; sed Logica attingit plura ad unum ordinata: ergo. Min. patet, quia quidquid attingit Logica, ordinatur ad demonstrationem, quæ est ejus principale objectum. Resp. disting. maj. Habitus attingens plura ad unum ordinata, prout sic ordinata, & per rationem illius, ad quod ordinantur, conced. maj. quia tùnc unum est motivum vincens difficultatem in omnibus; attingens plura non præcisè secundùm quod ordinantur, sed per propriam uniuscujusque rationem, est simplex qualitas, neg. maj. quia tùnc diversum est motivum vincens difficultatem, nempè propria cujuslibet ratio-

hoc; hoc secundo modo Logica attingit definitionem, propositionem, & syllogismum, nempè, quæ de definitione probantur, non per communem rationem secundæ intentionis, sed per ipsam definitionis quidditatem probantur.

184 Arguit sextò idem: Logica adæquatè sumpta, est facilitas ad omnes conclusiones Logicas; sed hæc facilitas est simplex qualitas: ergo. Prob. min. Habitus acquisitus per primam demonstrationem Logicę est simplex qualitas; sed hic est facilitas ad omnes conclusiones Logicæ: ergo. Prob. min. Est facilitas ad omnes similes; sed omnes sunt similes, cùm habeant idem motivum, nempe specificativum Logicæ: ergo.

185 Resp. neg. min. ad probat. ejus primam neg. suppositum, quòd per primam demonstrationem aliquis habitus acquiratur, ut enim docet B. D. quod-lib. 3. q. 9. habitus non uno actu acquiritur, sed priores actus remittunt difficultatem, deinde unus actus in virtute præcedentium inducit facilitatem, quæ sic non habitus, sed dispositio est, nempè de facili mobilis; postquàm autem repetitis actibus firmatur, & fit difficile mobilis, tùnc est habitus. Secundo hoc misso, & data illa majori, neg. min. ad ejus prob. neg. sumptum; jam enim patuit, quòd specificativum Logicę non est motivum assentiendi ad omnes conclusiones; quæ enim de partibus probantur formaliter, & in eo, quòd tale quid sunt, non per ipsam totius rationem, sed per propriam partis probantur, v. g. de syllogismo topico, quòd generat opinionem, non ex ratione syllogismi, sed ex ratione talis probatur, nempè topici.

186 Arguit septimò idem fundamentis, quibus suam probat conclusionem ex P. Aug. lib. 2. de liber. arbit. cap. 9. ubi ait: *Num ideo sapientia ipsa una non est communis omnibus, quia ea bona, quæ in illa cernunt, & eligunt homines, multa, & diversa sunt? Si enim hoc putas, potes & de ipsa luce Solis dubitare, quòd una sit quia multa, & diversa sunt, quæ in ea cernimus.* En ubi S. Parens ait, quòd sapientia una est, non obstante, quòd multa attingit: ex quo infert, quòd Logica, non obstante, quòd multa attingit, una erit scientia, & una Logica; & tùnc subsumit: Sed non esset una, sed multiplex scientia, si non esset unus habitus: ergo. Probat subsumptum: Quia, si esset multiplex habitus, quilibet ex eis esset scientia, cùm esset per demonstrationem acquisitus, sicut tota Logica.

Missa consequentiâ, quam ex authoritate deducit, neg. subsumptum, ad prob. ejus disting. assumptum: Quilibet esset scientia, partialis, conced. totalis, neg. & ad prob. subinductam dicitur, quòd tota Logica est una facultas, quia omnes ejus rationes de uno sunt

totali subjecto; illi autem habitus sunt de multis partialibus, sive quæ unius totalis subjecti partes sunt.

Deinde adducit ex eod. S. P. 2. lib. de Doct. Chr. c. 35. ubi Logicam dicit scientiam in singulari, non autem scientias in plurali. Sed quid inde? Non multas Logicas, sed unam facultatem ponimus, quę per multos habitus de uno totali subjecto partes, & passiones considerat; quare ex hoc loco nihil contra nos.

187 Ulteriùs adducit B. Doctorem in 1. dist. 17. p. 2. q. 1. a. 2. ubi docet, augmentum Charitatis non fieri per additionem in ipsa forma, quia Charitas, quę additur, cum præexistente non posset facere unã Charitatẽ; ex quo duas deducit rationes: prima talis est: Semel acquisito habitu Logicę circa unam conclusionem, non acquiritur novus habitus circa alias: ergo. Prob. anteced. per rationem B.D. Si novus habitus acquiritur, aut iste simùl cum præcedente constitueret unam totalem scientiam, aut constitueret scientiam distinctam; sed hoc secundum falsum est, illud primum est impossibile: ergo. Minor quantum ad primam partem eo patet, quia tota Logica est una facultas: quantum ad secundam partem sic probatur juxta Philos. 8. Metaph. Ex quibus fit unum, unum se habet in potentia respectu alterius; sed illi habitus non se habent ad se invicem ut potentia, & actus? ergo.

Confirmatur: Ex pluribus habitibus non potest fieri unum aut compositione actûs, & potentiæ, aut unione continuativa, quia lis est in partibus quantitatis, unitate ordinis; sed neutro modo possunt unum facere illi habitus ergo. Minor prob. & quidem unitate compositionis patet de cili; deberent enim physicè un & unus in altero reciperetur, c sint quid physicum; item de ne continuativa, quia hæc so reperitur in quantitate cont nec est assignare terminum munem, quo illi habitus uni De unitate ergo ordinis sic Definitio non ordinatur ad sionem, nec utraque ad argu tationem, aut ê contra: ergo habitus non habent inter se u tem ordinis. Prob. anteced. V species non ordinatur ad a sub eodem genere; sed defini divisio, & argumentatio sunt cies contentæ sub eodem ge modi sciendi: ergo. Patet mi quia rationale non ordinatur irrationale.

Secunda ratio sic formatur: habitus Logicæ diversi sunt, munere, aut specie; sed utrum est falsum: ergo unus tantùm habitus. Min. quantum ad secu dam partem supponitur, quia t esset duplex Logica specie di sa; quantum ad primam sic p batur: Accidentia distinguunt numericè ex subjecto ju

Soph

phum 5. Metaph. sed omnes illi habitus sunt in eodem intellectu: ergo non possunt solo numero differre.

188 Hæc operosè ab ipso deducta ex B. D. optimè probant contra eumdem B. D. quòd unus habitus non poterit ex pluribus coalescere; nos autem non ponimus, quòd habitus uniri ad constituendum unum habitum, non opus est, quòd in ratione habitûs unum sint ad hoc, ut unam constituant facultatem; unitas enim facultatis ordinis est, non quidem habituum ad se invicem, sed objectorum partialium, de quibus isti habitus sunt ad unum totale subjectum, cujus sunt partes; sic autem esse in Logica jam patet; definitio enim, & propositio partes sunt integrales syllogismi; item demonstrativus, topicus, & sophisticus partes subjectivę, sive species: etsi autem una species non ordinetur ad aliam, benè potest cognitio unius ad cognitionem alterius ordinari.

Ad formam ergo primæ rationis neg. maj. ad prob. ejus dicitur, quòd simùl cum altero contrahit unam scientiam; & ad rationem in contrarium, quòd Philosophus ibi loquitur de uno per compositionem, quod solùm resultat ex actu, & potentia; multi habitus non constituunt unam scientiam compositione, sic constituerent unam qualitatem, sive habitum, sed ordine omnium ad unum commune subjectum, cujus partes, & passiones explicant.

Ad confirmationem, quatenùs hanc unitatem impugnat, primò dicitur, quòd una species non ordinatur ad alteram tanquàm pars subjectiva, omnes enim æquè dividunt rationem communem, & sunt ejus partes, sive species; benè autem potest una species ordinari ad alteram ut pars integralis ejus; sic enim, quamvis genus, & definitio sint species secundæ intentionis, genus pars est definitionis. Dicitur secundò, ut dictum est suprà, quòd, quamvis una species non ordinetur ad alteram, benè potest cognitio unius ad cognitionem alterius ordinari; hoc autem sufficit, ut omnes illi habitus habeant in objecto ordinē ad unum totale subjectum, & sint una facultas.

Ad secundam rationem dicitur, quòd illi habitus distinguuntur specie in ratione habitûs, nullo autem modo in ratione facultatis, sed sunt una facultas, quia omnes sunt de uno totali subjecto, nempè de partibus ejus; neque ex quo multi specie sint habitus, sequitur, quòd sint plures Logicæ, sed plures partes ejusdem, ut sæpe dictum est in præcedentibus.

189 Arguit octavò idem: Aliquis habitus attingit definitionem sub communi ratione modi sciendi; sed non habitus aliquis partialis, neque totalis compositus

ex pluribus: ergo unus totalis simplex. Major patet, quia definitio non solùm est scibilis in eo quòd definitio, sed etiam in eo quòd modus sciendi. Minor quantum ad primam patet, quia habitus partialis solùm attingit definitionem, ut est talis modus sciendi: quantùm autem ad secundum probatur de facili: Habitus ex pluribus compositus non alitèr attingit modum sciendi, quàm partiales, ex quibus constat; sed partiales solùm attingunt particularem rationem: ergo.

190 Resp. neg. maj. ad prob. dicitur, quòd modus sciendi ut sic, & communitèr, non habet passiones, quæ de ipso probentur, sed tantùm in singulis speciebus; quare non requiritur habitus pro ipsa ratione communi, nec ea habet scibilitatem diversam à collectione specierum: quando ratio communis aliquas habet passiones, quæ de ipsa probentur sesim à speciebus, habet scibilitem diversam, & diversum requirit habitum, & tùnc iste est partis, sicut contingit de rationesilogismi, quæ specialem habet considerationem in lib. Prior.

191 Arguit tandem Lalem. Logica esset una scientia aggtione plurium habituum, poomnes scientiæ reales dici scientia eâdem aggregatione; hoc est absurdum: ergo non agatione plurium, sed simpliunius est una. Resp. neg. lam majoris: eo enim plubitus aggregatione consunam Logicam, quia ea, dibus singuli sunt, considerampartes unius totalis subjecti, ordine ad illud; at verò eaquibus sunt scientiæ realnon sic considerantur in ordine ad unum.

QUÆSTIO III.

DE FINE LOGICÆ.

ARTICULUS I.

An Logica sit practica, vel speculativa?

§. I.

Explicatur quid est praxis.

192 NON parum DD. dissentiunt in explicando quid est praxis, quidvè practicum, ex quo tota difficultatis hujus intelligentia pendet. Primò Scotus q. 3. Prol. ita explicat praxim: *Est opus alterius potentiæ ab intellectu, naturalitèr posterius intellectione, natum elici conformiter ad rectam rationem, ut sit recta,* & ille actus intellectûs, qui talem habet pro objecto operationem, dicitur practicus.

193 Hæc descriptio quantum ad omnes suas partes communitèr rejicitur: quantum ad primam, quæ dicit, opus alterius potentiæ ab intellectu, objicit N. Gregor. quòd opus ipsius intellectûs potest esse praxis: quia literis vacare opus est ipsius intellectûs; hoc autem opus potest ab intellectu considerari ut honestum, & amplectendum, & tùnc intellectus sic accipiens erit practicus, quia hoc est dictamen prudentiæ: ergo non benè dicitur, quòd praxis est opus alterius potentiæ ab intellectu.

Quantum ad secundam, quæ dicit, naturalitèr posterius intellectione, objicit N. Toletanus: Aliquod opus, quod non est electio, vel sequens electionem, est naturalitèr posterius intellectione, natum elici secundùm rectam rationem, & opus alterius potentiæ ab intellectu; at praxis, à qua practicum dicitur, est electio, vel sequens electionem: ergo tale opus non erit praxis, illi tamen competit descriptio. Minorem docet Philosophus multis in locis; major autem patet de appetitu finis, & omni operatione circa finem.

Quantum ad tertiam, qua ait, natum elici secundùm rectam rationem, arguit idem Greg. Non minùs est practicus intellectus regulans voluntatem benè, & virtuosè operantem, quàm sit practicus malè regulans ex passione, aut inconsideratione; sed malè regulans non habet pro objecto opus natum fieri secundùm rectam rationem, imò oppositum: ergo praxis, à qua intellectus dicitur practicus, non est opus natum fieri secundùm rectam rationem. Præterea: Illa cognitio est practica, cui

cui convenit regulare electionem virtuosam; talis est cognitio de speculando: ergo ipsum speculare erit praxis. Majorem probat ex ipso Scoto, qui, ut ostendat, Theologiam esse practicam, assumit pro majori, quòd illa cognitio est practica, quæ aptitudinaliter est conformis volitioni rectæ, naturaliter prior ipsa. Minor nota est, quia, si ipsum literis vacare honestum est, cognitio hoc attingens potest regulare operationem virtuosam. Ulteriùs ad hoc ipsum arguit Tolet. Operatio, ad quam inclinat virtus appetitiva, est verè praxis; sed ad opus intellectûs inclinat virtus appetitiva: ergo praxis non est opus alterius potentiæ ab intellectu. Major est ipsius Scoti in eâdem q. 3. Min. patet, quia ad virtuosè speculandum inclinat appetitus non minùs, quàm ad quodvis aliud opus honestum.

194 Docet secundò Scotus, quòd ratio practici, vel speculativi non à fine, sed ab objecto formali desumitur; imò addit Mastrius disp. 12. q. 5. art. 2. quòd, etsi coincidant, & idem sint finis, & objectum, ab objecto, non ut finis, sed ut objectum est, debet sumi denominatio practici, vel speculativi. Hoc item communiter non tenetur, & in contrarium arguit N. Arim. De eodem objecto, etiam sub eâdem ratione potest dari actus speculativus, & practicus: ergo isti non distinguuntur ex objecto. Prob. antec. Eadem virtus moralis attingitur actu, qu illam proponit amplectendam, qui illius quidditatem speculatur sub eâdem enim ratione, qua amplectenda proponitur, quid intelligibile est, & speculabile; sed primus actus practicus est, secundus speculativus: ergo. Patet minor, quia primus actus est dictamen prudentiæ regulans voluntatem secundus autem pura est contemplatio quidditatis.

Confirmatur: Ille actus est speculativus, qui cognoscit, ut cognoscat; ille verò practicus, qui cognoscit, ut operetur; sed id objectum sub eâdem ratione cognoscit intellectus, tùm, ut cognoscat, tùm, ut operetur: ergo non potest ex objecto habere distinctionem practici, & speculativi. Ostenditur minor: Actus intellectûs, qui attingit virtutem, ut amplectendam, cognoscit, ut operetur, nempè ut regulet voluntatem, quæ debet amplecti; sed illa virtus sub eadem ratione intelligibilis est, & contemplabilis: ergo idem objectum sub eâdem ratione, & potest cognosci cognitione speculativa, & cognoscente præcisè, ut cognoscat, & cognitione cognoscente, ut operetur.

195 Insuper, alii contendunt praxim esse de necessitate operis exterius, quod non levitèr innuit Dionysius de mente Resoluti, affertque verba ejus, quibus ait, quòd *ad rationem practici requiritur dirigere potentiam ad operandum*

dum actione externa. Fundantur in text. Philos. 3. de Anim. cap. 10. quòd *intellectus extensione fit practicus*, hoc est, quatenùs extenditur ad opus; extenditur autem, quatenùs regulat potentias executivas exteriores. Alii per oppositum docent, quòd praxis tantùm sit operatio secundùm electionem; quare intellectus solùm est practicus, quatenùs regulat voluntatem in actu electivo, qualiter solùm regulat per habitus morales.

Sed hoc utrumque eâdem ratione convincitur stare non posse: siquidem, ut videbimus, Philosophus adæquatè dividit practicum in activum, & factivum; at opus exterius non est agibile, sed factibile, opus electionis è contrario non est factio, sed actio: ergo intellectus non solùm est practicus, in quantum regulat opus exterius, nec solùm in quantum regulat electionem, sed utroque modo. Præterea: Æquè est practica prudentia regulans electionem, ac domativa regulans actionem externam domificandi; utraque enim habet pro fine opus, seu bonum, non in speculatione consistit, aut acquisitione veritatis.

196 Tandem, Eliseus conceditur, praxim primò, & per se solum in actu intellectûs reperiri, in exteris autem extrinsecè, & per denominationem ab actu intellectûs: quatenim, praxim esse actum regulantem, non verò regulatum: fundatur autem in eò, quòd habitus practicus talis dicitur ab actu suo, qui est praxis, sicut speculativus â speculatione. Sed de hoc controversia est parvi momenti, & quæ magis esse videtur de nomine, quam de re, in qua cum communi oportet loqui, quæ practicum dicit regulantem sive actum, sive habitum, praxim verò actum regulatum: quamvis ergo habitus practicus ab actu suo dicatur, non ab actu, qui praxis est, sed qui est practicus: & ipsa vocis significatio ita loqui cogit; practicum enim factivum dicit, seu operativum, praxis verò effectionem ipsam, seu operationem.

197 Nobis ergo, ut pateat quid praxis est, quidvè practicum, notandum ex ipso Philosopho, quòd practicum, aut speculativum ex fine accipitur, non quidem operantis, sed operis ipsius, aut habitûs; quòd enim Medicinam v. g. quis lucri gratiâ discat, id non est finis Medicinæ, sed Medici addiscentis: attendi ergo debet finis per se ipsius habitûs, & ex intrinseca habitudine ad talem finem denominatio desumitur. Ita colligitur ex Philos. 3. de Anim. cap. 10. quo ita habet: *Hæc igitur ambo intellectus, & appetitus movendi motu dicto principia sunt; intellectus, inquam, qui alicujus gratia ratiocinatur, quiquè principium est agendi, atque hic fine ab intellectu contemplativo differt.* Quibus apertè habet, quòd intellectus practicus

ctícus, qui solùm est principium motûs, ille est, qui alicujus gratiâ, seu propter finem aliquem ratiocinatur; deinde clarius, quod à contemplativo, seu speculativo differt ex fine.

Hoc ipsum multis aliis in locis habet, expressiùs autem 2. Metaph. cap. 1. ubi, cùm dixisset, Philosophiam esse scientiam veritatis, id probaturus subdit: *Speculativæ etenim finis veritas, practicæ verò opus, etenim si quomodo se habent, considerent, non causam per se, sed ad aliquid, & in eo tempore practici speculantur*: quasi dicat, practicus, si quando causas rei considerat, non per se, ut veritatem assequatur, sed ad aliquam operationem respicit; speculativus verò veritatem tantùm intendit: quare benè dicitur, quòd Philosophia, quæ considerat præcisè, ut sciat, est scientia veritatis.

Clariùs hoc ipsum explicat glossa Commentatoris ad hunc text. ait enim: *Per speculativam scimus, ut sciamus; per practicam verò sumus scientes, ut operemur*; quare tùnc intellectus est speculativus, quando scit præcisè, ut cognoscat, & sciat, nec alium finem intendit; tùnc autem erit practicus, quando cognoscit, non præcisè, ut cognoscat, sed intendens operationem aliquam. Hinc B. D. in proœm. Physic. ait: *Scientia autem practica, quæ in ipsum eligibile, vel artificiatum tendit, non est in intellectu secundùm se, sed ut habet ordinem ad appetitu-*

hoc est, scientia practica non co-
venit intellectui, prout respicit
telligibile, ut tale est, quod hab
intellectus secundùm se, sed co-
venit intellectui, prout habet r
gulare actionem, vel effectione
& iste est sensus illius propositi
nis, quæ ex Philosopho desum
tur, & habetur communiter
principium, nempè intellectus e
tensione fit practicus; extendi
enim, sive extra se tendit intel
ctus, cùm non respicit intelligi
le præcisè, ut est intelligibile,
ut aliud habet ordinem.

198 Deinde ex eodem Ph
sopho notandum, quòd practi
dividitur adæquatè in activ
vel factivum: id habet multis
locis, sed clariùs 6. Metaph. c
1. ibi enim probaturus, quòd P
losophia est speculativa, hoc
tur argumento: Non est act
neque factiva: ergo est specul
va, concludit itaque: *Quare, si*
nis intellectus aut activus, aut f
ctivus, aut speculativus est, Ph
sica speculativa quædam profi
est; activum verò, & factivum
ipsa accipit, tùm ibi, tùm lib.
Magnor. Moral. cap. 35. tùm
Ethic. cap. 4. quòd activum
cat ea, quę sub electionem cadu
& prudentiâ regulantur; factiv
verò actiones exteriores, qu
artes pertinent, quas diximus M
chanicas, sive factivas, quare
loco citat. Magnor. Moral. C
actionem itaque, & quæ in agi
po

posita sunt, *Prudentia: circa factorum, & quæ in faciendo posita sunt, Ars.*

Quia ergo Prudentia habet respicere ad ea, quę bona sunt homini, atque mala, ut ponitur in definitione ejus; ideo ait 6. Metaph. com. 1. quòd *agibile, & eligibile idem sunt*, quia agibile est id, circa quod Prudentia versatur, quod enim bonum sit homini, aut malum, eligibile est; quare consultò ait B. D. sup. quòd practica tendit *in eligibile, vel artificiatum*, hæc enim duo adæquant rationem praxis.

199 Ex his itaque facile est colligere, quid praxis est, quidvè practicum: praxis enim id est, quod respicit, & habet pro objecto intellectus practicus, non quidem sub præcisa habitudine ad intellectum, & ut est objectum ejus; sic enim illud respicit intellectus præcisè, ut intelligat, & sistit in contemplatione, quare est speculativus; sed ut habet ordinem sive ad voluntatem, sive ad opus extrinsecus, sic enim habet pro fine opus, seu bonum; quare ipsa speculatio, ut suprà arguebant NN. contra Scotum, habet rationem praxis, quatenùs nempè accipitur sub habitudine ad voluntatem, cui proponitur amplectenda; ex hoc enim fine intellectus extenditur, sive extra se tendit: non ergo oportet, quòd praxis sit opus alterius potentiæ ab intellectu, neque ex objecto præcisè habet intellectus, quòd sit practicus, sed ex fine.

Practicus dicitur intellectus ex quo habet pro objecto praxim, seu, quod idem est, ex quo habet regulare, nempè non cognoscit præcisè, ut sciat, sed ex fine proponendi id, quod cognoscit, & regulandi aliam potentiam; quod quia duobus modis esse potest, dividitur intellectus practicus in activum, & factivum: altero enim modo regulat voluntatem in eligendo, & amplectendo bonum, & sic est activus, & sic practicus regulat dictamen prudentiæ, & pertinet ad scientias morales; alio modo regulat potentias exteriores, & sic est factivus, & pertinet sic practicum esse ad artes Mechanicas. Hoc sufficienter patet ex adductis Philosophi textibus, quare superfluum erit in probatione immorari.

200 Superest autem, quæ in contrarium objiciunt Scotistę, solvere. Primò itaque pro adducta Scoti descriptione arguit Merin. Intellectus extensione fit practicus; at non extensione, sed intra se ipsum practicus esset, si opus intellectûs posset esse praxis: ergo ea est opus alterius potentiæ ab intellectu. Patet min. quia intellectus est practicus, quatenùs habet pro objecto praxim; si autem opus ipsius intellectûs praxis est, intra se ipsum habet pro objecto praxim. Præterea: Id, quod verè est praxis, pertinet ad scientiam activam, vel factivam; sed actus intel-

lectûs ad neutram pertinet: ergo non est praxis. Maj. & min. ex dictis patent. Ulteriùs: Philosoph. 2. Metaph. text. 3. ait: *Speculativæ finis veritas, practicæ autem opus*; sed quicumque actus intellectûs habet pro fine veritatem: ergo nullus erit praxis.

201 Ad hæc ex dictis respondetur de facili: ad primum neg. min. ad prob. ejus disting. assumptum: Si opus intellectûs ex se, & ut objectum est ipsius intellectûs, praxis est, tùnc intra se ipsum est practicus, conc. min. si opus intellectûs praxis est, non secundùm se, sed ex habitudine ad voluntatem, neg. min. Itaque intellectus respiciens ipsam speculationē sub habitudine ad voluntatem, & ut ipsi proponendam, non intra se sistit, sed ad voluntatem se extendit, & ipsa speculatio sub ista habitudine praxis est. Quod patet per rationem ipsius: est enim intellectus practicus, quatenùs est activus; est autem activus, quatenùs regulat electionem; jam autem, ut respicit speculationem sub habitudine ad voluntatem, & ut amplectendam activus est, & electionem regulat, dictat enim hoc eligi debere, & agi: ergo.

Ad secundum sub eádem dist. neg. min. actus enim intellectûs sub habitudine ad voluntatem est quid eligibile; eligit enim quis studēre, & speculationi vacare, quare actus intellectûs sub ista habitudine ad scientiam activam pertinet, cujus est electionem regulare. Ad tertium sub eâd. d neg. min. actus enim intelle secundùm se, & secluſa habitu ne ad voluntatem, habet pro f veritatem, & in contemplatio ejus sistit; ut verò accipitur s habitudine ad voluntatem, ha pro fine ipsam voluntatis elec nem, quare sic est praxis.

202 Arguit secundò idem secunda conditione illius defe tionis, quòd nempè praxis opus posterius intellectione, plici ratione: prima à poster quia actus præcedentes ion ctionem, ut sunt vegetativi, sensitivi, non dicuntur praxis, sint nobis, & brutis commun sed non alia ratione, nisi quia ficit eis ista conditio: ergo. Sec da ratio est à priori, quia pra debet conformari intellectioni, ab ea regulari; sed regulatum naturâ posterius suo regulan ergo.

203 Resp. ad primum o dem, quòd praxis per ipsum di ditur in agibile, & factibile; fac bile autem, cùm sit opus exteri pertinet ad potentias exterio sensitivas. Præterea: Actus app titûs sensitivi sunt prudentiæ gulabiles, cùm possint benè, malè fieri; sed ex natura rei pri res sunt intellectione: accidit go, & de materiali est ad praxi quòd sit opus ex natura rei pri vel posterius intellectione. Dic de directè primò neg. maj. pro

sdm dicta, quia nempè actus
stivi possunt intellectione pra-
ica regulari. Secundò posset ne-
ari minor, eo enim actus illius
artis non habent rationē praxis,
uia non habent ordinem ad vo-
ntatem, aut quia non sunt intel-
ctiones regulabiles, quare non
ecisè, quia sunt intellectione
riores. Ad secundum primò pos-
et neg. min. non enim est de ra-
ione regulantis, quòd præce-
at opus, sed tantùm electionem
ejus. Secundò disting. conseq. Er-
go praxis est opus posterius intel-
ectione qualibet, neg. conseq. in-
ellectione regulante, conc. con-
eq. cum quo stat, quòd sit opus
ius intellectûs.

204 Arguit tertiò Mastrius
ro altera parte asserti, quòd nem-
e ratio practici non ex fine, sed
x objecto sumitur: Ratio practi-
i, cùm sit intrinseca actui, ab ali-
uo intrinseco debet sumi; sed
ec nequit esse finis: ergo. Prob.
in. Finis non est causa nisi ut
matus, causat enim, quatenùs
ovet agens ad agendum; sed ra-
io practici convenit actui, sive
inis moveat, sive non: ergo. Mi-
or patet, quia sufficit directio
pticudinalis, ut actus sit practi-
us; non autem sufficit amabili-
as, ut finis sit finis. Præterea: In-
entio finis est regulabilis: ergo
spicit regulam priorem, quæ erit
ctus practicus; si autem finis ra-
io est, quare actus sit practicus,
ræcedit ut ratio, & causa om-
nem actum practicum.

Ulteriùs: Contingit agere con-
tra dictamen rationis, ut in pec-
cante ex malitia; sed hoc dictamen
practicum est, quippè dirigit ad
opus, & tamen non ab intentione
finis, imò contra ipsam: ergo. In-
super: Præscindendo à quocum-
que actu voluntatis, hoc dictamen
est practicum: *Deus est diligendus*,
quia non sistit in contemplatione
veritatis: ergo non ab intentione
finis practicum dicitur. Tandem:
Actus scientiæ practicæ causatur á
præmissis: ergo ratio distinguendi
conclusionem practicam à specu-
lativa est, quia practica ex præmis-
sis practicis, speculativa ex specu-
lativis causatur; præmissæ autem
ex aliqua priori causa habent di-
stingui, nempè ex subjecto, in quo
virtualiter continentur: radicalis
ergo, & prima causa distinctionis
practici à speculativo ex objecto
sumitur. Posset addi, quòd scien-
tiæ specificantur ab objecto, & ab
eo totam habent perfectionem
suam: ergo etiam rationem pra-
ctici, aut speculativi.

205 Resp. ad primum quidem
neg. min. ad prob. ejus absolutè,
ut sonat, neg. maj. finis enim mo-
vet ut intentus, non autem sem-
per intentio amor est, sed in vo-
luntate intentio finis amor est, in
aliis autem habitudo tantùm. Ita-
que intellectus dicitur practicus
ex ordine, & habitudine ipsius in-
tellectûs, & ejus, quod intelligi-
tur, nempè quando intelligit præ-

cisse, ut intelligat, & id, quod intelligitur, non accipitur sub habitudine ad aliquid aliud, tunc est speculativus, & sistit in contemplatione; quando autem id, quod intelligitur, accipitur sub habitudine ad aliquid aliud, tunc hoc intendit intellectus tanquam finem, & hoc movet ipsum intellectum, prout terminat illam habitudinem, & tendentiam: non ergo ex intentione, quæ est amor finis formaliter, & propriè, sed quę est tendentia, seu habitudo ad finem, intellectus dicitur practicus, aut speculativus.

Ex hoc facile est reliqua solvere; omnia enim in hac æquivocatione fundantur. Ad secundum itaque dicitur, quòd intentio, quæ est actus voluntatis, est regulabilis, sed non ab ista dicitur intellectus practicus, sed ab habitudine ipsius objecti, & acceptione intellectûs sub ista habitudine, quæ, ut patet, non est regulabilis. Ad tertium, peccans ex malitia duplex habet dictamen, alterum rationis, alterum passionis; operatur quidem contra finem, quem proponit dictamen rationis, sequitur tamen dictamen passionis, & intendit finem illi congruum: hoc tamen non est ad propositum; non enim ex hac intentione finis intellectus dicitur practicus, sed ex eo, quòd objectum attingit, non præcisse secundùm se, & ut est quid intelligibile, sed ut habet ordinem ad voluntatem, & est quid eligibile.

Ad quartum, eo illud dictamen practicum est, quia non si[stit] in sola contemplatione veritat[is] ut ipse arguit: ergo ultra veri[tat]em in se contemplabilem, hab[et] tudinem importat ad voluntate[m] cui proponitur amplectendum: [ex] hac ergo habitudine, quia nem[o] intellectus in illo dictamine hab[et] pro fine non præcisse veritate[m] sed operationem voluntatis, pr[o]cticum est; quare aliud est consi[de]rare illam propositionem: *Deus est diligendus*, in se, & secundu[m] se, sic est objectum, & in ea attingit intellectus, quòd vera est, [et] objecto conformis, & non[dum] habet finem, quàm veritatem; [ali]ùd verò illam considerare ut volu[n]tati proponendam, & ab ea amplectendam, sic habet pro fine [non] veritatem propositionis, sed op[e]rationem voluntatis: non ergo [ex] objecto, quod idem est, aliter, aliter acceptum, sed ex fine di[ci]tur intellectus practicus, aut spe[cu]lativus circa illam propositionem.

Ad ultimum, concessa prim[a] conseq. neg. subsumptum; prim[a] enim ratio, ex qua præmisse dicu[n]tur practicæ, aut speculativæ, est quia speculativæ attingunt objectum secundùm se, & ut est quædam veritas, quare non alium habent finem, quàm veritatem ipsam; practicæ verò objectum attingunt in ordine ad operationem aliquam, quare habent pro fine non ipsam objecti veritatem, sed opera-

operationem: ex hoc ergo fine distinguuntur practicum, & speculativum. Quod insuper additur de specificativo, solvitur de facili: practicum enim, aut speculativum modum dicunt ipsius habitûs, seu actûs in attingendo objectum; quare ex objecto ipso desumuntur, prout habet, aut non habet habitudinem ad operationem regulandam. Jam ex hoc facile erit solvere difficultatem principaliter intentam.

§. II.

Resolvitur principalis difficultas.

206 NOta, objectum Logicæ non esse simpliciter speculabile, sicut nec est simpliciter intelligibile, sed tantùm secundùm quid, & per reflexionem; est enim ipsa non de rebus, sed de intentionibus rerum: practicum ergo, aut speculativum simpliciter, & propriè convenit scientiis realibus, Logicæ autem reductivè, & minùs propriè. Quæritur itaque: An Logica in contemplatione fistat, & reduci habeat ad speculativas; an é contrario habeat pro fine operationem, & reduci debeat ad practicas; an utrumque, & sit ex æquo practica, & speculativa? Quod ergo aliqui dicunt, non esse practicam, aut speculativam, sed organicam, quippè tota versatur in ministranda instrumenta sciendi, nec de re aliqua est: hoc, inquam, extra chorũ difficultatis saltat; supposito enim, quòd organica est, & modus sciendi, non scientia, quæritur: An ex modo attingendi objectum suum reduci debeat ad practicas, aut speculativas?

207 Prima ergo sententia hæc est, neque esse practicam, neque speculativam, sed organicam, & instrumentariam. Pro hac citantur Zabar. Petr. Nig. & qui de Antiquis tenent, Logicam non scientiam esse, sed modum sciendi; ex NN. tenet Gavardi, quem sequuntur nonnulli in manuscriptis. Secunda sententia docet, esse simùl practicam, & speculativam. Ita Suar. Vazq. Hurtad. Conimbric. & alii ex DD. Soc. Tertia docet, esse purè, & simpliciter practicam. Sic Ochan, Gabr. Fonsec. Mur. Aver. Spin. Arriag. & sequuntur communiter DD. Soc. pro eâdem citatur N. Arim. sed immeritò, ipse enim solùm ait ad argumentum Aureoli, quòd fortè assumit falsum, dum ait, quòd Logica est speculativa; ait autem *fortè*, quo indicat, se non tenere oppositum, tùnc enim negaret absolutè. Quarta tandem sententia docet, esse speculativam simpliciter. Hanc tenent communiter Thomistæ, & Scotistæ, item Schola Resoluti apud Elis. & Dionys. tenent item ferè omnes NN. Quare sit

208 Nostra Conclusio: Logica est speculativa simpliciter. Hæc con-

conclusio accipienda est in sensu jam dicto, nempè ly *simplicitèr* non supra *speculativa*, sed supra *est*: sensus ergo est, quòd totalitèr, & omninò speculativa est, & ad speculativas reduci habet, speculatione tamen minùs propriè acceptà; si enim ejus objectum non est simplicitèr speculabile, ipsa speculationem non habet propriè, & simplicitèr talem, sed speculativa dicitur, quatenùs cognoscit præcisivè, ut cognoscat, & non ex fine, qui sit praxis.

209 Probatur ergo hoc sensu conclusio: Facultas, quæ habet pro fine ipsum cognoscere, est speculativa; sed Logica totalitèr, & secundùm omnem suam partem habet pro fine ipsum cognoscere: ergo. Maj. patet ex dictis, quia talis cognoscit præcisivè, ut cognoscat. Min. ostenditur: Facultas, quę secundùm omnem suam partem habet regulare intellectum, ne erret in suis operationibus, secundùm omnem suam partem habet pro fine ipsum cognoscere; sed talis est Logica: ergo. Minor nota est, quia Logica, tàm secundùm quod docet, quàm secundùm quod exequitur, & format instrumenta sciendi, est ex instituto directiva intellectûs. Maj. item patet de facili, talis enim habet pro fine, quòd intellectus rectè cognoscat, quare intendit ipsum cognoscere.

Confirmat. Facultas, quæ habet pro fine veritatem, est speculativa; sed Logica habet pro fine veritatem: ergo. Maj. patet ex dictis §. præcedenti, ubi ex Philosopho ostensum est, quòd speculativæ finis est veritas. Min. ostenditur: Facultas, quæ habet pro fine vitare errorem in intellectu, habet pro fine veritatem inquirere; sed Logica habet pro fine vitare errorem intellectûs: ergo. Patet ma. quia error intellectûs, cùm sit falsitas, non nisi veritate vitatur. Patet item min. quia Logica est directiva intellectûs, ne erret.

210 Prob. secundò: Illa solùm facultas est practica, quæ activa, aut effectiva; sed Logica non est activa, aut effectiva: ergo non est practica. Maj. est Philos. 6. Metaph. cap. 1. ubi hoc eodem argumento probat, Physicam esse speculativam, ut vidimus §. præcedenti. Min. ostenditur ex eodem Philosopho: Activum est, quod versatur circa agibile in eo, quod tale; factivum verò, quod circa opus exterius; sed Logica neque circa opus exterius, neque circa eligibile ut tale versatur: ergo. Maj. est Philosophi locis citat. §. præcedenti. Min. quantum ad primum patet ex terminis, quantum ad secundum ostenditur, quia ea solùm facultas versatur circa eligibile ut tale, quæ habet regulare voluntatem, ut eligat; sed hoc non habet Logica: ergo.

Confirmat. Illa solùm facultas est practica, quæ habet pro fine opus; sed Logica non habet pro fine opus: ergo. Maj. est Philoso-

phi,

sit, ut vidimus §. præced. Minor ostenditur: Facultas, quæ habet pro fine opus, intendit, quòd benè operetur habens illam, seu quòd opus sit perfectum; sed hoc non intendit Logica: ergo. Min. ostenditur: Logica non intendit, quòd syllogismus sit bonus syllogismus, aut definitio bona definitio, sed quòd per bonam definitionem, aut syllogismum benè cognoscat intellectus, & veritatem assequatur: ergo hoc habet pro fine.

211 Arguitur primò: Medicina saltim secundùm illam partem, quæ in curatione versatur, practica est, & hoc nomine distinguitur ab altera sui parte, quæ dicitur Theorica; sed adhùc secundùm hanc partem non est activa, aut factiva: ergo ratio facta non tenet. Maj. patet per authoritatem Avicennæ, qui hoc expressè asserit, cui credendum esse in hac parte, ait N. Greg. quoniam fuit excellentissimus Medicus, & Philosophus. Minor ergo ostenditur per ipsam rationem nostram: Medicina secundùm illam partem non habet regulare voluntatem, ut eligat, quare non est activa; sed aliunde non intendit opus exterius: ergo non est activa, nec factiva. Patet min. quia sanitas, quam intendit, non est quid exterius operabile.

212 Resp. neg. min. ad prob. ejus neg. min. ad ejus prob. dicitur, quòd intrinsecus finis Medicinæ, à quo habet dici practica secundùm illam partem, est curatio; hæc autem est opus exterius consistens in applicatione medicamentorum, quare Medicina secundùm illam partem inter factivas computatur: deinde, ipsa sanitas, licèt sit opus naturæ, qua parte consistit in naturali actione humorum ad se invicem, ut ad naturalem temperiem reducantur; at quæ parte dicit applicationem medicamentorum, quibus opus naturæ juvatur, opus est artificiosum, quod ad factionem pertinet, & Medicina secundùm hanc partem ars est factiva, quæ inter Liberales computatur.

213 Arguit secundò Spin. Illa cognitio est practica, quæ est de operabili, ut tale est vi cognitionis; sed talis est cognitio Logicæ: ergo. Min. prob. Qui habet cognitionem terminorum, & quidditatis ipsius definitionis, non aliter definitionem formet, quàm juxta præscriptum illius cognitionis: ergo illa cognitio talis est, quæ regulat operabile, ut operabile est vi illius, & opus ipsum, sive formatio praxis est, nempè regulatum, & factum juxta præscriptum cognitionis regulantis. Confirmatur: Artifex, ut pro materia scamni lignum, & non lapidem eligat, regulatur cognitione practica artis dictante, quòd hæc, & non illa est congrua materia illius artefacti; sed paritèr cognitio Logica dictat, eligenda hæc potiùs prædicata, quàm illa esse pro materia defi-

definitionis: ergo pariter est practica.

214 Resp. neg. min. ad prob. ejus neg. conseq. quam ipse non probat. Itaque nec regulare præcisse, & ut sic, constituit practicum, nec regulari, seu fieri juxta præscriptum regulæ constituit praxim, sed finis, quem intendit regulans, & regulatum: cognitio ergo regulans, & præscribens modum formandi definitionem, non intendit tanquàm finem opus ipsum, & quòd definitio congruè fiat, neque actus ipse formans, sed uterque intendit, quòd intellectus congruè definiens verè cognoscat objectum, ut est; quare cognoscens sic, debere definitionem formari, & sic formans, cognoscit, ut cognoscat, & intendit veritatem assequi, & consequenter, quamvis regulat, & regulatur, speculativum est.

Ad confirmationem neg. min. etsi enim dictat etiam cognitio Logica, quòd hæc sit congruè materia definitionis v. g. non tamen pariter, sive eodem modo, nempè cognitio artificis dictat præcisse ex fine operis, & illius tantùm bonitatem intendit; at verò cognitio Logica non præcisse ex fine bonitatis, seu ut definitio benè fiat, sed intendit ulteriùs, quòd per eam intellectus veritatem assequatur, quare habet pro fine veritatem.

215 Arguit tertiò Alfons. In Logica sunt plures actus dirigentes ad opus, cujus executio cadit sub imperio voluntatis; sed tales sunt propriè practici: ergo Minor ab omnibus admittitur opus enim, quod cadit sub imperio voluntatis, nullus negat esse praxim. Ostenditur maj. quia in Logica dantur actus ostendentes quomodo debet fieri definitio, an syllogismus; sed hæc facere cadit sub imperio voluntatis: ergo. Patet minor, quia non nisi volentes syllogizamus.

216 Resp. disting. maj. Cujus executio cadit sub imperio voluntatis, per se, & ex intentione dirigentis, aut ipsius operis, neg. maj. per accidens, & ex conditione subjecti operantis, conc. maj. sed eodem sensu neg. min. Itaque homo, quia rationalis est, & rationalitèr operatur, nihil à consilio & ex advertentia agit, nisi volens quare hoc sensu ipsum speculum cadit sub imperio voluntatis, & voluntariè fit; est autem praxis quod cadit sub imperio voluntatis, pròut sic cadit, & practicum est intellectus illud respiciens sub ista habitudine: quia ergo Logica non respicit illos actus sub habitudine ad voluntatem, nec habet voluntatem regulare, ut imperet accidit sibi illa subjectio, nec ea practica dici debet.

217 Arguit quartò N. Gavar. Habitus, qui ex proprio fine ordinat subjectum suum ad alias scientias, non est speculativus, aut practicus, sed organicus, & instrumenta-

mentalis; sed talis est Logica: ergo. Min. eo patet, quia Logicæ objectum est syllogismus, qui de se est commune instrumentum, quo utitur quælibet scientia. Maj. ostenditur: Habitus speculativus solùm in contemplatione sui objecti, nec illud ordinat ad aliud: ergo habitus, qui ordinat ad aliud, non est speculativus. Deinde: Habitus practicus est, qui ordinatur ad opus, quod sit verè praxis; sed ordinare ad alias scientias non est ordinare ad opus, quod sit verè praxis: ergo.

218 Resp. primò neg. min. quia Logica de se non intendit alias scientias, sed tantùm, quòd intellectus rectè cognoscat, intellectus autem hanc facultatem rectè cognoscendi applicat ad alias scientias acquirendas; quare ordinari ad alias scientias non est Logicæ intrinsecum, & ex fine per se ipsius facultatis; & quando dicitur, quòd syllogismus est commune instrumentum; respondetur, quòd Logica per se illum non respicit, prout sic communis est, & applicabilis, sed secundùm se, ut habet rectificare intellectum in cognoscendo; at ratio practici, vel speculativi desumitur ex fine intrinseco, vel per se: ergo si hic est, quòd intellectus non erret, seu veritatem assequatur, ex hoc dici debet speculativus, quod tandem fatetur ipse Gavardi.

Resp. secundò neg. maj. ad prob. ejus dicitur, id convenire speculativo simpliciter, qui est de rebus; hic enim, si non in contemplatione rei ipsius sistit, non cognoscit præcisè, ut cognoscat, sed alicujus gratiâ, & sic non erit speculativus; at habitus, qui non est de rebus, sed de rerum intentionibus, benè poterit ordinare objectum suum ad res ipsas cognoscendas, nec hoc erit contra rationem speculativi; cum hoc enim stat, quòd cognoscat præcisè, ut cognoscat, sive quòd habeat pro fine ipsum cognoscere, sive speculari.

219 Arguitur tandem fundamento P. Fons. quo utuntur Hurtad. Rub. & alii: Logica tám ex objecto, quàm ex modo procedendi nullam habet similitudinem cum facultatibus speculativis, sed omninò cum practicis: ergo dicenda est facultas practica. Antec. ostenditur: Quia habitus speculativus resolutoriè procedit ad speculandam naturam, & quidditatem rei, & hoc habet pro objecto, ipsam quidditatem rei, cujus passiones, & proprietates considerat; practicus verò è contra, modo compositivo procedit, & habet pro objecto regulare ad constructionem operis; at constat, quòd Logica tota est in regulando intellectum, ut construat artefacta sciendi, & talem constructionem habet pro objecto: ergo.

220 Resp. quòd Logica quandam habet similitudinem cum habitu practico, sed non propter illam meretur dici practica, sed ma-

gis speculativa ; practicus enim non talis dicitur præcisè ex objecto, & modo procedendi, sed quia ista habet pro fine, nempè dirigit, & regulat ad constructionem operis, intendens pro fine opus ipsum, & ejus rectitudinem ; Logica autem regulat, & dirigit ad constructionem artefacti, non intendit tamen bonitatem ipsius artefacti, sed quòd intellectus veritatem assequatur, quod pro fine habet speculativa facultas ; quia ergo non quodcumque dirigere, seu regulare constituit habitum practicum, sed regulare ex fine ipsius operationis ; ideo ex tali directione, & modo procedendi, licèt aliquam similitudinẽ habeat cum practico, majorem habet cum speculativo, quippè cum isto habet similitudinem ex fine.

ARTICULUS II.

Utrùm Logica sit necessaria simpliciter ad alias scientias acquirendas?

221 IN hac difficultate plus est de nomine, quàm de re, si, quid singuli velint per voces significare, attendamus; itaque, ut confusionem possimus vitare, certa ab incertis separemus. Notandum primò, quòd necessarium, prout ad præsens spectat, duobus modis accipitur, simpliciter nempè, & secundùm quid, sive ad melius: Simpliciter necessarium dicitur id, sine quo res omninò haberi non potest, ut ad vitæ conservandam necessaria est respiratio : necessarium secundùm quid dicitur id, sine quo haberi quidem res poterit, faciliùs tamen & commodiùs cum illo, quàm sine illo habetur, ut ad iter agendum equus dicitur necessarius, non quòd sine illo non posset quis iter agere, sed quòd commodè equo, quàm pedibus agitur. Certum esse debet, difficultatem non esse in præsenti de necessitate secundùm quid ; constat quippe quòd commodiùs scientiæ acquiruntur Logicâ præeunte : prop. ergo de necessitate simplicit.

222 Notandum secundò, quod Logica, de qua quæritur, potest duobus modis accipi : aut habitualiter pro tota facultate, sive habituali notitia illius ; aut actualiter pro actu ipso cognitionis Logicæ. Certum item est, habitualem Logicam non esse necessariam simpliciter, sed tantùm ad commodiùs, & faciliùs acquirere alias scientias ; tùm, quia habitus acquisitus non dat simpliciter posse, sed faciliùs agere, cùm sit facilius ex actibus generata ; tùm item quia actualis Logicæ directio sufficit ad notitiam scientificam cujuscumque objecto habendam.

223 Notandum tertiò, quod scientia, ad cujus acquisitionem Logica dicitur necessaria, duobus item modis accipitur : aut in statu imperfecto, aut in statu perfecto ; hoc autem duobus modis explic-

, in quo potest esse æquivocatio. Primò enim dicitur ab aliquibus scientia in statu perfecto notitia de objecto facultatis scientifici, & per veram demonstrationem habita; in statu verò imperfecto, notitia de objecto non scientificè, & per demonstrationem, sed per rationes naturales utcumque inconclusivas. Hoc sensu certum est, ad scientiam in statu imperfecto Logicam non esse necessariam simpliciter; constat quippè, quòd per naturale lumen potest aliquis ex instructione alterius scire multas conclusiones Geometricas, quin illas sciat demonstrare, aut ad sua principia reducere.

Alio modo dicitur scientia in statu perfecto, notitia habitualis, sive totalis scientifica, & per demonstrationem habita omnium conclusionũ; in statu verò imperfecto, notitia item scientifica, & per demonstrationem habita, actualis tamen, & quæ sit unius, aut alterius conclusionis: priori sensu ly *perfecta*, aut *imperfecta* non supra statum, sed supra rationem scientiæ appellat; in hoc posteriori non supra rationem scientiæ, quæ utrobique perfecta est, sed supra statum: dubitatur ergo de scientia perfecta in ratione scientiæ, sive demonstratione habita, an saltim in statu imperfecto, & pro notitia unius conclusionis necessaria sit Logica? Si enim ad hanc necessaria est, multò magis ad habitualem, sive in statu perfecto.

224 Notandum tandem, quòd Logica solet ab aliquibus dividi in naturalem, & artificialem: naturalis dicitur nativa vis discurrendi; sæpè enim videmus homines naturali lumine syllogizare: artificialis dicitur, quæ studio in Scholis addiscitur, & tradit præcepta artificiosè disputandi. Certum item est, non esse dubium de Logica naturali, si tali nomine appellare licet naturalem vim discurrendi; quis enim dubitet, intellectum esse necessarium ad sciẽdum? Relinquitur ergo difficultas de Logica actuali artificiali, hoc est, de actuali notitia præceptorum artificiosè disputandi, an sit necessaria simpliciter ad habendam scientificè, & per demonstrationem notitiam alicujus veritatis.

225 Prima sententia asserit absolutè, Logicam non esse necessariam ad scientias acquirendas. Pro hac cit. Jand. Javel. Fonf. & ex RR. Mon. Baj. à S. Thom. Palanc. Echal. & alii. Secunda sententia absolutè asserit, esse necessariam. Ita ex Thomist. Sot. Lerm. Araüj. Galleg. Parra, apud quem alii; ex NN. Villan. Gavard. Manso, & cæteri omnes cum B.D. tùm in Prol. ad lib. Post. tùm in Prol. ad lib. Elench. & sæpè alibi. Tertia sententia veluti media asserit, ad scientias in statu perfecto acquirendas esse necessariam Logicam, non verò ad scientias in statu imperfecto. Sic ferè communiter DD. Societ. cum Arriaga; ex

Thomistis nonnulli, & ex Scotistis tenent Merin. & Mastr.

226 Sit nostra Conclusio: Logica est necessaria simpliciter ad quemlibet actum verè scientificum. Prob. primò ex B. D. citat. Prol. ad lib. Elench. ubi ait: *Noto, quòd, quia non cognoscimus res ipsas nisi ratiocinando, & discurrendo à principiis ad conclusiones, necesse fuit invenire aliquam artem, quæ esset directio rationis nostræ, per quam possimus cognoscere, utrùm de rebus, quas cognoscimus, rectè, vel non rectè formemus rationes, & syllogismos.*

227 Prob. secundò ratione: Actus verè scientificus est cognitio rei per causam, per quam res est, & quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere; sed talis haberi nequit sine Logica: ergo. Maj. est definitio Philosophi. Prob. min. Licèt sine Logica possit haberi cognitio per causam, at quod non contingit aliter se habere, impossibile est cognoscere sine Logica: ergo. Prob. anteced. In quocumque potest cadere error, & deceptio, is non cognoscit, quod nequit aliter se habere; sed sine Logica potest cadere error, & deceptio: ergo. Maj. patet ex terminis; sicut enim implicat posse, & non posse aliter se habere, ita implicat, quòd ipse cognoscat non posse aliter se habere, & quòd decipiatur, aut erret. Minor item patet, quia non habenti Logicam potest fieri syllogismus fallax, quo convincatur ad oppositum: ergo ille solùm cognoscit scientifice qui habet Logicam, qua possit deceptionem cavere.

Confirmatur: Quoties notitia potest aliter se habere, non est scientifica; sed quælibet notitia sine Logica potest aliter se habere: ergo. Prob. min. Quoties intellectus potest errare, ejus notitia potest aliter se habere; sed sine Logica quocumq̃ discursu potest intellectus errare: ergo. Minor patet, quia intellectus, eo quòd potentialis, in quocumque actu potest errare, si non habet, quo dirigatur, ne erret, ut pulchrè ostendit B. D. in Prol. ad lib. Elench. habitus autem, quo dirigitur, Logica est: sine Logica ergo per accidens, & casu poterit benè cognoscere; discursus tamen sic factus non erit scientificus, & cui nequeat falsum subesse, per se enim & sibi relictus intellectus potest errare.

228 Ad hanc rationem respondet Spin. primò ab instanti. Si ad cognitionem scientificam requiritur Logica, qua sciens cognoscat non posse aliter se habere, subindeque firmiter adhæreat, prius ad illam cognitionem Logicam alia requiritur, qua cognoscatur firmitas ipsius, imò magis quàm ad scientificam, quia scientificæ adhæret propter istam, quæ cognoscit non posse aliter se habere; & qua ratione ad cognitionem Logicam, qua cognoscit notitiam scien-

scientificam non posse aliter se habere, requiritur alia cognitio de firmitate ipsius, eâdem ad istam requiritur alia, & sequitur processus in infinitū: ergo standum est in primis, & dicendum, ad notitiam scientificam non requiri quasi rectum cognitionem de eo, quod non potest aliter se habere.

Resp. secundò directè, requiri quidem cognitionem de eo, quod non potest aliter se habere ad notitiam scientificam, sed non signatè, hoc est, distinctam ab ipsa notitia, & quæ sit Logicæ; sed tantùm exercitè, hoc est, sufficit ipsa evidentia, qua conclusio deducitur ex præmissis, vi cujus intellectus naturali lumine cogitur assentire adeo firmitér, quòd ipsa cognitio videt ita esse, & non posse aliter se habere.

229 Sed contra: Hæc doctrina procedit contra ipsam Philosophiæ definitionem, qua dicitur, quòd ille solùm est sciens propriè, qui cognoscit per causam, & quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere. Deinde, ad secundam solutionē dicitur, quòd evidentia, qua conclusio deducitur ex præmissis, primò intentionaliter, & ex natura rei ostendit ad summum, quòd hoc est causa istius, sed quòd non contingit aliter se habere, non potest patere, nisi secundò intentionalitér per Logicam cognoscatur rectitudo discursûs; aliter enim poterit contingere deceptio per syllogismum fallacem, quare illa evidentia sine Logica talis est, cui potest falsum subesse.

230 Ad primam solutionem neg. assumptum, & ad prob. dicitur, quòd non sequitur processus in infinitum: licét enim notitia scientifica habeat reduci ad cognitionem Logicam, qua certificatur intellectus de rectitudine discursûs, notitia tamen Logica non reducitur ad aliam, sed, quia procedit in terminis communibus, alias, & se ipsam roborat, v.g. hoc syllogismo probatur eclipsis Lunæ: *Ubi interponitur corpus opacum inter Solem, & luminare aliud, tale eclipsatur; sed inter Solem, & Lunam interponitur terra: ergo Luna eclipsatur.* Iste syllogismus rectificatur, & convincit plenè intellectum, ex quo reducitur ad istam cognitionem Logicam: *Omnis syllogismus in modo perfecto primæ figuræ perfectus est, & convincit intellectum; sed ille syllogismus talis est: ergo.* Ista autem cognitio Logica non habet reduci in aliam, sed se ipsam rectificat, quia pariter ipsa est syllogismus in modo perfecto primæ figuræ; quare in his datur exercita, & implicita cognitio de rectitudine discursûs, in notitia verò scientifica per veram demonstrationem requiritur signata.

Rationem assignat B. D. in Prol. ad lib. Post. quia, cùm syllogismus Logicus fiat in terminis communibus, potest dari syllogismus

mus se ipsum cum cæteris rectificans, qualis est suprà factus; quia termini communes, & secundò intentionales, non solùm res, sed se etiam significant, v. g. ista vox *genus* non solùm significat animal, vivens, & omnia genera, sed ipsam rationem generis, quæ genericè communis est omnibus illis; quare in talibus potest fieri syllogismus supra se reflectens, & se ipsum roborans; at verò demonstratio fit in terminis specialibus, & de subjecto particulari determinato; quare nulla potest supra se ipsam reflectere, & se roborare, sed oportet in aliam reduci, qua roboretur.

231 Arguit primò citatus Spin. Absque Logica actuali potest homo scire multas conclusiones, & illas firmitèr tenere: ergo Logica non est necessaria. Probat. anteced. Non adeo est difficile has conclusiones cognoscere, v. g. *Quòd datur primus motor*; *quòd homo est discursivus*, ac sit, millies ad signum sagittare; sed hoc secundum non est physicè impossibile, sed tantùm moraliter: ergo illud primum neque physicè, neque moraliter est impossibile.

232 Resp. neg. antec. de notitia propriè scientifica, de notitia enim utcumque certa non est controversia posse sine Logica haberi; solo enim lumine naturali assentimur principiis, & veritatibus per se evidentibus, sed ista quantumcumque certissimè cognoscamus, non dicimur propriè scire; pro-prie enim scire, de quo quæritur est notitia per demonstrationem habita. Itaque ad probationem citur, quòd illas veritates cognocere firmitèr, & certissimè non adeo difficile, sicut millies ad signum sagittare; illas autem cognocere scientificè, & per demonstrationem sine Logica est penitùs impossibile, est enim habere notiam demonstrativam sine demonstratione.

233 Arguit secundò Arrig. Logica ipsa habet cognitiones scientificas de demonstratione, & visione, & definitione; sed illa non præcessit Logica: ergo cognitionem scientificam Log. non requiritur. Rationem assig. à priori: Quia prima cognitio tuit haberi, quin præcesserit alia doctrina: ergo paritèr secunda, tertia, quia non est major, imò nor est difficultas de istis, quàm prima. Confirmatur, quia vide persæpè multos sine Logica ciali argumentari, v. g. *Qui fa-tur, debet puniri*; *furatus es*: *debes puniri*; & in istis nulla est ficultas in assentiendo conclu-ni, sed tota est in sciendo, an tecedens verum sit, quod non stat Logica: ergo ea non est cessaria.

234 Hoc argumentum, frequentissimè utuntur adver-supponit, Logicam esse scienti & ex quo ad Logicam non re-ritur alia Logica, deducit ad

tias non requiri; quare primò
g. suppositum, quòd Logica sit
ientia; quia, licèt per syllogis-
m possit tradi ars syllogizandi,
e tamen per demonstrationem
demonstrandi, ut latè probat
D. in Prol. ad lib. Post. ratio
em suprà assignata est, quia
logismus potest fieri in terminis
mmunibus, quare est dare syllo-
smum, qui se ipsum roboret; de-
nstratio autem non fit nisi in
rminis specialibus, quare non est
dare demonstrationem, quæ se ip-
am roboret, & doceat demon-
rem.

135 Sed quia ipsa Logica mul-
a habet, quæ tradit per rationes
cessarias, & syllogismum artifi-
osum, quatenùs hoc sensu potest
rgumentum procedere, Resp. se-
undò neg. conseq. & disparitas
onstat ex dictis, quòd discursus
Logicæ, eo quòd in terminis com-
munibus secundæ intentionis, se
ipsum, & alios roborat, quare ad
Logicam non requiritur alia Lo-
ca, quia certitudo, & firmitas
tionis ejus non ad aliam prio-
m rationem reducitur, sed se ip-
roborat; at discursus in quali-
scientia fit in terminis pro-
priis, quare non potest se ipsum
borare, & indiget signatâ cogni-
one formæ, qua roboretur.

136 Deinde, alitèr resp. ter-
, datâ maj. in sensu jam dicto,
g. min. ad prob. ejus dicitur,
od certitudo, & firmitas duplex
potest, aut ex artificiosa dis-
positione discursûs, aut ex ipsa ex-
perientia. Prima cognitio Logicæ
hanc secundam habet, & hâc viâ
cœperunt homines philosophari,
& inventæ sunt scientiæ, sed illæ
cognitiones ante Logicam artifi-
cialem, solam habebant certitudi-
nem experimentalem; certitudo
verò discursûs artificiosi, & cui ne-
quit falsum subesse, non habetur
sine Logica, etiam de his, quæ Lo-
gica certâ ratione probat de sub-
jecto suo, quare ad ipsam Logi-
cam hoc sensu necessaria est Logi-
ca; alitèr tamen ac ad alias scien-
tias, nempè in propria materia,
quia syllogismus factus se ipsum
roborat, ad notitiam certam ex ar-
tificiosa dispositione, & cui ne-
queat falsum subesse, non requiri-
tur Logica signatè, & antecedenter,
sed quæ in ipso actu exercetur; at verò ad alias scientias, quia
syllogismus fit in terminis pro-
priis, & qui non se ipsum rectifi-
cat, requiritur Logica rectificans
signatè, & antecedentér.

Ad confirmationem, proculdubio certum est, multos naturali lumine syllogizare; sed illi syllogismi, & assensus, quem naturali lumine præstat intellectus, non habent certitudinem, & firmitatem, cui nequeat falsum subesse, talibus enim potest deceptio contingere per syllogismum fallacem: solùm ergo ratione Logicæ, vi cujus cavetur deceptio, & cognoscitur reflexè certitudo discursûs, potest haberi firmitas, & certitudo, cui ne-

neqneat falsum subesse, quæ propria est assensûs propriè scientificé. Cætera argumenta ex his possunt solvi.

237 Supereſt aliqua adducere, & exponere B. D. loca, quæ aliquam in contrarium præseferunt apparentiam: itaque cit. Prol. ad lib. Post. in principio ait: *Non ergo est necessaria Logica propter res scitas, sed propter nostrum modum sciendi; possunt enim res sciri absque Logica*: si ergo possunt sciri absque Logica, ea non est necessaria simpliciter. Rursus, in eodem Prol. dub. 4. ait: *Quia malè nati sumus ad discendum, & intellectus noster nascitur tanquam tabula rasa, & multum tempus apponit in ignorantia, ideo valdè difficile est ei addiscere Logicam per se, & est ei etiam difficile addiscere alias scientias per se*: si ergo difficile est, tantùm requiritur Logica, ut facilitèr addiscat. Tandem ibidem ait: *Ergo propter possibilitatem, & facilitatem addiscendi necesse fuit Logicam invenire, ut non simùl quæreremus scientiam, & modum sciendi.* En ad facilitatem in addiscendo reducit necessitatem Logicæ: ergo ea non est necessaria simpliciter.

238 Hæc facile est solvere, si ipsam B. D. literam attendamus: ad primum ergo dicendum, quòd B. D. ibi supponit necessitatem Logicæ, & quærit causam hujus necessitatis, quam esse, ait, potentialitatem intellectûs nostri, quare subjungit: *Nam substantiæ separatæ, quia non intelligunt cum discursu, ut sciant res, non indigent Logica*; & hoc sensu ait, quòd possunt res sciri absque Logica, non quidem à nobis, sed à non habente intellectum potentialem; habens autem intellectum potentialem, non hoc potest errare: quare, licèt non ratione rei, quæ addiscenda est, sed ratione ipsius intellectûs, tamen, sicut ipse de necessitate simplicitér potentialis est, & potest errare, ita de necessitate simpliciter Logicâ indiget, qua dirigatur, ut scientificè cognoscat, & sine timidine erroris.

Ad alia duo dicendum, quòd B. D. in illo dub. 4. quærit: Utrum necesse fuerit Logicam invenire? Et facit rationem dubitandi, quia syllogizando addiscimus syllogizare: ergo syllogizando in aliis scientiis possumus notitiam habere de syllogismo, & sic superflua Logica, quæ seorsim ab illis traderetur. Quo patet, quòd ad notitiam scientificam habendam non excludit omninò cognitionem Logicam, quippè requirit notitiam de syllogismo, & demonstratione, sed excludit tantùm Logicam, quæ seorsim à scientiis traderetur.

Deinde, ut probet, quòd etiam requiritur Logica seorsim tradita, assumit principium Philos. quia malum est simùl quærere scientiam & modum sciendi; cujus rationem assignat, quia noster intellectus eo quòd nascitur tanquam tabula

lis, quamlibet seorsim addiscere difficultèr potest, utramque autem simùl omninò non potest; quare subjungit ex Comment. quòd neutram addisceret, si vellet utramque simùl quærere, & concludit, quòd propter possibilitatem, & facilitatem requiritur Logica, in quo utrumque ponit, & ad hoc, ut possibile sit, & ad hoc, ut sit facile, requiri.

Sensus ergo est, quòd si scientiam per se, & seorsim à Logica, v. g. Geometriam, vellet quis addiscere, valdè est difficile; addisceret tamen, sed tùnc haberet scientiam non demonstrativam, sed informem, & per se errori expositam; si autem vellet Logicam simùl cum Geometria addiscere, ut syllogizando in materia Geometriæ addisceret artem syllogizandi, & ipsam Geometriam, hoc est impossibile, nempè moraliter: ut ergo minori difficultate sibi possibile sit utramque addiscere, debet Logicam per se, & seorsim quærere; sine Logica autem aut seorsim, aut simùl habita, ejus notitia non erit scientifica, quia quantumcumque certa, poterit aliter se habere, & errori succumbere. Posset ulteriùs dici, quòd loquitur B. Doctor de Logica habituali, quæ utiquè ad facilius requiritur; cum quo stat, quòd notitia Logicalis sit necessaria simpliciter.

DISPUTATIO II

DE UNIVERSALIBUS SECUNDUM ESSE.

TRACTATUS DE UNIVERSALIBUS INTENDIT QUINque voces Porphyrii explicare, sed quia ipsum Universale sumitur, aut secundùm quod est, aut secundùm quod prædicatur; ideo, licèt illud primum potiùs sit Metaphysicum, quàm Logicum, bipartitur communitèr tractatus, & agitur primò de Universali Metaphysico, seu secundùm esse, & deinde de Logico, sive quoad prædicari: ad præsens ergo de Universali explicemus oportet existentiam, causas, & passiones; quare triplex erit quæstio.

QUÆSTIO I.

DE EXISTENTIA NATURÆ UNIVERSALIS.

ARTICULUS I.

In quonam consistat secunda intentio Logica?

§. I.

Præmittuntur notabilia.

1 UNiversale pro formali est secunda intentio, quare communitèr hìc quæritur: In quonam secunda intentio consistat? neque de omnibus quæritur, sed tantùm de intentione Logica; aliæ enim non pertinent ad Logicum institutum. Neque quæritur de ea in esse entis, nempè, an sit ens reale, vel rationis? Posset enim, quòd consistat in relatione vel denominatione, sive ea sit ens reale, sive rationis, eodem modo perspectam habet Logicus quidditatem generis, speciei, & similium, quod intenditur: quia tamen communis sententia ponit esse entis rationis, solet hìc de ente rationis tractatus inferi, quod, quia omnò Metaphysicum est, Metaphysicæ relinquimus; quia tamen de ente rationis aliquando in consequentibus loqui oportebit, quo id consistit, præmittere operæpretium erit.

2 Itaque ens rationis id dicitur, quod habet esse ab intellec-

Ens enim ab esse dicitur, quare sicut ens reale est, quod reale esse habet, ita ens rationis, quod habet esse rationis, sive intellectûs; ratio enim noster intellectus dicitur, & inde homo dicitur rationalis. Triplex communiter assignatur, secundùm quod tribus modis potest ab intellectu habere esse, nempè subjectivè, effectivè, & objectivè: dicitur ens rationis effectivè, quod ab intellectu efficitur, sive vera causalitate producitur, ut actus intelligendi; sed cùm in sententia nostra intellectus sit potentia passiva, nec aliquid vera causalitate producat, ut probabimus in lib. de Anim. ideo hoc dimittitur.

Ens rationis subjectivè id dicitur, quod in intellectu tanquam in subjecto recipitur, & ipsum perficit, sicut species, quæ ipsi intellectui repræsentant res, quas cognoscit, non extra ipsum existunt, aut aliquod esse habent, sed tantùm in intellectu, & idem de habitibus intellectualibus, sive acquisitis, sive infusis: ista dicuntur entia rationis, sed tantùm secundùm quid, & cum addito verè detrahente, nempè subjectivè; absolutè enim sunt entia realia, & formæ vere, & re ipsa perficientes intellectum: absolutè ergo ens rationis dicitur objectivum, quod nempè nullum aliud esse habet, quàm quod sibi tribuit intellectus.

Definitur communiter ens rationis objectivum, quod tantùm habet esse objectivè in intellectu: v. g. relatio temporalis, quam concipimus in Deo, ad creaturas, ut Creatoris, Domini, & similes, tales enim non sunt in Deo; oporteret enim Deum mutari, si in tempore inciperet relationem habere, non quidem relatione ipsa, sed fundamento ejus; neque item sunt verè, & subjectivè in intellectu nostro, ipsum enim deberent denominare relatum: quare tantùm sunt in ipso objectivè, quatenùs nempè ipsi objiciuntur, sive cognoscûtur, ac si essent; nec aliud esse habent, quàm quod eis tribuit cognitio, cui objiciuntur, quare dicuntur esse purè objectivè in intellectu.

Dividitur tale ens rationis in chimæricum, sive fictum, & fundatum: chimæricum dicitur, quod sine ullo fundamento fingit intellectus, ut hirco-cervus, nullum enim habet in re fundamentum intellectus noster, ut concipiat ut unum ens, & unam naturam duas naturas hirci, & cervi: fundatum dicitur, quod format quidem intellectus, & concipiendo, ac si esset, illi esse tribuit, quod non habet, aliquod tamen in re ipsa fundamentum habet ad sic concipiendum: v. g. concipit naturam hominis abstractam ab omni differentia, & quia ea sic indifferens est, ut sit Petri, vel Pauli, concipit cum quadam relatione universalitatis ad omnia individua; hanc relationem natura ipsa non habet, sed intellectus concipit, ac si haberet,

ret, quare ea est rationis, illa tamen indifferentia, quam natura habet, fundamentum præbet intellectui, ut sic concipiat, quare id dicitur ens rationis cum fundamento in re. Hæc ad præsens sufficiunt, cætera in Metaphysica disputabimus.

3 Nunc ad propositum præsentis articuli est notandum, quòd intentio, ut ait B. D. propriè dicitur de actu voluntatis, inde tamen transfertur ad alia, & in proposito significat tendentiam intellectûs; quare intentio propriè debet significare ipsum actum intelligendi, & ita accipit N. Gerar. in 1. dist. 23. q. unic. art. 2. jam autem apud omnes intentio dividitur in formalem, & objectivam: formalis est actus intelligendi, objectiva verò est terminus, sive objectum ejus: & quidem præsens difficultas non de formali, sed de objectiva instituitur; formalis enim sive prima, sive secunda apud omnes est actus intelligendi directus, aut reflexus.

Dividitur itaque in primam, & secundam: dicitur prima intentio formalis actus directus, sive tendentia intellectûs in rem, ut in se est, & secundùm esse, quod in se habet; & prima intentio objectiva res ipsa concepta secundùm tale esse, ut actus, quo concipitur homo, animal, vivens, & similia: secunda intentio formalis est cognitio reflexa, sive qua concipitur res secundùm esse, quod sibi tribuit intellectus; & secunda intentio objectiva id, quod hoc actu cõcipitur ut hominem esse universale, & ciẽ, animal esse genus, & similia. hac itaque secunda intentione objectiva quæritur in præsenti, quo consistit?

§. II.

Referuntur Sententiæ.

4 PRima sententia affirmat tales intentiones consistere in denominatione extrinseca, quam intellectus attribuit rebus cognitis. Hæc sententia communiter tribuitur DD. Socium, tenent Arriag. Hurt. Alfonsus, & alii; duobus modis explicatur, ponit enim Arriaga, ipsam rebus cognitis attribui, in quantum intellectus confusè attingit singularia, prout enim magis, vel minùs confusè attingit, magis, vel minus universale nominat, v. g. cognoscens Petrum, si illum ita confusè accipit, quòd non distinguat à bruto, attribuit denominationem generis; si autem minùs confuse ita ut distinguat à bruto, sed non á Paulo, & aliis individuis, determinat speciem, & ita de reliquis intentionibus. Alfonsus ita explicat, quòd intellectus cognoscens Petrum in ordine ad sensationem vocat animal, & attribuit denominationem generis; cognoscens verò in ordine ad discursum, vocat hominem, & attribuit denominationem speciei.

Hæc sententia eo nititur, quòd putat, intellectum nihil attingere nisi singularia, quæ est sententia Nominalium; quare ponit consequenter præcisiorem intellectûs, qua unum prædicatum sine altero attingit, non esse objectivam, sive ex parte rei cognitæ, sed formalem, sive tantùm ex parte actûs, de quo latè infrà. Quod ad propositum pertinet, pro illa sententia refert P. Alfons. inter alios Suar. disp. 6. Metaph. sect. 6. n. 8. & seq. cujus verba subjungit, addit hoc id propter aliquos de suis dictum, qui novitatis insimulant illam opinionem. Sed legenti textum P. Suar. patet de facili, ne legitur quidem illam sententiam invenire, expressè enim præfertim n. 11. quo propriam sententiam aperit, ponit relationem rationis, quam intellectus actu reflexo cognoscit.

5 Quidquid de hoc sit, illa sententia rejicitur: Secunda intentio generis v. g. est communitas unius ad plura specie differentia; sed ex pura denominatione extrinseca talis communitas non habetur: ergo. Patet maj. quia est talis specialis universalitas; universalitas autem est communis. Probat. min. Communitas unius ad plura est positiva aptitudo, ut de illis prædicetur prædicatione dicente hoc est hoc; sed ex pura denominatione extrinseca non habetur positiva aptitudo, sed ad summum negativa: ergo. Patet maj. quia illius communitatis dicitur, quòd Petrus est homo, quòd homo est species. Ostenditur min. Vi illius cognitionis, qua ipse Petrus apprehenditur confusè, sive ita quòd non distinguatur à bruto, sive ita quòd concipiatur in ordine ad sensationem, quod verè accipit intellectus, est Petrus ipse, licèt non explicitè, ut est Petrus; sed quod verè, & re ipsa est Petrus ipse, licèt ut sic confusè non importet id, quo leoni repugnat, non tamen habet positivam aptitudinem, ut sit leo, aut de leone prædicetur, prædicatione dicente hoc est hoc: ergo.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio: Genus Petri est aliquid veré, & re ipsa prædicabile æqualitèr in quid de Petro, & leone, per verum *est*, sive prædicatione dicente hoc est hoc, & secunda intentio est ipsa prædicabilitas, & communitas ad Petrum, & leonem; sed Petrus ipse confusè cognitus non est verè, & positivè quidditas ipsa leonis, aut potest de leone prædicari prædicatione dicente hoc est hoc: ergo genus non est prædicatum sic confusè cognitum, & consequentèr neque secunda intentio denominatio extrinseca vi illius cognitionis attributa. Maj. est definitio ipsa generis. Min. ostenditur: Quod intellectus accipit illa cognitione confusa, est verè, & quidditativè Petrus ipse, licèt non accipiat, ut Petrus est, sive ut est homo: non ergo poterit dici, hoc est quidditas

tas leonis ; sed ad summum , hoc non explicat aliquid , quod leoni repugnet ; at prædicabilitas generis est quidditativa: non ergo accipitur genus illa cognitione confusa.

6 Secundò rejicitur illa sententia : Alitèr denominat intellectus prædicatum *homo* , ac prædicatum *animal* , nempè primum dicit speciem , secundum dicit genus; sed nulla est diversitas in forma extrinseca denominante : ergo illæ secundæ intentiones non consistunt in denominatione extrinseca. Patet conseq. quia non habetur diversitas denominati nisi ex diversitate denominantis. Minor ostenditur: Denominatio enim visi v.g.extrinseca est â visione; quòd autem visum denominetur lapis, aut homo, non visionis est, sed ipsius prædicati visi , non alio , nisi quia visio ex parte videntis eadem est , nempè motus , quo potentia sensitiva id percipit, quod sibi objectum repræsentat; sed paritèr cognitio ex parte cognoscentis idem est motus, quo intellectus percipit, quod sibi repræsentatur : tota ergo diversitas ipsius est prædicati repræsentati , & cogniti : quòd ergo cognitum dicat animal, aut genus, sive hominem , aut speciem , non extrinsecum est ab ipsa cognitione , sed intrinsecum à prædicato cognito.

Confirmatur : Objectum cognitum præcedit, causat, & specificat cognitionem: ergo diversitas, quam attribuit intellectus prædicatis cognitis , non est extrinseca denominatio ab ipso actu cognoscendi , sed intrinseca , & per aliquid in ipso prædicato cognito. Ostenditur conseq. Si enim specificatur cognitio ex objecto , non diversitas objecti ex cognitione, sed à contrario , diversitas cognitionis ex diversitate objecti habetur : non ergo aliud est genus , & aliud species , quia diversa est, aut diversimodè denominat cognitio, sed potiùs ê contra , diversimodè cognitio denominat , quia diversitatem videt in objecto , & sic *ipsa* secunda intentio generis , aut speciei in aliquo consistit, quod est in objecto.

7 Secunda sententia ponit secundam intentionem in aliquo, quod est intrinsecè in ipso objecto. In hac primus dicendi modus est , quem tenet Eliseus de mente Resoluti ; docet, secundam intentionem esse formalitatem in re ipsa præexistentem ante omne opus intellectûs ; vult enim , secundam intentionem generis v.g. nihil esse aliud nisi ipsa intelligibilitas, quam habet prædicatum animal, ut concipiatur ab intellectu ; & sicut re ipsa præcedit omnem operationem intellectûs ipsum prædicatum animal , est quippe ipse Petrus nullo cogitante intellectu essentialitèr, & quidditativè animal , ita etiam in ipso prædicato præexistit intelligibilitas ejus, quæ est secunda intentio generis.

Sed

8 Sed hæc sententia ponit in primis, secundam intentionem esse intentionem, quod sic patet: intentio, ut nomen ipsum præfert, tendentiam significat, quæ proprie, & formaliter dicitur de actu cognoscendi, & actus ipse est intentio formalis: non ergo dicitur intentio de objecto, & re cognita, nisi prout stat sub actu, & intentia intellectûs: non ergo dicet debet intentio objectiva res ipsa in se, & ante actum intellectûs, sed ad summum intentionabilis, sive possibilis objici intentioni.

Præterea: Quod in re ipsa præcedit omnem actum intellectûs, præsertim, si ad rei quidditatem pertinet, est quid primâ intellectûs intentiâ attingibile: ergo dato, quod possit dici intentio, non secunda, sed prima erit. Patet antec. quidquid enim ad rei quidditatem pertinet, est directo aspectu attingibile ab intellectu. Ulterius: Secunda intentio est quid rei conveniens in ordine ad inferiora; sed intelligibilitas non rei convenit in ordine ad inferiora: ergo. Patet maj. quia intendimus de secunda intentione Logica, ut sunt universale, genus, species, & de his item loquitur illa sententia; talis autem in universalitate, & prædicabilitate consistunt. Patet item min. quia intelligibilitas est habitudo ad intellectum, imò ipsa quidditas se ipsa transcendentèr, & intransitivè perceptibilis ab intellectu.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio: Aliud est, prædicatum animal esse perceptibile ab intellectu; aliud, quod intellectus de illo percipere potest, quod est talis determinata quidditas, puta, virtus sentiendi; aliud verò, quod percipere potest hanc determinatam quidditatem, sic se habere ad inferiora sua, puta, quòd in quid convenit, & potest prædicari de Petro, & leone: illud primum importat habitudinem secundùm dici transcendentalem ad intellectum, quæ communis est omni enti, etiam rationis; secundum importar quidditatem, ut est prima intentio; & tertium dicit ipsam secundam intentionem generis; jam autem patet, quòd hoc tertium neque est ipsa intelligibilitas, neque in intelligibilitate importatur: non ergo consistit secunda intentio in ipsa intelligibilitate.

9 Neque refert dicere, quòd intelligibilitas ut sic, & communitèr est illa habitudo ad intellectum communis omni enti; intelligibilitas verò determinata, & particularis hujus rei est sic esse ab intellectu perceptibile, puta, animal sic in sua quidditate commune esse, & prædicabile: non ergo in illa prima, sed in hac secunda consistit secunda intentio. Non, inquam, id refert: primò, si intelligibilitas ut sic est habitudo ad intellectum ut sic, & communitèr, talis determinata intelligibilitas est determinata habitudo, sive habitudo rei deter-

determinatæ ad intellectum; sed secunda intentio non est comparabilitas ad intellectum, sed ad inferiora: ergo. Secundò, si talis determinata habitudo est determinata intentio, illa habitudo ad intellectum ut sic, & communitèr erit secunda intentio Logica ut sic, & in communi; sed non stat hoc secundum: ergo nec primum. Mitto, quòd non dantur à parte rei ante opus intellectûs ipsa prædicata metaphysica, in quibus fundatur secunda intentio, puta, animal, homo, & similia; de hoc enim infrá.

10 Secundus modus dicendi in hac eâdem sententia ponit consistere in aliquo intrinseco rebus ipsis, quod tamen ipsis convenit non secundùm se, sed ut habens esse cognitum, nempè in relatione, quæ fundatur in aptitudine, quam habet prædicatum cognitum, ut de pluribus prædicetur; quæ tamen relatio, sicut ipsa aptitudo, rebus convenit vi cognitionis directæ. Hanc tenet N. Manso, & non levitèr innuit Fonseca 5. Metaph. cap. 28. q. 8. sect. 3. ab ea parum distat sententia antiquorum Scotistar. ut refert Mastrius, nempè eo tantùm, quòd ponit, illam aptitudinem rebus convenire ante opus intellectûs; quod fortè etiam vult Fonseca: hoc autem ad præsentem difficultatem non pertinet.

Hæc sententia á communi infrâ exponenda tantùm differt in eo, quòd relationem, in quâ consistit secunda intentio, ponit consequi ad ipsam quidditatem rei a[b]titudinem, sive secundùm se, si[c] ex vi cognitionis directæ; comm[u]nis autem sententia ponit, no[n] consequi, seu resultare, sed p[o]actum reflexum, & secundam te[n]dentiam formari, quod ad alter[a] quæstionem pertinet de actu, p[o]quem fit universale, & interim co[n]tra eam valdè urget ratio supra f[a]cta n. 8. quoniam secunda intent[io] tio objectiva est objectum, proc[ul] stat sub secunda tendentia, & ab intellectûs, sicut prima non est [ens] secundùm se, sed ut terminativ[um] primum.

§. III.

Expenditur sententia Nostri Uillanova.

11 NOster Villan. disp. Log. dub. 5. cap. & disp. 2. dub. 7. docet, secu[n]dam intentionem consistere in r[e]latione conformitatis rei pro[u] modo potentiali cognitæ ad se ip[s]am in re, extra quam dicit rec[ti]tudinem naturaliter secutam a[b] res, prout á nobis cognoscuntu[r] deinde cit. dub. 7. cap. 2. docet quòd talis rectitudo habet esse p[o]re objectivum in intellectu, & ca[p] 4. quòd est relatio realis. Qua[m] sententiam adeo stabilire niti[tur] rationibus, & authoritate B. Doct[oris] & aliorum de Nostris, quod ex[is]mina-

litare nos cogit veritatem illius.

12 Adducit primò pro hac sententia B. D. q. 2. sup. univ. ubi in 3. argum. sic objicit: *Universale est ens non rationis: ergo reale; sed ens non est in anima tantùm, cùm sit intellectus objectum, tale autem non est in anima: ergo.* Resp. ad 3. *Dico primò, esse quidem ens, & reale, in anima, & extra animam, secundum esse quidem materiale, extra animam, secundùm esse verò, formale, in anima.* Deinde, eâdem q. 2. ait: *Res intellecta significata per ista nomina homo, animal, potest dici universalis, prout est intellectus abstractus, id est, secundùm quod similitudo est apprehensa ab anima, refertur ad rem, cujus est similitudo, & illa talis res non est in anima, nisi sicut objectum in potentia, quam perficit.*

In his apertè continetur tota illa sententia; docet enim Doctor, quòd universale est ens reale; universale autem importat secundam intentionem universalitatis: docet deinde, quòd universalitas est similitudo, sive conformitas, nempè res habet, quòd sit universalis, quatenùs est similitudo apprehensa ab anima, & refertur ad id, cujus est similitudo: docet tandem, quòd tantùm est objectivè in intellectu, quatenùs ait, quòd non est in anima, nisi sicut objectum in potentia.

13 Deinde pro eâdem sententia adducit N. Gerar. de Sen. in 1. dist. 19. q. 2. a. 4. ubi ait: *Nec tamen ex hoc potest inferri, quòd Logica sit de non entibus tanquam de subjecto: quia neque ens rationis est ibi subjectum, sed ens reale, prout dicit fundamentum entis rationis*; sed Logica est de secundis intentionibus: ergo. Adducit deinde Veracruc. q. 4. Prædicab. §. *Prima ergo intentio.* Clariùs potest hæc sententia fundari in B. D. in 1. dist. 19. p. 2. q. 1. a. 1. §. *Isti autem*, ubi ait: *Isti autem duplici modo universalitatis superadditur tertius modus, videlicèt, quòd species, quæ est in intellectu abstracta à rebus, dicitur universale, eo quòd habet respectum ad plura, non quia de pluribus prædicatur, sed quia pluribus est similis.* Quibus universalitatem constituit in respectu similitudinis.

14 His non obstantibus, dicendum, quòd secunda intentio non consistit in relatione conformitatis, ut ipse ponit. Quod primùm probetur, loca expendemus, quæ pro se adducit: & quidem primò Verac. illo eodem loco sic ait: *Prima ergo intentio est, quod primùm de re concipitur sine respectu ad intellectum; secunda intentio est, quod secundò concipitur de re per operationem intellectus. Ex istis sequitur, quòd tàm prima, quàm secunda intentio, si formaliter accipiantur, sunt entia realia, quippè sunt ipsi actus concipiendi; si verò objectivè, prima intentio est ens reale, secunda rationis.* Hæc adduxi, non quòd ex Verac. possimus

mentem B. D. habere ; non enim ad mentem ejus scripsit ; sed qua pateat ne levitèr quidem sententiam ejus indicare, ait enim apertè, quòd secunda intentio est ens rationis.

15 Deinde, N. Gerar. in loco adducto de veritate agit, quæ utiquè in illa conformitate consistit intellectus, sive rei conceptæ ; ubi autem ex instituto de eo agit, quod ad propositum pertinet, oppositum docet, nempè dist. 3. q. 3. a. 3. quærit : Utrùm universale sit ens rationis, vel ens reale ? Et docet, quòd universale est ens reale, nempè ipsa natura, quæ prædicatur ; universalitas verò, sive formale complementum ejus in ratione universalis, est ens rationis; quod quinque rationibus probat, ut potest patere legenti ipsum. Deinde, dist. 23. q. 1. art. 2. de ipsa secunda intentione quærit, & docet quidem, quòd intentio ipsum dicit actum intelligendi, sed intentio prima est actus, quo rem accipit secundùm aliquod esse reale, secunda verò *actus intelligendi reflexus, per quem intellectus tendit in rem aspectu reflexo, intelligendo eam secundùm aliquod esse rationis*: quare, quod nos dicimus secundam intentionem objectivam, de qua quærimus, est apud ipsum illud esse rationis, quod aspectu reflexo attingit intellectus.

Neque aliquid in contrarium urgent verba ab ipso adducta, sicut enim dist. 3. docet, quòd universale est ens reale, universale verò est ens rationis, eodem se loco adducto ait, quòd subject Logicæ est ens reale, prout fun ens rationis, nempè ratio for lis, quæ ipsa est secunda inten est ens rationis ; est enim Logi ut ait Boœt. & sæpe ex ipso rep B. D. de secundis intentioni adjunctis primis, sive de ipsis mis non secundùm se, sed ut dant secundas. Neque aliquis nè argueret: Album est substa sed importat album pro for albedinem : ergo albedo est s stantia. Tale autem est arg tum, quod ipse intendit, Vniversale est ens reale ; se versale importat secundam in tionem : ergo secunda intenti ens reale.

16 Tandem, quod attine authoritatem B. D. ea, ut ab adducitur, non reperitur apud sum, neque illa q. 2. sup. univ. bet 3. argument. sed duo tant quo circa notare oportet, quo quodam B. Doctoris discipulo, ejus expositione super univers extractæ sunt qq. & formatus tractatus quidem, qui ita inscr tur : QQ. B. D. super universa in quo tamen non purè literam D. sed sæpe ex proprio sensum suit, & intelligentiam ipse con lator : ex hoc forté tractatu vi illa desumpsit N. Villon. In illa go q. B. D. inquirit : Vtrùm u versale habeat esse in anima, ve re extra? Et resolutio ejus est, q

de se non est universalis, nisi in quod intelligitur.

Deinde, prout intelligitur, & habet esse in anima, adhùc, ait, potest considerari dupliciter: *Uno modo, prout informat animam, & refert res singulares* (nempè species intelligibilis) *alio modo, prout habet esse in anima, & ulteriùs refertur ad res extra, & sic est universale*, nempè natura ipsa, quæ in specie repræsentatur. Patet ergo, quòd intendit Doctor, non de ipsa universalitate, sed de natura universali, & intentione prima. *Dicit* ergo, quòd tale est ens reale, quod omninò verum est: deinde, in anima, & extra animam, nempè secundùm esse materiale in re extra, quia naturæ universali, quæ repræsentatur in specie, respondet ens extra existens; in anima autem secundùm esse formale, nempè ipsa natura abstracta, quę est universalis, prima intentio, & fundamentum universalitatis.

Insuper ait, quòd illa res dicitur universalis, ut est similitudo, refertur ad id, cujus est similitudo, nempé, quia priùs dixerat, quòd potest duobus modis accipi, uno, ut est qualitas informans intellectum; alio, ut refertur ad rem extra, & est similitudo ejus, intendit, quòd non illo priori modo, sed hoc posteriori est universalis, non autem, quòd ipsa similitudo est universalitas: hoc eodem sensu dicit, quòd non est in anima, nisi sicut objectum in potentia, non autem habet *quam perficit*: sensus ergo est, quòd priori modo est in anima, sicut forma in subjecto suo, nempè species est qualitas subjectivè informans intellectum; posteriori autem modo tantùm est, sicut objectum in potentia, nempè natura repræsentata non est in intellectu subjectivè, sed tantùm objectivè, & repræsentativè, quod non tollit, quin ea sit ens reale in re existens.

17 Quod autem ulterius addidimus ex prima sententia, ibi quærit B. D. Vtrùm in Divinis sit totum universale? Et ostensurus, quòd non, assumit, quòd primò accipitur universale pro forma separata, ut accipiebat Plato, & ait, quòd, si sic esset dare universale, Deus maximè est quid universale; quia tamen universale non est forma separata, ut ponebat Plato, ait, quòd secundò accipitur universale, ut posuit Philosophus, pro natura abstracta ab intellectu, & prædicabili de suis inferioribus; & ostendit, quòd isto modo Deus non est quid universale. Tùnc subjungit, quòd posset accipi tertius modus universalitatis, nempè natura abstracta, non secundùm quod est de pluribus prædicabilis, sed secundùm quod est similis pluribus.

Ad hoc autem posset dici primò, quòd istam universalitatem non ponit B. D. ex propria mente, sed, quia posset aliquis ita accipere, intendit, quòd etiam sic

accepto universali, non potest poni in Divinis. Deinde, dato, quòd ex propria mente ponat, dicendum, quòd universale accipitur, aut quantum ad esse, quod dicunt universale Metaphysicum; aut quantum ad prædicari, quod est universale Logicum; hoc secundo modo universalitas est secunda intentio, de qua quærimus; primo autem modo universalitas est prima intentio, ipsa nempe quidditas, quæ se ipsâ intransitivè communis est pluribus, & ad ea relativa secundùm dici, quatenùs est ipsum prædicatum, quod in Petro, Paulo, & reliquis invenitur. Intendit itaque Doctor, quòd universalitas hoc sensu illa est similitudo quidditativa, & transcendentalis, qua prædicatum intellectui repræsentatum, id ipsum est, quod in particularibus reperitur. Hoc autem nihil sententiam illam juvat; tùm, quia non est secunda intentio, sed prima; tùm deinde, quia non est relatio adæquationis consecuta ad rem cogniram, ut vult Villan. sed quidditas ipsa intellectui repræsentata, quæ se ipsâ intransitivè est ipsum prædicatum in re existens.

18 Postquàm ostendimus, quòd authoritates pro illa sententia adductę ipsam non probant, directè ostendemus, quòd ea non potest substinere: & primò ex B. D. quodl. 2. q. 6. §. *Redeamus ergo ad propositum*, ubi ita habet: *Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quòd intellectus primo pectu fertur in ipsam essentiam cundùm se, sive in ipsum esse tiæ; sed propter istam lationem propter istum aspectum, ipsa tia non apprehenditur ab intellut est quid universale; sed quo intellectus se convertit supra ip essentiæ, & videt, quòd illud commune multis, tùne dicit, illud esse est quid universale: cognitio essentię est intentio pri dico primò, quia est objectum lectus secundùm lationem prim cognitio autem universalitat intentio secunda: dico secund est objectum intellectus, no cundùm lationem primam, se reflectit se supra id, quod cogn vit, & videt ipsum esse comm multis.*

En apertissimè habet D directè, & de hoc ex inst agens, quid est secunda int Logica, de qua quærimus, n universalitas, ait enim, quò illud objectum, quod intell attingit, quando se reflectit rem cognitam, & videt, quò est communis multis; hoc au non adæquatio, sed commun ipsa est, & superioritas ad illa ta, de quibus potest prædi Rursus, ibidem ita habet sub dium: *Igitur res secundùm es sentiæ, & ut est subjecta int ni universalitatis; vel quod est, res, quæ est universalis, est universalis, habet esse rati alitèr tamen, & alitèr; quia p*

modo habet esse rationis secundùm intentionem primam: secundo verò modo secundùm intentionem secundam. En secunda intentio est ens rationis, non autem relatio realis, ut intendit Villan.

19 Deinde â ratione hoc ipsum ostenditur: Primò ex ipso, & communi sententia ens rationis est, quod tantùm habet esse objectivè in intellectu; sed ipse ponit illam relationem, quæ est secunda intentio, tantùm esse objectivè in intellectu: ergo inconsequentèr ponit esse realem. Majorem docet *ipse* disp. 1. dub. 1. cap. 1. n. 12. Minorem docet eâdem disp. dub. 7. cap. 2. quod talem habet titulum: *Secunda intentio est illud esse purè objectivum consecutum ad res, prout cognitas ab intellectu humano.* Deinde, cap. 4. titulum sic habet: *Respectus, quos dicunt secundæ intentiones ad res, prout sunt in se, non sunt rationis, sed reales.* Ita autem omninò non cohærent.

Dices: Juxta B. D. ut nos suprà exposuimus, res, quæ est universalis, non est in anima, nisi sicut objectum in potentia: ergo purè objectivè; at est ens reale, ut ibi habet Doctor, & nos ipsi fatemur, nempè natura universalis: ergo nos ipsi cum B. D. illud tenemur admittere, quòd aliquid sit ens reale, & habeat esse purè objectivè in intellectu. Resp. quòd aliud est non habere aliud esse nisi objectivum; aliud verò, quod non aliter sit in intellectu nisi objectivè id, quod extra intellectum habet esse: illud primum constituit ens rationis, & ita ponit Villan. relationem illam; hoc secundum docet B. D. de natura universali, nempè quòd species est in intellectu, sicut forma in subjecto, & sic subjectivè; natura verò repræsentata, in intellectu non nisi objectivè; quia tamen habet esse in re extra, est ens reale, & ulteriùs reduplicativè ut in intellectu, est ens rationis tanquàm intentio prima, ut suprà ait Doctor, quod non tollit, quin specificativè sit ens reale.

20 Prob. secundò: Secunda intentio consistit in superioritate ad inferiora sua; sed illa conformitas non est superioritas: ergo in illa non consistit secunda intentio. Patet maj. quia quodlibet universale prædicatur ut superius de his, quibus est universale; est autem secunda intentio ipsa prædicabilitas. Patet item min. quia illa conformitas est adæquatio, & æqualitas. Confirmatur: Illa adæquatio est prædicati ad se ipsum extra: ergo si in illa consistit secunda intentio, & prædicabilitas, non de altero, sed de ipso prædicatur, & sic nulla erit prædicatio formalis. Rursus: Nulla erit superioris de inferiori; prædicatur enim animal v. g. in quantum est prædicabile, & de eo, ad quod dicitur prędicabile: si ergo prædicabilitas, quę est secunda intētio, est adæquatio ad se ipsũ extra, de se ipso, & nõ de inferioribus speciebus erit prędicabile.

Prob.

21 Prob. tertiò: Adæquatio ad se ipsum extra non est prædicabilitas de pluribus; sed secunda intentio generis est prædicabilitas de pluribus differentibus specie in quid: ergo illa adæquatio non est secunda intentio generis. Patet maj. quia illa adæquatio, sicut est ad se ipsum extra, ita est prædicabilitas de se ipso extra. Minor est definitio ipsa generis.

22 Tandem probatur ratione suprà facta: Secunda intentio objectiva tùnc habet esse, quando intellectus se reflectit supra rem actu directo cognitam, & eo dicitur secunda intentio, quia est objectum intellectûs secundùm lationem secundam; sed illa conformitas est pro priori ad actum reflexum in ipso objecto actûs directi: ergo ea non est secunda intentio. Min. est ipsa ejus conclusio, quòd nempè illa conformitas consequitur ad res modo potentiali cognitas. Major, præterquamquòd continetur expressè in verbis B. D. suprà datis ex quodl. 3. probata est num. 8. quia intentio propriè dicitur de actu intellectûs, quare objecto tantùm convenit, ut stat sub actu, seu tendentiâ intellectûs. Adde, quòd illa conformitas non ad rem cognitam, sed ad actum cognoscendi consequitur; si enim actus benè cognoscit, habet conformitatem, non autem, si malè cognoscit.

23 Ad hanc rationem respondet Villan. & est potissimum ejus fundamentum, quòd secunda intentio objectiva est formaliter, completè id, quod est objectum motivũ, & terminativum secundæ intentionis formalis; sed hoc debet præcedere ipsam secundã intentionem formalem: ergo solùm illa conformitas naturaliter secuta actum abstractivum, poterit esse secunda intentio objectiva, quia hæc solùm præcedit tanquam objectum movens secundam intentionem formalem. Majorem ipse supponit, & posset probari à parte, nam prima intentio objectiva est ipsa quidditas rei, quæ præcedit ut movens primam intentionem formalem. Minorem probat. Quia objectum formale specificativum debet præcedere actum tanquam causa illius: ergo secunda intentio objectiva debet præcedere secundam intentionem formalem.

24 Sed contra primò: Etiam detur utraque præmissa, non habet intentum; non enim secunda intentio, de qua loquimur, est conformitas, & adæquatio ad se ipsum, sed superioritas ad inferiora sua: dato ergo toto discursu, sequitur ad summum sententia Manso, quòd nempè secunda intentio erit relatio superioritatis & prædicabilitatis consecuta actum primum. Sed neque hoc sequitur, quare

Contra secundò: Etsi objectum movens debeat præcedere actum, ad quem movet, ut causa illius

ffus, non tamen purè terminans; sed intentio objectiva non est objectum movens, sed purè terminans ergo. Major patet ex terminis, præcedit enim objectum, ut est causa actûs; est autem causa ut movens, rationem enim terminantis ex ipso actu habet, & ut stat sub illo. Minor ergo ostenditur, primò, ratione suprà facta, quia intentio proprié dicitur de actu, qui est ipsa tendentia: ergo ex actu convenit objecto, & sic non pro priori ad actû, sed ut stat sub ipso actu. Secundò ex eâd. paritate primæ intentionis: Non enim est prima intentio quidditas rei, ut est in re extra, & præcedit ut movens, sed ut est cognita, & terminat actum directum, in re enim extra est fundamentum primæ intentionis: ergo paritèr. Tertiò: Motivum actûs reflexi est id, supra quod reflectit intellectus, hoc enim ipsum movet ad reflexionem; sed non se reflectit supra secundam intentionem objectivam, sed supra rem cognitam, & videt, quòd ea est communis multis, ut habet expresse B. D. suprà adductus: non ergo est secunda intentio objecti, quod præcedit ut movens.

§. IV.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

25 DIcendum ergo, quód secunda intentio objectiva consistit in relatione rationis, quam dicit prædicatum præcisè cognitum ad inferiora, à quibus præscinditur. Hæc Conclusio, priusquám probetur, explicanda est; & primò notandum, quòd eo præscindit à difficultate de actu, per quem formatur illa relatio, an nempè ea resultet ex actu ipso abstrahente, an potiùs formetur per actum reflexum, & comparantem? De hoc enim infrà quæritur ex instituto.

26 Notandum ergo pro intelligentia Conclusionis, quòd noster intellectus, eo quòd potentialis est, non intelligit uno actu totam perfectionem objecti, quare actus multiplicat, & quolibet unam aliquam perfectionem attingit, & isti dicuntur præcisivi, sive abstractivi; separant enim perfectionem, quam attingunt, à reliquis, quæ sunt in objecto: v. g. in Petro nihil est à parte rei nisi corpus, & anima; perficit autem anima illud corpus secundùm diversos gradus, & tribuit non solùm esse ens, & substantiam completam, sed etiam tale esse, puta, vivere, sentire, & intelligere: has ergo omnes perfectiones intellectus noster diversis actibus concipit, nempè uno, quòd vivit, sive est vivens; alio, quód sentit, sive est animal, & sic de reliquis.

Prædicata ergo ista attingit primo actu, sive directa tendentia in objectum, quare ea dicuntur primæ intentiones: quodlibet autem

tem ex illis ut sic præcisivè cognitum actu directo, non importat, quòd est prædicatum Petri, sive perfectio ab anima ejus causata, sed tantùm, quòd est perfectio, puta, virtus sentiendi; & quia virtus sentiendi non solùm in Petro, & Paulo, sed etiam in equo, & leone reperitur quidditativè, & essentialiter, illa perfectio sic concepta quid commune est, sive universale, & de omnibus illis essentialiter prædicabile; quare intellectus se reflectens supra hoc prædicatum, & illud comparans ad ea, quæ sunt in re extra, cognoscit cum relatione quadam ad hominem, & leonem, tanquam prædicabile de illis: illa ergo perfectio, quæ communis est, ut sic præcisivè cognita, est prima intentio objectiva; illa autem relatio communitatis, & prædicabilitatis, quam atttingit actu reflexo, est secunda intentio objectiva.

27 Conclusio sic explicata communior est in Scholis, eam tenent omnes NN. uno excepto Villan. eam esse B. D. sententiam apertè patet ex loco superiùs adducto n. 18. Prob. nihilominùs ex alio B. D. loco, quo expressiùs ea continetur: in 1. dist. 30. q. 1. ar. 3. quærit: An relationes temporales sint in Deo secundùm rationem? Pro intelligentia explicat, quot modis aliquid dicitur esse secundùm rationem; quia aliquando, ait, ea, quæ sunt in intellectu, nullum habent fundamentum in re extra, & tunc intellectus ea apprehendens, est vanus, & cassus, ut quando apprehendit hircocervum; aliquando verò ea, quæ sunt in intellectu, immediatum fundamentum habent in re extra, ut sunt nomina primæ intentionis, homo, leo; perfectioni enim conceptæ, quæ his vocibus significatur, respondet res existens.

Deinde contingit aliquando, quòd ea, quæ sunt in intellectu, non habent immediatum fundamentum in re extra, sed mediatum, quia immediatum fundamentum est res in anima, cui respondet res extra: *Vt si aliquis intellectus uniendo se sensui apprehendit Sortem, vel Platonem, huic apprehensioni immediatum fundamentum res extra respondet; possibile autem, quia videt intellectus, quod hoc apprehensum non prædicatur de pluribus, nominat ipsum individuum, ita quòd hoc individuum mediatè fundatur in apprehensione intellectus, & mediatè fundatur in re.* Et clarè prima intentio objectiva est, quod respondet ut terminus primo conceptui directè attingenti, & cui respondet res extra, ut homo, leo, Petrus; secundùm autem, quando intellectus videt, quòd illud cognitum prædicatur, aut non prædicatur de pluribus, id, quod hoc actu attingit, est secunda intentio objectiva, quæ nominat speciem, aut individuum, aut quod hoc actu attingit, est relatio ad inferiora: ergo.

Tarius ibi prosequitur: *Hæc autē, quæ non immediatum fundamentū habent in re, duplex esse habēt: quia quædam sunt, quæ intellectus ex sua subtilitate investigando perquirit, & hæc sunt nomina secundæ impositionis, vel intentionis; aliqua sunt, quæ intellectus non ex sua subtilitate investigando perquirit, sed ex suo modo intelligendi ipsa de necessitate consequuntur, & hujusmodi sunt relationes secundùm rationem*, nempè quæ dicuntur entia rationis cum fundamento necessitante, & tales dicit relationes temporales in Deo. En contradistinguit secundas intentiones ad relationes, quæ de necessitate consequuntur ex modo intelligendi; sed relatio præcedens actum reflexum de necessitate consequitur ad actū directum ex modo intelligendi: ergo non in illa consistit secunda intentio.

28 Prob. secundò ratione: Secunda intentio objectiva est comparabilitas illa, vi cujus prædicatum cognitum est formaliter, & proximè prædicabile de pluribus; sed hæc est relatio rationis fundata supra rem prout directè cognitum, superioritatis ad ea, de quibus est prædicabilis: ergo. Major patet, quia secunda intentio, de qua loquimur, est prædicabilitas ipsa, & forma [illegible]versalis Logici. Min. ostenditur: Comparabilitas est id, quod dicit prædicatum, sunt actu reflexo concipitur existere, & formaliter commune multis; sed sic dicit relationem illam, quę est ipsa communitas: ergo. Patet maj. quia nisi intellectus cognoscat explicitè, & formaliter, quòd prædicatum est pluribus conveniens, illud non erit formaliter, & immediatè prædicabile, prædicat enim intellectus, quatenùs cognoscit prędicabile esse; sic autem cognoscit actu, quo reflexè comparat.

Quòd autem id sit relatio rationis communitatis, & superioritatis ad ea, de quibus prædicatur, probatur de facili: & quidem, quòd sit superioritas, patet; quodlibet enim prædicabile prædicatur directè, & formaliter ut superior de inferiori de his, quibus est prædicabile: ergo prædicabilitas ipsa, quæ est secunda intentio, est superioritas. Quòd deinde sit relatio, patet item; quia superioritas, & prædicabilitas relatio est, & ad alterum se habet. Quód tandem sit relatio rationis, ostenditur: Quia universale, seu prædicabile ab eo, cui est universale, sive de quo prædicatur, non distinguitur realiter; sed relatio realis tantùm est inter extrema realiter distincta, nempè unius ad alterum: ergo universalitas, seu prædicabilitas non est relatio realis. Patet maj. quia universale, seu prædicabile est prædicatum quidditativum ipsius inferioris, cui est universale, & de quo prædicatur, eo enim prædicatur in quid.

29 Prob. tertiò ratione superius

riùs inducta: Sicut se habet prima intentio objectiva ad primam intentionem formalem, sic secunda intentio objectiva ad secundam intentionem formalem; sed prima intentio objectiva non est res ipsa, ut in re existit, & præcedit primam intentionem formalem, sed ut cognoscitur, & terminat ipsum actum directum, & primam tendentiam intellectûs: ergo secunda intentio objectiva non est aliquid ex primo actu consecutum, & præcedens actum reflexum, & secundam intentionem formalem, sed tantùm, quod ipso actu reflexo attingitur, & cognitione ipsa formatur; tùnc autem patet, quòd tale est relatio illa rationis communitatis, & superioritatis ad inferiora sua. Maj. principalis patet ex terminis. Min. in antecedentibus probata est; consequ. autem legitima est: si enim non ipso actu formatur, præcessit, & tùnc non est secunda intentio objectiva.

§. V.

Solvuntur Argumenta.

30 ARguitur primò ex Mastrio, qui quamvis in re nihil addat supra conclusionem nostram, ratio tamen, quam adducit contra communem explicandi modum, sic potest contra nos formari: De ratione secundæ intentionis est, ut per eam exprimatur res extra suum ordinem, id est, quoad attributa ration quæ sibi competunt in statu, ponitur ab intellectu negoti circa rem; sed per relationem tionis fundatam in re prout cog ta, exprimitur res in suo ord & secundùm quod sibi conven parte rei: ergo in ea non cons secunda intentio. Prob. min. cèt relatio Creatoris in Deo sit tionis, per eam tamen exprim id, quod est à parte rei, nempè minare relationem, quam creatura: similitèr per relation cogniti exprimitur, quod est te rei, licèt non in re ipsa, ipsa cognitio; sed tales secundæ intentiones, quia plicant rem extra proprium tum: ergo secunda intentio consistit in relatione ration etiam quæ fundatur in priori nitione, seu re priùs cognita.

31 Resp. neg. min. ad ejus neg. conseq. alitèr enim relatione, in qua consistit secu intentio, ac de his, quæ assum tur: & in primis esse cognitum est relatio, sed extrinseca deno natio à cognitione ipsa; in e noscente enim nihil est nisi cog tio; in cognito, si aliqua relatio ex cognitione, illa denomin non erit extrinseca, significa enim formam intrinsecam in nominato, nempè istam relat nem: deinde relatio Creatoris tionis est, quæ tamen actu ipso rectè cognoscente formatur; D enim, ex quo terminat depend

ram creaturæ, habet modum rela-
vi, quo dicitur relativus secun-
dum dici; quare intellectus noster
cogitur relativè cognoscere, &
quia in se non habet relationem,
sed tantùm se ipso intransitivè
modum relativi, illa relatio ratio-
nis est.

Non ergo ratio Creatoris sig-
nificat præcisè, & tantùm termi-
nat dependentiam, sed in Deo,
qui in se est, significat modum rela-
vi, seu relationem secundùm di-
ci, in Deo, ut à nobis cognoscitur,
relationem rationis, quæ, quia ex
nostro modo concipiendi de ne-
cessitate formatur, cogimur enim
ex illo modo Deum ut Creatorem
concipere relativè, dicitur ratio-
nis cum fundamento necessitante;
uit B. D. loco suprà adducto n.
7. quòd talia de necessitate con-
sequuntur ad nostrum modum in-
telligendi; quia tamen ipso actu
directo formatur, non rei conve-
nit, ut circa illam negotiatur in-
tellectus, sive in secundo statu, &
extra proprium ordinem, sed se-
cundùm se, & ut directè cognos-
citur.

At verò relatio, in qua consis-
it secunda intentio objectiva, non
ita se habet, actu enim directo tan-
tum attingit intellectus quiddita-
tem prædicati cogniti, puta, quod
sit virtus sentiendi, sive animal,
quod autem ita se habet ad ea, quę
sunt extra, non nisi quatenùs se-
cunda cognitione supra ipsum re-
flectitur; at ita se habere ad ea, quæ sunt extra, est ipsa relatio su-
perioritatis, & prædicabilitatis, in
qua consistit secunda intentio: non
ergo hæc convenit rei secundùm
se, & in primo statu, sed in secun-
do, & ut circa illam negotiatur in-
tellectus. Patet ergo, quòd non
quælibet relatio rationis est secun-
da intentio, neque ex eo, quòd uni
convenit, licet argumentari ad al-
teram.

32 Arguitur secundò ex eo-
dem: Secunda intentio objectivæ
ita est relatio rationis, quòd est
mutua, hoc est, rationis in utro-
que extremo; sed non quælibet re-
latio fundata in re, prout à nobis
cognita, mutua est, sive rationis in
utroque extremo: ergo non con-
sistit secunda intentio in relatione
rationis fundata in re, prout à no-
bis cognita. Patet maj. quia sicut
comparatur prædicabile ad ea, de
quibus prædicatur, ita ê converso,
nempè mutuò identificantur, qua-
re par est ratio, ut relatio sit ratio-
nis in utroque extremo. Patet item
min. quia relatio Creatoris funda-
tur in Deo prout à nobis cognito,
non tamen est rationis in utroque
extremo.

33 Resp. missa maj. conc. con-
seq. non enim quamlibet relatio-
nem, quæ fundatur in re prout à
nobis cognita, dicimus secundam
intentionem, sed illam tantùm,
quæ fundatur in re prout signatè,
& antecedenter cognita, seu quam
format actus reflectens supra rem
directè cognitam, quæ enim fun-

datur in re exercitè ipso actu cognita, seu quam format ipse actus cognoscens directè, non est secunda intentio, & talis est relatio Creatoris: itaque est secunda intentio, eo quòd est relatio secundo actu formata supra rem cognitam; est verò Logica per hoc, quòd ad subjectum ordinatur, de quo Logica agit, nempè ad syllogismum; quare secundæ intentiones, quas formant Rhetorica, & Grammatica, actu quidem reflexo formantur, eo tamen non sunt Logicæ, quia ut tales non ordinantur ad syllogismum. Jussa est transire maj. quia relatio rationis non est nisi in actu reflexo, quo formatur; quando autem intellectus reflexè comparat prædicatum superius, non oportet simùl reflectere supra inferius: quamvis ergo, quando reflectit supra inferius, non realem, sed rationis relationem habeat, & hoc sensu sit mutua, non tamen sic mutua est, quòd una non possit esse sine alia.

34 Arguitur tertiò: Esse genus v. g. est secunda intentio; sed hoc consistit in denominatione extrinseca: ergo. Prob. min. Esse genus dicitur de eo, quod est à parte rei; sed id, per quod dicitur, non est à parte rei: ergo est extrinseca denominatio. Patet conseq. quia tùnc esse genus rei convenit ratione alicujus, quod non est in ipsa. Patet item min. quia, si id, ratione cujus genus dicitur, esset à parte rei, non esset secunda intentio, sed prima. Patet tandem maj. enim prædicaretur essentialiter co, quod est à parte rei, nisi res ipsa, quæ est à parte rei.

35 Resp. neg. min. ad pr di ting. maj. Dicitur de eo, q est à parte rei, prout est à p rei, neg. maj. prout ab intel concipitur præcisivè, conc. & conc. min. neg. conseq. ad p ejus dicitur eodem modo, q id, ratione cujus dicitur genus aliquid in re ipsa, non ut est à p te rei, sed ut præcisivè cogi Itaque res, quæ est à parte rei, est à parte rei, est singularis Petri, sic nequit de leone ri, quare nec est genus; illa eadem res, ut præcisivè cogn tur esse virtutem sentiendi, communis est, de eo prædic & sic est genus; illa autem co nitas, ratione cujus genus di in ipsa est, non à parte rei, sic cognita præcisivè.

36 Arguitur quartò fu mento P. Arriag. quod pote replica ad præcedens: Quod i lectus attingit, quando co genus Petri, aut est, quod re datur in Petro, aut non est? S mum, quod re ipsa datur in P est Petrus ipse, subindeque i sibile est cum leone identificari de illo prædicari, quare illa tudo, & prædicabilitas nihil re cognita, nisi denominatio trinseca à cognitione; si autem cundum, quod non est in P aliud est a Petro, quare cog

lisa erit attingens ut genus Petri, quod non est in Petro, & genus non erit prædicabile; non enim prædicatur in quid de Petro, nisi quod est in Petro, & est Petrus ipse.

37 Resp. quòd genus Petri est aliquid, quod re ipsa est in Petro, & tùnc disting. subsumptum: Quod est in Petro, est Petrus ipse, adæquatè, & totaliter, neg. assumptum; inadæquatè, & secundùm aliquid acceptus ab intellectu, conc. & disting. altera pars: Quod est Petrus ipse, adæquatè, & totaliter, nequit identificari cum leone, conc. quod est Petrus ipse, inadæquatè, & secundùm aliquid acceptus, nequit identificari cum leone, subdist. Nequit identificari physicè, & in re, conc. metaphysicè, & attributione intellectûs, neg. Itaque intellectus accipiens genus Petri id accipit, quod in re est ipse Petrus, nempè corpus, & animam rationalem, non tamen adæquatè, & secundùm totum, quod dicit, ideo accipit præcisivè, quia nempè accipit præcisè secundùm quod tribuit virtutem sentiendi: quia ergo virtus sentiendi æquè est essentia Petri, ac leonis, metaphysicè, & attributione intellectûs bene potest dici, quòd est leo, quare non denominatione extrinseca, sed intrinseca communitate genus est.

38 Arguitur quintò: Genus est realiter genus, & definitio est realiter definitio: ergo per formam realem constituuntur, quia à forma rationis non habetur esse reale. Prob. anteced. A parte rei, & nullo cogitâte intellectu animal est tale prædicatum, quod convenit pluribus differentibus specie, in quo consistit natura generis, & iste actus *animal rationale* explicat quidditatem hominis, in quo consistit definitio: ergo. Confirmatur: Secluſa quacumque relatione rationis, iste actus *animal rationale* est definitio hominis, & iste *homo est animal*, est vera propositio; sed definitio, & propositio sunt secundæ intentiones: ergo secunda intentio non consistit in relatione rationis. Patet maj. quia se ipso, & non per relationem habet primò explicare essentiam hominis, & secundò affirmare unum de altero.

39 Resp. ad argum. disting. anteced. Genus est realiter genus, fundamentaliter, & primæ intentionis, conc. formaliter, & in actu, neg. antec. ad prob. ejus neg. suppositum, quòd à parte rei detur animal, aut cognitio formans illum actum *animal rationale*, in re enim solùm dantur prædicata physica corpus, & anima: illa ergo dantur in actu directo intellectûs, sive abstrahente animal, sive formante complexum ex eo, & rationali, & ibi sunt ens reale, sive rationis, ut prima intentio, neque animal autem habet in actu denominationem generis, neque animal rationale denominationem definitionis nisi in actu reflexo, & tùnc

tùnc intellectus reflectens format relationem rationis. Quo patet ad confirmationem; illi enim actus in se sunt definitio, aut propositio fundamentaliter, & primæ intentionis, formaliter verò, & in actu, sive secundò intentionaliter, tantùm in actu reflexo.

4o Tandem arguitur: Nomina secundæ intentionis significant id, quod de rebus ipsis prædicatur; sed de rebus non prædicatur relatio rationis: ergo nomina secundæ intentionis non significant relationem rationis. Major patet, quia veré dicitur, quòd homo est species, animal est genus. Resp. primò instando, & sub eâdem maj. subsume: Sed de rebus non prædicatur denominatio extrinseca, aut relatio realis: ergo neque in his consistit. Resp. secundò neg. conseq. in sensu, quem intendit, nempè quòd secunda intentio non consistat in relatione rationis: ratio est, quia nomina secundæ intentionis non significant ipsam secundam intentionem in abstracto, sed concretum, quod in recto importat naturam, ideo prædicantur, quod non tollit, quin forma ipsa, quæ est secunda intentio, sit relatio rationis; sicut album pro formali importat accidens, nihilominùs de substantia prædicatur, quia significat concretum, & pro recto importat naturam substantialem.

)(

ARTICULUS II.

Utrùm dentur in rebus Universalia?

41 NOminales eo sic dicti sunt, quòd naturas universales penitùs negarent, contendentes, sola nomina, seu voces universalitatem habere, quatenus uno nomine multa singularia significantur, in re autem quidquid est, singulare esse, nec aliud posse intellectum concipere, quàm singulare; hoc autem, cùm defectibile sit, & mutabile, scientia, quæ universalibus esse debet, quippe de incorruptibili, & invariabili subjecto, aut nulla est, aut solùm de nominibus, quibus singularia significantur, esse poterit.

Principium habuit sententia ista in Heraclito, & Cratilo, qui ut meminit Philosophus 4. Metaph. cap. 5. videntes quidquid est, singulare esse, subindeque mutabile, scientias omninò negarunt, asserentes nihil sciri posse, aut certa ratione teneri. Sententiam istam rationibus Philosophi eliminatam, atque oblivioni traditam suscitavit Ruccelinus quidem, ut refert Spinosa, de quo extat apud Aventinum vetus epigramma. Iterùm emortuam ab inferis revocavit Guillelmus Ochan Minorita discipulus Scoti, acerrimi vir ingenii, qui eam adeo excoluit, ut multis reddiderit amplexandam;

eam

rebus prædicata universalia. Hanc sententiam docet Philosophus multis in locis, quibus ex instituto agit contra Platonem, qui ponebat universalia â rebus separata, expresè autem 1. Post. cap. 8. post medium ita habet: *Formas igitur, aut unum quid præter ipsa multa esse, ideo, quia demonstratio sit, necesse non est, tamen verum est dicere, necessariò unum esse de pluribus prædicandum: nam si id non sit, universale sanè non erit; at, si universale non sit, non erit medium ipsum, quare neque demonstratio: esse igitur unum quid oportet, idemque de pluribus non solùm communi nomine prædicandum.* En expresé non solùm communi nomine, sed re etiam significata per nomen, commune est, sive universale id, quod prædicatur.

Rursus, 1. Metaph. cap. 1. distinguit circa quid est ars, circa quid experientia, & ostendit, quòd experientia est de eo, quod huic, vel illi accidit; ars verò de eo, quod omnibus convenit, ita habet: *Opinari enim, quòd Calliæ hoc morbo laboranti hoc conduxit, similitèr Socrati, ac sigillatim aliis multis, experientiæ; quod autem omnibus hujuscemodi secundùm unam speciem determinatis hoc morbo laborantibus conduxit, utpotè phlegmaticis, colericis, aut æstu febricitantibus, hoc artis proprium est.* En distinguit id, de quo est ars, & de quo est experientia, quia

tenet de NN. Greg. Arim. in 2. dist. 3. qui, licèt ibi obitèr illam imponat, pollicetur se eam ex intento probaturũ in 3. à nonnullis ditur Nominalium Princeps, sed e vera Ocham jure obtinet apud mes venerabilis Inceptoris nomen.

Eamdem sententiam jam pe- Scholis exulantem iterùm in- Hurt. quem secutus est Ar- & ex DD. Societat. Tellez, Ovied. Quir. Alfonſ. & alii. Hi omnes negantes præcisiones objectivas, docent huic voci *homo* g. correspondere in intellectu, aliquod prædicatum, quod commune sit omnibus individuis, conceptum confusè attingen omnia singularia, vel quia non ingit id, in quo unum ab altero fert, ut explicat Arriaga, vel ia attingit naturam Petri in or- ad operationes cuilibet indi- communes, ut explicat Al- us: quare in hac sententia ni- est universale neque in re, ne- in intellectu; non in re, quia quidquid est, singulare est; in intellectu, quia ibi item est singularis homo in re existens, actus non attingat singulari- m. Contra hos omnes com- aliorum sententia docet da- rebus universalia, licèt postea rovertatur, an actu, & prout sunt; an potentiá tantùm, & ut accipiuntur ab intellectu, universalia? Cum qua

4 Sit Conclusio: Dantur in

quia experientia de multis singularibus, ars verò de ratione omnibus communi; sed tàm id, de quo est experientia, quàm de quo est ars, est in re: ergo.

43 Ratio itaque ex his sic formatur: Medicina intendit de ægritudine, quæ est in re; sed non intendit de singulari, vel de plurium singularium: ergo de una ratione omnibus communi, & universali; & consequentèr in re est universale, licèt, prout est in re, non sit universalis. Patet maj. quia est de ægritudine, quam Medicus illâ instructus curat; curat autem ægritudinem, quæ in re est. Min. item patet, quia in hoc differt ars ab experientia, quòd experientia de eo est, quod huic, vel illi, vel multis convenit; ars verò de una ratione omnibus communi. Confirmatur: Si intellectus concipiens ægritudinem ut sic, nihil concipit nisi in confuso ægritudines hujus, & illius, prout uno communi nomine significantur, de eodem est ars, & experientia; sed hoc negat Philosophus in textu: ergo intellectui respondet una communis ratio. Prob. major: Experientia non ex uno, sed ex multis fit singularibus: ergo multa singularia attingit in confuso nulla experientia. Patet anteced. ibi enim intendit Philosophus, quòd ex uno singulari fit sensus, ex multis sensibus experientia, quod sæpe alibi habet.

44 Prob. tertiò ad hominem: Si scientiæ sunt de nominibus, scientia de homine v. g. non de ista voce *homo*, quam ego pro fero, aut de illa altera, quam al profert; sed aliunde nec de col ctione omnium, quæ proferri po sunt: ergo solùm esse potest de qua ratione omnibus voci communi. Maj. patet, quia qua bet una est singularis transiens, deficiens; scientia autem de in fectibili est, & permanente. Min per eamdem rationem patet; no minùs enim collectio omnium de fectibilis est, quàm quælibet singu laris; tùnc autem, qua ratione cipi potest una ratio omnibus cibus communis, de qua fit tia, eâdem poterit concipi una tio hominis: ergo ista erit univ salis.

45 Dices: Posse quidem ab i tellectu formari conceptum com munem sive vocis, sive rei signi catæ per vocem, de quo sit sci tia, illi tamen conceptui non r pondet in re extra aliquid una commune omnibus, sed tantu omnia singularia: non ergo in est universale, sed ad summum intellectu. Sed contra: Aliud quod in re respondet esse univ sale, & omnibus commune, ali verò tale esse, prout in re est, conceptui respondet; at non h secundum, sed illud primum tendit conclusio, neque id data lutio excludit: ergo. Patet min intellectus enim quod est in re co cipit, licèt non ut in re est, alit enim non posset id, quod conc

sit, de re singulari prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc.

46 Prob. quartò: Res nominamus, sicut concipimus; sed una voce significamus, & nominamus omnia individua: ergo in intellectu non omnia in confuso, sed unam rationem omnibus communem accipimus. Patet maj. tùm, quia eo vocibus utimur, ut conceptum mentis explicemus, quare voces significant res ipsas, prout à nobis concipiuntur; tùm deinde, quia non major, imò multò est minoris linguæ ad formandam vocem, quàm intellectûs ad formandum conceptum; sed una voce, puta *homo* omnia individua significamus: ergo uno conceptu omnia concipimus; patet autem, quòd concipimus, sicut & nominamus id, quod in re est: ergo in re est ipsum universale.

Confirmatur: Nequit de omnibus prædicari id, quod concipimus, nisi utrumque habeat, & esse unum quid omnibus commune, & esse id ipsum, quod in re est; sed patet, quòd de omnibus prædicatur id, quod concipimus: ergo. Maj. quantum ad secundum patet, prædicatur enim quidditativè, & prædicatione dicente hoc est hoc, nempè Petrus est homo: ergo quod in intellectu respondet conceptui *homo*, ipse est Petrus. Quantum ad primum ostenditur illa major: Nequit de omnibus prædicari id, quod concipimus, si sit natura sua; sed aliunde neque esse potest omnium confusio, neque dicto quòd esset, posset prædicari de quolibet: ergo, ut prædicetur, oportet esse unum quid omnibus commune. Patet maj. non enim quod est Petrus, quantumcumque confusè concipiatur, est Paulus, ad summum enim confusio singularitatis facit, quòd non sit explicitè Petrus, non tamen, quòd sit Paulus. Min. quantum ad primum sic patet: Species, qua intellectus fit in actu ad formandum illum conceptum, non ab omnibus accipitur: ergo conceptus ipse non potest omnia repræsentare. Quantum ad secundum item patet; non enim Petrus est omnium collectio, aut confusio, sed aliquid tantùm: non ergo poterit dici, quòd Petrus est homo, sed quòd Petrus est aliquid hominis, si per ly *homo* accipit intellectus omnium collectionem.

47 Ad hanc rationem respondet primò Hurtado, quòd illa vox *homo* significat naturas omnium singularium confusè secundùm id, in quo sunt similes; hoc autem ita confusè acceptum verè est prædicabile de quolibet, quia hoc ipso, quòd similes sunt, in quolibet reperitur. Hæc solutio illud idem concedit, quod negare intendit; si enim in Petro aliquid est, quo similis est Paulo, & aliquid, quo dissimilis est: ergo potest intellectus id accipere, quo similis est sine eo, quo est dissimilis, ut ipse concedit; tùnc autem, & præcisionem facit ex parte objecti, & id, quod

accipit, est prædicatum universale; etsi enim, prout in re est, sit multiplex, & aliud Petri, aliud Pauli, ut tamen intellectu accipitur, unum tantùm est, quod nec Petri est, nec Pauli, sed omnibus commune.

48 Resp. secundò Arriaga: Actus intellectûs, qui correspondet huic voci *homo*, in tantum confunderet omnium singularium naturas, in quantum, licèt omnes attingat, non cognoscit id, in quo differunt, quare uno communi nomine explicat. Sed contra, primò: Non prædicatur vox, sed significatum vocis: ergo, si significatum vocis est collectio, non poterit prædicari de Petro, Petrus enim non est collectio. Præterea: Si intellectus potest attingere naturas omnium, non attingendo id, quo differunt, potest paritèr de Petro attingere id, quo convenit, sine eo, quo differt à Paulo; quia non minùs identificatur cum naturis omnium id, quo omnes conveniunt, & differunt, quàm cum natura uniuscujusque; sed natura Petri sine eo, quo differt à Paulo, & præscinditur objectivè, & est prædicatum universale: ergo.

49 Resp. tertiò Alfonsus: Id, quod significatur per vocem *homo*, non esse naturas omnium, sed unius singularis, quæ, prout concipitur in ordine ad operationes sentiendi, significatur per vocem *animal*; ut concipitur in ordine ad operationes intelligendi, significatur per vocèm *homo*; ut autè concipitur in ordine ad proprietates individui, significatur per vocem *Petrus*; quare vox *homo* n significat collectionem omnium nec determinatè naturam alicujus, sed distributione confusa naturam singularem cujuslibet, pr ut concipitur in ordine ad operationes intelligendi: quando ergo dicitur: *Petrus est homo*, prædicatur de Petro ipsa illius natura prout tali modo concipitur; & de Paulo, quando dicitur: *Paulus est homo*, similitèr ipsa ejus natura prædicatur, & idem de aliis.

50 Sed contra, primò: Aliqui significat vox *homo*, ac vox aliquis *homo*, quia secunda particularis est, non autem prima; & ista propositio: *Aliquis homo est animal* particularis est, ista verò: *Homo est animal*, universalis; sed *aliquis homo* significat distributione confusa naturam cujuslibet singularis ut concipitur in ordine ad operationes intelligendi, quare propositio est de subjecto particulari: ergo vox *homo* non significat distributione confusa naturam cujuslibet, alioqui propositio secunda erit paritèr de subjecto particulari. Contra, secundò: Si in ista propositione: *Petrus est homo*, prædicatur de Petro ipsa ejus natura sequitur primò, quòd non prædicatur de Paulo illud idem, quod prædicatur de Petro: sequitur secundò, quòd propositio non est formalis, & directa, quare nec est

...ecta: *Homo est Petrus*, idem ...m omninò accipitur ex parte ...jecti, ac ex parte prædicati, ...pè ipsa Petri natura; utrum- ...tamen est apertè falsum.

51 Argumenta RR. infrà ex- ...demus de præcisionibus objec- ...is; ea autem, quæ contra uni- ...sale in re adducunt antiqui No- ...inales, ad tria communitèr re- ...cantur; primum est: Implicat, ...id aliquid sit simùl universale, ...singulare; sed res quælibet in ...re est singularis: ergo nihil est in re ...universale. Patet minor, quia res ...quidet in re est producta, & exi- ...tens, productio autem, & existen- ...tiali competit singulari. Prob. ...Universale est potens esse in ...ribus, singulare, cùm sit hoc ...incommunicabile, non potest ...pluribus esse; sed posse, & non ...se in pluribus esse contradicto- ...ria sunt, quæ nequeunt eidem con- ...venire: ergo.

52 Resp. disting. maj. Impli- ...quòd aliquid simùl sit univer- ...e, & singulare, eodem modo, ...sub eâdem acceptione, conc. ...diverso modo, & sub diversa ...ptione, neg. maj. & eodem ...da min. probationis. Itaque res ...ra existens singularis est in actu, ...formaliter; quare sub eâdem ...sideratione, nempè ut in re ha- ...esse, nequit esse universalis eo- ...modo, nempè in actu, & for- ...liter; hoc autem non tollit, ...sit universalis, nempè ut in ...illit, fundamentaliter, & in potentia, sub alia verò consideratione, videlicèt, ut intellectui præcisivo repræsentatur, formaliter, & in actu.

53 Secundum argumentum est: Vniversale, si quod est, aut corporeum, aut incorporeum est? Si corporeum; nulla res est corporea, quæ singularis non sit, quippè quælibet & sensu capitur, & digito designari potest; si autem incorporeum: ergo id de rebus corporeis non prædicatur; sed res omnes, quæ sunt infra substantias separatas, corporeæ sunt: ergo de illis non prædicatur universale.

54 Difficultas hujus argumenti una est ex tribus, quas reliquit Porphyrius insolutas, eam solvit B.D. q.3. sup.univ. cum quo dicimus, quòd universale pro formali, ut est intentio ipsa, non est corporeum, nec in re, sed in anima tantùm, sic non prædicatur, non enim homo est universalitas; si autem sumatur universale, sive pro materiali pro re ipsa, quæ est universalis, sive concretivè pro ipsa, ut subjicitur intentioni universalitatis, sic est corporeum, aut substantivè ut homo, aut adjectivè ut color, & sic prædicatur. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd res corporea, ut in re est, digito designatur, & est in actu singularis, universalis verò solùm fundamentaliter, & in potentia; eadem autem, ut intellectui abstrahenti repræsentatur, universalis est in actu, neque potest digito designari, aut

sensu capi, & ita prædicatur.

55 Tertium argumentum: Vniversale, si quod est, non est in aliquo certo loco, aut tempore; sed quidquid est in rerum natura, de necessitate est hîc, & nùnc: ergo nihil est in rerum natura universale. Patet maj. quia universale est unum in multis, quare non est hîc, aut ibi; sed ubicumque illa multa sunt, nec nùnc, aut in aliquo tempore determinato, sed quandocumque sunt illa multa, in quibus est. Min. item patet, quia solus Deus ex immensitate, & æternitate sua est ubiquè, & semper, quælibet autem res creata, eo quòd finita, determinat sibi locum, & durationem.

56 Resp. primò neg. maj. ad prob. ejus dicitur, quòd de ratione universalis non est, quòd actu sit in multis, sed quòd possit esse. Resp. secundò disting. maj. Universale formaliter, & in actu tale, mitto maj. universale fundamentaliter, & in potentia, neg. maj. & conc. min. neg. conseq. eodem sensu; solùm enim sequitur, quòd nihil sit in re extra universale formaliter, & in actu, quod verum est; est tamen in re extra res ipsa, quæ, ut in re est, singularis est in actu, universalis in potentia, quam nempè intellectus abstrahens facit universalem formaliter, & in actu, quia intellectus est, qui facit universalitatem in rebus.

57 Deinde, quartum argumentum addit Arriaga: Universale unum est, & multiplex; sed implicat, rem aliquam unam esse tate rigorosa, & eamdem esse tiplicem, & divisam: ergo. est maj. & min. ostenditur: tas, aut ipsa est negatio divisio aut negationem illam in suo ceptu importat; sed apertè cat, quòd res aliqua simùl divisionem, & negationem nis: ergo.

58 Resp. disting. maj. Vniversale est unum, & simùl, & in actu, neg. maj. in actu, & multiplex in conc. maj. & eodem min. de ratione enim non est, quòd actu sit sed quòd possit esse; implicat id, quod actu & individuum posse illa ergo forma, quam format in concipiendo v. g. intellectui una est turæ humanæ, non actu sed quæ intellectui naturam sentat multiplicabilem, potest in multis esse; si in multis est, & multiplicatur, tamen simùl, & in illo quo est una, sed aut in aut in alio conceptu, quo ria attingit.

59 Dices: Relativa sunt naturâ, & cognitione; sed sale est relativum ad multa, est universale: ergo oportet eodem conceptu, quo natura universalis, repræsentat simùl cum unitate multiplicitatem.

Ma

Multipliciter æquivocat hæc replicatio primò aliud est natura, quæ est universalis, aliud verò, ut est universalis; primo modo illam attingit actus directè abstrahens; secundo actus reflexè comparans: deinde, universale primæ intentionis est absoluta quidditas, quæ tantùm est relativa secundùm dici; quare actus, quo tale attingitur, non oportet multa attingere, quibus est universale: insuper, actus attingens universalitatem, & subinde relationem ad multa, attingit simùl multiplicitatem ipsius universalis, non tamen multiplicitatem, quę est, aut potest esse simùl cum unitate, in quo est implicatio, nempè attingit ille actus, quod format, quæ in intellectu est una, in re natura est multiplex.

60 Secundò aliter distingu. maj. argumenti: Vniversale est unum, & multiplex sub eâdem ratione, neg. maj. sub diversa, conc. maj. nempè unum est in ratione superiori, multiplex in ratione inferiori, puta, unus homo, & multiplex individuum; tùnc autem implicat, quòd eâdem ratione sit unum, & multiplex, divisum, & indivisum, non autem quòd diversa, quod frequentissimis patet exemplis, ut multæ partes sunt unum totum, non autem multa tota unum totũ, item multæ partes una pars; similiter multi colores sunt una imago, non autem unus color, & ita in multis aliis.

ARTICULUS III.

Quid sit Universale?

61 DUos sensus potest habere præsens dubitatio, & in utroque parum difficultatis. Itaque Philosophus 1. Perih. cap. 5. universale definiens ait: *Atque universale dico, quod de pluribus aptum est prædicari.* Deinde idem Philosophus 7. Metaph. cap. 13. ait: *Hoc enim dicitur universale, quod pluribus natura aptum est inesse.* Quibus in locis duas assignat definitiones universalis; alteram per esse in multis; alteram per prædicari de multis: quæritur ergo: In quonam ex his essentia universalis consistat? Et est prior dubitationis sensus: An nempè in aptitudine ad esse, an potiùs in aptitudine ad prædicari?

62 Merin. disp. 2. q. 2. contendit, essentiam universalis consistere in aptitudine ad prædicari, aptitudinem verò ad esse in multis esse passionem. Alii verò apud ipsum docent per oppositum, essentiam universalis esse aptitudinem ad esse in multis, aptitudinem verò ad prædicari de illis esse passionem; & hoc quidem, quantum verba sonant, verosimilius appareret; prædicari enim ad esse sequitur, & eo de multis prædicatur, quia in multis potest esse; quare aptitudo ad prædicari sequi videtur ut passio ex aptitudine ad esse.

Sed

Sed re vera, si termini explicentur, nihil relinquitur, de quo esse possit dissidium.

63 Itaque, aut esse in multis intelligitur per identitatem, & inexistentiam, aut per attributionem intellectûs: si primo modo, natura, quæ concipitur ut universalis, non concipitur ut apta esse in multis, sed ut actu, & formaliter identificata cum illis; intellectus enim apprehendens naturam, quæ significatur per vocem *homo*, videt ipsam actu, & formaliter esse identificatam cum Petro, Paulo, & cæteris, & eo dicit ipsam de illis posse prædicari; quare hoc sensu natura universalis non dicit aptitudinem, ut sit in multis, sed est, quę actu identificatur cum multis, & eo apta est de multis dici. Quòd si Philosophus 1. Post. cap. 8. ait: *Universale esse unum in multis, & de multis*, ut refert Merin. quod tamen in textu non reperitur, verba enim suprà dedimus n. 42. si nihilominùs id alicubi asserit, sensus est, quòd universale est unum, quod in multis existens, de multis aptum est prædicari.

Si autem esse in multis accipitur per attributionem intellectûs, quo sensu accipit Philosophus in 7. Metaph. tùnc patet, quòd esse in multis per attributionem intellectûs, est esse in multis per prædicationem, in tantum enim intellectus attribuit, in quantum prædicat, & prædicare est dicere hoc esse hoc; quare hoc sensu aptum esse in multis est formalissimè aptum prædicari, seu multis attribui per operationem intellectûs. Quòd contendat aliquis, ipsum attribui esse posse aut per comparationem compositam, quæ est prædicatio, aut per comparationem simplicem, quæ est simplex collatio ipsius cum inferioribus, quin de illis affirmetur: dicitur, quòd hæc simplex collatio nihil est aliud, quàm apprehendere reflexè convenientiam, & prædicabilitatem.

64 Alter ergo sensus præsentis dubitationis esse potest: Per quid universale constituitur in esse talis? Distinguitur communiter duplex universale, Logicum, & Metaphysicum, & de Logico quidem omnes supponunt secunda intentione constitui, quæ, ut jam patuit, est relatio rationis naturæ ad inferiora; agit enim Logica de secundis intentionibus adjunctis primis, sive de ipsis rebus, ut sub secunda intentione; quare pro secundam intentionem constituitur universale in ratione Logici, sive ad Logicam considerationem determinatur: solùm ergo potest esse dubitatio de universali Metaphysico. N. Manso docet, relationem universalitatis resultare ipso actu directo, quo abstrahitur natura ab inferioribus, non autem cognoscit nisi per actum reflexum, quo intellectus naturam abstractam ipsis inferioribus comparat, & de hoc quidem infrà q. 3. a. 1.

Docet deinde, quòd universale

Logicum à Metaphysico distinguitur tantùm quoad cognosci, nempè, ut intellectus reflexè cognoscit illam relationem, est universale Logicum; ut verò natura sua terminat actum directum, & ut illius habet relationem in ea relucentem, est universale Metaphysicum: quare ejus sententia est, quod universale Metaphysicum per illam eamdem relationem constituitur, quatenùs ea resultat, & sic est universale quantum ad esse; quia tamen non prædicatur, nisi in quantum intellectus cognoscit illud prædicabile, universale Logicum, sive quoad prædicari, non datur in actu reflexo, quo esse prædicabile cognoscitur.

65 Hæc sententia, quidquid de eo, quod supponit, nempè quod illa relatio resultat, multis dicitur: primò quidem, quia universale Metaphysicum non constituitur secunda intentione, non enim de secundis intentionibus agit Metaphysicus; sed illa relatio est secunda intentio: ergo non constituitur illa relatione. Secundò: Universale Metaphysicum est id, quod est universale, non ut est universale, quia, ut est universale, est universale Logicum; sed ut habet relationem illam, sive ea cognoscatur, sive non, est, ut est universale, nempè ut habet universalitatem: ergo. Tertiò: Vniversale Metaphysicum id est, quod est directum, & per se objectum intellectus, quo sensu dicitur, quòd objectum intellectûs est universale; sed per illam relationem non constituitur directum, & per se objectum intellectûs: ergo. Patet min. quia objectum per se intellectûs est ipsum quid, relatio autem illa superadditur quidditati, quare est secunda intentio, & constituit objectum secundarium, sive actûs reflexi.

66 Dicendum ergo, quòd universale Metaphysicum non constituitur relatione aliqua, sed est ipsa quidditas absoluta rei, prout abstracta est à differentiis suis, qualitèr solùm est relativa secundùm dici, nempè se ipsâ intransitivè habet modum relativi, vi cujus intellectus supra illam reflectens relativè cognoscit, & relationem format, quæ est secunda intentio, qua constituitur universale Logicum. Hæc conclusio aperté colligitur ex B. D. multis in locis, præsertim loco suprà dato n. 18. ibi enim habet apertè, quòd intellectus directo aspectu attingit id, quod est universale, nempè ipsum esse essentiæ; quod tamen sic non attingitur, ut est universale, sed ut est tale quid, puta, homo, vel animal; ut autem supra hoc reflectit intellectus, & videt, quòd est commune multis, tùnc attingit ipsam universalitatem, & habet esse universale formalitèr, seu, quod idem est, Logicum.

67 Ratione autem satis patet ex jam dictis, ulteriùs sic probatur: Vniversale Metaphysicum per

id

id constituitur, in quo consistit prima intentio objectiva; sed prima intentio non consistit in relatione illa, sed in quidditate absoluta: ergo universale Metaphysicum non constituitur per illam relationem, sed per aptitudinem, quam se ipsâ intransitivè habet ipsa quidditas. Patet maj. quia universale Metaphysicum est ipsa prima intentio. Ostenditur min. Prima intentio est, quod in re attingit intellectus directâ, & primâ tendentiâ; sed directâ, & primâ tendentiâ non relationem illam, sed nudam quidditatem attingit: ergo. Min. nota est, & illam supponit ipse Manso, fatetur enim, quòd tantùm actu reflexo cognoscitur, probatur nihilominùs: Aliud est prædicatum esse in se ipso tale quid, puta, homo, vel animal; aliud verò ad inferiora se habere sic, vel sic; sed primâ, & directâ tendentiâ tantùm attingit illud primum: ergo.

68 Arguitur primò ex fundamentis Mag. Prad. Unitas sine pluralitate singularis est, non universalis; sed quidditas, secluſa relatione, sic est una, quòd non in multis, aut de multis: ergo non universalis. Patet maj. quia universale est unum in multis, & de multis, quare utrumque requirit, unitatem, & pluralitatem. Minor item patet, quia multiplicitatem habet universale ex relatione ad multa. Si dicatur, quòd unitas sine multiplicitate non reddit singulare, sed unitas præcisè tu nempé immultiplicabilis; & ta non habet quidditas, secluſa re tione, est enim multiplicabilis, potest relationem fundare: Co est: id non solvit difficultatem, si enim illa quidditas non sit sin laris, saltim non est positivè u versalis; quare esset universalis tùm negativé, & habet consi positivé universalis per relat nem.

69 Resp. disting. maj. Vni sine multiplicitate nec actu, ne aptitudine est singularis, concedi unitas sine multiplicitate ac aptitudine tamen ad illam, maj. & ad probat. min. dicen quòd relatio facit multiplicitat secundæ intentionis, aptitudi tem transcendentalis, & quidd tiva, in qua illa relatio fund est multiplicitas primæ inten nis, & constituit universale M physicum. Itaque unitas, cui pugnat multiplicitas, reddit gulare, universale autem su unitatem addit aptitudinem esse in multis; potest autem qu ditas abstracta, & cui non rep nat in multis esse, considerari cundùm se, & præcisivè ab illa titudine, & sic est universalis gativè, nempè non singularis, neque positivè universalis; aut test considerari aptitudo, quam sua quidditate dicit, & sic, qu positivè apta est in multis esse, positivè universalis; quòd si aptitudo accipiatur transcende

quidditativa, ipsa nempè quidditas, quæ se ipsa est apta, est universalitas Metaphysica, & solùm relativa secundùm dici; si autem accipiatur formalis, & positiva relatio, sic est secunda intentio, & universalitas Logica.

70 Arguitur secundò ex eodem: Omnes scientiæ agunt de universalibus, & etiam Metaphysica, sed cum hoc discrimine, quòd aliæ scientiæ agunt de universalibus materialiter sumptis, Metaphysica de universalibus formaliter acceptis; sed aliæ scientiæ attingunt res absolutè acceptas, prout sunt unum per abstractionem: ergo amplius attingit Metaphysica, nempè res, prout sumuntur relativè, & sic universale Metaphysicum est natura relativè accepta.

71 Resp. quòd universale Metaphysicum ipsum est, de quo agunt scientiæ, nempè quod est obiectum intellectûs: ergo, si jam conceditur, hoc esse absolutam quidditatem, habetur propositum. Praterea: Metaphysica agit de universali primæ intentionis æquè, ac aliæ scientiæ; sed universale primæ intentionis, seu de quo scientiæ agunt, est quidditas absoluta: ergo & Metaphysicum. Patet maj. quia sola Logica agit de universali secundæ intentionis. Ad formam ergo neg. maj. quia æquè Metaphysica, ac cæteræ scientiæ reales de universali agunt, ut est res, & sola Logica de eo agit, ut importat intentionem rei superadditam.

72 Arguitur tertiò fundamento N. Manso: Vniversale Logicum est universale in prædicando, universale verò Metaphysicum est universale in essendo, quia ad Logicam non spectat, qualiter res est, sed qualiter prædicatur, sicut neque ad Metaphysicam, qualiter prædicatur, sed qualiter est, pro quo adducit verba D. Thomæ, quæ libet subjicere, nempè opusc. 42. cap. 7. ait: *Logicus enim considerat aliqua, secundùm quod sumuntur in ratione::: & ideo quantum ad prædicationem, quæ actum rationis dicit, prædicantur de subjecto, id est, de re extra animam; sed Philosophus primus considerat de rebus, prout sunt verè entia, & ideo apud Philosophum primù non est differentia inter esse de subjecto, & dici de subjecto.* En clarè (subjungit N. Manso) Metaphysicus agit de hoc universali *homo*, ut est verum ens, & ut est in subjecto, scilicèt, in Petro, Paulo, & cæteris. Logicus agit de eodem, ut est affirmabile de Petro, Paulo, & aliis; sub prima consideratione est unum in multis, & universale in essendo; sub secunda est unum de multis, & universale in prædicando: ergo universale Metaphysicum est universale in essendo, universale Logicum est universale in prædicando.

73 Resp. conc. conseq. neque enim de ea ullus contendit; sed ubi, quæso, sive in adducta authoritate, sive in toto discursu relatio

illa constitutiva universalis Metaphysici? Imò oppositum inde colligitur; agit enim Metaphysicus de universali, ut est verè ens, & hoc aliquid, non autem ut alteri convenit, aut de altero prædicabile est; jam autem esse ens, & hoc aliquid, quidditatem absolutam importat, per relationem verò constituitur in ordine ad alterum, sive ut alteri convenit, & de altero potest dici: non ergo constituitur universale Metaphysicum per istam relationem, sed in ipsa consistit quidditate absoluta, quæ, prout accipitur abstracta à differentiis determinantibus, se ipsa intransitivè habet essentialem aptitudinem ad esse, & prædicari de multis.

ARTICULUS IV.

Quomodò detur in rebus Universale?

EX his, qui non solùm voces, aut conceptus, sed res ipsas fatentur universales, aliqui ponunt universale subsistens, & separatum à singularibus, ut posuisse fertur Plato: alii in ipsis singularibus: sed aliqui docent, re ipsa ante opus intellectûs esse formalitèr, & in actu universale; cæteri tenent solùm per opus intellectûs fieri formalitèr universale, quod in re solùm fundamentalitèr, & in potentia universale erat. Itaque claritatis gratiâ per §§. singulas examinabimus.

§. I.

Expenditur Universale Platonicum.

74 PLato, ut refert Philosophus 7. Metaph. c. 8. & sæpe alibi, ut scientias deduceret contra errorem Cratyli, dens re ipsa verum esse, quod assumpsit, nempè & scientias universalibus esse debere, & in quidquid est, singulare esse, actus est ponere universalia à singularibus separata: posuit ergo quasdam idëas, quod nomen primus ipse in Scholas invexit, ut vidit N. D. in 1. dist. 36. ex P. Augustino lib. 83. qq. istæ idëæ ad duo ponebantur, primò ad generationem secundò ad cognitionem, & scientiam: itaque ponebat esse quasdam formas separatas rerum omnium formatrices, à quibus nempè forma uniuscujusque descendebat, quia, ne excluderet operationem naturæ, ponebat, quòd natura respiciens ad idëam hominis, formabat hominem, respiciens ad idëam leonis, leonem, & ita de reliquis. An autem tantùm exemplaritèr, an etiam effectivè ab idëis posuit descendere factibilium formas non satis constat.

Deinde, quia res quælibet existens singularis est, & sensibilis, atque defectibilis, nec à rebus potest immutari intellectus, nec de illis potest esse scientia, quia intellectus

...ilis ab intelligibili immuta-
..., & scientia de necessariis est, &
...ctibilibus: posuit ergo idèas
... item, ut ab illis immutare-
...ellectus noster, & de illis es-
...scientiæ; quare universale di-
...illas idèas subsistentes, & à
...os separatas: has, ut ait B. D.
... dist. 19. p. 2. q. 1. a. 1. dice-
...Deos, idèas, & universalia;
..., ratione influentiæ; idèas,
...exemplaritatis; & univer-
..., ratione scientiæ; & præter
...as poebat unum Deum sum-
...participabilem.

75 Ita positionem Platonis
...at B. D. locis citatis, nem-
... dist. 19. & 36. & sæpe ali-
... & ferè idem habet D. Thom.
...loca, quæ ab aliquibus addu-
...ur in Phœdone, & Parmeni-
... hanc acceptionem contradi-
...t. Nihilominùs multi conten-
..., Platonem per illas idèas ni-
...intelligere aliud, quàm id,
...d Theologi significant per
...as, quas in mente Divina po-
...; quare acritèr in Aristotelem
...untur, quasi ipse gloriæ cupi-
... Magistro imposuerit errorem
..., quo faciliùs impugnaret.
...hoc sensu citantur P. August.
...11. de Civit. Dei cap. 26. Ju-
...Martyr, Basil. Origen. Na-
...z. & ex Scholasticis Scotus,
...rand. & alii. Per oppositum
... videtur incredibile, quòd
...sophus tanto viro talem ca-
...am ausus esset imponere, vel
...i, vel saltim recens defun-
...cto, quin discipuli calumniam re-
pellerent, & sensum Magistri ex-
ponerent; quare tenent ita sensisse,
sicut refert Philosophus, & hujus
sententiæ sunt præter D. Th. & D.
N. Boœt. Alex. Them. Aberr. & alii.
Sunt alii, quibus placet via me-
dia, & utrumque excusant, Plato-
nem quidem, quia non ipse tenuit,
sicut refert Philosoph. hunc verò,
quia sententiã ejus refert, & rejicit,
sicùt in Schola ipsius Platonis tùnc
explicabatur; quare volunt, quòd
Xenocr. Platonis discipulus, & in
Schola ejus successor idèas expli-
cuerit sensu, quo exponit Philo-
sophus. Quidquid de hoc sit,

76 Positionem Platonis duo-
bus potissimùm modis explicare,
& in bonum sensum interpretari
conantur nonnulli: primò N. Man-
so q. 2. univ. latissimè contendit,
tùm, quòd Plato nihil docuit
aliud nisi idèas, quas Theologi in
Deo ponunt; tùm, quòd sententia
ejus hoc sensu præponenda est
Aristotelicæ: primum eo ostendit,
quia idèæ, quas Theologi in Deo
ponunt, sunt rationes factibilium,
sive similitudines, secundùm quas
Deus facit quidquid facit, ad mo-
dum, quo artifex opus facturus il-
lud mente præconcipit, & format
apud se quamdam rei faciendæ si-
militudinem, ad cujus instar opus
extra facit; sed illa idèa in Deo,
tùm habet esse extra singularia,
tùm est omnium similitudo, &
exemplar: ergo ea est universale
Platonis.

77 Secundùm multis rationibus ostendit: primò, quia sententia Platonis cum æquali, vel fortè majori veritate faciliùs explicat, quæ de universalibus explicari debent; nam idêas illas universa Theologorum Schola ponit, quibus positis, non opus est illis difficultatibus implicari, quas sententia Philosophi cogitur deglutire, cujus signum est, quòd Angel. D. qui abstrusissimas Theologiæ difficultates paucis clarissimè explicat, de universalibus ad mentem Philosophi duo integra fecit opuscula, nempè 55. & 56. quibus vix mens ejus capitur.

78 Secunda ratio est, quòd sententia Platonis verior est, aut saltim verosimilior apparet, quia sententia Philosophi scientias, & cognitionem à rebus accipit, in quibus veritas est defectibilis, & corruptibilis; sententia autem Platonis â veritate objecti certâ, perpetuâ, & invariabili, qualem habet in idêis. Tertiò, quoniam sententia Platonis certiùs impugnat errorem negantium scientias; siquidem species in sententia Platonis derivantur à Divinis idêis, ubi de Fide est habere esse indefectibile. Quartò, quia sententia Philosophi scientias salvat, & universalia per recursum ad præcisiones objectivas, de quibus hodie adhùc multum controvertitur. Quintò, quia sententia Platonis probat scientias in nobis ex principio magis uniformi ad scientiam Dei, nempè ex idêis.

79 Sed hæc explicatio quantum ad utrumque rejicitur: quantum ad primum quidem, quòd ille fuerit sensus Platonis valde duobus fit dubium: primò id quas Theologi ponunt, sunt tabilitas Divinæ Essentiæ; at posuit Deum summum impartabilem, ut habet B. D. in 1. 36. q. 2. a. 2. non ergo idêas fuit in illo sensu. Secundò, Plato posuit idêas, ut ab illis mutaretur intellectus, sive species á principio cognitas, sive cursu temporis in intellectu uscujusque descendentes, ut de lis esset cognitio, & scientia; hoc sensu non ponuntur idêæ mente Divina: ergo. Hoc tamissò, & dato, Platonem intre idêas, quas Theologi po in Deo.

80 Quantum ad secun quòd præferenda sit eo sensu tentia ejus, duplici ratione tur: primò, idêæ non sunt universale, nec imago inferior præsentans, de qua possent scientiæ, quæ de rebus agunt, universale ad hoc ponitur, omnium inferiorum imago, in quo intellectus omnia infer attingat, quod proinde de inf ribus prædicatur quidditativ de eo sunt scientiæ, quæ de intenduntr: ergo dato, quòd Pl intenderit idêas eo sensu, non betur universale, de quo sunt entiæ, & cognitio directa. P

bin. eò enim ponuntur universalia, ut de illis sit scientia, & cognitio, & in illis attingat res, de quibus determinat, quia in se ipsis, & extra in re sunt, singulares sunt, & sensibiles.

Maj. itaque ostenditur primò, quia idêa in sensu, quem intendunt NN. Theologi, ipsa est Divina Essentia, & solùm addit quendam respectum rationis ad factibilia, & possibilia participare Divinum esse; sed Deus ipse non est quid universale: ergo. Majorem docet B. D. in 1. dist. 36. docet deinde ipse Manso, & ratione patet, quia idêæ sunt æternæ, & improductę; quidquid autem tale est, Deus ipse est; tùm deinde, quia idêas in Deo dicimus ipsam imitabilitatem Divinæ Essentiæ, quæ, prout variè imitabilis est, multiplex dicitur factibilium idêa; illa autem imitabilitas tantùm dicit supra Divinam Essentiam respectum rationis. Minorem docet B. D. in eodem 1. dist. 19. p. 2. q. 1. a. 1. quo de hoc ipso quærit.

Secundò prob. eadem principalis maj. quòd nempè idêa non est quid universale: Idêæ ponuntur in Deo rationes factibilium, & unaquæque idêa est illius, quod est factibile secundùm ipsam; sed non est factibile homo, aut animal ut sic, & in communi, sed singularis homo: ergo. Tàm maj. quàm min. notæ sunt. Insuper de hoc ex instituto quærit B.D. in 1. dist. 36. q. 2. a. 4. in ultimo *ulteriùs*, & resolvit, atque ex instituto probat, quòd idéa est singularium per se, quia tantùm singulare fit, & producitur.

81 Secunda ratio est, quam suprà adduximus: Data enim idêarum universalitate, dato item, quòd eo sensu posuerit idêas Plato, quo ponunt Theologi, adhùc non excluditur sententia Philosophi; oportet enim universale ponere, de quo sint scientiæ, & à quo immutetur intellectus noster, & causetur actus intelligendi; jam autem patet, quòd ad hæc non potest idêa deservire, non enim ea est objectum intellectûs nostri: oportet ergo præter idêam, dato, quòd ea sit universale separatum, ponere universale in re ipsa, à qua immutatur intellectus, & de qua est scientia.

82 Nec rationes ejus pro sententia Platonis convincunt: ad primum dicendum, quòd dato, idêas, quas Theologi ponunt, universale esse, dato item, illum sensum intendisse Platonem, quod utrumque falsum est, adhùc cogimur illas devorare difficultates, & ponere universale in re, quia non ab idêis, sed à rebus ipsis habet immutari intellectus noster. Ad secundum neg. assumptum ex ipsa ejus ratione, non enim ab idêis, quæ sunt in mente Divina, accipit intellectus noster species, sed à rebus ipsis per viam sensûs; imò si non à rebus species acciperet intellectus noster, non esset purè poten-

tentialis, sed esset intellectus in actu, sicut est Angelicus: licèt ergo in re sit defectibilis veritas, secundùm tamen quo intellectui repræsentatur, nempé abstracta ab hìc, & nùnc, haber esse invariabile.

Ad tertium ex his jam patet, quòd, quia intellectus noster potentialis est, non á Deo, sed à rebus debet species accipere. Ad quartum, ille recursus ad præcisiones sive objectivas, sive formales inevitabilis est; eo enim, quòd intellectus noster est potentialis, non alitèr, quàm præcisivè, & per partes, nec de hoc est controversia, sed de modo præcisionis, an nempè ex parte objecti, an tantùm sit ex parte actûs? Ad quintum, eo ipso insufficiens est sententia Platonis; non enim uniformis esse potest cognitio nostra ad cognitionem Dei, eo quòd intellectus noster pura potentia est in ordine intelligendi.

83 Alter modus explicandi sententiam Platonis est, quem tenet Spin. lib. 2. dissert. 2. ubi contendit, à Peripateticis debere admitti universale Platonicum, & quæcumque contra Platonem objiciuntur, teneri ipsos solvere. Ad hoc probandum ex communi Peripateticorum doctrina supponit, quòd res secundùm esse essentiæ, quod possibile dicitur ab æterno, & quod in tempore sub existentia ponitur, ab æterno sunt; nec enim in tempore inceperunt esse possibiles, & aliquò modo à Deo distinctæ; non enim Deus ipse dicitur possibilis, sed homo; sive illud esse essentię sit ens diminutum ex natura rei ab ipso Deo distinctum, ut ponunt Scotistæ; sive sit purè objectivum, ut volunt Thomistæ: certum itaque est, quòd res in tempore solùm producuntur quantum ad esse existentiæ, quatenùs nempè existentia ipsi essentiæ communicatur, ipsum verò esse essentiæ æternum est, & omnino improductum.

Hoc posito, deducit, quòd universale Platonis nihil est, nisi illud esse essentiæ; & quòd, quæ objiciuntur contra universale Platonicum, in hoc esse essentiæ verificantur; ipsum enim unum est ab omnibus inferioribus separatum, & æternum, ex cujus participatione omnia fiunt, & quod essentialitèr de omnibus dicitur; Petrus enim, & idem de quocumque alio contrahit per existentiam suam, & differentias individuales illam essentiam hominis, quæ erat possibilis; & cùm hæc nihil dicat nisi prædicata quidditativa hominis, de quolibet essentialitèr prædicatur; quare est plenissimè universale Platonicum.

84 Sed neque iste modus sustineri potest: primò, illud esse essentiæ, secluso opere intellectûs nostri, nihil est extra Deum, sive à Deo distinctum; effectus enim in causa sua ipsa est essentia causæ, & ut ait P. August. creaturæ in essentia

tia sunt ipsa creatrix essentia; ut illud esse essentiæ ipsum est possibile, antequàm producatur, sive ut continetur in causa: ergo illud esse essentiæ tantùm objectivè, & per intellectum concipientem est aliud à causa; nec aliud Scotistæ intendunt, ut patebit disp. 1. Metaph. si ergo nihil est præter essentiam Divinam, & conceptum intellectûs nostri, non est universale Platonicum, nempè in re extra subsistens, & à singularibus separatum.

5 Deinde, dato illo esse essentiæ, quæcumque contra præcedentem modum adducta sunt, contra hunc militant: primò, illud esse essentiæ est ipsum possibile produci; producitur autem singulare. Secundò, illud esse essentiæ non deservit ad scientias, & cognitionem nostram, non enim ab illo immutatur intellectus noster; sed universale oportet ponere, de quo scientiæ sint, & quod sit directum objectum intellectûs nostri: ergo. Ita poterunt cætera applicari.

Ratio autem, qua id probat, hæc est: Quidquid requiritur ad constituendum universale Platonicum, reperitur in illo esse essentiæ; sed illud esse essentiæ ab omnibus admittitur: ergo admitti debet universale Platonis. Majorem sic ostendit: Eo potissimè repugnat universale Platonis, quia, eo posito, sequeretur, quòd natura hominis v. g. esset, & non esset ab eo distincta; sed hoc idem sequitur posito illo esse essentiæ: ergo aut id non sequitur ex universali Platonis, aut non est incóveniens. Minorem sic probat: Universale Platonis eo esset ab individuis distinctum, quia extra individua esset, & illis corruptis, non periret, eo autem non esset distinctum, quia de illis essentialiter prædicatur; sed hoc idem de illo esse essentiæ dici debet: ergo. Patet minor, quia extra individua est, cùm sit æternum, destructisque individuis, erit existentia, non verò essentia; sed aliunde de quolibet individuo prædicatur essentialiter: ergo.

86 Resp. missis locutionibus, quas ipse latè impugnat, neg. min. illud enim esse essentiæ in sensu, quo ponitur universale Platonis, nempè subsistens à rebus separatum, & quod sit objectum intellectûs nostri, sive de quo sit nostra cognitio, & scientia, æquè repugnat, atque universale Platonis, neque ullus eo sensu admittit: ad probationem ergo majoris dicitur, quòd non illa præcisè ratione repugnat universale Platonis, sed quia ponitur subsistens separatum á rebus, & á quo immutetur intellectus noster.

§. II.

In re ante opus intellectus nihil est Universale formaliter, & in actu.

87 PRo sententia asserente, dari in re extra universale formaliter, & in actu tale, adducuntur primùm duo de NN. clarissimi, atque ingeniosissimi DD. Paul. Ven. & Gualt. Burlæus, primus in Summa Metaph. cap. 1.2. & 3. alter q. 1. sup. univ. & sup. prædicam. ad illa verba: *Substantia autem est.* Horum sententiam ita refert N. Manso q. 3. §. 1. n. 2. & §. 2. n. 11. Primò docent, naturam à parte rei esse formaliter, & in actu universalem; secundò, eam esse à singularitate distinctam; tertiò, in quolibet individuo duas dari formas realiter distinctas, alteram, quæ est forma partis; alteram, quam dicunt formam totius, v. g. in Petro forma partis est anima rationalis, forma totius est humanitas; quæ, sicut anima rationalis tota est in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte, ita ipsa forma totius tota est in omnibus individuis, & tota in quolibet; quare currupto individuo, non perit illa forma totius.

88 Sed in primis, diversa est utriusque sententia de universali, & directissimè opposita, quare malè pro eâdem citatur uterque; docet enim Uenet. quòd universale extra singularia, sive in ipsa animæ non est propriè universale, sed tantùm in singularibus; docet autem Burl. per oppositum, quòd tantùm habet esse objectivè in intellectu. Deinde, illam formam totius neuter docet. Tandem, universalia cum ipsis singularibus identificari docet uterque, alioqui non possent prædicari; quod totum consideranti conclusiones utriusque patebit de facili.

Itaque cap. 2. Metaph. quo de universalibus incipit determinare, 1. & 2. conclusione docet, quòd universalia habent esse actuale extra animam præter operationem intellectûs: 3. conclusione docet, quòd *universalia denudata à singularibus non sunt actu universalia, sed potentia tantùm.* Sensus est, ut patet ex probationibus ejus, quòd universale, & singulare sunt correlativa; quare, si est actu existens singulare, oportet actu esse universale. Deinde, sicut Sortes habiturus filium non est actu pater, sed potentiâ tantùm, ita universale separatum à singularibus non est actu universale. Docet insuper conclusione, quòd universalia sunt in suis singularibus, & identificantur cum illis; idem docet cap. præcedenti 3. conclusion. quòd non nisi esse quidditativum non distinguitur ab esse individuali, nisi tantùm ratione.

89 Gualterus sup. prædic. 1. text. Porphyrii quinque proponit dubia, & latè de singu-

sententias refert, & ad utramque partem argumenta adducit; quod forte motivum præbuit, ut credetur sententia ejus illa, pro qua pugnat, quia pro illa latiùs, quàm pro cæteris arguit; ipse tamen proprium sententiam post illas omnes adducit, quam per hæc verba proponit: *Dico ergo, quòd universale non habet esse objectum in intellectu, quod probatur sic*; & procedit rationem adducens, & solvit argumenta in contrarium: quòd ergo ipse sit sententia ejus, patet primò ex modo, quo proponit; secundò, quia proposita prima distinctione, quæ erat: An universalia existant in rerum natura? ita concludit: *Alia tamen est opinio, ponit, quòd nullum universale praedicationem existat in rerum natura, sed solùm quòd habeat esse tantùm intellectum, de qua opinione ultimò dicetur*; quo satis innuit, hanc relinquere ut propriam opinionem ultimo loco confirmandam: patet tertiò, quia reprobatas opiniones ex hypothesi inducit, ait nempè, illi, qui dicunt, quòd universalia sunt in singularibus &c. patet tandem, quia eandem sententiam habet super Praedicam. ad text. *Substantia autem*, ibi enim latè probat, quòd in singulari nihil est præter singularem materiam, & singularem formam, & quòd genera, & species, quæ sunt secundæ substantiæ, non sunt substantia in re extra, sed in anima tantùm.

90 Patet ergo, quòd opposita est utriusque sententia de universali, & quòd N. Manso sententiam eorum refert ex aliis, vel ex eo colligitur, quòd ferè omnia argumenta, quæ contra eos adducit, habet Burlæus in referendo opiniones. Itaque motivum præbuit, ut pro illa citentur opinione; tùm, quòd Burlæus illam latissimè refert, & ad utramque partem arguit, atque argumenta solvit; quare potuit credi opinio ejus; tùm, quòd Venetus cap. 1. conclusion. 4. docet, quòd essentia generis, vel speciei habet esse existere absque ratione individuali, quia, rosa non existente, quidditas rosæ est, quia species sunt æternæ; quare potuit credi, quòd hoc esse essentiæ poneret formam totius in individuo existentem.

Sed sensum suum satis ipse explicat, tùm, quia hac ipsa conclusione ait, quòd non habet esse actuale; tùm, quia cap. 3. quo ait se pro complemento priùs dicta ampliùs explicare, distinguit de multiplici universali, & aliud esse, ait, universale mentale, quod separatur à singulari extra existente, & habet esse existere in ipsa anima: hoc ergo est, quod intendit in illa conclusione 4. quo non differt à communi sententia. Hæc dixerim, quo pateat, non benè pro illa sententia hos DD. citari.

91 Quod autem docet Burl. universale nihil esse in re, sed tantùm objectivè in intellectu, dici

potest, quòd accipit universale reduplicativè, & formalitèr, quo sensu non nisi in intellectu est objectivè, sive, ut ait D. sicut objectum in potentia, cum quo stat, quòd ipsi universali, quod intellectui objicitur, respondeat in re extra fundamentum, quod, ut in re est, est singulare, potest tamen â singularitate denudatum fieri universale. Quod deinde docet Venetus, utrumque est contra nostram, & communem sententiam; nititur autem falsa imaginatione, quòd universale sit correlativum ad singulare; universale enim sumptum realitér, sive primæ intentionis, est absoluta quidditas, & tantùm relativum secundùm dici, quod non requirit coexistentiam termini; formalitèr verò est relativum secundùm rationem; quare non coexistentiam, sed comparationem rationis ad terminum importat.

92 Secundò pro eâdem sententia citantur Caramuel, & Scotus, eo quòd ponunt, prædicata universalia in re extra actu dari, & actu à singularitate, sive differentia determinante distingui; si enim animal v.g. à parte rei nullo cogitante intellectu distinguitur à rationali, ex se ipso indifferentiam habet, qua potest de homine, & leone prædicari; quare erit in re universali in actu, & formalitèr. Sed quod ad Caram. attinet, ipsum videre non licuit, si autem nihil docet aliud, nisi illa prædicata in re dari, & actu â differentiis singui, idem de ipso, ac de Sc dicendum, inde nempè non in universale formalitèr à parte De Scoto quidem queritur M quòd malè à nonnullis adduc pro illa sententia, & quidem ritò; ad universale enim requir positiva unitas, & communi ex illa autem distinctione sequ ad summum negativa.

Itaque prædicata universa sive Metaphysica, v. g. anim ponit sententia Scoti esse in formalitatem ex natura rei di ctam à differentia, quæ tam cluso opere intellectùs, aliqu sive aliquitas hujus formę, & tativè ipsa forma; quare anim tas Petri alia est ab animali leonis, imó & ab animalitate tri: ut ergo est in re, non h positivam communitatem, & dicabilitatem de multis, sec tùm negativam, & solius no pugnantiæ: quidquid ergo s unitate, de qua ipsi variant S tistæ, ut dicemus q. seq. pro dubio universalitatem non co dit Scotus ante opus intellect actu, & formalitèr.

93 Relinquitur ergo pro tentia asserente universale fo litèr à parte rei expresè, & in minis Eliseus, qui dist. 2. q. 1. §. 4. docet de mente Reso dari â parte rei formaliter, actu universale, non quidem se physico, sed in esse intentio sensus est, quòd hoc prædica

mò v. g. in esse rei, sive ut est in tro, non est universale; at verò esse intelligibili, sive secundùm bitudinem, quam dicit ad intel-ctum, habet unitatem commu-em cum eodem prædicato re-perto in Paulo, & aliis hominibus, & est formalitèr universale, habet unam intelligibilitatem omnibus communem, quæ est ssentio universalitatis.

Pro hac sententia citat Scotum, Caram. Joan. Mar. & NN. Venet. & Burl. cum hac sola differentiâ, quòd isti ponunt universale esse physico, Resolutus verò esse intentionali. Sed quidquid sit de Caram. & Joan. Mar. non videre non licet, de cæteris non patet non ita tenere; aliud modo est quærere: An dentur actu res illa prædicata, de quo q. 3. aliud verò: An sint actu in re universâ, de quo in præsenti; illud primum Scotus docet, non verò secundum.

Dicendum itaque: A parte rei nihil est actu universale, adhùc esse intelligibili. Prob. primò: quidè incôsequentèr negatur universalitas in esse rei, si conceditur esse intelligibili; sed in esse rei negat universalitatem cum communi sententia Resolut. ergo illum consequentér negare debet in esse intelligibili. Prob. maj. Eate prædicatum homo v. g. à parte habet universalitatem in esse intelligibili, quatenùs habet intellectitatem Petro, & Paulo communem; sed in tantum habet unam communem intelligibilitatem, in quantum habet unam quidditatem intelligibilem: ergo. Patet minor: Intelligibilitas enim ipsa est res intelligibilis, si enim intelligibilitas accipitur aliquid ullo modo aliud à re, præcisa per intellectum intelligibilitate, res non relinquitur intelligibilis, sicut præcisa albedine, non relinquitur alba; sed implicat aliquid accipere non intelligibile: res ergo se ipsa intransitivè est intelligibilis, & consequentèr implicat accipere communitatem intelligibilitatis, & non rei.

Confirmatur: Esse unum in esse intelligibili non est fundare unam indivisibilitèr habitudinem ad intellectum, si enim duo prædicata sunt in Petro, & Paulo, duas habitudines fundant, sed est, quòd habitudo, & intelligibilitas istius sit eodem modo potens immutare intellectum, & idem in ipso causare, ac habitudo, & intelligibilitas illius; sed nisi prædicatum in esse rei idem omninò sit, & eodem modo perficiens individuum, in quo est, atque eamdem perfectionem in illo causans, ac illud alterum, non potest eamdem intelligibilitatem habere: ergo implicat communitas in esse intelligibili sine communitate in esse rei. Patet conseq. quia prædicatum homo sumitur in esse rei, ut est perfectio Petri, & hanc perfectionem in ipso significat; sumitur verò in esse intelligibili, ut ad intellectum

comparatur, & ipsum potest immutare. Hinc ostenditur min. Si enim prædicatum homo diversam entitativè perfectionem significat in Petro, & Paulo, diversam entitativè immutationem causat in intellectu: aut ergo homo dicit eamdem rem, & perfectionem in Petro, & Paulo, aut non dicit eamdem intelligibilitatem.

Vlteriùs: Aut communis intelligibilitas Petri, & Pauli dicit unam habitudinem ad intellectum utrique communem; aut dicit duas numero habitudines, quibus tamen idem causatur in intellectu utrique æquè conveniens? Si hoc secundum dicitur, non in re, sed in intellectu est universalitas, illa nempè communitas; si autem dicatur primum, contra est, primò: duplex numero entitas, non unam, sed duas importat habitudines, est enim duplex numero intelligibile; sed homo in Petro, & Paulo est â parte rei duplex entitas: ergo. Contra 2. Habitudo ad intellectum, quæ est intelligibilitas, ipsa est rei intelligibilis quidditas, quæ se ipsa intransitivè ad quodvis aliud superadditum, intelligibilis est, & intelligibilitatem habet: ergo una communis intelligibilitas unam communem rem dicit; & sic non stat universalitas, seu communitas in esse rei, sine universalitate in esse intelligibili.

95 Prob. secundò: Hoc prædicatum homo in tantum est formalitèr, & in actu universale, in quantum est in actu, & formaliter aptum de Petro, & Paulo prædicari; sed á parte rei, adhùc in intelligibili, non est actu, & formaliter aptum de Petro, & Paulo prædicari: ergo. Prob. min. Hoc prædicatum homo à parte rei adhùc in esse intelligibili, est in Petro perfectio præstita ab anima Petri, & in Paulo perfectio præstita ab anima Pauli; sed talis, ut de re, non est apta de utroque communitèr prædicari: ergo. Prob. maj. quidquid enim in re habet individuum, á sua individua anima habet, & ita intelligibile est in re. Patet item min. quoniam ab individua anima præstatur, & præstari intelligitur, prout tantùm de individuo prædicatur solùm ergo de omnibus potest dicari, quatenùs accipit intactus perfectionem ipsam sua quod ab ista individua anima statur, & sic solùm habet universalitatem in actu in intellecta accipiente, in re verò solùm in tentia.

96 Prob. tertiò: Communitas in esse intelligibili solùm quòd esse intelligibile hujus sit intelligibile illius, non autem quòd prædicatum, quod est in tro, adhùc secundùm esse intelligibile, sit prædicabile de P actu, ut est in re; sed hoc secundum requiritur ad universalitatem: ergo non sufficit illa communitas in esse intelligibili, ut extra detur in actu universale.

tem min. quia universalitas non est hujus prædicati ad simile prædicatum, sed ad inferiora sua, puta, non sufficit, quòd homo, qui reperitur in Petro, sit in esse intelligibili homo, qui reperitur in Paulo, sed oportet, quòd sit de ipso Paulo prædicabile. Prob. major: Communitas in esse intelligibili solùm facit, quòd hoc prædicatum habeat eamdem intelligibilitatem, non autem, quòd sit ipsum prædicatum, quod est in Paulo, sive Paulus ipse; sed ut sit de Paulo prædicabile, oportet, quòd sit Paulus ipse: ergo.

97 Dices: Homo, qui est in Paulo, est Paulus ipse, & de Paulo prædicatur; sed homo, qui est in Petro á parte rei in esse intelligibili, est idem ipse homo, qui est in Paulo: ergo est de ipso prædicabile. Contra: Homo, qui est in Petro, est á parte rei, etiam in esse intelligibili, Petrus; sed Petrus de Paulo non prædicatur: ergo. Itaque procedit præcedens ratio ex concessis, vel concedendis ab illa sententia, ex quibus patet dicendum, quòd sicut perfectio, quam significat vox homo in Petro, ipsa est ejus anima, quæ alia est ab anima Pauli, ita intelligibilitas, sive ipsa perfectio in esse intelligibili alia esse debet in re, & solùm communis, quatenùs potest communem conceptum in intellectu causare accipiente ipsam perfectionem sine eo, quod ab anima hujus, aut illius causatur. Argumenta Elisei §. sequent. solvemus.

§. III.

Nostra, & communis sententia probatur.

98 COmmunis ferè omnium sententia est, quòd universalia dantur in rebus ante operationem intellectûs tantùm fundamentaliter, & in potentia, nempè quod est in ipso singulari, singulare est, præbet tamen fundamentum, ut intellectus præcisivè concipiens reddat universale, v. g. vis sentiendi, sive animal in Petro, aut hoc leone ipsa est singularis ejus anima, intellectus autem, eo quòd æquè habent sentire, accipit ipsum sentiendi principium tantùm, non accipiens quod est hujus, aut illius, & sic commune est omnibus, & universale. Hanc conclusionem multis in locis habet Philosophus, expressè tamen 1. de Anim. cap. 1. ubi ait: *At cavendum est, ne nos prætereat: Utrùm una sit ejus ratio, ut animalis; an uniuscujusque sit alia ratio, ut equi, canis, hominis; animal autem universale, aut nihil est, aut posterius est, & quidquid itidem aliud communitèr prædicatur.* Ubi Philosophus de universali, quod prædicatur, ait, nihil esse præter singulare, aut posterius ipso singulari, nempè, ut exponit Commentator, intellectus est, qui facit universalitatem in rebus.

Hunc

99 Hunc textum cùm sibi objeciſſet Eliſeus n. 809. reſpondet, quòd vult Philoſophus, univerſale nihil eſſe extra ſingulare, cum quo ſtat, quòd ſit aliquid in ipſo ſingulari; dicit autem poſterius, eo quòd ex ipſa entitate phyſica reſultat intelligibilitas. Hæc expoſitio multiplicitèr rejicitur, & in primis apertè eſt contra manifeſta verba textûs; ait enim, quòd præter animam ſingularem, quæ eſt in re equi, canis, hominis, animal univerſale, aut nihil eſt, aut poſterius eſt, nempé ab intellectu efformatum; ſi autem actu datur in ſingulari, aliquid eſt præter ſingulare, ſeu diſtinctum ab ipſo: ait enim, quærendum eſſe agenti de anima: Utrùm una ſit ratio communis ad omnem animam, an potiùs unumquodque animatum propriam habeat rationem; & tùnc ſubjungit, quòd illa communis ratio de omnibus prædicabilis, aut poſterior eſt, & quam format intellectus definiens, aut nihil, niſi ipſa ſingularia, de quibus non eſt definitio.

Deinde, non loquitur Philoſophus de univerſalitate, ſed de ipſo univerſali, quod communitèr prædicatur, & hoc ait poſterius eſſe; ſed licèt intelligibilitas, quam ipſe dicit univerſalitatem, reſultet, & poſterior ſit, non tamen ipſum intelligibile, quod erit univerſale: ergo. Præterea: Vniverſale, ait Philoſophus, poſterius eſſe; ſed intelligibilitas non eſt poſterior, aut reſultat: ergo. Prob. min. Si reſultat, & poſterior intelligibilitas, res in illo prio non erit intelligibilis formalit quare neque erit quid; hoc aut aperté eſt implicatorium, eſſe e quid, & intelligibile impræſcin bile eſt â re quacumq, quod pr inde dicitur ſupratranſcenden non ergo poteſt accipi intelligi litas ut quid reſultans, & poſ rius.

Præterea: Reſolutus ipſe ad ducit, nec rejicit expoſitione Commentatoris, ut ipſe adduci in 3. diſt. 9. q. 1. a. 3. cujus ver ba ſunt: *Ariſtoteles per hoc verum demonſtrat, quòd non opinatur, quòd definitiones generis, & ſpecierum ſunt definitiones rerum univerſalium extra animam; ſed ſunt definitiones rerum particularium extra animam, & intellectus qui agit in eis univerſalitatem.* intendit Philoſophus, ipſo app bante Reſoluto, quòd defini generis non ſignificat rem, qua tra animam ſit univerſalis, ſed q extra animam eſt ſingularis, quam intellectus facit univer lem. Adde, quòd res extra a mam non eſt formalitèr, & in a intelligibilis, ſed formalitèr, & actu ſenſibilis, & quæ in lum intellectûs agentis fit in actu int ligibilis, quatenùs denudatur conditionibus individuantibus, modo, quem habet extra: ſibi go convenire univerſalitatem eſſe intelligibili tantùm eſt, quò

...ent res ipsa, quæ est intelligibilis, ...tà à parte rei, sit à parte rei ipsum universale; sicut autem à parte rei non est actu intelligibilis, sed potentiâ tantùm, ita, ut est à parte rei, est in actu singularis, & sensibilis, universalis autē tantùm in potentia.

100 Prob. secundò ratione eadem Conclusio: Quidquid est à parte rei, secluso opere intellectûs, identificatur saltim entitativè cum ipso singulari; sed quod est idem cum singulari, prout ita idem, non est affirmabile dealtero: ergo, quod est à parte rei, prout est á parte rei, non est universale. Patet conseq. quia universale modo, quo est universale, est affirmabile de pluribus. Patet deinde min. quia, quod est Petrus sensu, quo est Petrus, non est affirmabile de Paulo, alio sensu, quo est aliud á Paulo, non esset aliud. Patet tandem maj. quidquid enim quidditativè est singulari, entitas ejus est, ut omnes fatentur.

101 Deinde: Quòd in re existat datur prædicatum uuiversale, patenditur de facili; tùm, quia de ipso singulari existente prędicatur quidditativè, & essentialiter; tùm deinde, quia perfectio, quam significat animal v.g. actu, & formaliter est in Petro, nempè virtus, seu principium operationis sentiendi. Quòd tandem fundamentaliter, & potentiá habeat universalitatem, ostenditur item de facili: hoc enim nihil est aliud, nisi præbere fundamentum, ut intellectus præcisivè accipiens formet universalitatem; at ipsum singulare in re existens tale fundamentum præbet: ergo. Patet minor, habet enim Petrus ipse operationem sentiendi distinctam ab operatione discurrendi, quo movetur intellectus, ut accipiat ipsam sentiendi virtutem ut sic, & sine principio discurrendi.

102 Arguit primò Eliseus: Vniversale formalitèr tale debet prædicari de singulari, subindeque identificari cum illo; sed si tantùm fundamentalitèr est à parte rei, non poterit identificari cum singulari: ergo. Probat. min. Si tantùm est à parte rei fundamentalitèr, universale formalitèr est ens rationis; sed ens rationis non potest identificari cum singulari: ergo. Patet maj. quia tùnc universale formalitèr constituitur per secundam intentionem rationis, & tantùm est objectivé in intellectu. Patet item min. quia singulare est ens reale, cum quo nequit identificari ens rationis. Confirmatur primò: Eo rejicitur universale Platonis, quia separatum à singularibus; sed ita est universale, si tantùm est fundamentalitèr in re: ergo. Patet min. quia tùnc universale formalitèr tantùm est in intellectu. Secundò: Vniversalia debent esse conjuncta cum singularibus; sed si tantùm est fundamentalitèr in re, non est conjunctum: ergo.

103 Resp. disting. maj. Vniversa-

versale formaliter, sumptum reduplicativè, neg. maj. quia reduplicativè, ut est in actu universale, non prædicatur, neque identificatur cum singulari, alioqui singulare esset universale : universale formaliter tale, sumptum specificativè, conc. maj. & eodem sensu neg. min. ad probat. ejus disting. maj. eodem sensu: Vniversale enim sumptum specificativè est realis perfectio, quæ in re datur, puta, virtus sentiendi; sumptum verò reduplicativè, nempè sub tali modo, quo habet universalitatem, est ens rationis, sive primæ intentionis, sive secundæ, & tantùm est objectivè in intellectu, nullibi enim existit animal ut sic, & præcissum ab omni differentia, neque sic prædicatur de re existente ; Petrus enim non est animal ut sic, sed hoc signatum animal : prædicatur ergo animal, quod est præcissum, non autem modus ipse, quem in præcisione habet; patet autem, quòd ipsum animal, sive virtus sentiendi in Petro est, & cum Petro identificatur.

Quo patet ad utramque confirmationem; eadem enim est utriusque difficultas : Vniversale sumptum reduplicativè, ut est sub ipsa universalitate, nequit esse conjunctum, & in singulari ; ut enim est in singulari, est ipsum singulare; quare esset singulariter, ut est universale, quod est contradictio: debet ergo esse conjunctum, & in ipso singulari prædicatum universale, specificativè nempè, & modo ipsius singularis, alioqui non posset de eo prædicari essentialiter, in quid ; quare rejicitur universale Platonis, quia id ponitur subsistens, & omninò separatum, quod non potest in quid prædicari de singularibus.

104 Arguitur secundò ex Philosopho 1. Perh. dicente, quod res aliæ sunt universales, aliæ particulares: ergo non solùm fundamentum, sed universale ipsum est in rebus. Patet consequentia: membra dividentia aliquam rationem debent eodem modo sumi; sed particulare in illa divisione sumitur formaliter, & ita est a parte rei: ergo idem de universali. Confirmatur: Quia Philosoph. 1. Poster. docet, universale non minus, sed magis esse ens, quàm singulare, quia universale est incorruptibile, sed singulare est ens reale est animam : ergo.

105 Resp. conc. consequentiam probatione sua ; ipsum enim universale datur in re, & eodem modo sumitur utrumque extremum in illa divisione, non tamen in sensu, quem ipse intendit. Itaque Philosophus ibi rem accipit, ut habet componere enuntiationem, sicut rem, non ut in re est, sed ut in intellectu, accipitur, nempè ut conceptione habet dici, & enuntiationem componere; in intellectu autem tàm universale, quàm particulare est. Eodem argumento probatur, quòd ens rationis est

extrà, quo nihil absurdius, nempe Ens aliud est reale, aliud rationis sed ens reale datur in re extra & formaliter: ergo & ens rationis. Patet consq. quia membra dividentia debent eodem modo accipi. Itaque membra dividentia eodem modo accipi debent, non absolutè, sed in ordine ad divisum.

Ad confirmationem dicitur, quòd tu magis est pro nobis, quàm contrarios, quod sic patet: Eo per Philosophum universale est magis ens, quàm singulare, quia est incorruptibile; sed nihil existens in natura, prout sic existens, est incorruptibile: ergo nihil existens in natura, prout sic existens, est universale. Directè dicitur, quòd universale est ens reale, quod tantùm argumentum, & ejus confirmatio convincit; universalitas autem, sive primæ, sive secundæ intentionis est rationis, & à solo intellectu; quare ipsum universale, ut est in re, non habet in actu universalitatem.

106 Arguitur tertiò: Philosophus in prædicam. cap. 5. dividit substantiam in primam, & secundam, hoc est, universalem, & particularem, ex quo sic: Membra dividentia debent esse ejusdem rationis; sed prima substantia est formaliter actu à parte rei: ergo & secunda. Resp. primò, quòd eotum syllogismo probatur, quòd ens rationis est à parte rei, ut jam dixit. Secundò, quòd falsa est maj. eo enim, quòd dividunt, diversificant ipsum divisum, quare sunt diversæ rationis. Tertiò, Philosophus dividit substantiam, non ut in re est, sed ut ab intellectu accipitur, nempè penes dici, aut non dici de subjecto. Quartò, solùm sequitur, quòd ipsa secunda substantia sit in re, quod verum est, non autem, quòd in re habeat modum secundæ substantiæ, & universalitatem ipsam.

107 Arguitur quartò: Objectum debet esse prius potentiâ, & actu ejus, ex Philos. 2. de Anim. sed universale est objectum intellectûs, ex eodem Philos. 1. Phys. ergo universale datur ante opus intellectûs, & sic à parte rei. Confirmatur primò: Objectum scientiæ realis est quid reale; sed objectum cujuslibet scientiæ est universale: ergo est quid reale. Confirmatur secundò: Universalia sunt perpetua ex Philos. 1. Post. cap. 24. sed si fiunt ab intellectu, non sunt perpetua: ergo.

108 Resp. quòd aliud est universale, aliud universalitas; hoc secundum fit ab intellectu, ut ipse ait Philosophus, & ex eo Commentator: quare universale reduplicativè, ut stat sub universalitate, solùm reperitur in intellectu, quod non tollit, quin universale ipsum, specificativè, & seclusâ universalitate, sit in re extra; & hoc tantùm convincit argumentum. Ad formam disting. maj. Objectum sub ratione, qua est motivum, pre-

cedit potentiam, & actum ejus, conc. maj. sub ratione, qua est terminativum, neg. maj. & eodem sensu disting. minor: Vniversale formaliter, & in actu tale non motivum, sed terminativum, est intellectûs objectum, ipse enim intellectus est, qui facit universalitatem.

Ad utramque confirmationem jam patet ex dictis: ad primam quidem conceditur, quód universale est ens reale; prout autem in re existit, habet esse singularizatum, ut verò â scientia attingitur præcissum á modo, quem habet in re, & conditionibus essendi, in actu universale. Ad secundam nihil in re existens, prout sic existens, est perpetuum: universale itaque, sive in re, sive in intellectu subjectivè est corruptibile; deficit enim in re, deficiente ipso singulari, & in intellectu, deficiente actu ejus; dicitur autem perpetuum objectivè, quatenùs quidditas ipsa repræsentata, & quæ actu suo attingit intellectus, quæque est universalis, etiam deficiente actu ipso, non deficit.

)o(

QUÆSTIO II.

DE PASSIONIBUS NATURÆ UNIVERSALIS.

POST QVIDDITATEM PASSIONES SEQUUNTUR EXplicandę, non autem de passionibus quæritur universalitatis, seu intentionis, sed prædicati, seu naturæ, quæ est universalis; quare controversia omninò Metaphysica est: quia tamen ab omnibus hic introducitur, eam cogimur hic determinare; sunt autem passiones, de quibus quæritur, unitas, & distinctio.

ARTICULUS I.

Natura Universalis à parte rei habeat unitatem sibi propriam?

§. I.

Quibusdam notatis, referuntur sententiæ.

109 UNitas ex dicendis in Metaph. est indivi- in se, & divisio à quolibet alio; tamen, quòd quamvis per ne- ivum explicetur, nempè caren- m divisionis, non in negatione nsistat; etsi enim controvertatur: ter aliquid enti superadditum? nnes tamen supponunt esse pas- em, sive perfectionem positi- : consistit ergo in positiva ra- e, quam ipsa indivisio, seu ca- ia divisionis significat, quæ, quia aliter non potest, per negationem explicatur.

110 Quantum ad propositum refert, duplex est unitas; materialis altera, quæ etiam numeralis dicitur; alia formalis: materialis unitas est omnimoda in divisio, quæ eo dicitur major unitas, & hæc est propria individui, & rei existentis, quæ eo materialis dicitur, quia sumitur à materia, ut dicemus in Metaph. numeralis verò, quia oritur ex divisione continui, & est, quæ est principium numeri: formalis, quę etiam dicitur quidditativa, est, quæ à forma, & quidditate sumitur, qua nempè unum dicuntur, quæ unam habent quidditatem, sive quæ non important divisionem in essentia, & quidditate; & hæc est aut specifica, aut generica, prout fuerit prædicatum quidditativum, cujus est passio.

Hæc est unitas propria naturæ universalis, quæ eo dicitur minor

numerali, quia non requirit omnimodam indivisionem, sed secum compatitur multiplicitatem non solùm numericam, & materialem, sed formalem etiam, & specificam; non solùm enim multa individua sunt unum specie, sed etiam multæ species sunt unum genere: ad hanc ergo unitatem de materiali est multiplicitas in ratione inferiori, quia solùm attenditur penes indivisionem in ratione ipsa, quæ una dicitur, sive generis, sive speciei; notandum autem, quòd non sufficit præcisa carentia divisionis, & multiplicitatis; diximus enim, unitatem in positivo consistere, quòd per negativum explicatur; & rursus, unitas entis passio est, negatio autem etiam non enti convenit, & ipsum individuum negationē habet multiplicitatis specificæ, aut genericæ, non tamen propriè unitatem formalem, sed individualem: consistit ergo unitas in positiva simplicitate, sive convenientia, aut identitate, quam significat indivisio.

111 Notandum deinde, quòd triplex distinguitur status naturæ, de qua quæritur; consideratur nempè in statu solitudinis, sive essentiæ, & dicitur ante rem: deinde in statu contractionis, sive existentiæ, & dicitur in re: & tertiò, in statu abstractionis, sive in intellectu, & dicitur post rem. De hoc tertio statu non est controversia; omnes enim non solùm unitatem, sed communitatem etiam, sive aptitudinem in eo contendunt: quæritur ergo de aliis duobus, & quidem de communitate, sive aptitudine ad multa actum est q. præcedente; quare hic de unitate tantùm sermo est.

112 Prima sententia asserit naturam in statu solitudinis, sive essentiæ habere unitatem positivam. Hanc tenet P. Fonſ. 7. Metaph. cap. 28. q. 3. & eamdem propugnat Mastr. disp. 9. Metaph. q. 6. differunt tamen, quia P. Fonſ. ponit, hanc unitatem non descendere ad individua, quare ei non convenit naturæ in statu contractionis, sive existentiæ; verò Mastr. è contrario ad individua descendere, & in statu existentiæ convenire, sicut descendit natura ipsa, cujus ea unitas est passio: & quidem magis hoc ponit consequenter; unitas enim non accidens separabile, quod eidem potest convenire, aut non convenire, sed est passio transcendens inseparabilis, etiam ratione ratiocinata, sive cum fundamento in re; quare convenit per se in secundo modo perfectitatis, & non tertio, ut vult Fonſec. quod autem in primo, aut secundo modo convenit per se, in quocumque statu convenit.

113 Secunda sententia in hoc eodem statu concedit unitatem negativam, negat verò positivam. Pro hac citantur communiter Thomistæ, & nonnulli alii. Sed in primis, quod ad hanc secundam

licèt, unitas negativa duobus possit modis intelligi; altero, quòd non sit positiva convenientia, sed negatio tantùm multiplicitatis, eo modo, quo dicunt nonnulli, quòd natura abstracta est hoc ipso universalis negativè, hoc est, non singularis; alter sensus esse potest, quòd natura dicatur una negativè, quatenus negativè, & per solam indifferentiam, sive non repugnantiam se habeat ad unitatem. Priori quidem sensu imperceptibilis est illa unitas; etsi enim non in ipsa divisionis carentia consistat unitas negativa, per illam tamen significatur positivum, in quo consistit: ergo intelligitur, quid possit per negationem divisionis significari, in quo consistat unitas negativa à positiva.

114 Deinde, utramque sententiam rejicit B. D. multis in locis, primò q. 2. sup. univ. ait: *Dicendum, quòd res de se non est universalis nisi in eo, quòd intelligitur; nam res de se, ut natura humana, non habet esse extra, neque in anima, licèt non sit dare tertium illis, quin sit in anima, vel in re extra; tamen de se in nullo horum est; sicut homo ex se non est albus, neque niger, neque medio colore coloratus, licèt non sit dare hominem, qui non sit albus, vel niger, vel medio modo coloratus*: quibus licèt de universalitate loquatur, de unitate tamen idem dicendum, eadem enim est de utrâque ratio, nempè quia natura de se, & secundùm se non habet esse neque in anima, neque extra animam; de se, & secundùm se non habet unitatem, aut multiplicitatem.

Secundò, hoc ipsum clariùs docet quodl. 2. q. 6. qua de hoc ipso quærit: An nempè aliqua sit essentia, quæ se habeat per indifferentiam ad esse, & non esse? Quod idem est, ac quærere: an ipsa essentia pro priori ad esse aliquid sit, cui ipsum esse possit tribui, aut non tribui? Ibi autem latè probat, quòd pro priori ad esse non præcedit aliqua essentia, sed intellectus noster concipit ipsam quidditatem sine esse; quare idem est natura in statu solitudinis, sive secundùm se, quod natura in intellectu, sive in statu abstractionis.

115 Ex his duplex deducitur ratio, prima generalis contra utrumque modum; secunda specialis contra Mastrium: prima sic formatur: Nullius entis nullæ sunt passiones; sed natura in statu solitudinis, sive ante rem non est ens aliquod: ergo nulla sibi competit unitas in illo statu. Min. ostenditur, primò, quia ante existentiam, qua ponitur res extra causas, præcedit res tantùm in causa sua, ubi nihil est nisi ipsa causa, ut latè ostensum est q. præcedente art. 4. §. 1. Deinde: Ante existentiam præcedit purum possibile; sed possibile nihil est in actu, & subjectivè, sive in se ipso, ut probabimus q. 1. Metaph. & ipse propugnat Mastr. nullas ergo habere potest passio-

nes

nes in se, & subjectivè, sed tantùm objectivè, & repræsentativè, sicut illa eadem est natura, quam intellectus abstrahendo concipit, ita illam eamdem unitatem habet, quam sibi intellectus tribuit.

116 Altera ratio sic formatur: Natura secundùm se, & in statu essentiæ, si talis datur, non solam unitatem, sed positivam universalitatem importat; sed universalitatem non concedunt DD. illius sententiæ, & præsertim Mastrius: ergo unitatem concedere non possunt; & consequentèr non datur natura in illo statu. Patet hoc subillatum; eo enim, quòd unitas est passio transcendens, quidquid est, hoc ipso, quòd est, unum est; quare ait Philosophus, quòd unumquodque per idem habet esse, & unum esse. Maj. itaque ostenditur: Natura secundùm se, & in illo statu essentiæ importat prædicata quidditatis suæ secundùm se; sed ipsa quidditas secundùm se nata est pluribus convenire, eo enim intellectus illa sic accipiens videt, quòd communis est, & prædicabilis: si ergo in tali statu datur, non solùm unitatem, sed item universalitatem habet. Ostenditur deinde min. Quod enim naturæ convenit secundùm se, & in statu essentiæ, in omni statu convenit, & consequentèr etiam in statu existentiæ, ut ipse Mastrius ex instituto contendit; sed in statu essentiæ universalitatem habet, ut jam patuit: ergo.

Nihil ergo est status essentiæ sive solitudinis, nisi ipsum universale Metaphysicum, sive quidditas quam intellectus noster à re existente abstrahit, & diversimodè considerat, sive diversis statibus comparat: unitatem ergo, & universalitatem habet positivam, [illegible] rei, & quæ sibi conveniat secluopere intellectûs, sed quam intellectus tribuit, quatenùs facit universalitatem in rebus.

117 Relinquitur itaque status existentiæ, sive contractionis, de quo potissimè quæritur, & duplex est de eo sententia: prima negat positivam unitatem in tali statu, & docet, tantùm fundamentaliter, & in potentia, seu negativè se habere ad unitatem; & hanc tenet communitèr NN. Altera affirmat habere naturam in illo statu positivam unitatem. Hanc docet [illegible] presbè Scotus in 2. dist. 3. q. sequuntur communitèr Scotistæ quamvis nonnulli de mente eius dubitent: immeritò quidem, quia ibi satis expressè unitatem profitetur in re minorem numerali, negat autem universalitatem, quia ut habet in solutione ad 1. universale talem importat unitatem, quæ est in potentia proxima, ut de multis prædicetur, & talem potentiam proximam non habet in re. Eadem sententiam tenet Eliseus [illegible] 2. q. 1. a. 6. in sensu suprà dato, nempè in esse intelligibili; pro eâdem multi alii citantur.

§. II.

§. II.

Probatur nostra sententia.

118 DIcendum: A parte rei nulla datur forma- & in actu unitas minor nu- li, sed tantùm fundamentali- & in potentia, seu negativè, & non repugnantiam. Hanc sen- tiam de mente B. D. tenent discipuli Gerar. in 1. dist. 3. Fulg. disp. 2. dub. 6. Manf. & alii. Prob. primò superiùs adducto quodl. 6. ubi docet, ipsum univer- primæ intentionis esse quid ra- ergo etiam ejus unitas.

119 Prob. secundò clariùs dem in Prol. Sent. q. 1. a. 3. cùm quæreret: An Theologia entia communis? assignans entiam ejus à cæteris scien- His visis, ita habet: *In aliis scientiis, cùm habeant pro universale, non intenditur unum realitèr, sed unum se- tionem, juxta illud Com. Anim. intellectus est, qui fa- universalitatem in rebus: uni- salis ergo unitas non est unitas sed rationis, sive intellectus.* verba, nescio, quo ductus citat Fulg. ex dist. 19. p. 1. in eis Doctor loquitur de rsali rei, sive primæ intentio- de quo nempè agunt scientiæ & ait, quòd ejus unitas non sive quæ in re datur, sed so- lius intellectûs, quatenùs ipse facit universalitatem in rebus.

120 Prob. tertiò ex eod. 2. de Anim. text. 60. supra quem dub. 2. quærit: Vtrùm universalia sint in anima? Resp. autem: *Dicendum, quòd, ut communitèr ponitur, natura hominis, vel natura lapidis, vel aliqua alia hujusmodi natura dupliciter habet esse; unum materiale in rebus, & secundùm hoc est quid particulare; aliud formale in anima, & secundùm hoc est quid universale; nam non reperitur homo nisi in his carnibus, & in his ossibus, & non reperitur lapis nisi in hac materia signata: si talia sunt universalia, & accidit eis intentio universalitatis, hoc non est, ut sunt in se ipsis, sed ut sunt in anima: unde est, quòd communitèr ponitur, universalia esse in anima.*

En homo, ut est in re, tantùm est hæc caro informata hac animâ, quare sic tantùm habet esse, & unitatem materialem, & particularem; esse verò, & unitatem formalem habet in anima, quatenùs abstrahitur à modo, quem habet in re, quare ibi prosequitur: *Hoc viso, de levi patet, quomodò aliquid habet esse universale; nam res ipsæ sunt universales; sed non sunt universales, ut sunt in se ipsis, quia sic habent esse non abstractum, sed sunt universales, ut sunt consideratæ ab anima, quia sic habent esse abstractum.* Id ibi latè prosequitur, & clariùs explicat in solvendo argumenta in contrarium.

Pra-

121 Prætereà, id ipsum colligitur ex ipso textu Philos. supra quem id habet B. D. nempè 2. de Anim. text. 60. ibi enim Philosophus assignans differentiam sensûs ab intellectu, ita habet: *Differentia tamen est, nam ea, quæ actu sensum efficiunt, extra sunt, ipsum, inquam, visibile, audibile, & sensibilium cætera; cujus causa hæc est, actu namque sensus singulariu n est, scientia verò universalium est, hæc autem in ipsa anima quodammodo sunt.* En, quæ sunt extra, sensibilia sunt; sensibile autem singulare; quare ipsum visibile, quod est quid universale, ut in re est, singulare est, & unitatem habet numericam, & singularem; formalem autem propriam universalis, tantùm in anima.

122 Prob. quartò à ratione: Vnitas passio est entis, cujus est unitas, & illud supponit; sed in re extra ens formale, cujus est passio unitas formalis, sive specifica, sive generica, tantùm datur fundamentaliter, & in potentia, non verò formaliter, & in actu: ergo eodem modo datur unitas. De maj. nullus ambigit, patet enim ex terminis, quòd eatenùs unitas intelligitur, quatenùs intelligitur id, quod unum est. Prob. itaque min. primò ex adducto textu Philos. Quidquid in re est, sensibile est in actu, & formaliter; sed quidquid sensibile est, singulare est: ergo nihil est in re, quod in actu, & prout in re est, sit entitas formalis, in actu intelligibilis, cujus tantùm p est illa unitas. Secundò, en formalis, cujus passio est illa tas, est quidditas Metaphy prout accipitur contra Phys materialem, & sensibilem quidquid in re est, physicum ergo.

Confirmatur, & explicatur parte rei in Petro nihil est nisi ejus anima proprium corpus ficiens, quare animal v. g. à p rei significat ipsam entitatem mæ, quæ est in re virtus sentie sive corpus ipsâ animâ perfec non autem aliquitatè, seu tatè ipsius animæ; tùm, quia in re, & secluso opere intell simplicissima est, nec habet & aliud; tùm, quia animal non lam animam, aut aliquitatem significat, sed totum; jam au unitas formalis passio est p prædicati animal, animæ verò tas præcisè, & tantùm sing est: in re ergo tantùm datur tas singularis, formalis verò tùm in potentia, quatenùs fu mentum præbet res ipsa, ut prædicatum formet intelle

Confirmatur secundò: Vn formalis non est præcisè care distinctionis, fatentur enim om in posi ivo consistere unitatem go, ut accipiatur á parte rei u formalis positiva, v. g. inter trum, & hunc leonem in ra animalis, oportet in re esse po vam convenientiam in virtute le tiendi; sed talis non datur: erg

Pro

§. hæc min. Virtus sentiendi ...e extra est in Petro singularis ...anima, & in leone pariter; sed ...r duas illas singulares animas ...a est à parte rei actualis, & po... convenientia : ergo. Patet ... convenientia enim in sub... ...ia est identitas, & talis esse de... ...t sit unitas; at à parte rei to... ...itate differunt singulares ani... Major iam patuit ; est enim ... sentiendi id , quo unum... ...sentit, sentit autem pro... ...animâ.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

ARguitur primò ex Philosopho 7. Metaph. ...51. ubi docet, quòd *ratio ...alis eadem est in homine &* ... non est eadem individuali... ...go formaliter. Rursus, 2. de ... text. 68. ait, quòd *eadem ...a diaphanitatis est in aere, &* ... Rursus 5. Metaph. text. ...ter unitates reales enumerat ...ricam, & specificam: ergo istæ ...ur in re. Rursus, in antepræ... ...m. definit univoca : *Quorum ...est commune, ratio verò sig... ...per nomen est omninò ea...* ...at ratio significata per no... ...est natura ipsa, quæ datur à ...ei : ergo.

Resp. ad hæc, & ad simi... ...a, quatenùs intendunt, aut ...em formalem realem esse, aut in re dari, quòd eo sensu, quo reale est, & in re datur ipsum universale, datur in re ejus unitas; dictum est autem in præcedentibus, quòd dantur in rebus universalia, ita tamen, quòd, prout in re sunt, non actu, sed potentiâ tantùm universalia sunt: hoc ergo sensu datur in rebus formalis unitas. Itaque in re datur animal, & Petrus ipse à parte rei est animal, sicut etiam leo, nempè habent virtutem sentiendi, quam significat animal; ista tamen virtus à parte rei non est prædicatum, quo actu conveniant, sed ipsa utriusque anima, quę fundamentum præbet, ut intellectus prædicatum commune concipiat, cujus est passio illa unitas.

125 Singula itaque percurrendo loca, ad primum dicitur, quòd locus ille ex 7. Metaph. habetur cap. 14. ubi Philosophus contra universale Platonis, sive idèas separatas arguit ab inconvenienti, & argumentum est, quòd si homo est aliquid separatum, partes ejus, nempè genus, & differentia, erunt pariter idèa separata ; tùnc autem animal in homine est bipes, in equo quadrupes: erit ergo animal separatum, quod est genus utriusque, & de utroque prædicatur quidditativè simul bipes, & quadrupes; intelligit autem per bipes, & quadrupes differentiam quidditativam : patet ergo, quòd ille locus nihil refert ad propositum; non enim assumit, quòd animal idem est in re, sed tantùm, quòd animal

universale de utroque prædicatur.

Alter locus ex 5. Metaph. habetur cap. 6. quo toto explicat Philosophus diversos modos, quibus unum dicitur; & sub medium, nempè text. 11. quo explicat ea, quæ unum dicuntur quidditativè, ita habet: *Et omninò quorumcumque intellectio, quę, quod quid erat, esse intelligit, indivisibilis est*; quibus innuit apertè, quòd talis unitas intellectûs est, quam nempè intellectus, abstrahendo ipsum quid, videt naturæ abstractæ passionem esse: præterquamquòd ergo non de unitate intendit, quæ est in re, sed communitèr, & ut sic de modis unitatis: patet, quòd locus magis pro nobis, quàm contra nos est. In altero ex 2. de Anim. intendit, quòd perspicua non sunt talia per propriam uniuscujusque rationem, puta, aër per rationem, qua est aër; & tùnc ait, quòd aër, & aqua perspicua sunt: *Quia natura eadem ineſt in his utrisque, & in perpetuo ſupero corpore*: patet ergo quod intendit, quòd natura eadem, hoc est, dispositio, qua sunt luci pervia, non autem ratio aliqua quidditativa, & habere quidem eamdem dispositionem, non unitatem alicujus rationis significat, sed consimilia accidentia. Ad ultimum, voces significant mediâ conceptione, quare quòd ratio significata per nomen univocum sit eadem, non arguit unitatem in re, sed in conceptu.

126 Arguitur secundò ratione, quam N. Uillan. dicit esse D. in 2. dist. 3. p. 1. q. 2. art. Vnitas, & entitas sunt idem convertibilitèr, & mutuò se conquuntur; sed á parte rei datur titas formalis: ergo & unitas. tet minor ex Philos. cap. de stantia; quoniam secundæ substiæ sunt in primis, alioqui non dicarentur de illis. Confirm Vnitas formalis est carentia sionis formalis; sed à parte rei tur carentia divisionis formalis ergo. Prob. minor: Quæcumq enim in aliqua ratione conveniunt, prout conveniunt, non ferunt; sed Petrus, & Paulus tione formali hominis à parte conveniunt: ergo.

127 Resp. quòd B. D. illo co agit de individuatione, & mero Angelorum, & habet ut §. *Sciendum ergo*, in resolut artic. quod ipse assumit, quòd unum, & ens convertu inde tamen nihil ad propos ut patebit statim, imò ibi sen tiam nostram non levitèr in nam n. seq. ita concludit: *Du ergo erit numerus, unus secun differentiam formalem, & alius cundùm differentiam indivi lem. Sic etiam duplex erit un formalis, & individualis: non aliud sit ſecundùm rem hoc illud, neque in materialibus que in ſeparatis. Nam homo homine est idem realitèr, quod homo, & Angelus in hoc Angelo idem realitèr, quod hic Angelus*

...ersalia in particularibus sunt ...realiter, quod particularia.

128 Resp. itaque directè conc. ...distinguo. min. A parte rei da... ...entitas formalis, formaliter, & ...actu, neg. min. fundamentali... ...& in potentia, conc. min. & ...eodem sensu conseq. Ad probat. ...dicitur, quòd secundæ sub... ...sic sunt in primis, quòd ...ipsæ primæ, alioqui non præ... ...dicentur *in quid*, v. g. homo in ...Petro est ipsa anima Petri perfi... ...ac ejus corpus. Ad confir... ...mem neg. maj. non enim uni... ...ipsa est carentia divisionis, sed ...earum, quod per negationem ...dicatur; patet enim, quòd indi... ...uum, ut tale, non habet distinc... ...em formalem à se ipso, non ...em proinde formalem unita... ...; quare certum per incertum ...ur, nempè assumit, & suppo... ...convenientiam, & inde probat ...niam divisionis, debuit au... ...convenientiam probare. Ita... ...Petrus, & Paulus non diffe... ...in ratione hominis, sed non ...inde in re actu, & positivè con... ...iunt, sed potentiâ tantùm; in ...enim ratio hominis actu est du... ...utriusque anima; istæ autem, ...totâ entitate differant, non ...actu convenientiam, atque ...itatem.

129 Arguitur tertiò: Vi dis... ...ionis virtualis, quæ est à par... ...inter rationem hominis, & ...laritatem, aliquid convenit ...ni, quod non convenit alteri: ergo vi ejusdem distinctionis ratio hominis reperta in Petro habebit actu convenientiam cum ratione hominis repertâ in Paulo. Prob. anteced. Quia vi illius distinctionis ratio hominis est à parte rei negativè universalis; sed hoc non convenit singularitati: ergo. Confirmatur primò: Tota disconvenientia inter Petrum, & Paulum oritur á Petreitate; sed ratio hominis à parte rei excludit Petreitatem: ergo. Secundò: Ratio hominis potest attingi absque Petreitate: ergo est independens ab illa in esse intelligibili; sed ut sic independens est omninò similis, & conveniens: ergo habebit unitatem.

130 Resp. neg. maj. sicut enim distinctio virtualis non facit, quòd actu sit in re aliud, & aliud, sive quòd unum non sit aliud actu, sed tantùm potentiâ, nempè quòd intellectus possit duo concipere, ita non facit, quòd aliquid uni conveniat, & non alteri actu, sed potentiâ tantùm; quare ad probationem neg. suppositum, quòd à parte rei sit actu ratio hominis, est enim tantùm hic homo singularis, qui dicitur negativè, & per non repugnantiam universalis, quatenùs fundamentum præbet, ut intellectus sine singularitate concipiat, & formet universale. Ad primam confirmationem neg. minor; non enim à parte rei, sed in conceptu intellectûs est illa exclusio, & in re tantùm est fundamentum

ejus, quod dicitur distinctio virtualis. Ad secundam, conc. utraque conseq. sicut autem non in re, sed in intellectu tantùm est actu sine singularitate, ita ibi tantùm habet actu convenientiam, & unitatem.

131 Arguitur quartò: Talis est convenientia, & unitas inter hominem, & hominem, qualis est distinctio inter hominem, & asinum; sed hæc distinctio datur â parte rei: ergo & illa unitas. Patet maj. quia eâdem ratione, qua Petrus differt ab asino, convenit cum alio homine. Patet item min. quia actu Petrus aliud est ab asino. Respond. disting. maj. Talis est convenientia, qualis est distinctio metaphysicè, & in ratione quidditativa, conc. maj. & hoc sensu vera est probatio: Talis est physicé, & in re, neg. maj. & hoc sensu falsa est probatio; differt enim physicâ entitate suâ, qua non convenit, sed differt paritèr ab alio homine.

132 Dices: Illa distinctio, qua magis differunt Petrus, & hic leo, quàm Petrus, & Paulus, datur in re; sed eo sensu, quo magis differt Petrus à leone, convenit cum Paulo: ergo in re datur ista convenientia. Distinguit. eodem sensu maj. Datur à parte rei actu, & formaliter, neg. maj. in potentia, & fundamentaliter, conc. maj. illa enim major distinctio virtualis est, & consistit in fundamento, quod intellectus ex re accipit, ut conceptum quidditativum formet, quo conveniunt, & sunt unum [illegible] cie Petrus, & Paulus, differunt a[illegible] tem Petrus, & leo; in re autem [illegible] lud fundamentum est singular[illegible] utriusque anima, quæ prout in [illegible] actu non magis differt.

133 Arguitur quintò: Re[illegible] tiones primi modi fundantur [illegible] unitate, quare, cùm sint reali[illegible] unitas, in qua fundantur, datur [illegible] re; sed illa unitas non est numeri[illegible] lis, cùm sit plurium convenient[illegible] ut similitudo, & æqualitas: ergo [illegible] formalis; & sic unitas formalis da[illegible] tur in re. Resp. neg. maj. neque enim illa relatio fundatur *in con*venientia, sed est ipsa convenientia; quare à Philosopho tales relationes dicuntur modo unitatis; neque illa convenientia in re est unitas, sed fundamentum ejus, nempè actu multiplex qualitas, a quibus intellectus unum concretum abstrahit, & unam rationem format.

134 Arguitur sextò: Si om[illegible] unitas realis numeralis est, om[illegible] distinctio realis numeralis erit; hoc est falsum: ergo & illud. Pr[illegible] min. quia præter distinctionem numericam, qua differt Petrus [illegible] Paulo, realis est etiam specifica, qua differt à leone, & generica, qua differt á lapide. Maj. ostenditur: Quia per Philos. 1. Top. [illegible] modis dicitur unum oppositorum, dicitur & reliquum; sed unum, & destinatum sunt opposita: ergo [illegible] Hoc argumentum sub alia forma proponit Scotus, nempè: Si dat[illegible]

rē unum oppositorum, datur & reliquum; sed datur in re distinctio formalis: ergo & unitas.

135 Sub hac forma contra se illud objicit B. D. in 2. dist. 1. p. 1. q. 2. art. 3. ad 2. & respondet, quòd id tenet de contrariis strictè, ut sunt calidum, & frigidum, non autem de latè contrariis, ut sunt bonum, & malum, de quibus ibi agit. Ex hoc ergo posset primùm dici, quòd unum, & distinctum non sunt strictè contraria; quare sequitur, quòd, si in re datur distinctio, detur proinde unitas, neque id non convincit hoc argumento; quare ad formam hoc sensu. neg. maj. & ad probat. disting. sensu jam dicto

Resp. secundò neg. min. ad probat. ejus dicitur, quòd realis illa distinctio eo sensu, quo realiter extrema, nempè genus, & species; talia autem realia sunt, non quia in re dentur formaliter, ut actu genus, & species, sed illi perfectio, quæ illis correspondet, in re est, & fundamentum præbet, ut intellectus in actu formet, puta, in homine à parte rei virtus sentiendi, quæ tamen, prout in re, ipsa est anima Petri: prout ergo in re, solam habet actu generalem distinctionem, sicut & entitatem. Cætera ex his

poterunt

solvi.

ARTICULUS II.

Quomodò distinguantur in re gradus universales?

§. I.

Quibusdam notatis, referuntur sententiæ.

136 DE quidditate, & modis distinctionum latè hìc multi disserunt; id quidem plenè est Metaphysicum, neque ad præsens institutum quid refert, quòd distinctio in negativo consistat, aut positivo, relativo, vel absoluto; quare hoc suo loco disputandum relinquitur. Ad præsens quod attinet, est, quòd distinctio est negabilitas unius de altero, & quę de se invicem negari possunt eo sensu, & modo, quo negari possunt, duo sunt, & distinguuntur: itaque quæ in re ante opus intellectûs ita se habent, quòd unum non est aliud, in re distinguuntur; quæ autem in re unum, & idem sunt, præbent tamen fundamentum, ut intellectus duos conceptus formet, qui de se invicem negari possint; distinguuntur ratione, sive intellectu, in re autem virtualiter, quatenùs illud fundamentum virtus quædam est distinctioni æquivalens, sive motivum præbet intellectui, ut distinguat.

137 Distinctio ergo ut sic, & communiter duplex est, altera rea-

lis,

lis, quę nempè datur ante opus intellectûs in re ipsa; altera rationis, quam nempè ipse intellectus format, sive quæ ad rem, prout est in intellectu, consequitur. Realis distinctio multipliciter subdividitur; ad præsens autem, alia est actualis; alia potentialis, sive virtualis: actualis illa est, cujus extrema actu dantur, & actu duo sunt ante opus intellectûs, sive in re ipsa; & hæc subdividitur in realem simpliciter, & realem secundùm quid: realis simpliciter est, qua distinguitur res, sive entitas, quæ adæquata est, si sit rei á re; inadæquata verò, si sit rei ab eo, quod non est res, sive entitas: distinctio realis secundùm quid, quoad præsens spectat, illa dicitur, quæ versatur non inter duas res, sive entitates, sed inter duas formalitates, sive aliquitates ejusdem rei; quæ quia actu ante opus intellectûs duæ sunt, illa distinctio dicitur realis actualis, & ex natura rei, quia ex propria rei quidditate consequitur, non beneficio intellectûs; quia tamen extrema non realitates sunt, sed formalitates, dicitur distinctio formalis.

138 Distinctio virtualis, sive potentialis, quæ alterum extremum est, illa est, quæ versatur inter extrema, quæ actu ante opus intellectûs non sunt duo, sed unû, & idem, quod tamen per opus intellectûs potest fieri duo; & quia in re est fundamentum, potentia, sive motivum, ut intellectus distinguat, illa distinctio realis dicitur; quia tamen illud fundamentum in re non est dualitas extremorum, sed potentia tantùm, sive fundamentum ad illam, distinctio dicitur cum addito distrahente, nempè virtualis, sive potentialis, hoc est, virtus, sive potentia ad distinctionem. De distinctione rationis ad præsens non curatur: tantùm nota, quòd intellectus distinguit, & conceptus multiplicat, aliquando cum fundamento in re, nempè ubi præcedit distinctio virtualis; aliquando verò sine fundemento in re præcedente; & prior distinctio dicitur rationis ratiocinatæ, posterior verò rationis ratiocinantis.

239 Distinctio virtualis multiplex etiam est: aliqui dividunt in intrinsecam, & extrinsecam; intrinsecam dicunt, vi cujus ante opus intellectûs verificantur contradictoria; extrinsecam verò, cujus tantùm per opus intellectûs verificantur. Sed distinctio virtualis intrinseca solo nomine differt a formali ex natura rei; tantùm nempè virtualis est, quia extrema virtualitates dicuntur, sicut altera dicitur formalis, quia extrema sunt formalitates; debet autem esse non potentialis, sed actualis distinctio ante opus intellectûs; si autem actualis est, nihil refert, an virtualitatum, sive formalitatum dicatur. Assumptum patet: non enim verificantur contradictoria de eodem secundùm idem: si ergo in re ante opus intellectûs ponit contradicto-

storia, in re ante opus intelle-
ponit aliud, & aliud; & con-
inguenter non potentialis, sed
malis distinctio est.

140 Itaque distinctio virtua-
extrinseca, quæ sola virtualis
ri, alia est major, sive excluden-
is ab excluso; alia minor, sive in-
cludentis ab incluso, quæ etiam di-
citur penes implicitum, & explici-
tum: major, sive excludentis ab ex-
cluso illa est, quæ fundamentum
præbet, ut intellectus duos con-
ceptus formet diversę quidditatis,
quibus perfectiones ipsæ con-
se invicem excludant, sive
non intelligatur in conceptu
ius: minor, sive penes impli-
m, & explicitum illa est, quæ
damentum præbet, ut intelle-
duos conceptus formet, qui-
amen idem attingat alitèr, &
explicatum, sive ita quòd
ctio concepta includatur, &
tigatur implicitè in alio con-
: v. g. Petrus fundamentum
et, ut intellectus concipiat,
d est homo, quòd est animal,
quòd est rationalis: quia ergo
conceptu hominis includitur
plicitè animalitas, & rationali-
s, inter hominem, & animal à
re rei datur distinctio virtualis
or, sive penes implicitum, &
plicitum, nempè quod implicitè
portatur in conceptu homo, ex-
catur per conceptum animal;
tamen in conceptu animali-
non includitur rationalitas,
e converso, inter animal, & rationale datur á parte rei distinctio virtualis major, sive exclu-
dentis ab excluso.

141 Quæritur itaque: An præ-
dicata universalia in re distinguan-
tur actu, & distinctione formali, an tantùm potentiâ, & distinctio-
ne virtuali? Prima sententia asse-
rit distingui ex natura rei formali-
tèr. Hanc tenet Scotus, sequuntur Scotistæ, & ex aliis nonnulli, ut Fonsec. 5. Metaph. cap. 6. q. 6. sect. 2. N. Lusit. lib. 5. de Beat. q. 5. citat etiam Mastr. N. Bonh. tract. 3. Metaph. q. 1. art. 3. sed si ta-
les pro sua sententia vellet addu-
cere assertores, ferè omnes posset adducere Thomistas. Tantùm enim ibi docet concluſ. 2. quòd si distinctio ex natura rei sit forma-
lis, non sumatur pro distinctione aliqua, quę sit tertia species distin-
ctionis inter realem, & rationis, sed pro ratione communi, quæ ali-
quando contrahatur ad distinctio-
nem realem, aliquando ad distin-
ctionem rationis, tùnc admitten-
da est distinctio ex natura rei for-
malis; apertè tamen negat inter prædicata universalia distinctio-
nem actualem ante opus intelle-
ctûs.

Non uno modo Scotistæ ex-
plicant quid est formalitas, ex quo tamen tota dependet difficul-
tas. Itaque Mastr. disp. 1. Log. q. 5. a. 2. & disp. 5. q. 3. a. 2. & in Metaph. disp. 6. q. 11. & disp. 8. q. 6. a. 2. ita explicat: Formalitas est ratio objectiva conceptibilis in re

re aliquâ conceptu adæquato distincto à conceptu, quo concipitur alia formalitas ejusdem rei. Hujusmodi ergo formalitates non sunt res, aut partes rei, ad modum quo manus est pars corporis, sed tantùm rei aliquitas, quæ de se non meretur dici realitas aliqua; & quoties una, & eadem res plures habet tales aliquitates, sive rationes conceptibiles, ante conceptum ipsum habet distinctionem formalitatum, & ita dicunt, in Petro v. g. distingui animalitatem á rationalitate, nempè animalitas in re ante opus intellectûs ratio est in ipso Petro conceptibilis alia á rationalitate, nempè virtus sentiendi, quæ aliquitas est, sive formalitas animæ.

142 Secunda sententia docet, gradus universales physicè, & in esse rei non distingui, distingui verò in esse intelligibili distinctione formali mediâ inter realem, & rationis. Hanc tenet Schola Resoluti apud Elis. & Blasc. qui contendunt, aliam esse à Scotica, in eo quòd Scotica ponitur in esse rei, hæc verò tantùm in esse intelligibili. Sed quandoquidem formalitatem explicant Scotistæ ex conceptibilitate, aut definitione adæquata sibi correspondente; patet, quòd non physicè, & in esse rei, sed metaphysicè, & per ordinem ad intellectum accipiunt; quare nihilo differt utraque distinctio: nihilominùs, qui viæ probandæ diversæ sunt, seorsim utramque expendemus.

143 Tertia sententia ponit distinctionem virtualem intrinsecam. Pro hac aliqui citantur, sub presso nomine, & tenent nonnulli de Nostris in manuscriptis; sed tùm, quia, ut suprà patuit, hæc distinctio actualis est; non enim verificantur contradictoria, nisi de diversis, aut secundùm diversa quare, si ante opus intellectûs ponit contradictoria, & consequenter diversitatem; tùm, quia à nemine video ex instituto propugnari, non opus erit de ea seorsim agere; quæ enim de præcedentibus dicantur, de hac possunt accipi.

144 Quarta demùm sententia ponit, gradus universales distingui in re tantùm virtualitèr extrinsecè. Hæc quidem duplex est; alii enim ponunt distinctionem majorem, & in ordine ad conceptus objectivè diversos; alii autem distinctionem minorem, & in ordine ad conceptus tantùm formalitèr, ex parte actûs diversos; & hanc posteriorem modum tenent, qui negant præcisiones objectivas. Hæc tamen diversitas ad propositum non refert; convenit enim uterque modus in eo, quòd in re extra non datur actualis distinctio, sed tantùm fundamentum, & capacitas, ut intellectus duos conceptus formet, de quo ad præsens quæritur: An autem illi conceptus ex parte objecti, an tantùm ex parte actûs, & penes explicitum diversi sint? quæritur q. seq. art. 1.

Hanc

Hanc itaque sententiam tenent universim Thomistæ, & NN. atque [illegible] frequentiùs DD. Societ. Pro majori ergo claritate singulas sententias, & uniuscujusque fundamenta seorsim expendemus.

§. II.

Inter gradus universales non datur distinctio ex natura rei.

145 HÆc Conclusio latè, & à multis intenditur; [illegible] enim est, qua contentione [illegible]tentia Scotica rejicitur, tùm hic [illegible] in Theologia de distinctione [illegible]butorum inter se, & ab essen- [illegible]minùs tamen fœlici exitu, vix [illegible] ratio invenitur, quam non facili solvant Scotistæ; quare [illegible], aut alteram subjiciemus, [illegible] enim probatio ex instantia [illegible]nitur, & solutione rationum [illegible]triæ sententiæ.

146 Conclusionem ergo ha- [illegible]t D. in 1. dist. 25. q. 1. a. 3. *Propter secundum*, ubi ait: *Propter secundum advertendum, quòd [illegible]us definitionis, quantum est de [illegible]per se, & primò dicunt compo- [illegible]situm secundùm rationem so- [illegible]mquia secundùm Commentato- [illegible]nulla pars definitionis est pars [illegible]n actu, sed solùm est pars rei in [illegible]ntia, hoc est, non est pars rei, [illegible]ndùm quod res habet esse actua- [illegible]e in rerum natura, sed est pars [illegible]secundùm quod res habet esse potentiale, & secundùm intellectum*; sed partes definitionis sunt gradus universales, nempè genus, & differentia: ergo.

147 Prob. secundò ratione, quæ ex his deducitur: Gradus universalis, v. g. animalitas in homine, non est à parte rei aliquid, seu aliquitas essentiæ, sed tota essentia hominis: ergo non distinguitur formaliter à quovis alio gradu. Patet conseq. si enim in re ab alio gradu essentiæ differt, non est ille gradus in re, & consequenter non tota essentia. Prob. antec. primò: Tota essentia individui in re est hoc corpus hac singulari animâ informatum; sed animalitas significat in re hoc corpus hac singulari animâ informatum: ergo significat totam essentiam. Prob. min. Animalitati in re respondet, & quod in re est virtus, seu principium radicale, & primum operationis sentiendi; sed tale est non aliquid, seu aliquitas animæ, sed materia totâ animâ informata: ergo. Prob. min. Anima in re extra simplex est, & omninò indivisa forma; sed talis non habet aliquid, nec potest secundùm aliquid perficere: ergo materia, ut perfecta à forma, significat in re totam formam.

148 Ad hanc rationem dicitur, quòd anima in re extra est simplex, & indivisa forma physicè, neque habet aliquid, & aliquid, tùne enim partes haberet; cum hoc tamen fiat, quòd habeat aliquitatem, seu formalitatem, hæc enim

non partem significat, sed rationē conceptibilem : tota ergo physicè, & entitativè corpus perficit, & totā physicè, & entitativè significat animam, non tamen totam metaphysicè, sed quatenùs talem virtutem habet, seu rationem conceptibilem; quare hæc alia est in ipsa anima, antequàm concipiatur, non quidem alia pars, aut aliquid animæ, sed alia ratio, & tota anima sub alia formalitate.

149 Sed contra: Contradictio est, Metaphysicam esse illam rationem, & actu in re dari; Metaphysicus enim ab omni materia abstrahit, quod autem in re est, prout in re est, á nulla abstrahit. Præterea: Virtus sentiendi, ut animalitati respondet in re, non est anima, ut intellectui comparatur, & ab eo habet accipi, sed ut comparatur subjectæ sibi materiæ, & eam perficit; sed materiam perficit, & ei comparatur, ut est in se physicé tota, & totaliter: etsi ergo possit intellectus accipere aliam, & aliam rationem, in re tamen animalitati respondet, non alia ratio, sed tota anima. Patet maj. quia animalitas significat in re principium sentiendi, prout in re elicit operationes sentiendi; elicit autem physicè totum ex materia, & forma. Patet item min. materiam enim non metaphysicé perficit, & secundùm aliquitates, sive rationes.

Præterea: Animalitas non significat in re formam, sive aliquitatem, aut rationem ejus, sed totum ex materia, & forma, nempe [illegible] est distinctio inter genus, & differentiam, quòd differentia ex parte rei significatæ importat gradum formæ contractivum, & determinativum, genus verò totum ex materia, & forma contrahibile, & terminabile : ergo generi respondet forma, ut ad materiam comparatur, & materiam perficit; materiam perficit physicè: non go animalitati respondet in re forma secundùm aliquitatem, sive rationem, sed tota physicè, & tantùm in intellectu illas rationes habet, seu gradus, quibus genus, & differentia distinguuntur.

150 Prob. secundò principale antec. seu ipsa Conclusio : Si animal à parte rei est aliquitas, seu formalitas ante opus intellectus distincta, non prædicatur *in quid* & substantivè de homine prædicatione dicente, hoc est hoc; sed debet prædicari : ergo non est animalitas ante opus intellectûs distincta. Patet min. quia genus prædicatur *in quid*, & substantivè specie prædicatione dicente, hoc est hoc. Ostenditur major, prima quia si est aliquitas ante opus intellectûs distincta, non homo, sed formalitas hominis est. Secunda Quod est aliud eo sensu, quo aliud, negatur de eo, á quo aliud; sed animal in re est aliud formalitèr ab homine: ergo homo non est formalitèr animal. Tertia Eo album non prædicatur *in quid* & substantivè de homine, quia

significat formam re ipsa
ilem ab eo, quod significat ho-
sed animal, si distinguitur ex
ura rei, re ipsa significat forma-
tem aliam ab eo, quod signifi-
homo: ergo sicut tantùm dici-
adjectivè, quòd homo est al-
nempè albedinem habens; ita
tur, quòd est animal tantũ ob-
ivè, nempè habens animalitatẽ.

Confirmatur, & explicatur: Si-
habet in sensu reali, quod
ter distinguitur, ita in sensu
quod distinguitur forma-
sed quia albedo realiter dis-
itur, & est realiter alia, in sen-
ali non prædicatur substanti-
per *est*, sed adjectivè, nem-
omo est habens albedinem: er-
in re animal distinguitur for-
iter, in sensu formali non præ-
tur substantivè, & per *est*, sed
im adjectivè, homo est ha-
animalitatem; sed non ita,
substantivè prædicatur in sen-
ormali, homo est animal: ergo
significata non distinguitur
nsu formali, homo est animal.

151 Ad hanc rationem res-
ndet Mastrius disp. 8. Metaph.
103. quòd illa prædicatio: *Ho-
est animal*, non solùm est vera
identitatem realem prædicati
subjecto, sed etiam in aliquo
su ob identitatem formalem,
mpè quatenùs animal includitur
conceptu hominis; uno enim
do sunt unum formaliter, quæ
m habent rationem concepti-
m; alio modo, quando ratio
unius includitur in ratione alte-
rius: hoc ergo secundo modo sunt
unum, & idem homo, & animal,
& in sensu formali homo est ani-
mal; cum quo stat, quòd in priori
sensu non sint idem formaliter.

152 Sed contra: Hæc solutio
non evacuat vim argumenti; quod
enim in altero includitur, ita ta-
men, quòd importat rationem ab
illo, in quo includitur, diversam,
non est illud, sed aliquid illius, si-
ve aliquitas in ipso inclusa: ergo
ex quo animal in conceptu homi-
nis includatur, tantùm sequitur,
quód sit ratio in eo contenta, &
possit dici, homo continet ani-
mal; si tamen ratio animalis ante
opus intellectûs ab homine distin-
guitur, non poterit dici, homo est
quidditativè animal. Prætereà:
Quia corpus includit caput, pote-
rit quidem dici, quòd corpus rea-
liter continet, includit, seu habet
caput, non autem, quòd est reali-
ter caput: ergo, si homo includit
quidem quidditativè, & formali-
ter animal, ita tamen, quòd ratio
quidditativa, & formalis unius alia
est à ratione alterius, poterit qui-
dem dici, quòd homo continet,
habet, aut includit formaliter, &
quidditativè animal, non autem,
quòd est formaliter animal.

Ulteriùs: Quòd animal includatur in conceptu formali homi-
nis, si tamen includitur ut quid ex
natura rei distinctum ante opus in-
tellectûs, non tollit, quin in ali-
quo vero sensu homo non sit for-

maliter, & quidditativè animal; sed in nullo potest id dici: ergo solutio non tenet. Ostenditur maj. Si enim animal ante opus intellectûs rationem importat distinctam, quantumvis inclusam, ea negatur eo sensu, quo distinguitur; quæ enim distinguuntur, eo sensu, quo distinguuntur, unum non est aliud: si ergo animal, etsi inclusum in homine, distinguitur formaliter ab homine, formaliter est aliud, & formaliter homo non est animal; sed in nullo vero sensu dici potest, quòd homo non est formaliter animal: ergo in nullo dici potest, quòd animal in re significata distinguitur formaliter ab homine; & consequenter sic includitur, quòd non distinguitur, adhùc formaliter. Ampliùs conclusio patebit instando fundamenta contraria.

§. III.

Expenduntur fundamenta Scotica.

153 ARguit primò Mastr. disp. 1. Logicę q. 5. art. 2. Multoties plures perfectiones in inferioribus dispersæ coadunantur per identitatem in aliquo superiori; sed eæ non possunt distingui realiter simpliciter, quia coadunantur per identitatem, nec solùm virtualiter, quia in tali continentur non virtute tantùm, sed in actu, & formaliter: ergo distinguuntur ex natura rei. Major probat: Vegetativum, & sensitivum ita continentur in homine quòd non dicunt duas formas distincùt in bruto, & planta, sed unam simplicem animam rationalem, aliunde non virtute tantùm, sed actu, & formaliter, quia in actu formaliter homo est vegetativus sensitivus: ergo.

154 Ita arguit n. 73. inmediatè tamen num. præced. docquòd calefactivum, & deficcativum in Sole non formaliter ex natura rei, sed virtualiter tantùm distinguuntur; ex quo sic instatio: Ita sunt in homine vegetativum, & sensitivum, ficut in Sole calefactivum, & deficcativum; sed ista in Sole non dicunt duas formalitates ante opus intellectûs, vnam formam, vi cujus intellectus movetur ad formandum duos conceptus: ergo. Prob. maj. Sicut homo vi formæ suæ habet in actu formaliter vegetare, & sentire, Sol vi formæ suæ habet calefacere & deficcare: ergo. Rursus: Sol influere in operationes vegetativas non dicit totam essentiam animæ, sed ulteriùs habet anima sentire & intelligere, ita influere in operationem calefaciendi non dicit totam essentiam formæ Solis, sed ulteriùs habet influere in operationem deficcandi: ergo qua ratione in Sole virtus influendi in operationem unam non dicit unam rationem conceptu adæquato conceptibilem, & propria definitio

...sibilem, eâdem virtus vege-
...di in anima.

155 Ad hanc rationem res-
...det Mastrius, quòd desiccati-
..., & calefactivum in Sole non
..., & formaliter continentur,
... virtualiter tantùm, nempè Sol
... est actu, & formaliter calidus,
... formam habet altioris ordinis,
... perfectione sua, & eminen-
... utrique æquivalet, & utriusq;
... operationes exequitur; quare
... primum præbet, ut intellectus
... conceptus formet; at verò
...tivum, & sensitivum forma-
..., & in actu continentur in ho-
...: illa ergo in Sole, quia tan-
... virtualiter continentur, tan-
... virtualiter distinguuntur; hæc
... in homine, quia actu, & for-
...ter continentur, actu, & for-
...ter distinguuntur.

156 Sed contra: Aliud est esse
...idum, aliud esse calefactivum;
... calidum est habere formam
...is, esse calefactivum est habe-
...rtutem influendi in calefactio-
...; sed licèt Sol non habeat for-
...m caloris, habet tamen forma-
..., & in actu virtutem influendi
...operationem: ergo non virtua-
..., sed formaliter, & in actu est
...factivus, & desiccativus. Præ-
... Sicut Sol non habet actu, &
...maliter formam elementarem
...is, sed aliam altiorem, quæ
...equivalet, & virtutem illius ha-
..., qua est principium operatio-
...calefaciendi, ita homo non ha-
... formam materialem, quæ in
planta est vegetativa, aut in bru-
to sensitiva, sed aliam altiorem,
quæ istis æquivalet, & earum ha-
bet virtutem, nempè animam ra-
tionalem: aut ergo homo est vir-
tualiter, & eminenter vegetativus,
& sensitivus, aut Sol non virtuali-
ter, sed formaliter est calefactivus,
& desiccativus: si itaque eodem
modo se habet in Sole calefacti-
vum, & desiccativum, & in homi-
ne vegetativum, & sensitivum, si-
cùt illa in Sole tantùm virtualiter
distinguuntur in re, ita ista in ho-
mine.

157 Directè ad argumentum
neg. min. quantum ad secundam
partem cum ratione subinducta.
Itaque vegetativum, & sensitivum
in homine sunt formaliter, & in
actu, nempè in re extra habet actu
homo virtutem, qua influit in ope-
rationes vegetandi, & sentiendi,
sicut habet Sol virtutem, qua in-
fluit in operationes desiccandi, &
calefaciendi; sicùt autem in Sole
illa virtus non est formalitas ali-
qua, sed ipsa forma Solis, quæ, eo
quòd in tales operationes influit,
fundamentum præbet, ut intelle-
ctus duos illos conceptus formet
calefactivi, & desiccativi, ita in
homine virtus sentiendi in re non
est formalitas, sed ipsa anima ra-
tionalis, quæ, eo quòd principium
est illarum operationum, funda-
mentum præbet, ut intellectus
duos conceptus formet vegetati-
vi & sensitivi.

158 Arguit secundò idem:

Quæ

Quæ differunt definitione adæquata, si ejusdem sint entitatis, differre debent ex natura rei; sed ita se habent genus, & differentia: ergo. Maj. patet, tùm, quia in eâdem entitate nequeunt realitèr simpliciter differre; tùm, quia definitio explicat esse formale, & quidditativum, quod definitum habet in re: ergo si diversa est definitio, diversum est tale esse formale, & quidditativum. Min. item patet, quia alia est definitio animalis, ac rationalis. Hoc argumentum iterùm urget in Metaphysica, estque frequens Scotistarum fundamentum. Sed paritèr instatur, si enim definiatur Sol in eo, quód est calefactivus, alia erit definitio, ac in eo, quòd est desiccativus; & ista quidem non erit adæquata Solis in se, erit tamen adæquata Solis in eo, quòd est calefactivus, sicùt principium sentiendi est adæquata definitio hominis in eo, quòd est sensitivus, non autem in eo, quòd est homo.

159 Instatur nihilominùs aliâ viâ: Docet ipse Mastrius in Met. disp. 2. q. 4. quòd conceptus entis communis creato, & increato non dicit formalitatem ex natura rei distinctam à conceptu talis entis, ex quo sic: Conceptus entis ut sic, & in communi ad creatum, & increatum definitione adæquata differt á conceptu talis entis; sed conceptus entis ut sic non importat formalitatem ex natura rei distinctam á conceptu talis entis: ergo ratio non tenet. Prob. Conceptus entis ut sic adæquate exprimitur per hoc, quòd est, *competit realitèr esse*; sed hæc definitio non explicat conceptum entis, & ratio talis aliâ definitione explicatur: ergo.

160 Ad hanc rationem respondet primò Mastrius disp. Metaph. n. 214. Fundamentum debere intelligi de definitione adæquata, quæ tradatur per genus & differentiam, non autem de definitione inadæquata, quæ non per genus, & differentiam, sed per conceptus inadæquatos traditur; ut autem animal, & rationale differunt definitione adæquata, quia unumquodque per genus, & differentiam definitur; at verò ens non differt definitione adæquata, quia non per genus, & differentiam, sed per conceptus inadæquatos exprimitur.

161 Sed contra, primò: creatum ad substantiam, & accidens importat formalitatem entitatem rei diversam, ut ibidem habet Mastrius; at nulla est major ratio, ut definitio entis ut sic sit per conceptus inadæquatos, quàm ut definitio entis creati: ergo aut utraque est, aut nulla. Contra, secundò: Ens creatum ab substantia & accidens importat formalitatem ex natura rei distinctam; sed formalitas habet definiri definitione adæquata, & per genus, & differentiam: ergo ita definitur ens creatum. Tùnc autem: Genus,

rentia differunt ex natura rei; enim, ut exemplo res patèat, concipias in Deo rationem entis, non conceptus entis creati, siqui- poteris perfectè, & adæquatè con- est formalitas, importat ge- cipere, quin concipias Divinita- & differentiam: ergo concep- tem; quare iste gradus dicitur entis ut sic, & in communi ad transcendens, & non importat for- increatum, & increatum, erit genus malitatem ex natura rei diversam; creati, & sic formalitas.

161 Contra, tertiò: Stante at verò rationem animalis perfe- trina solutionis, sequitur pro- ctè concipis in homine concipien- in infinitum; sed iste repug- do perfectionem, quæ est virtus per se ordinatis: ergo ruit sentiendi, in quo conceptu nihil tio. Prob. seq. maj. Intendit attingitur de rationalitate; quare quòd est formalitas ex na- iste, non ille, significat formalita- differens, quòd habet pro- tem ex natura rei distinctam. definitionem per genus, & entiam: ergo *animal* v.g. for- 164 Sed contra: Sicut sensiti- as est, quia propriam talem vum in homine dicit virtutem eli- itionem habet: tùnc autem: citivam operationis sentiendi, ul- in definitione animalis, pu- tra quam habet homo virtutem eli- *principium*, quia propriè ge- citivam operationis discurrendi, est, vera est formalitas: ergo aut etiam vegetandi; ita calefacti- iam definitionem habet per vum in Sole dicit principium, sive s, & differentiam; & hoc ge- virtutem elicitivam operationis cùm item sit formalitas, item calefaciendi, ultra quam habet Sol propriam definitionem per virtutem eliciendi alias operatio- s, & differentiam, de quo nes; sed calefactivum in Sole non dicendum, & itur in infini- est conceptus, cui correspondeat ; sed genus habet per se ordi- in re perfectio aliqua, sed est con- ad differentiam, qua contra- ceptus inadæquatus, cui corres- : ergo sequitur processus in pondet in re tota essentia inad- tum in per se ordinatis. æquatè concepta: ergo paritèr sen- 163 Respondet secundò idem sitivum in homine. Patet consequ- rius ad eandem principalem sicut enim in Sole virtus calefa- tiam eâdem disp. 6. n. 162. ciendi est in re ipsa ejus forma, ita tionem formalitatis requiri, in homine virtus sentiendi. d conceptus, quo significatur malitas, importet perfectionem Præterea: Conceptus entis sig- ipsa repertam per identita- nificat essentiam ut sic, & prout si- realem, quę sit adæquato con- bi competit esse; conceptus verò cepta expressibilis sine alia; si talis entis significat essentiam ta- lem, prout sibi competit tale esse; sed qua ratione essentia ut sic non signi-

significat in Deo perfectionem aliquam, sed ipsam Deitatem inadæquatè conceptam, eâdem in substantia non significat perfectionem in substantia repertam, sed ipsam substantiam inadæquatè conceptam: ergo qua ratione in Deo non est formalitas, eâdem non est in substantia. Patet min. sicut enim in Deo ante opus intellectûs nostri illud idem, quo est essentia, & habet esse, est talis essentia, & habet tale esse; ita in substantia illud idem, quo in re est essentia, est talis essentia.

165 Dices: Æquè in substantia, atque in Deo conceptus essentiæ non est formalitas alia à conceptu talis essentiæ; conceptus enim entis communis Deo, & creaturis transcendens est, & non importat formalitatem sive in Deo, sive in creatura; conceptus verò talis entis in creatura, nempè entis finiti, & creati importat formalitatem ex natura rei aliam à differentia substantiæ ab accidenti, & tale ens non est transcendens, sed verum genus ad substantiam, & accidens. Sed tùnc, ut suprà arguebatur, ens, quod est genus, si perfectionem dicit proprio adæquato conceptu conceptibilem, & propria definitione definibilem, genus habet supra se, & tale erit ens commune Deo, & creaturis. Ulteriùs: Nulla est major ratio, quare substantia in re eodem, quo est ens, & habet esse, sit tale ens, & habeat tale esse, nempè finitum, & ab alio, & non eodem, quo habet exigere tale esse finitum, & ab alio habeat exigere per se, aut in alio ergo sicùt primum non est formalitas, ita neque secundum.

166 Resp. tertiò ad eamdem instantiam principalem Pontius in Metaph. disp. 71. q. 2. num. 2. Quòd non ex quacumque definitione licet colligere formalitatem ex natura rei distinctam, sed ex eâ tantùm, quæ datur de re secundùm se, non autem, quæ datur de re per ordinem ad aliquam operationem, seu ad res alias: sic definitio, quæ daretur de virtute calefactiva Solis, non esset de ipsa virtute secundùm se, sed ut respicit operationem calefaciendi; quare talis definitio non explicat formalitatem, sed totam Solis naturam per ordinem ad illam operationem. Sed contra: Definitio, quæ traditur de animali, non explicat animalitatem secundùm se, sed ut respicit operationem sentiendi: ergo pariter non explicat formalitatem, sed totam hominis naturam in ordine ad illam operationem.

167 Resp. quartò idem num. 5. explicando præcedentem solutionem suam: Quòd definitio, quæ datur de formalitate, tùnc intelligitur esse de illa secundùm se, non ex ordine ad operationem, quando talis definitio potest competere alicui, cui non competit definitio, quæ de altero conceptu ejusdem entitatis datur: v. g. definitio, quæ datur de animali, potest competere

competere bruto, cui non compe-
definitio, quæ datur de ratio-
calitate. Sed contra: Definitio,
datur de virtute calefactiva
ibili, convenit cuicumque calefa-
tivo, in eo quòd tale, & quæ da-
de virtute desiccativa, cuicum-
desiccativo; sed neque defic-
tivo, ut tale est, convenit defi-
calefactivi, neque ê contra:
go.

Præterea: Definitio entis ut
, nisi commune Deo, & crea-
convenit rei creatæ; talis
definitio tantùm explicat,
sibi competit esse, non au-
tale, vel tale; sed definitio,
datur de Deo, ut est tale ens,
uræ non competit: ergo defi-
entis, ut est commune Deo,
caturis, datur de eo secundùm
explicat formalitatem ex na-
rei distinctam, quod tamen
Scotistæ. Vlteriùs: Defini-
quę datur de simplici formali-
, in eo quòd est formalitas,
unque formalitati convenit;
definitio, quę de eâdem datur,
talis formalitas, non conve-
lteri: ergo definitio ejus, ut
rmalitas, explicat formalita-
ex natura rei distinctam à se
, ut est talis formalitas; quod
dendum; tùnc enim formali-
simplex non esset formalitas
lex, sed composita ex duplici.

168 Directè ergo ad principa-
gumentum respondetur neg.
ad prob. ejus dicitur, quòd
itio explicat id, quod est in re, non tamen, pròut est in re, sed prout repræsentatur in conceptu definientis, res enim definiuntur mediâ conceptione; jam autem conceptus definientis aliquando accipit rem secundùm esse, quod habet physicè, & in re, & tùnc definit physicè, compositum nempè per subjectum, & formam, formam verò per ordinem ad subjectum; aliquando verò accipit metaphysicè, & secundùm esse, quod habet in intellectu; & tùnc definit metaphysicè per genus, & differentiam: ex diversa ergo definitione ut sic, & per se non sequitur diversitas rei definitæ in re extra, sed tantùm in conceptu intellectûs; sufficit enim, quòd intellectus de re duos formet conceptus, ut duas formet definitiones.

169 Hanc solutionem instat Mastrius disp. 1. Log. n. 77. Quia definitio exprimit naturam rei, prout est, non prout concipitur, & diversimodè definiuntur, quia diversas habent quidditates, non quia diversimodè concipiuntur; imò eo diversimodè concipit intellectus, quia diversa est quidditas, quam concipit, alioquì falsò conciperet: non ergo esse, quod res accipit per apprehensionem, sed quod in se ipsa habebat, quodque apprehensioni objicitur, explicat definitio; sicùt, licèt hæc propositio: *Sol est lucidus*, non nisi intellectu fiat, non tamen exprimit esse, quod Sol habet in conceptu nostro, sed luciditatem,

quam habet á parte rei.

Verum quidem est, subjungit, quòd non quæcumque pluralitas definitionum arguit distinctionem formalitatum, sed quæ exprimit adæquatè totum id, quod in re est exprimendum, & sic possunt exprimi omnes formalitates, quæ actu plurificatæ reperiuntur in eâdem entitate, ut intellectus, & voluntas in anima, animal, & rationale in homine; formalitates verò, quæ solùm virtute in aliqua re continentur ob sui eminentiam, non possunt exprimi nisi inadæquatè, quia illis in re nulla respondet perfectio adæquatè explicabilis, sed tota entitas, quæ inadæquatè concipitur; quare hujusmodi definitiones, quæ solùm per conceptus inadæquatos traduntur, solùm inferunt distinctionem in intellectu cum fundamento in re.

170 Sed in primis ad id, quod assumit, non quidem ipsa apprehensio, aut esse, quod res per apprehensionem accipit, definitur, sed res ipsa, & esse, quod in re habet, non tamen prout in re est, sed quando definitur physicè, definitur esse, quod est in re secundùm modum, quem in re habet, nempè physicè; quando autem definitur metaphysicè, definitur quidem res secundùm esse, quod in re habet, & apprehensioni objicitur, non tamen prout in re est, sed prout apprehensioni objicitur, & secundùm modum, quem in ipsa apprehensione habet; quare non semper diversitas definitionis arguit distinctionem illius, quod est in re, ut est in re, sed aliquando tantùm prout est in apprehensione.

Deinde, ad id, quod subjungit, hoc opus, hic labor est: nempè definitio animalis explicat formalitatem, & perfectionem quæ actu alia est in homine à parte rei á perfectione, & formalitate quam explicat definitio rationis. Patet enim, quòd definitio, quæ daretur de calefactivo, puta, principium calefaciendi, explicat adæquatè totum id, quod pertinet ad conceptum calefactivi, quæ illi adæquata est; & tamen calefactivum in Sole non dicit perfectionem, & formalitatem ex natura rei distinctam, sed ipsam formam Solis inadæquatè conceptam: ergo pariter definitio animalis, puta, principium sentiendi, explicat quidem totum id, quod pertinet ad conceptum sensitivi, & illi adæquata; non tamen proinde homine significat perfectionem, & formalitatem, sed ipsam hominis formam inadæquatè conceptam, & sic talis definitio solùm arguit distinctionem rationis cum fundamento in re.

171 Arguit tertiò idem Metrius ibidem: Contradictio infert distinctionem talem, qualis inter eas est, ut, si est contradictio rationis, distinctionem rationis; si contradictio entitativa, distinctionem entitativam; sed inter ani-

tionale versatur contradictio
malis: ergo distinguuntur for-
. Major nota est, siquidem
alem secundùm idem non ve-
ur contradictio. Min. item
, quia homo à parte rei per
alitatem convenit cum bru-
per rationalitatem non conve-

172 Hoc argumentum eodem
instatur, ac duo præceden-
alteriùs autem sic: Contradi-
non infert distinctionem; sed sim-
atoma formalitas habet à
rei verificare contradictio-
formalem: ergo simplex, &
formalitas distinctionem
ex natura rei, & sic simplex,
oma formalitas non est sim-
, & atoma. Probatur mi-
per eamdem rationem argu-
: Simplex, & atoma forma-
habet à parte rei, quòd sit
alitas, & quòd sit hæc talis
alitas; sed per hoc, quòd est
alitas, convenit cum quavis
, per hoc, quòd est talis for-
alitas, non convenit: ergo.

173 Dices: Id, quo est forma-
, non est aliquid, seu aliqui-
jus, sed tota sua quidditate
formalitas, & talis formalitas.
ntra, primò: In eo, quòd est
alitas, diversam definitionem
adæquatam, & propriè ta-
; definiunt enim ipsi Scotistæ
ionem formalitatis definitione
ibus convenientem: deinde con-
in eo, quòd est formalitas,
convenit in eo, quòd est talis:
deinde ratio formalitatis genus est
ad omnes formalitates, ratio talis
differentia est uniuscujusque; sed
per hæc argumenta probant Sco-
tistæ distinctionem formalem: er-
go siquidem à parte rei est forma-
litas, & talis formalitas, in re ha-
bet distinctionem ex natura rei, &
rationem, sive aliquitatem, qua est
formalitas, & qua est hæc talis for-
malitas. Contra, secundò: Sine di-
stinctione ex natura rei habet ato-
ma formalitas convenire, & non
convenire cum alia formalitate:
ergo sine distinctione ex natura rei
habet homo convenire, & non
convenire cum bruto.

174 Resp. Mastrius: Quòd
contradictio formalis est duplex,
alia actualiter, & formaliter vera
citra opus intellectûs, & hæc con-
tradictio arguit distinctionem for-
malem; alia est contradictio, quæ
non est vera ante opus intellectûs
actualiter, sed tantùm virtualiter,
& hæc non arguit distinctionem
formalem, sed tantùm virtualem,
v. g. contradictio, qua diceretur
de Sole esse, & non esse principium
calefactionis, aut deficcationis,
hæc à parte rei est vera tantùm vir-
tualiter, quatenùs nempè una vir-
tus, quæ est forma Solis, est prin-
cipium utriusque operationis, &
utrique virtuti æquivalet; quare
motivum præbet, ut intellectus se-
cundùm quod accipit in ordine ad
unam, non accipiat in ordine ad
alteram; at verò contradictio, qua
de homine dicitur, quòd conve-

nit, & non convenit cum bruto, à parte rei est vera actu, quia à parte rei habet homo actu id, quo convenit, & id, quo non convenit, nempè animalitatem, & rationalitatem.

175 Contra, primò: A parte rei habet Sol id, quo est principium operationis calefaciendi, & operationis desiccandi formaliter, & in actu, non minùs, quàm homo formaliter, & in actu habet id, quo est principium sentiendi, & discurrendi; sed in Sole non est à parte rei illa virtus duplex ratio, aut formalitas, quæ sufficiat verificare in actu contradictionem, sed eadem forma ejus, quæ duplici æquivalet, & utriusque operationis principium est: ergo pariter in homine.

176 Contra, secundò: Quia homo à parte rei habet formaliter, & in actu, quòd est animal, & quòd est tale animal, nempè rationale; à parte rei non solùm virtualiter, sed formalitér, & in actu verificatur contradictio, quòd nempè convenit, & non convenit; sed atoma formalitas habet á parte rei formaliter, & in actu, quòd est formalitas, & quòd est hæc talis formalitas: ergo non solùm virtualiter, sed formaliter, & in actu verificatur contradictio; & sic tenet inconveniens intentum, quòd atoma formalitas non est in re atoma. Patet minor; si enim non est in re actu formalitas, intellectus facit, quòd sit actu formalitas, & consequenter, quòd distinguatur formaliter.

177 Quòd si dicas, quòd parte rei est in actu formalitas, hæc formalitas; sed sicut non alia est formalitas, & hæc formalitas ita non alio convenit, & non convenit. Contra: Sicut formalitas atoma á parte rei est actu formalitas, & hæc formalitas, convenit & non convenit cum alia; ita homo á parte rei est formaliter, & actu animal, & rationale, convenit, & non convenit cum bruto; sed atoma formalitas sine distinctione ex natura rei convenit, & non convenit: ergo & homo.

178 Directè resp. ad argum. conc. maj. neg. min. ad prob. ejus pariter neg. assumptum, quia animalitas hominis à parte rei est anima rationalis, ea nempè est in homine principium influens in operationem sentiendi; sed anima rationalis se totâ differt à bruto: ergo animalitas hominis, ut à parte rei, convenit cum bruto, sed motivum præbet, ut intellectus abstrahens concipiat rationem conveniendi. Itaque homo à parte rei est formalitér, & in actu animal, & rationale, sed non alio à parte rei, ipsa nempè anima rationalis est à parte rei se tota principium elicitivum operationis sentiendi, ac discurrendi; sicut forma Solis est à parte rei se tota principium operationis calefaciendi, ac desiccandi, & atoma formalitas est in re se tota formalitas, & hæc forma

formalitas.

179 Arguit quartò idem disp. 3. Log. n. 126. Gradus genericus ex parte rei ratio conveniendi, non autem differentialis: rursus: Gradus genericus, ut magis communis, præcedit differentialem ex natura rei, & per ipsum contrahitur insuper: Gradus genericus ex natura rei perfectibilis est per differentialem, non è converso; sed hæc omnia salvari nequeunt sine distinctione ex natura rei: ergo. Probmin. Si hæc salvantur sine distinctione ex natura rei, tantùm salvantur secundùm præcisionem, & distinctionem ipsius intellectûs; hinc hæc munera possent pro libito ipsius intellectûs cuique formalitati tribui, quod est absurdum: ergo non per distinctionem formalis, sed ex natura rei conveniunt, & per distinctionem in ipsa.

180 Hoc argumentum eamdem continet difficultatem, ac præcedens, & eisdem patet instantiis: pariter enim conceptus formalitatis ut sic, & conceptus entis à Deo communis est, & præcedit conceptum talis entis, sive talis formalitatis; est ratio conveniendi contrahitur, & perficitur per alterum conceptum, & quidem ex natura rei; non enim intellectus posset pro libito aliter ordinare; hæc omnia sine distinctione ex natura rei per solam virtualem saltem: ergo. Directè neg. maj. & gradus genericus à parte rei est ipsa forma physica individui, quæ se tota tribuit tale perfectum esse, quod est virtus elicitiva omnium operationum; quare fundamentum præbet, ut intellectus conceptus multiplicet, quibus illa conveniunt: supponit ergo argumentum, quod probandum erat, nempè quòd gradus genericus est in re actu formalitas, cui illa conveniunt.

181 Arguit quintò idem: Inter gradus universales datur compositio metaphysica talis, quæ Deo repugnat; sed ista arguit distinctionem ex natura rei: ergo. Prob. min. Compositio arguit distinctionem, cùm sit distinctorum unio; ergo compositio, quæ Deo repugnat, arguit distinctionem Deo repugnantem; sed Deo non repugnat distinctio virtualis: ergo compositio metaphysica majorem distinctionem arguit, quàm virtualem. Confirm. Ad salvandam compositionem metaphysicam in creatura non sufficit, quòd habeat fundamentum, ut intellectus formet duos conceptus, tale enim fundamentum Deus habet: ergo requiritur distinctio in re ipsa. Ulteriùs: Si compositio ex genere, & differentia tantùm est in intellectu, species à parte rei æquè simplex est, ac Deus; hoc est absurdum: ergo.

182 Hoc argumentum paritèr instatur in eo ipso, quod assumit. In Deo enim non datur compositio metaphysica: ergo neque distinctio ex natura rei, quam tamen Deus

Scotistæ ponunt. Patet assumptum: Sicut enim compositio arguit distinctionem, & major compositio majorem distinctionem, ita negatio compositionis negationem distinctionis, si enim affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis; sed in Deo negatur compositio, quæ ponitur in creatura: ergo negari debet distinctio ex natura rei, quæ in creatura ponitur. Eodem modo instatur utraque confirmatio. Quòd si dicatur ad instantiam, quòd in Deo minor est distinctio, quàm in creatura, utrobiquè tamen ex natura rei, quia hæc latitudinem patitur.

In primis hæc solutio, quam nos ad argumentum dabimus, quòd nempè in Deo, & creatura datur distinctio virtualis, & secundùm rationem; quæ tamen inter attributa Divina minor est, inter prædicata universalia major. Deinde: Illâ solutione non poterit uti Scotista consequenter ad argumentum: Si enim compositio est distinctorum unio, & ideo compositio arguit distinctionem, nulla compositio nullam arguit distinctionem; sed in Deo nulla est compositio metaphysica, & ex natura rei: ergo nulla distinctio.

183 Resp. Mastrius disp. 8. Metaph. n. 187. sub finem: Quòd in Deo distinctio est sine compositione, in creatura autem nequit esse compositio sine distinctione; quia in creatura realitates generis, & differentiæ licèt sint idem realiter, hæc tamen identitas non est summa, & perfecta, sed est reduplicans, & ex unione earum in tertio; cujus signum est, quòd, si abstrahantur ab illo tertio, non sunt idem realiter; at verò identitas essentiæ cum attributis est summa & perfecta: in creatura ergo illa distinctio arguit compositionem, quia realitates illæ in propria ratione habent, quòd una sit potentialis ad aliam; in Deo autem ob infinitatem transcendentem essentiam, & attributa non potest illa potentialitas reperiri, & sic neque compositio.

184 Sed contra, primò: Solutio destruit argumentum; non enim jam compositio arguit distinctionem, si distinctio non arguit compositionem: eo enim compositio distinctionem arguit, quia est distinctorum unio; sed in Deo attributa non divisa, & separata sunt, sed unita: si ergo distincta sunt, ibi est distinctorum unio: ergo aut ibi non est distinctio, aut compositio non arguit distinctionem, sicut neque distinctio compositionem. Secundò: Talis, tanta est simplicitas, qualem, quantam excludit distinctionem: ergo aut in Deo non est summa & omnimoda simplicitas, & sic aliqua compositio; aut in Deo datur illa distinctio ex natura rei & ante opus intellectûs.

Præterea: Eo realitates generis, & differentiæ non habent summam identitatem, quia, si abstra-

...tur à tertio, in quo sunt idem, ...liter distinguuntur, ut animali... & rationalitas, si abstrahantur ...nima, in qua sunt unum, dis... ...guuntur realiter, quoniam ani...alitas est in bruto, rationalitas ...in Angelo; sed pariter intelle... & vita, si abstrahantur à Deo, ...linguuntur realiter, vita enim ...multis reperitur, in quibus non ...nitur intellectus: ergo. Insu... ...lo animal, & rationale fa... ...mpositionem, quia distin... ...ur ex natura rei, & altero ex ...ratione potentiale est, & ...ctibile; sed Essentia Divina ...habet distinctionem ex natura ...attributis, & insuper ratio... ...perfectibilis: ergo facit com... ...ionem. Majorem habet Mas..., tùm in hac solutione, tùm ...5. Log. n. 130. Min. patet; ...ia enim, quo sensu ab attri... ...differt, eo illis perficitur, & ...buta considerantur ut perfe... ...es ipsius essentiæ.

185 Directè neg.min. ad prob. ...neg. ultima conseq. compo... ...enim Deo repugnans arguit ...inctionem Deo repugnantem, ...non proinde ex natura rei, sed ...malem majorem, sive excluden... ...ò excluso. Itaque distinctio ...alis in creatura fundat com... ...ionem metaphysicam, nempè ...os conceptus, quorum unus ...includitur in altero: distin... ...verò virtualis in Deo non fun... ...compositionem metaphysi..., quia conceptus, quos multiplicat intellectus noster, objectivè non distinguuntur, sed tantùm penes implicitum, & explicitum; objectivè enim conceptus Essentiæ Divinæ omnem Divinam perfectionem implicat, licèt non explicet; & similiter conceptus cujuslibet Divinæ perfectionis ipsam essentiam, & reliqua attributa, quælibet enim perfectio Dei Deus ipse est.

Hinc patet ad utramque confirmationem. Ad primam disting. antec. Non sufficit, quòd habeat fundamentum, ut intellectus formet duos conceptus, duos utcumque, conc. antec. duos objectivè distinctos, & se mutuò excludentes, neg. antec. & rationem ejus; ad hoc enim non est fundamentum in Deo, sed tantùm ad conceptus distinctione minori, & penes implicitum, & explicitum distinctos. Ad secundam neg. maj. tùm, quia species à parte rei compositionem habet physicam ex materia, & forma; tùm deinde, quia species à parte rei virtualiter, & in potentia compositionem habet metaphysicam, quam non habet Deus, nempè fundamentum præbet, ut intellectus majorem distinctionem formet, videlicèt objectivam, & perfectionum se invicem excludentium.

186 Arguit sextò idem disp. 6. Metaph. num. 218. Distinctio, quæ ab intellectu intuitivè cognoscitur, est ex natura rei; sed distinctio inter animal, & rationale

cognoscitur intuitivè ab aliquo intellectu: ergo. Patet maj. quia cognitio intuitiva terminatur ad rem, ut est in se ipsa. Min. prob. Deus cognoscit distinctionem, quę est inter animal, & rationale; sed Deus non cognoscit aliquid abstractivè, aut inadæquatè, sed tantùm intuitivè: ergo. Ostenditur maj. Deus cognoscens convenientiam, & differentiam inter hominem, & brutum, non cognoscit totâ essentiâ suâ differre, aut totâ essentiâ suâ convenire; sed hoc ipso cognoscit, hominem á parte rei in aliquo convenire, & in aliquo differre à bruto: ergo. Patet major, tùm, quia falsò cognosceret; homo enim non totâ essentiâ suâ convenit; tùm deinde, quia, si cognosceret, totâ essentiâ suâ convenire hominem cum bruto, tùnc homo in essentia sua non esset rationalis, sicut non est brutum; si autem cognosceret totâ essentiâ suâ differre, tùnc homo non esset animal. Min. cum conseq. item patet, quia cognoscit, quód aliquid habet homo in se ipso, quo convenit, & aliquid, quo differt; quare cognoscit aliquid, & aliquid.

Paritèr per omnes rationes suprá factas instatur: Deus cognoscens intuitivè convenientiam, & differentiam, quam habet in re formalitas atoma cum quavis alia, cognoscet intuitivè distinctionem, quæ est inter conceptum formalitatis, & conceptum talis formalitatis: rursus: Si formalitas atoma se totâ differt ab alia, non erit formalitas, alia enim habet in quòd sit formalitas; similitèr, si totâ convenit, non erit hæc talis; alia enim non est hæc talis; & eodem modo aliæ instantiæ poterunt applicari.

187 Directè neg. maj. intuitivé enim cognoscit Deus in conceptibus nostris distinctionem quam noster intellectus format. Ad rationem argumenti neg. suppositum, quòd in re extra habeat homo, quo actu, & formaliter conveniat cum bruto: Deus ergo intuitivè videns hominem, ut est in re extra, videt hoc corpus hác animâ informatum, quod se toto à bruto differt, & à quolibet etiam alio homine, & tantùm ibi videt fundamentum, quod noster intellectus habet, ut concipiat rationem conveniendi, & differendi, sicut ipse Scotista dicere tenetur calefactivo, & desiccativo in suo de conceptu formalitatis, & ut formalitatis in simplici formalitate; Deus enim videt entitatem solis se totâ calefacientem, & de cautem, quæ proinde fundamentum nobis præbet ad formandos duos conceptus, non tamen videt in re duas virtutes, aut aliquo calefacit, & aliquid, quo desiccat.

188 Arguit septimò idem doct. 8. Metaph. n. 188. Inter quæ reperitur ordo ex natura rei, inter ea reperitur similis distinctio; sed inter gradus metaphysicos reperi-

talis ordo: ergo. Prob. minor: talis entis, puta, finiti, non distinguuntur ex natura rei, de quocumque prædicatur ens, prædicatur tale ens; sed hoc est falsum, per eamdem rationem suam, nempè de Deo prædicatur ens, non autem finitum: ergo distinguuntur ex natura rei, quod tamen ipse negat. Directè respondet Arriaga: De equo prædicari animal, non tamen animal, quod est in homine, sed aliud, quod est in equo; ex quo sequitur, non quòd animal hominis distinguatur à parte rei à rationali, sed tantùm, quòd distinguatur ab animali, quod est in equo.

192 Sed quamquàm argumentum illud putet Mastrius inefficax ad probandam distinctionem ex natura rei, subjungit tamen hanc solutionem non satisfacere; si enim vera esset, tùnc animal non esset ratio communis homini, & equo: fatetur ergo argumentum instari in gradibus transcendentibus, subindeque esse insufficiens ad probandam distinctionem ex naturæ rei; esse tamen, ait, sufficiens ad probandam unitatem.

193 Sed hæc non benè cohærent: Animal enim, quod est à parte rei in homine, debere, ait, de equo prædicari, quia alioqui non esset ratio communis: ergo ex illa prædicatione non solùm unitatem, sed communitatem etiam à parte rei debet inferre; sed communitatem ipse negat cum communi Scotistarum: ergo ratio, qua solutionem rejicit, non tenet: rursus;

Communitate m ex illa ratione ipse deduci supponit : ergo non solam probat unitatem. Quòd si dicat, de communitate se loqui negativa, quam ponit in re sententia Scoti,

Contra : Communitas negativa nihil est apud Scotistas nisi indifferentia, & passiva non repugnantia ; sed hæc, sicut non sufficit ad universalitatem, ita neque ad prædicabilitatem: aut ergo animal, quod est in homine, habet in re positivam communitatem, & universalitatem, quod ipse negat; aut animal, quod est in homine, non est positivè, ut est in re, prædicabile de equo, & sic tenet solutio Arriagæ, quòd de equo non prædicatur animal, quod in re est in homine.

194 Directè ad argumentum neg. maj. ad probat. ejus dicitur, quòd de quocumque prædicatur definitio, prædicatur definitum, sed non eo præcisè, quia non distinguuntur ex natura rei, sed quia in intellectu tantùm distinguuntur penes conceptus explicitos. Itaque nihil prædicatur, nisi quatenùs concipitur : sufficit ergo distinctio in ipso conceptu, ut quod prædicatur de uno, non prædicetur de altero ; sive ê contra, de quo prædicatur unum, non prædicetur alterum.

195 Arguit nonò n. 199. Natura secundùm se, id est, secundùm sua prædicata essentialia nec est singularis, nec universalis : ergo secundùm se distinguitur tura rei à singularitate. Ha tionem optimam esse, ait, & validam, quam tamen disp. remittit latiùs prosequendam, specialitèr probat de distinct à singularitate. Sed in primis, amplius habeat de singulari quàm de aliis gradibus, ego videò : quo enim sensu essentia cundùm se non est universalis, singularis, eodem animal sec dùm se non est rationale, aut tionale. Deinde : quid habeat liditatis præ reliquis, omninò apparet: sicùt enim essentia secundùm se non est universalis, aut singularis, ita ratio entis secundùm se non est finita, aut infinita; simi litèr ratio formalitatis ut sic est hæc, aut illa ; sed neque entis à ratione finiti, aut infi neque ratio formalitatis à ra talis distinguitur ex natura go id non sequitur ex illo a dente.

196 Directé neg. conseq. enim in re extra est essentia se dùm se, sed tantùm in conce intellectûs nostri, quare ibi tan distinguitur ; jam enim patu præcedent. quòd extra intellec tantùm est natura aut extra c sas, aut in causa sua ; extra c singularis est, in causa autem est essentia causæ, & solùm c ctivè, & per intellectum di tur.

197 Arguit tandem ex alic bus Philosophi locis, & prin

dit Phil. 7. Metaph. cap. 10. ubi ait: *Sicut se habet de ad totam rem, ita partes de is à parte rei*: ergo inter definitionis versatur alia distinctio proportionalitèr ad quæ versatur inter partes rei. ubo adducit 5. Metaph. cap. 11. ubi negat dari processum infinitum in prædicatis essentialibus; at si tantùm ratione distinguentur, non repugnaret datum infinitum: ergo majori ratione distinguuntur, quàm dicunt. Patet min. quia in actu intellectûs non repugnat ille processus. Cætera loca mitto; tùm fortè Typorum incuriâ, loco textu Philosophi non repetitum, quia fatetur ipse, omnia ista posse de distinctione ratiocinante.

Resp. ad primum, admissum jacet, & sonat tùm literâ tùm consequentiâ inde deducta nihil enim ea continet contrarium. Itaque partes definitionis quæ proportionalitèr ad partes rei est, quòd partes definitionis physicæ distinguantur, sicùt distinguuntur partes physicæ rei; quæ verò definitionis metaphysicæ distinguantur, sicùt distinguuntur partes metaphysicæ; jam enim res extra est in actu physico habet partes physicas; actu autem verò, & partes metaphysicas habet tantùm in intellectu, quatenùs abstrahitur à modo essendi physicè; quare ibi tantùm distinguuntur.

Ad secundum, toto illo cap. non habetur propositio assumpta; quia tamen illa est communis animi conceptio, quæ secluſa cujuslibet authoritate, ab omnibus admittitur, eâ concessa, disting. min. Si distinguerentur sola ratione ratiocinante, & sine fundamento in re, conc. si distinguerentur cum fundamento in re, neg. min. Itaque sine fundamento potest intellectus conceptus multiplicare in infinitum; ad hoc autem nullum est in re fundamentum: quia ergo distinctio inter prædicata quiddi tatis est cum fundamento in re, licèt ea sit rationis, non sequitur processus in infinitum.

§. IV.

Inter gradus metaphysicos à parte rei non datur distinctio intentionalis.

199 HAnc Conclusionem habet B. D. in disputatis de esse, & essentia q. 9. §. *Secunda etiam distinctio*, ubi sub nomine distinctionis intentionum illam rejicit, & explicat mentem Commentatoris, ex quo illa distinctio videtur sibi originem desumpsisse. Vlteriùs, loco sup. adducto 1. Sent. post verba relata ita prosequitur: *Nam hujusmodi materialia, quæ propriè definiuntur, sunt potentiâ intelligibilia, & intellectus facit ea intelligibilia in*

actu, & ideo in 8. Metaph. idem Commentator ponens differentiam inter genus, & materiam, ait, quòd materia est pars in actu, hoc est, secundùm rem, & ideo non prædicatur, sed genus est pars in potentia, id est, secundùm rationem, & ideo prædicatur.

200 Ex quibus sic deducitur ratio: In tantum animal, & rationale distinguuntur in esse intentionali, in quantum à parte rei habent intelligibilitates formalitér, & in actu diversas; sed tales non habent: ergo. Prob. min. Animal, & rationale in tantum habent intelligibilitates diversas, in quantum habent esse intelligibile; sed á parte rei non habent formalitér, & in actu esse intelligibile: ergo. Major patet, distinctio enim est passio entis, & in tantum distinctum est, in quantum est, seu habet esse. Prob. min. Quod est in re, prout est in re, est in actu sensibile; sed quod est in actu sensibile, prout tale, non in actu, sed potentiâ tantùm est intelligibile: ergo, prout est in re potentiâ tantùm, est intelligibile.

201 Ad hanc rationem duobus modis respondetur: primò respondet Dionys. in Log. lib. 3. dist. 6. q. 3. art. 4. n. 87. A parte rei in objectis externis, prout physicè existunt, nullam dari distinctionem inter formalitates, etiam fundamentalem, quia talis distinctio solùm est inter res, quæ movent ad diversas cognitiones; sed à parte rei non datur formali[tas] quæ moveat, identificata cum non movente; tùm, quia [ad] rei admitteret contradicto[rium] tùm, quia res, ut sunt à parte non possunt movere, eo quòd sunt proximè intelligibiles. H[oc] usque verba sunt ejus: sensus e[st] est, quòd in re extra ante [...] opus intellectûs nulla datur di[stin]ctio inter animal, & rationale; [di]stinguuntur autem in esse intenti[o]nali, & plusquám ratione; quan[ti]nùs pro priori ad cognitionem, [et] lumine intellectûs agentis abstra[cto] hitur species repræsentativa animal[is] que, & in ea habent esse formali[ter] tèr intelligibile, & distinctionem formalem in esse intelligibili.

202 Sed hæc solutio quant[um] ad præsens in nostram redit [sen]tentiam: non enim ad pr[æs]quæritur de distinctione, qua[m] bent in intellectu, sed de ea, [quæ] re extra habent; de modo enim in intellectu distinguuntur, [ut] q. seq. jam autem in re extra concedit solutio, nulla est act[us] distinctio inter animal, & rati[o]le: sive ergo directè, & formal[em] distinctionem, sive indirectè, [per] movendo prohibens, intell[ectus] est, qui facit distinctionem, & intellectus possibilis actu cog[no]scendi, sive intellectus agens [ab]trando phantasmata, & abstra[he]do speciem faciat, certum [est] quòd tantùm in intellectu, & [non] in re extra, datur in actu illa [di]stinctio: neque illa species ex [quâ]

cun[...]

...que objecto abstrahitur; quatenus in re extra fundamentum est, & ...ntia, ut species in actu intelligibilis duos conceptus repræsentat, & illud fundamentum est distinctio virtualis, sive virtus, & potentia ad distinctionem.

Deinde: Quod abstractione intellectûs agentis, & per hoc solùm, quod separetur singularitas, fit in universale metaphysicum, & prima intentionis, quatenùs in ...intelligibili pro priori ad ...tionem repræsentatur ipsa ...tas, docent multi Thomistas; nos infrà dicemus; at unumquodque, prout est, habet passionem ipsius esse, unitatem, & distinctionem: ergo gradus universales ...gui in vi abstractionis intellectûs agentis distinctione, quam ...extra non habent, non est distinctione reali formali, ..., quam specialiter intendit ...la Bachonica, sed distinctione ...nis, quam intellectus abstrahendo facit.

103 Secundò respondet ad ...dem principalem rationem ...us: Quòd à parte rei habent ...us universales, & esse intelligibile in actu; & consequenter distinctio Bachonica actualis est ...us intellectûs; nam esse intelligibile nihil est aliud, quàm habitudo transcendentalis secundùm ...ad intellectum; & quia homo ..., & formaliter habet à parte ...duas tales habitudines, quatenus potest duplici conceptu attingi, habet in actu duas formalitates in esse intelligibili. Quòd si instes: Superflueret intellectus agens, si res habet actu esse intelligibile: Resp. habere quidem esse intelligibile in actu, quia tamen habent immersum, & conjunctum cum conditionibus materiæ, & sensibilibus, requiritur intellectus agens, quo depuratur à conditionibus materiæ, & hoc modo fit intelligibile, non accipiendo intelligibilitatem, quam non habebat, sed removendo prohibens.

204 Sed contra: Quantumcumque visibile à parte rei sit conjunctum cum gustabili, aut cum ipso etiam intelligibili, quia tamen est à parte rei formaliter, & in actu visibile, non oportet ponere aut oculum agentem, quo visibile separetur à gustabili, aut sensum agentem, quo sensibile separetur ab intelligibili: ergo si in re extra est in actu intelligibile, quamvis conjunctum cum sensibili, non requiritur intellectus agens, quo separetur. Patet conseq. primò, quia sicut sensibile, ut tale, non est intelligibile, ita intelligibile non est sensibile, & gustabile non est visibile; sed conjunctio visibilis cum eo, quod non est visibile, non impedit, neque requirit oculum agentem, quo separetur: ergo pariter. Secundò, quia unaquæque potentia attingit id, quod est in actu attingibile ab ipsa, quin impediat conjunctio ad non attingibile; sed intelligibile in actu est in actu attin-

tingibile ab intellectu: ergo non impedit conjunctio ad sensibile, neque requiritur intellectus agens, quo removeatur tanquàm impediens.

205 Deinde: In tantum est intelligibile, in quantum est potens movere ad sui cognitionem; sed à parte rei non est in actu potens movere intellectum, sed in potentia tantùm: ergo. Maj. patet, tùm, quia eo est in actu sensibile, quia in actu potest sensum movere; tùm deinde, quia intelligibile est, quatenùs potest per se, & directe intelligi; intelligitur autem per se, & directè, quatenùs per se movet ad sui cognitionem. Patet item min. tùm, quia in actu movens intellectum est in actu universale, in re extra non est in actu universale, sed singulare; tùm, quia prout est in re extra, est in actu sensibile, sensibile autem non nisi sensum, & medio sensu intellectum movet.

206 Vlteriùs: Si animal à parte rei habet in actu intelligibilitatem diversam à rationali, ipsa intelligibilitas seorsim, & de se intelligibilis est; sed tùnc sequitur processus in infinitum: ergo standum in primis, & dicendum est, quòd non intelligibilitate superaddita, sed se ipsa est res quælibet intelligibilis; & tùnc non habetur distinctio intelligibilitatis sine distinctione rei. Patet maj. si enim animal, & rationale habent intelligibilitates diversas, eo est, quia habent diversas habitudines; sed habitudo ista per se, & seorsim à re, in qua fundatur, quid intelligibile est: ergo ulteriorem intelligibilitatem habet, & habitudinem, & en processus in infinitum, qui patet min. Adde, quòd utraque intelligibilitas convenit in eo, quòd est intelligibilitas, & differt in eo, quòd talis; quare quælibet intelligibilis est in eo, quòd est intelligibilitas, & in eo, quòd est talis, & iterùm multiplicantur sine termino intelligibilitates, & formalitates: non ergo intelligibilitas est formalitas rei intelligibilis.

207 Prob. ulteriùs Conclusio: Aut animal, & rationale distingui à parte rei in esse intelligibili dicit in re extra duas habitudines in eodem fundamento; aut duplex fundamentum importat illa duplex intelligibilitas; sed primum non ponit distinctionem re extra, secundum ponit distinctionem non tantùm in esse intelligibili, sed etiam in esse rei: ergo. Prob. primò, quia tùnc non datur duplex quid, sive duplex intelligibile. Prob. secundò, quia tùnc ponitur duplex res, sive duplex quid, super quod fundatur intelligibilitas; hoc autem est res ipsa in esse rei.

208 Tandem prob. Sicut Petrus à parte rei habitudinem habet ad plures conceptus, quos de eo potest intellectus formare, ita habitudinem habet ad multas operationes, quas potest physicè exercere;

...ter; sed hoc secundum non ponit distinctionem in esse physico: ergo illud primum non ponit distinctionem in esse intelligibili. Patet min. æquè enim, & eodem modo habet Petrus in physica entitate sua virtutem exercendi operationes physicas vegetandi, sentiendi, & discurrendi, ac habet virtutem movendi intellectum ad conceptus vegetativi, sensitivi, & rationalis: sive ergo una sit, sive multiplex habitudo: aut ad operationes exercendas ponit distinctionem, & sic distinguuntur physicè, & in esse rei Petro vegetativum, sensitivum, rationale; aut ad conceptus causandos non ponit distinctionem in contra, & sic non distinguuntur esse intelligibili.

209 Ad hanc rationem respondet Eliseus in illa dist. 2. num. 9. quòd agens, ut agat, non requirit distinctas virtutes ad distinctiones, ut habet Resolutus in dist. 36. q. 1. a. 3. negat tamen veritatem ad objectum in esse intelligibili, & rationem assignat eodem Resoluto in 1. dist. 10. q. 1. a. 2. quia ea, quæ continentur in aliquo virtualiter, non distinguuntur actu, secùs verò, quæ continentur formaliter; jam autem intus hominis, ut elicitiva plurium operationum, non continet formaliter ipsas operationes, sed earum virtualiter; quare virtus erit ius ut sic, & sic operativa, non distinguitur formaliter, sed tantùm virtualiter; at verò objectum continet quodammodò esse objectivum, ideo esse objectivum diversificatur formaliter à diversa cognitione.

210 Sed contra: Sicut esse objectivum comparatur ad cognitionem, quam causat, & cui objicitur, ita esse operativum ad operationem, cujus est principium; sed esse objectivum non continet actu, & formaliter cognitionem, sed habitudinem ad illam: ergo aut ex ista habitudine ad diversam cognitionem non diversificatur actu esse objectivum, aut ex illa diversificatur actu esse operativum. Præterea: Sicut intelligibile in actu, & formaliter dicitur objectivum, non ex quo ipsam cognitionem continet in actu, sed ex quo continet, & habet virtutem, & habitudinem ad illam; ita operativum in actu, & formaliter est operativum non ex operatione, sed ex virtute, & habitudine ad illam: aut ergo ex habitudine, & virtute ad diversam operationem habet in actu distinctionem in esse operativo, aut illam non habet in esse objectivo, & intelligibili.

§. V.

Bachonica fundamenta solvuntur.

211 FUndamenta hujus sententiæ latè congerit Eliseus, ex quo arguit primò: Animal potest cognosci sine rationali: ergo differunt in esse cognoscibili.

Mitto

Mitto probationes antecedentis, quia à nemine negatur. Prob. conseq. primò: Quia si homo, & lapis non differrent in esse producibili, nó posset homo produci sine lapide, quia essent idem producibile: ergo si animal, & rationale non differrent in esse cognoscibili, non posset animal cognosci sine rationali. Secundò: Si Deus, & creatura non differrent in esse amabili, non posset Deus sine creatura amari: ergo pariter.

212 Sed contra; instatur ratio: Cognoscibilitas potest cognosci sine re cognoscibili: ergo differunt ex natura rei ante opus intellectûs in esse cognoscibili; sed hoc est absurdum: ergo. En minor satis patet, tùm, quia si cognoscibilitas formalitas est distincta à re cognoscibili, ipsa res secundùm se, ut distincta ab illa formalitate, non erit cognoscibilis, quare neque erit, cognoscibile enim est, quidquid est; tùm deinde sequitur processus in infinitum, ut suprà patuit. Antec. patet de facili, quia de ipsa cognoscibilitate, & linea intentionali, ut sic, & præcisivè à re quacumque, multa docet ipse: ergo concipit ipsam cognoscibilitatem sine re cognoscibili.

Secundò: Animal hominis, ut tale, nequit cognosci sine rationali: ergo non differunt in esse cognoscibili. Patet conseq. tùm, quia sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis; tùm deinde, quia per ipsum, si unum non potest cognosci sine altero, sunt unum cognoscibile. Antec. similitèr patet, quia licèt animal ut sic possit sine rationali cognosci, animal tamen, quod est cum rationali conjunctum, nequit cognosci sine illo, alioqui, quod est conjunctum, esset separatum, sed à parte rei tantùm est animal hominis, aut equi, & ut est à parte rei, est, ut est hominis, aut equi, ergo animal, quod est à parte rei, ut est à parte rei, non distinguitur in esse cognoscibili á rationali.

213 Ad primam instantiam respondet ipse n. 543. ex doctrina Mag. Lumb. quam ipse subtilissimam commendat, illud ipsum, quod in simili respondent Scotistæ, nempè unum cognosci sine altero stare duobus modis: aut conceptu adæquato, & túnc distinguitur ex natura rei; aut conceptu adæquato, & iste non arguit distinctionem; hoc modo concipi intelligibilitas sine re intelligibili quare non distinguitur ex natura rei: cõcipi adæquatè esse, ait, quando unum ita concipitur sine altero, ut in suo conceptu nullum porem alterius dicat; inadæquatè autem, quando in suo conceptu non plenè, & perfectè comprehenditur sine altero: v. g. concipitur animal quis, in isto conceptu non attingitur de rationalitate, quod est adæquatus; si verò concipiatur rationale, non attingit quidem totum bile radicale, sed tùnc non plenè concipit rationale, ipsum enim

dix ribibilitatis, quare ille conceptus est inadæquatus.

214 Sed contra, primò: Intelligibilitas adæquatè concipitur sine intelligibili: ergo ab ea distinguitur ex natura rei. Prob. ant. Tùnc aliquid concipitur adæquatè, quando in suo conceptu nullum saporem alterius dicit; sed intelligibilitas, quantumcumque pura, & perfectè concipiatur, nullum saporem dicit rei, quæ est intelligibilis: ergo. Prob. min. Intelligibilitas est juxta ipsum habitudo ad intellectum; sed perfectissimè concipitur habitudo ad intellectum sine re, cujus est habitudo: ergo. Præterea: Distingui in esse intelligibili omninò non est distingui in esse rei: ergo esse intelligibile omninò concipitur sine esse reali. Vlteriùs: Eo rationale sine rationali radicali concipitur inadæquatè, quia in suo conceptu est ipsa ratio rationalitatis; sed intelligibilitas in suo conceptu non est res intelligibilis, sed habitudo ejus, quę libet rei competit: ergo.

215 Instatur secundò: Licèt in illâ solutione uti possit Scotus, non tamen Bachonista; Scotus enim ponit distinctionem realem in re ipsa, quæ concipitur; quæ pro ea requiritur, quòd forma-litas ipsa, quæ concipitur, alia ab altera formalitate, subindè, quòd perfectè, & adæquatè includatur in illa; at verò Bachonista ponit distinctionem suam non ratione rei, sed ratione conceptibilitatis; quare pro ista de materiali est perfecta exclusio, & solùm attenditur duplex conceptibilitas.

Quare ita arguitur: In tantum animal, & rationale distinguuntur à parte rei in esse intelligibili, in quantum una entitas hominis à parte rei est nata movere intellectum ad duos conceptus; sed quæcumque formalitas indivisibilis à parte rei est nata movere intellectum ad duos conceptus: ergo formalitas indivisibilis non est indivisibilis, sed divisa in duas. Min. patet, quæcumque enim talis formalitas accipitur ab intellectu, ut est formalitas, & ut est talis. Maj. in primis habetur in verbis Resoluti ab ipso adductis; deinde patet ratione: Esse natum movere intellectum ad duos conceptus sufficienter, ut arguatur distinctio in esse intelligibili, est habere duas intelligibilitates, seu, ut ipse explicat, duas habitudines ad intellectum; sed natum movere ad duos conceptus, etiam inadæquatos, duas habitudines dicit ad duos illos conceptus: ergo.

216 Adde tertiam instantiam, quòd solutio destruit argumentum: Intendit enim argumentum, quòd unum posse sine altero concipi, arguit unum non esse alterum, seu distingui in esse intelligibili; at intendit solutio, quòd stat unum sine altero concipi sine distinctione in esse intelligibili: ergo. Patet min. intendit enim solutio,

quòd unum sinè altero concipi conceptu inadæquato, non arguit illam distinctionem, sed tantùm concipi conceptu adæquato: ergo stat unum sine altero concipi, & tamen non distingui in esse intelligibili.

217 Directè ad argumentum resp. primò neg. anteced. in sensu arguentis, nempè á parte rei: Nam à parte rei animal est virtus sentiendi, ut est in Petro; at virtus sentiendi, ut est in Petro, est ipsa virtus discurrendi, nempè anima rationalis Petri, quæ, ut est in re, non habet aliud, & aliud, sed se tota influit in utramque operationem: ergo animal, ut est in re, non potest cognosci sine rationali, sed tantùm, ut est in intellectu.

218 Resp. secundò neg. conseq. Ut enim possit unum sine altero cognosci, non requiritur dualitas ipsius cogniti, sed sufficit potentia intellectûs, ut dividat, quod non est divisum, & non repugnantia unius, ut dividatur: ergo quòd unum sine altero cognoscatur, non arguit distinctionem in ipso, nec illud posse est in ipso cognito aliqua dualitas, sed tantùm passiva non repugnantia. Itaque species intelligibilis abstracta per intellectum agentem repræsentat modo intelligibili, & sine conditionibus materiæ illud ipsum, quod est in re; & quia in re est hoc corpus hâc animâ informatum, repræsentat illa species sine hæccitate, & individuantibus, corpus, & animam, sive naturam ut sic, quam intellectus pro sua subtilitate, & potentialitate per multos conceptus percipit, puta, quòd est corpus, quòd vivit, quòd sentit, & quòd discurrit: ista ergo non in specie ipsa, sive natura repræsentata, sed in intellectu tantùm multa sunt, & distinguuntur.

219 Arguit secundò per multas confirmationes, quas ipse habet præcedentis argumenti: prima est: Quia animal, & rationale non distinguuntur in esse rei, non potest unum esse sine alio: ergo si non distinguerentur in esse intelligibili, non posset unum sine alio intelligi; sed potest: ergo distinguuntur. Secunda: Cognitio animalis non est cognitio rationalis: ergo cognoscibilitas unius non est cognoscibilitas alterius. Tertia: Animal, ut cognitum, non est rationale, ut cognitum: ergo *animal*, ut cognoscibile, non est rationale, ut cognoscibile. Quarta: Cognitio attingens animal, attingit formalitèr cognoscibilitatem animalis; sed non attingit cognoscibilitatem rationalis, quia non attingit ipsum rationale: ergo cognoscibilitas unius non est cognoscibilitas alterius.

220 Hoc eodem modo instatur, ac præcedens, eamdem enim difficultatem continet, sed missis instantiis: ad primam neg. conseq. unum posse sine altero esse est separari existentiâ, & entitate existendi; & quia, quæ separantur, distin-

guun-

guuntur, unum posse sine altero esse infert entitativè distingui; at verò unum posse sine altero cognosci est separari cognitione, ad quod non requiritur distinctio in ipsa re extra, sed sufficit in re extra passiva non repugnantia, ut fiat in intellectu distinctio. Secundò, conc. conseq. & tùnc neg. suppositum, quòd talis distinctio sit à parte rei; esse enim intelligibile non nisi in potentia habet res à parte rei; quare distinctio in esse intelligibili á parte rei est potentialis, & virtualis.

Ad secundam, primò neg. conseq. cognitio enim actûs est intellectus, qui ex potentialitate ipsius potest multiplicari cum sola non repugnantia ex parte rei; cognoscibilitas se tenet ex parte rei, & est ipsa ejus quidditas; ex parte verò rei nulla requiritur dualitas in actu, ut intellectus duos actus formet, sed sufficit non repugnantia, & virtualis æquivalentia, ut ipse tenetur dicere de cognoscibilitate, & re cognoscibili, & universaliter de iis omnibus, quæ sola ratione distinguuntur. Secundò, conc. conseq. neg. suppositum, quòd habent à parte rei esse cognoscibile in actu: quare tantùm distinguuntur actu in esse cognoscibili, ubi habent actu esse cognoscibile, nempè in intellectu.

Ad tertiam eodem modo, sive neg. conseq. sive ea conc. neg. suppositum, eisdem enim terminis constat, ac secunda. Ad quartam neg. maj. quia cognoscibilitas animalis est juxta ipsum habitudo ad intellectum, ac qui cognoscit animal, non proinde cognoscit habitudinem ad intellectum. Secundò conc. toto syllogismo, neg. suppositum consequentis, quòd talis distinctio detur à parte rei; sicut enim à parte rei habet esse cognoscibile tantùm in potentia, ita distinctionem de in esse cognoscibili tantùm in potentia habet.

221 Arguit tertiò: A simplici natura possunt dimanare plures proprietates: ergo à simplici entitate plures formalitates cognoscibiles. Confirmatur primò: Simplex entitas hominis nata est causare in intellectu duos conceptus animalis, & rationalis, sicut est nata causare duos effectus sensationis, & discursûs: ergo est ex natura rei diversimodè cognoscibilis. Secundò: Quælibet res ex natura sua est cognoscibilis per effectus; sed simplex entitas est nata causare diversos effectus: ergo est diversimodè cognoscibilis.

222 Resp. primò instando: A simplici virtute non nisi una progreditur operatio: ergo à simplici entitate non nisi una formalitas. Eodem modo hæc consequentia sequitur, ac illa. Secundò: Sine distinctione virtutis reali actuali in esse operativo habetur multiplex operatio: ergo sine distinctione reali actuali in esse cognoscibili haberi poterit multiplex cognitio. Tertiò: A simplici natura dima-

nant proprietatēs realitèr physicè diversæ, ut ab igne calor, & siccitas: ergo à simplici entitate formalitates realitèr entitavè diversæ. Directè neg. conseq. quam ipse omninò non probat. Itaque cognoscibilitas tantùm dicit passivam capacitatem, ut ab intellectu cognoscatur; quare multiplex cognitio non arguit de necessitate multiplicitatem in re cognita. Rursus: Distinctio cognoscibilitatum, sicut ipsa cognoscibilitas non est actu à parte rei, quare data conseq. neg. suppositum.

Ad primam confirmationem sub eisdem terminis subsume min. sed, ut est nata causare diversos effectus sensationis, & discursûs, non distinguitur actu à parte rei in esse operativo: ergo, ut est nata causare diversos conceptus, non distinguitur à parte rei in esse cognoscibili. Directè primò neg. conseq. in sensu arguentis; non enim diversas formalitates arguit illa aptitudo ad causandum duos conceptus, sed ex diversis operationibus movetur intellectus, ut virtutem ipsam dividat, quæ in re nullam omninò divisionem habet. Secundò, data conseq. neg. suppositum, quòd esse conceptibile habeat actu à parte rei, quare neque distinctionem. Secunda confirmatio nihilo differt á prima; quare eâdem solutione, & instantiâ respondetur.

223 Arguit quartò: Distinctio rationis inter animal, & rationale fit ab intellectu cùm fundamento in re; sed hoc fundamentum alius esse non potest, quàm diversa cognoscibilitas: ergo differunt in re cognoscibili. Patet min. nam fundamentum in re ad diversam cognitionem est de necessitate diversa cognoscibilitas objecti. Si dicas cognoscibilitates non esse in re ipsa, sed ab intellectu fieri: Contra, quia tùnc fundamentum ad diversas cognitiones non esset in re, sed ab intellectu confictum.

224 Resp. sicut ad præcedentia, primò neg. min. ad prob. ejus dicitur, quòd fundamentum in re ad diversas cognitiones non est præcisè actualis diversitas, sed sufficit virtualis. Secundò, dist. min. disting. conseq. Differunt à parte rei, neg. conseq. differunt in ipso intellectu, conc. quia cognoscibilitatem habet res à parte rei in potentia tantùm, in actu verò ipso intellectu. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd fundamentum est in re remotè, & in potentia, in intellectu verò formaliter, & in actu; quare intellectus non confingit illud fundamentum, sed reddit in actu, quod in re est in potentia.

225 Arguit quintò: Animal & rationale habent entitates virtualiter distinctas in linea physica, sed hæc distinctio non sufficit, ut unum sine altero producatur, sed requiritur ulteriùs distinctio actualis: ergo ut unum sine altero cognoscatur, non sufficit distinctio

virtualis, sed requiritur actualis in esse cognoscibili.

126 Hoc suprà solutum est, tùm directè, tùm ab instantia: ite-nim missa maj. neg. conseq. ratio disparitatis est, quia distinctio tantùm virtualis repugnantiam habet, ut terminet diversam produ-ctionem, nempè realem identitatem; at verò omnimoda actualis identitas non repugnat, quominùs terminet diversam cognitionem; quare cum sola distinctione virtuali sit capacitas passiva, saltim non repugnantiæ ad diversas cognitiones. Secundò, conc. conseq. neg. suppositum, quòd talis distinctio requiratur in actu á parte rei; sicut enim à parte rei habet ens esse cognoscibile mediatè, & in potentia, ita distinctionem in esse cognoscibili.

127 Arguit sextò: Animal, & rationale habent cognoscibilitates inde diversas: ergo & formalitèr diversas. Patet conseq. quia distinctio specifica est distinctio formalis. Prob. antec. Cognitio animalis specie distinguitur á cognitione rationalis: ergo cognoscibilitas animalis specie distinguitur à cognoscibilitate rationalis. Patet anteced. quia duplex cognitio ejusdem prædicati distinguitur numero: ergo cognitio unius prædicati á cognitione alterius distinguitur specie. Patet item conseq. quia actus diversificantur per objecta, à quibus specificantur; quare distinctio actuum arguit distinctionem objectorum.

228 Resp. primò instando in his, quæ sola ratione differunt; oportet enim, quòd cognitio unius specie distinguatur à cognitione alterius. Secundò, consequentia æquivocat in ly *formalitèr*; quæ differunt specie, differunt formalitér, prout accipitur contra materialitér, non tamen, prout accipitur contra fundamentalitèr, & virtualitèr; & idem est differre formalitèr, quod differre actualitèr; de hoc secundo quæritur, non de primo. Resp. tertiò neg. anteced. quia, ut diversa sit cognitio, non requiritur diversa cognoscibilitas, sed sufficit virtualis capacitas, & non repugnantia. Resp. quartò neg. suppositum, quòd illa cognoscibilitas detur actu à parte rei; actus quidem ab objecto specificatur, sed non in esse rei, sed in esse objecti; at in esse objecti, & ut actu cognoscibile, non est á parte rei.

229 Arguit septimò: Cognitio non solùm est naturalis similitudo objecti, sed idem intentionaliter cum illo; sed cognitio animalis differt in actu, & formalitèr à cognitione rationalis: ergo & animal cognitum in esse intentionali. Resp. disting. maj. Cognitio est idem in esse intentionali cum objecto quidditativè sumpto, & ut est in actu intelligibile, conc. maj. cum objecto, ut est in re extra, neg. maj. & conc. min. disting. conseq. eodem sensu; solùm enim

sequi-

sequitur, quòd distinguatur animal in actu, & formaliter à rationali, prout est in actu, & formaliter intelligibile, & ita non est in re.

230 Arguit octavò: Ea, quæ realiter entitativè sunt idem, non potest intellectus separare realiter entitativè cum fundamento in re: ergo ea, quæ sunt idem actu in linea intentionali, non potest in tali linea separare; at separat cum fundamento in re animal à rationali: ergo. Confirmatur: Separatio realis supponit actualem distinctionem realem: ergo separatio intentionalis actualem distinctionem intentionalem; at separat intellectus intentionaliter animal à rationali: ergo ista separatio supponit distinctionem actualem intentionalem.

231 Resp. primò instando: Ea, quæ entitativè sunt diversa, non potest intellectus identificare entitativè cum fundamento in re: ergo ea, quæ intelligibiliter sunt diversa, non potest intelligibiliter identificare; sed identificat cum fundamento in re animal, & rationale: ergo non sunt diversa in linea intelligibili. Prob. hæc min. Juxta ipsum distinguit in linea intelligibili, quatenùs diversa cognitione attingit, & sunt intelligibiliter diversa, quæ nata sunt movere ad diversas cognitiones; sed animal, & rationale nata sunt movere ad unam cognitionem, & utrumque intellectus una cognitione attingit, nempe quando cognoscit speciem: ergò.

232 Resp. secundò directè neg. conseq. disparitas data est suprà; in passivè, sive producibili, sive cognoscibili sufficit non repugnantia; cum actuali identitate reali non stat non repugnantia ad distinctionem realem; at verò cum actuali identitate in esse cognoscibili stat non repugnantia ad diversam cognitionem, & distinctionem in esse cogniti, quia hanc facit intellectus, cui sufficit virtualis æquivalentia ad plura. Resp. tertiò, conc. entymemate, & sub-min. disting. conseq. Ergo *distinguuntur* formaliter actu in esse intelligibili á parte rei, neg. conseq. in ipso intellectu, conc. conseq. quia esse intelligibile in actu, non à parte rei, sed in ipso intellectu habet.

Ad confirmationem, primò instatur: Actualis separatio præsupponit actualem distinctionem; at separat intellectus actualiter ea, quæ sola ratione distinguuntur: ergo ista non sola ratione distinguuntur, sed actuali distinctione ante opus intellectûs. Secundò neg. conseq. propter disparitatem jam datam. Tertiò, data conseq. disting. subsumptum: Separat á parte rei, neg. separat, prout sunt in ipso intellectu, conc. ex quo sequitur distingui, non ut sunt in se, sed ut sunt in intellectu.

233 Arguit nonò: Animal ex propria ratione animalis non est rationale; sed hoc modo datur á

parte

parte rei: ergo. Majorem multis defendit; tùm, quia alioqui leo, cui convenit animal, esset rationalis, quidem haberet id, quod animal habet ex propria ratione; tùm deinde, quia rationale quoad esse, & entitatem suam est animal; quoad verò fundare cognoscibilitatem in sensatione, non est animal. Min. deinde prob. quia hæc omnia cognoscuntur á Deo asserente, quòd homo ex sensatione est cognoscibilis, qua animal, non qua rationale.

134 Resp. primò instando: animal ex propria ratione est elicitivum sensationis, non autem rationale; sed ita datur à parte rei: ergo distinguitur physicè, & in esse operativi. Prob. maj. per rationem ipsius, alioqui leo, cui convenit animal, erit operativus discursus. Min. item patet per rationem ipsius; Deus enim cognoscit, quod homo per animalitatem est operativus sensationis, non discursûs; & è contra, per rationalitatem est operativus discursûs, non sensationis: ergo ita datur à parte rei.

135 Resp. secundò directè dilinq. maj. Animal ex propria ratione, ut propria ejus ratio est á parte rei, non est rationale, neg. maj. ex propria ratione, ut propria ejus ratio repræsentatur intellectui, non est rationale, conc. maj. & conc. min. neg. conseq. Itaque animal secundùm propriam rationem suam datur actu à parte rei; propria enim ejus ratio est vis sentiendi; sed hæc ejus ratio à parte rei est ipsa anima rationalis, quæ etiam est vis discurrendi: Deus ergo videt, quòd id, quod est à parte rei in homine vis sentiendi, sive animal, est etiam vis discurrendi, sive rationale, & quòd homo á parte rei eâdem virtute, qua sentit, discurrit; quia tamen nostro intellectui repræsentatur virtus sentiendi ut sic, & præcisivè, ibi animal secundùm propriam rationem non est rationale, & Deus ibi videt, quòd alio sentit, & alio discurrit homo.

136 Tandem arguit: Diversò modo se habet animal in ordine ad rationale sibi identificatum, ac se habet rationale in ordine ad risibile: ergo distinguuntur in propria ratione. Prob. anteced. Animal, licèt identificatum, non exigit rationale, quia in bruto reperitur sine illo; at rationale exigit risibile: ergo. Hoc item probat distinctionem in esse rei, quia secluso ordine ad intellectum unum exigit, alterum non exigit. Directè disting. anteced. Diversimodé se habet à parte rei, neg. antec. in conceptu præscindente, conc. antec. quare ibi tantùm distinguuntur. Itaque animal à parte rei est virtus sentiendi Petri, quæ est ejus anima rationalis; quare, ut est in re, æquè exigit, atque identificat virtutem discurrendi, atque risibilitatem radicalem; in bruto est animal sine rationali, sed à parte rei aliud est ani-

animal, & virtus sentiendi in bruto, nempè anima sensitiva.

§. VI.

Nostra Sententia.

237 Dicendum ergo, gradus metaphysicos, seu prædicata universalia â parte rei distingui tantùm virtualitèr. Hæc Conclusio ex præmissis sufficientèr patet, quare ea brevitèr probatur: Prædicata metaphysica significant á parte rei alium, & alium gradum formæ physicæ; sed isti à parte rei, & in ipsa forma tantùm virtualitèr differunt: ergo. Ostenditur primò maj. Quia gradus metaphysici sunt prædicata quidditatis, quæ intellectus accipit in concipiendo rem præcisivè, & metaphysicè; sed talia accipit, secundùm quod forma alitèr, & alitèr, sive secundùm alium, & alium perfectionis gradum perficit subjectum suum: ergo. Ostenditur hæc min. In homine v. g. accipit intellectus, quòd est substantia, corpus, vivens, animal, & rationale; at substantia significat materiam à forma perfectam, prout sibi competit existere in se, & per se; corpus significat materiam à forma perfectam, prout sibi competit sustentare quantitatem, & eâ perfici; vivens significat materiam forma perfectam, prout sibi competit talis operatio, quæ est vita; animal significat materiam forma perfectam, prout sibi competit sentire; & rationale significat ... sam vim discurrendi, quia ... rentia ex parte rei significatæ ... tem importat, & est virtus in ab... tracto: patet ergo, quòd secundùm gradus ipsius formæ, atque aliter & alitèr perficere, distinguuntur illa prædicata.

Deinde, quòd in ipsa forma á parte rei tantùm virtualiter distinguantur illi gradus, patet de facili: non enim actu distinguuntur: tùm, quia id latè ostensum est in præcedentibus; tùm deinde, quia forma est in *simplici essentia* consistens, ut dicitur inde. sex principia; sed aliunde simplex essentia formæ, quatenùs multiplicitèr perficit, sive ad multas operationes multis æquivalet, & fundamentum præbet, ut intellectus multas perfectiones distinguat: ergo. Præterea: Frustrà fit per plura, quod fieri potest per unum; sed ... ne ulla multiplicitate simplex forma multiplicitèr perficit: ... Maj. est commune principium quod dicitur Equus Ocham. Ma... ab omnibus admittitur, cui enim simplici formæ tribuitur ... ectus primarius, & secundarius.

238 Præterea: Si gradus in ... sentia formæ distinguuntur ... illa distinctio non est metaphys... sed physica; sed ita distinguuntur prædicata universalia, sicut grad... in ipsa forma: ergo si distinguuntur plusquã virtualitèr, non meta... physica sunt, sed physica, quipp... phys...

physicè distinguuntur. Patet maj. quia enim distinguuntur in ipsa re physicè accepta, & prout habet subjectum suum. Patet min. quia talia prædicata significant à parte rei ipsam formam secundùm diversos gradus; alio non significant ipsam quidditatem, neque possunt quidditativè significari.

239 Ulteriùs: Gradus metaphysici non significant perfectiones actu, & formalitèr denotant parte rei, sed fundamentaliter tantùm, & virtualitèr: ergo non distinguuntur à parte rei formaliter & in actu, sed tantùm virtualiter. Patet conseq. quia sic distinguuntur, sicut sunt. Prob. antec. Animal v. g. non significat à parte rei formalitatem metaphysicam, sed entitatem physicam, ut physicè: ergo. Prob. antec. Animal à parte rei significat id, quo homo habet operationem sentiendi, prout illius operationis principium; sed homo elicit operationem sentiendi ipsâ animâ rationali, prout ea est physicè in re; patet min, quòd operari convenit physicè existenti, prout physicè existit: ergo.

)§(

§. VII.

Solvuntur Argumenta.

240 Argumenta contra nostram Conclusionem sunt fundamenta aliarum, quę jam in præcedentibus soluta sunt: duplex supereſt difficultas, quam hìc oportet expendere: primò itaque arguitur: Si gradus metaphysici distinguuntur virtualitèr, eo est, quia entitas physica multis æquivalet, quare præbet fundamentum, ut intellectus plures conceptus formet; sed hæc æquivalentia non arguit distinctionem virtualem: ergo. Prob. min. Species Angeli multis speciebus æquivalet, siquidem Angelus per unam speciem plura objecta attingit; sed ea non distinguitur virtualitèr á se ipsa: ergo.

241 Respondent nonnulli, quòd non quælibet æquivalentia arguit distinctionem, sed æquivalentia tantùm ad plura de diversa linea. Sed contra, primò: Species Angeli ad plura de diversa linea æquivalet, repræsentat enim naturam, subsistentiam, & accidentia objecti. Secundò: Paternitas in Divinis æquivalet actioni generativæ, subsistentiæ Personali, & relationi in creatis; sed Paternitas non distinguitur virtualitèr à se ipsa: ergo.

242 Resp. ulteriùs Moneda apud N. Villan. quòd non sufficit

æquivalentia ad plura, etiam de diversa linea, sed requiritur insuper, quòd talis æquivalentia sit cum fœcunditate ad diversas operationes. Sed contra: Virtus Solis ad plura æquivalet, etiam cum fœcunditate ad diversas operationes, lucet enim, calefacit, & deficcat, quare æquivalet luci, calori, & siccitati; sed non est virtualitèr distincta à se ipsa: ergo.

243 Hoc argumentum petit sibi difficultatem solvi de constitutivo distinctionis virtualis, de quo N. Villan. usque ad decem refert sententias, & eas per præfata argumenta impugnat disp. 2. Logicæ dub. 8. cap. 4. & suam addit sententiam, quòd nempè distinctio virtualis consistit in negatione prædicationis unius perfectionis de altera, quam aliqui in manuscriptis reducunt ad prædicabilitatem negativam, seu negationem prædicabilitatis in abstracto.

244 Sed hæc sententia minùs, quàm reliquæ, subsistineri potest: loquitur quidem Villan. de distinctione majori, seu quæ est fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ; hæc autem, licèt non sufficientèr per æquivalentiam explicetur, non tamen in illa negatione consistit, sive prædicationis, sive prædicabilitatis, quod sic patet primò: Fundamentum distinctionis rationis á parte rei datur, nempè ipsa distinctio virtualis in re existente; sed illa negatio sive prædicationis, sive prædicabilitatis non datur in re, sicut neque ipsa prædicatio, aut prædicabilitas nisi tantùm remotè, & in potentia ergo. Secundò: Potiùs distinctio fundamentum est illius negationis quàm è contra: ergo fundamentum distinctionis non consistit illa negatione. Prob. antec. Distinctio enim, eo quòd passio transcendens, præintelligitur prædicationi, aut prædicabilitati: ergo quia distinguuntur, unum non est aliud, & fundat negationem prædicationis, sive prædicabilitatis de altero: si ergo ad ipsam distinctionem rationis sequitur illa *negatio*, in ea non consistit distinctio virtualis, & fundamentum distinctionis rationis, sed in eo, quòd in re ipsa præcedit ut fundamentum illius negationis, sive ratione cujus intellectus unum de altero prædicat negative.

245 Itaque, ut jam dixi, distinctio virtualis major non explicatur sufficientèr per æquivalentiam ad plura; & hoc benè probant facta argumenta, quia in adductis instantiis non datur distinctio virtualis major, reperiturque tamen æquivalentia ad plura: nec benè additur æquivalentia ad plura diversæ lineæ; præterquamquòd enim id benè excludit instantia in Paternitate in Divinis, in ipso homine vegetativum, & sensitivum distinguuntur distinctione *majori* non tamen diversæ sunt lineæ, sed de eâdem substantia materialis viventis; neque enim idem est diver-

...ncæ, ac diversæ speciei.

246 Dicendum nihilominùs, ...distinctio virtualis ut sic, & ...communi ad majorem, & mi... consistit in æquivalentia ad ..., quod sic patet: Distinctio ...alis ut sic est virtus, capaci..., seu fundamentum ad distin...em rationis ut sic, & in com...sumptam; sed æquivalentia ...ura sufficienter explicat vir..., seu fundamentum ad talem ...inem: ergo. Prob. min. ...o rationis ut sic nihil est, ...od intellectus duos concep...met; quæ erit major, si illi ...ptas se excludunt; minor au... si tantùm penes explicitum ...guuntur; jam autem, ut in...s possit duos conceptus ..., sufficit æquivalentia ad ..., per hoc enim concipit, ut ...let uni, & ulteriùs, ut æqui...alteri.

...linde, quòd distinctio vir...it major, aut minor, ex ha...ine sumitur ad distinctionem ...nis, cui præbet fundamen...; est enim ipsa distinctio vir...s virtus, seu potentia ad actua... distinctionem intellectu fien...; quælibet autem potentia ex ...oline dignoscitur ad actum, ...à potentia: non ergo atten...it diversitas ipsius æ quiva..., sive eorum, quibus res æqui..., puta, quòd sint diversæ li... sive etiam cum fœcunditate ...ersas operationes; hoc enim ...teriali est, ut probant instan-

tiæ N. Villan. sed tantùm diver...tas conceptuum, sive distinctionis, quam format intellectus, & tunc tenet explicatio N. Villan. quòd nempè erit distinctio major, quando conceptus, quos format intellectus, de se invicem negantur in abstracto; non tamen in ista negatione, aut negabilitate consistit distinctio virtualis, ut ipse vult, sed in ista negabilitate consistit distinctio formalis rationis, virtualis verò major in æquivalentia rei cum habitudine ad talem negabilitatem.

247 Ex his ad instantias patet: dicendum ergo ad argumentum, quòd falsa est minor; ad ejus prob. dicitur, quòd species Angeli potest accipi pro materiali entitatis suæ, aut pro formali illius, quod repræsentat: hoc secundo modo non solùm virtualiter, sed realiter est multiplex, non subjectivè, sed objectivè, multa nempè & actu realiter diversa objecta repræsentat; primo autem modo in intellectu Angeli facit una species, quod in nostro multæ faciunt, quare æquivalet multis nostris speciebus; sed hoc ipso virtualiter multiplex est, & fundamentum præbet, ut á nostro intellectu multis conceptibus accipiatur, puta, per unam speciem intelligit Angelus omnia animalia, quare illam noster intellectus accipit, ut est species leonis, & alio conceptu, ut est species equi, & ita de reliquis; quia tamen isti conceptus, quos de

illa specie formamus, non se excludunt, non enim nos concipimus, quòd virtus, qua repræsentat leonẽ, non est virtus, qua repræsentat equum, ideo illa multiplicitas virtualis, quam habet, est distinctio minor.

Hinc patet ad reliqua: Paternitas in Divinis, quia illis multis æquivalet, fundamentum præbet, ut nos de illa plures conceptus formemus; concipimus enim, quòd Paternitas est subsistentia Personalis Patris; deinde, quòd est origo, seu generatio activa; & insuper, quòd est relatio Paternitatis: non tamen ita hos conceptus distinguimus, quòd concipiamus, rationem, quæ est subsistentia, non esse generationem, aut relationem; quare illi conceptus non se excludunt, & illa virtualis multiplicitas est distinctio minor, sive penes conceptus explicitos. Idem dicendum de virtute Solis, quòd ex illa æquivalentia est virtualitèr multiplex, & fundamentum præbet ad distinctionem conceptuum, non tamen distinctione majori, sed tantùm distinctione minori; in ipso enim conceptu nostro luciditas Solis est vis calefaciendi.

248 Altera difficultas est de distinctione virtuali in Divinis, quæ, licèt Theologica sit, quia tamen hìc à ferè omnibus objicitur, omninò prætermitti non debet; quare aliqua, præmaturè licèt, cogimur dicere. Arguitur itaque: Eâdem distinctione distinguuntur prædicata metaphysica in cr[illegible] ac prædicata Divina; sed in[illegible] oportet ponere distinctionem [illegible]tualem, neque sufficit sola vi[illegible]lis: ergo. Patet maj. Ubi enim[illegible]jor est simplicitas, minor e[illegible]tinctio; sed in Deo major simplicitas, quàm in qualibe[illegible] creata: si ergo in Deo cogimur[illegible]nere distinctionem actualem [illegible] opus intellectûs, multò ma[illegible] creatura. Min. itaque ostend[illegible] Ante opus nostri intellectûs v[illegible]ficatur contradictio in Divi[illegible]is [illegible] ea nequit verificari sine distinc[illegible]ne: ergo. Ost[illegible]nditur major: D[illegible] enim per misericordiam non pu[illegible]nit, punit autem per justitiam[illegible] item Paternitas non communi[illegible]tur Filio, communicatur au[illegible] Essentia; sed hæc vera sunt [illegible] opus nostri intellectûs: ergo [illegible] opus nostri intellectûs distingu[illegible]tur Paternitas, & Essentia, M[illegible]cordia, & Justitia.

249 Resp. quòd eadem [illegible]tinctio, quæ datur in re inter[illegible]dicata metaphysica, datur in [illegible]nis ante opus intellectûs nostri[illegible]ve inter attributa inter se, & a[illegible]sentia, sive inter essentiam, &[illegible]ternitatem, nempè virtualis, [illegible] tamen eadem in attributis, a[illegible] inter essentiam, & Paternita[illegible]nam attributa inter se, & ab[illegible]tia distinguuntur distinction[illegible]nori; inter essentiam verò, &[illegible]lationes datur distinctio major[illegible]tio est, quia, ut communiter [illegible] Augustino habent Theologi[illegible]

Deo cætera transeunt in Divinam substantiam, sola relatio manet secundùm genus suum; quare conceptibus, quibus noster intellectus perfectionem absolutam concipit, respondet objectivè ex parte rei conceptæ ipsa Divina substantia; hic isti conceptus tantùm distinguntur penes expressionem, quia in re respondet distinctio virtualis minor.

At verò conceptui, quo accipimus relationem, vera relatio respondet, quia relatio datur in Deo secundùm propriam quidditatem; hæc autem, ut probabitur disp. 4. q. 1. art. 3. distinguitur à fundamento suo tantùm conceptibiliter, & secundùm rationem quidditatis: non ergo conceptibus, quos formamus de essentia, & relatione, respondet in re aliqua realitas, quia relatio in re non est realiter aliud ab essentia, respondet autem in conceptibus nostris, & illud, quod accipimus per conceptum Paternitatis, non est objectivè ipsa essentia; quare illa distinctio in intellectu nostro est exclusionis ab excluso, Paternitas enim nobis concepta non est essentia, & hæc huic distinctioni in re respondet distinctio virtualis major.

Hoc loco citè explicatur, & probatur ex instituto, interim tamen notandum, quòd aliud est relationem actu dari in re, aliud vero actu distingui à fundamento: datur itaque in re actu similitudo §. in re tamen non est perfectio aliqua ullo modo superaddita albedini, sed ipsa albedo, quæ se ipsa intransitivè habet perficere subjectum, & denominare, tùm in se ipsa tale, puta album; tùm ad alterum ita se habens, puta simile, aut dissimile: quia ergo noster intellectus ipsam albedinem concipit utroque modo, & aliter definit, ut in se perfici, atque ut ad alterum se habeat, aliud est quidditativè in intellectu nostro, sive secundùm esse difinibile relatio, & albedo, in re tamen utrique respondet ipsa albedo se ipsa sic, & sic se habens, & sic, & sic conceptibilis, & definibilis.

Paternitas ergo, & essentia in se, & ante opus intellectûs nostri idem omninò dicunt, nempè ipsa essentia Divina se ipsa est in se Dei subsistantia, & se habet ad Filium, neque sic se habere aliud ullo modo est in re ab ipsa essentia; nulla enim relatio superaddit, aut ponit in numerum cum fundamento suo; quia tamen aliter concipit, atque definit intellectus noster, ut est in se, & ut est ad Filium, in ipso nostro conceptu aliud est Paternitas, aliud essentia; & quia tantùm verificatur communicari, & non communicari, secundùm quod accipitur aliud, & aliud, id non ante opus intellectûs nostri, sed post ipsam distinctionem, quam nos facimus, verificatur.

250 Hinc ad formam neg. min. ad prob. ejus neg. maj. & ad ejus prob. disting. assumptum: Deus

neg

per misericordiam non punit, prout misericordia est in ipso Deo, neg. prout misericordia à nobis concipitur, conc. Similiter ad alterum: Filio non communicatur Paternitas, prout Paternitas est in ipso Deo, neg. prout Paternitas à nobis accipitur, conc. Itaque Filio communicatur id, quod in Deo est Paternitas, prout in Deo est, non autem, quod nos accipimus, sed prout nos accipimus, quia Paternitas, prout in Deo est, est sine ulla distinctione ipsa essentia, quę, prout in se est, Filio communicatur: similiter Deus punit per id, quod in ipso Deo est misericordia, quia id, prout in Deo est, ipsa est simplicissima Deitas, quæ sine ulla distinctione illa omnia præstat; non autem punit per id, quod nos accipimus misericordiam, prout nos accipimus; & quia non punire non nisi per præcisionem intellectûs nostri verificatur, illa contradictio non præcedit, sed sequitur distinctionem, quam facit intellectus noster.

QUÆSTIO III.

DE ACTU, PER QUEM FIT UNIVERSALE.

ARTICULUS I.

An in formando Universale interveniat præcisio objectiva, vel tantùm formalis?

SOlet hìc quæri de potentia, per quam fit universale: An sensus, an per phantasiam, an per voluntatem? Sed hanc difficultatem mitto, tùm, quia præcisio intenditur de universali Logico, sive secundæ intentionis, de quo fere constat solo intellectu formato; tùm deinde, quia de universali Metaphysico constabit ex dicendis, importare solùm prædicatum quidditativum utcumque seiunctum à conditionibus individuantibus; quare, ubi constiterit in lib. de Anim. quæ potentia possit sic abstrahere, ea potest formare universale.

§. I.

Quibusdam notatis, referuntur Sententiæ.

251 COntroversia ista, postquàm Nominalium placita cœpere oblivione deleri, feré nulla erat in Scholis; postquàm autem P. Hurtado sententiam Nominalium Orco revocare, imò S. Thomæ, & aliis Scholæ Principibus adoptare conatus est, iam multi, nec infimæ notæ DD. excoluere, adeo ut nulla ferè acriori concertatione disputetur: utrimque peccatum video à multis in referenda contrariorum sententia, dum unusquisque, ut propriam faciliùs probet, oppositam pro libito depingit, potiùs deformat; vellem equidem sensum controversiæ, quantum capio, syncerè proponere.

252 Igitur præcisio communi acceptione separationem significat, sed in sensu Logico illam, quæ per intellectum fit; quare, cùm ea, quæ extra intellectum distincta sunt, non præcisè intellectu, sed propriis rationibus separentur: controversia ista non versatur cum ponentibus distinctionem ex natura rei, sed inter negantes ante opus intellectûs distinctionem actualem, Thomistæ, & NN. ex una parte, & ex alia fere omnes DD. Societatis.

253 Est enim præcisio, ex duobus identificatis unum cognosce-

noscere sine altero: ut posito, quòd animal, & rationale non distinguuntur in ipso homine; qui cognosceret animal ut sic, non cogitando de rationali, præscinderet unum ab alio: aliud ergo est cognoscere unum non esse aliud; aliud verò cognoscere unum sine alio: prima cognitio utrumque attingit, & est judicium negativum unius de altero; secunda alterum tantùm, & est apprehensio quæ nihil affirmat, sed tantùm est præcisio, & separatio illius, quod attingit; quare dicitur ex Philosopho: *Quòd abstrahentium non est mendacium, neque error, aut falsitas*; quatenùs talia tantùm reperiuntur in affirmatione, aut negatione.

254 Quia tamen duplex est conceptus, objectivus, & formalis, eodem modo accipitur præcisio: dicitur præcisio formalis, quę separat unum ab alio tantùm ex parte actûs, quando nempè ex parte objecti idem utroque actu attingitur, quod quia diverso actu concipitur, diversimodè explicatur; quare est separatio non ex parte objecti, & perfectionis conceptæ, sed tantùm ex parte actûs, & quantum ad expressionem: præcisio objectiva est, quando non solùm actus, & expressio diversa est, sed perfectio ipsa utroque actu concepta, non quidem, ut in re extra esse habet, sed ut conceptui repræsentatur, & illo attingitur: quæritur ergo: Utrùm ex his actibus formetur universale?

255 Prima sententia affirmat quòd præcisione tantùm formal... Hanc tenent frequenter DD. Soc... ciet. Hurt. Arriag. Alfons. & al... Sensus hujus sententiæ est, quod actus, quo formatur universale debet quidem præscindere, & attingere rem sine modo, quo est parte rei, quia in re est singulare; ille tamen actus sic præscindit quod sibi ex parte objecti in ... intellectu ipsum singulare respondet, quod in re existit, & illud totum attingit intellectus, non tamen totum explicat, sed aut illòd exprimit Petrum v. g. quatenus discurrit, & concipit, quòd est homo, aut quatenùs sentit, & concipit, quòd est animal, & ita de reliquis; in omni tamen actu ipsum attingit Petrum aliter, & aliter explicatum; quare præcisio, & separatio solius est actûs, & expressionis.

256 Secunda sententia dicit talem actum esse ex parte objecti præcisivum. Ita Thomistę, & Nom... nemine discrepante. Sensus est quòd actus, quo accipitur præcisivè gradus metaphysicus, non solùm expressionem habet diversam ab alio actu, sed sibi ex parte objecti respondet perfectio alia, ... ta actus, quo intellectus apprehendit animal, licèt attingat id, quod in re est Petrus, aut hic leo, sibi tamen objectivè non respondet tota entitas alicujus, sed virtus, & perfectio quædam, cujus imaginem ...cipit,

intellectus concipiendo for- quæ alia est ab ea, quam con- & concipiendo format, quan- prehendit rationale, aut ru- Non negat quidem hæc sen- quin in multis sola inter- præcisio formalis, in his quæ tantùm distinguuntur explicitum, sive distinctione ri, sed contendit, quòd in ibus etiam intervenit obje- uod negat præcedens sen- quando nempè perfectio ta de altera negatur in abs- ut animalitas, sive vis sen- non est rationalitas, sive vis rrendi.

§. II.

ra Sententia proponitur, & probatur.

257 DIcendum ergo, quòd in formando uni- ile potest intellectus noster ab altero præscindere objec- Prob. primò ex B. D. 3. de im. text. 35. ubi ita habet: *Est non diligenter notandum, quòd separatio ex ipsa re ortum su- quia non quælibet à quibuslibet separari possunt; nam ea, quæ sunt priora in esse, de quorum non sunt alia, possunt sic parari, & intelligi non intellectis posteriora verò, de quorum ellectu, & ratione sunt priora, possunt sic separari, nec sic in- gi, non intellectis prioribus;* jam autem præcisione formali, & quantum ad explicitum, æquè intelliguntur posteriora sine prioribus, nam homo v. g. quantum ad explicitum intelligitur sine animali, & diversa est expressio, quam format intellectus in concipiendo hominem, atque in concipiendo animal: non ergo de formali, sed de objectiva præcisione loquitur Doctor.

258 Prob. secundò ratione: Homo ab animali præscindit formaliter, & ex parte actûs; sed ampliùs præscindit animal á rationali: ergo præscindit ex parte objecti. Patet maj. tùm, quia diversus est utriusque conceptus explicitus; quare actus, & expressio, qua intellectus attingit hominem, non nisi pro implicito attingit animal; tùm deinde, quia juxta DD. hujus sententiæ, tùnc cognoscitur animal, quando cognoscitur entitas Petri in ordine ad sensationem; quando autem cognoscitur homo, non cognoscitur expressè in ordine ad sensationem; tùm tandem, quia alia est pro explicito actûs cognitio generis, ac speciei. Min. item patet: Sic enim præscindit homo ab animali, quòd animal implicitè involvitur in conceptu hominis; at rationale neque implicitè, neque explicitè involvitur in conceptu animalis: ergo. Patet utrumque: Si enim definiatur homo, in definitione ejus ponitur animal; at si definiatur animal, in definitione ejus non ponitur ratio-

nale: ergo quia implicitè in conceptu hominis importatur animal, non autem in conceptu animalis importatur rationale.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio: Si intellectus concipiendo animal sine rationali solùm præscindit ex parte actûs, & quantum ad explicitum, tùnc explicans per definitionem id, quod concipit in concipiendo animal, debet explicare ipsum rationale; sed hoc est absurdum: ergo. Patet hæc min. tùnc enim in definitione generis deberet poni differentia, nec amplius importaret definitio speciei, quàm definitio generis. Ostenditur maj. primò, quia definitio explicat id, quod implicitè attingit apprehensio concipiens ipsum quid: si ergo apprehensio concipiens quidditativè, & præcisivè animal, tantùm pro explicito præscindit à rationali, pro implicitò, & in confuso ipsum rationale attingit, & sic illud debet explicare definitio animalis. Secundò: Si definitio non explicat id, quod implicitè, & in confuso attingit concipiens animal, non ampliùs explicat conceptus definitionis, quàm conceptus definiti. Tertiò: Quia homo implicitè, & in confuso importat animalitatem, definiens id, quod attingit conceptus homo, debet ponere animalitatem: ergo si conceptus animalitatis implicitè, & in confuso attingit rationalitatem, definitio explicans id, quod implicat, seu implicitè importat conceptus animal, debet explicitè importare rationalitatem.

259 Prob. tertiò: Si in formando universale non datur præcisio objectiva, sed tantùm formalis, quælibet à quibuslibet separari possunt; sed hoc est falsum: ergo. Ostenditur min. Quia in communi Philosophia conceptus communis dividitur in transcendentem, & non transcendentem, quam divisionem ipsi admittunt DD. contrariæ sententiæ, sed conceptus transcendens eo talis dicitur, quia includitur in *conceptu* inferiorum, non transcendens verò, quia non includitur: ergo aliter hic, & ille conceptus separari potest. Patet item sequela majoris; tùnc enim quælibet ratio sive superior ab inferiori, sive inferior à superiori tantùm potest separari quantum ad explicitum actûs; quare quælibet implicite includitur in altera.

Confirmatur: Si præcisio tantùm est ex parte actûs, nullum requiritur in re fundamentum ad præcisionem, & distinctionem rationis; sed hoc est falsum: ergo. Patet min. quia isti etiam DD. distinctionem rationis dividunt in majorem, & minorem, cum fundamento, & sine fundamento. Sustenditur maj. quia tùnc tota præcisio est ex parte actûs, ad quod nulla requiritur fœcunditas in objecto, ad majorem enim actûs claritatem sufficit major virtus,

finatus potentiæ.

260 Prob. quartò: Si tantùm præcisio ex parte actûs, eodem modo poterit intellectus præscindere Petrum à se ipso, ac animali rationali; sed hoc est apertè falsum: ergo. Patet min. quia animal cum rationali facit compositionem metaphysicam, Petrus autem à se ipso est omninò individuum. Ostenditur maj. Si tantùm datur præcisio formalis, eatenùs præscindit animal à rationali, quatenus intellectus totam Petri entitatem cognoscit in ordine ad sensationem, non autem in ordine ad discursum; sed eodem modo potest entitatem Petri cognoscere in ordine ad unam proprietatem individualem, & non in ordine ad aliam: ergo. Maj. est explicatio, quam frequenter adhibent DD. hujus sententiæ. Min. patet, quia proprietates individuales multæ sunt, ut forma, figura, locus &c. & in ordine ad unamquamque non species, sed individuum accipitur.

Confirmatur primò: Petrum accipi in ordine ad sensationem, & non in ordine ad discursum, aut est accipi operationem ipsam, aut ordinem diversum; aut est accipi diversum fundamentum, nempè quando unum accipitur, alterum non accipitur, id, quod accipitur, aut non accipitur, aut est fundamentum illius diversi ordinis ad operationem, aut est tantùm diversus ordo? Si diversum fundamentum: ergo præcisio, & distinctio non in actu tantùm, sed in objecto ipso est, nempe in ipsa quidditate, & fundamento illius ordinis; si autem tantùm ex parte ordinis ad diversam operationem, stat distinctio, & præcisio: Contra: hoc non explicat definitio animalis, sed fundamentum ipsum, nempè virtutem, & principium sentiendi: ergo non tantùm ordinem, sed virtutem, in qua fundatur ille ordo, attingit conceptus animal, quam non attingit conceptus rationale. Rursus: Jam alietas, & distinctio non ex parte actûs tantùm, sed ex parte objecti ponitur, nempè diversus ordo ad diversam operationem.

Confirmatur secundò: Si præcisio est tantùm ex parte actûs, eatenùs præscindit animal à rationali, quatenùs intellectus ita confusè attingit Petrum, quòd non distinguit à bruto; sed ex hoc sequitur, quòd individuum, ut tale, poterit esse species: ergo quandoquidem hoc implicat, & illud pariter. Maj. est altera explicatio præcisionis formalis. Ostenditur min. Potest intellectus cognoscere Petrum in ordine ad proprietatem individualem, qua convenit cum Paulo, in aliquibus enim plura individua conveniunt, ut notum est; sed tunc attingit individuum, ut tale, siquidem in ordine ad proprietatem individualem; deinde attingit ut speciem, siquidem ita confusè, quòd non distinguit ab alio individuo: ergo.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

261 ARguit primò P. Hurtado: Actus, quo formatur universale speciei v. g. immediatè attingit omnia singularia in confuso, secundùm quod similia sunt: ergo non præscindit ex parte objecti. Prob. anteced. Ille actus immediatè terminatur ad hominem, qui constituitur per illum ratione unus, atque indivisus; sed homo, qui constituitur ratione unus, est Petrus, Paulus, & cætera singularia: ergo. Patet maj. quia eo fit universale, quo constituitur unum potens de pluribus dici. Prob. min. Ille homo constituitur ratione indivisus, qui erat in re divisus; sed homo, qui est in re divisus, est formaliter, & immediatè Petrus, & Paulus: ergo. Patet maj. quia divisio, & indivisio circa idem versantur, sicut enim illud dividitur, quod indivisum erat, ita id fit intellectu indivisum, quod erat divisum.

Confirmatur primò: Divisio hominis in Petrum, & Paulum eatenùs fit per intellectum, quatenùs clarè cognoscuntur: ergo indivisio, & unitas eatenùs fit, quatenùs cognoscuntur confusè, quia contrariorum eadem est ratio. Secundò: Fundamentum universalitatis cognoscitur immediatè per actum, quo fit universale; sed tale fundamentum importat ipsa singularia ut plura sunt: ergo per actum, quo fit universale, attinguntur immediatè ipsa singularia. Prob. min. Tale fundamentum est convenientia, & similitudo, quam habent individua ejusdem naturæ; sed similitudo importat formaliter plura ut plura sunt: ergo.

262 Hoc argumentum non nullam habet apparentiam, quæ tamen tota in æquivocatione fundatur. Resp. neg. antec. ad prob. disting. maj. Terminatur ad hominem, qui constituitur unus, prout in re est, neg. maj. quidditativè, & secundùm modum, quem habet in intellectu, conc. maj. & eodem sensu disting. min. Homo, qui constituitur ratione unus quidditativè, & prout sic unus, est Petrus, & Paulus, neg. min. physicè, & prout est in re, conc. min. Ad prob. ejus disting. min. Constituitur unus ille homo, qui erat divisus, prout erat, neg. min. abstrahendo, & separando modum quo erat divisus, & divisionem ipsam, conc. min. & eodem sensu dicitur ad probationem, quòd divisio, & indivisio circa idem versantur; quod tamen aliter se habet, nempè divisum importat ea per quæ dividitur, quæ non importat, ut est indivisum.

Itaque idem homo, qui est Petro, & Paulo divisus, est in intellectu indivisus, & eo fit universalis, quo fit sic indivisus, & communis; aliter tamen se habet, ut est

...e divisus, atque ut est in intel-
...indivisus, nempè quia divi-
...per differentias individuales
...multiplicantes naturam, eas im-
...unt, ut est in re divisus: hoc er-
...pto sive his accipitur, quando
...itur indivisus; quare eadem
...litas accipitur, alioqui non
...icaretur in quid ipsum uni-
...; quia tamen aliter accipi-
...differentiis accipitur, qui-
...multiplicatur, & ab illis
...it ex parte objecti actus,
...accipitur. Quo patet ad
...que confirmationem, imò
...magis oppositum, quàm
...situm probat illius, quod
...it.

...d primam: Divisio, & multi-
...io naturæ non fit nisi per in-
...ationem naturæ superaddi-
...sicut generis per superaddi-
...differentias specificas: ergo in-
...io, & universalitas non fit nisi
...uration em, & exclusionem
...raditæ differentiæ. Directè
...neg. antec. Fit enim multi-
...io, sicut in re per hoc, quòd
...ur differentia sive individua-
...sive specifica, ita in intellectu
...hoc, quòd illam intellectus
...piat objectivè, & ex parte rei
...re. Ad secundam: Si actus,
...rmatur universale, attingit
...plura, non confusè, sed
...ctè attingit ipsa singularia,
...ularitatem, qua plura sunt.
...distinguo. maj. Attingitur
...mentum, ut tale est, neg. maj.
...gitur fundamentum non eo modo, quo est fundamentum, conced. maj. Itaque fundamentum convenientia illa est, in re enim distincta sunt, & plura actu ipsa inferiora, quare non identitatem, & unitatem, sed convenientiam tantùm habent; at verò in actu, quo formatur universale, illa convenientia, non sola convenientia est, & similitudo, sed unitas, & identitas; quare ille actus non plura attingit, neque differentias, quibus plurificantur.

263 Arguit secundò: Objectum actûs, quo fit universale, prædicatur immediatè in quid de Petro, & Paulo: ergo Petrus, & Paulus sunt immediatè objectû actûs, quo fit universale. Patet consequentia: quod enim prædicatur de Petro, & Paulo, est Petrus, & Paulus. Confirmatur: Objectum illud, aut adæquatè prædicatur de Petro; aut inadæquatè, & secundùm partem tantùm? Si primum: ergo non potest prædicari de Paulo, quia nihil, quod sit adæquatè idem cum Petro, potest esse idem cum eo, quod distinguitur à Petro, tale enim non est Petrus; si autem secundum dicatur: ergo illud objectum est aggregatum ex illis partibus, & sic ex parte objecti non præscinditur à singularitate, qua multiplicatur.

264 Resp. disting. antec. Prædicatur reduplicativè, ut est objectum illius actûs, neg. antec. prædicatur specificativè, conc. antec. ex quo solùm sequitur, quòd objectum illius actûs sit ipse Petrus,

non

non reduplicativè, ut est Petrus, sed specificativè, & quantum ad quidditatem suam. Itaque objectum illius actûs ipsa est quidditas Petri, quæ tamen diverso modo in Petro est, & actui objicitur, nempè in Petro est contracta, & addit differentiam individualem; actui verò objicitur, ut est quidditas, & sine illa differentia; quia eadem est quidditas, immediate in quid prædicatur de Petro, quia tamen non eodem modo, ex parte objecti præscindit à modo, quem in Petro habet, & differentiâ, qua ad illum contrahitur.

Ad confirmationem dicitur, quòd de Petro prædicatur adæquatè objectum actûs, quo fit universale, non tamen, ut ipse Petrus sumitur reduplicative, ipsa enim Petreitas non est homo. Ad rationem in contrarium dicendum, quod est idem cum Petro, eâ ratione, qua distinguitur à Paulo, non prædicari de Paulo; benè autem quod est idem cum Petro specificativè, qua ratione non est aliud à Paulo: objectum ergo illius actûs non est aggregatum, quod secundùm aliquid Petro, & secundùm aliquid Paulo conveniat, sed quidditas simplex, quæ se tota est Petrus, & Paulus, non secundùm totum, quod Petrus dicit, sed seclusâ differentiâ individuali, qua differt à Paulo.

265 Arguit tertiò idem: Præcisio unius ab alio est distinctio rationis; sed distinctio rationis non est in objecto, sed tantùm intellectu: ergo præcisio non ex parte objecti. Patet maj. præcisio est separatio unius alio ratione facta, & per intctum. Min. item patet, tùm, si in objecto est ipsa distinctio rationis, seu intellectûs, sed rei sius, seu objecti.

266 Resp. primò neg. quia præcisio non formaliter, causaliter est distinctio ration nempè actus, & causalitas, qu distinctio. Secundò, disting. Distinctio rationis non est in jecto, secundùm se, sive ut extra, conc. min. non est in objecto, ut actui subjicitur, sive in intellectu, neg. min. quo ad rationem subinductam, enim distinctio rei, & non actûs, si in re esset, ut est in re tamen non nisi ut actui subj & ratione ipsius convenit, ctio est rationis, sive intell

267 Arguit quartò: Sum ex una parte actus, quo cogn tur animal, & quo cognoscitur tionale, & ex alia ipsum ration & animal; arguitur sic: Anteq cognoscatur animal, non hab parte sui aliquid, quo sit rationali: ergo cognitio no tingit illud, ut aliud à ration consequerer non præscindit te objecti. Patet ant. non en stinguitur ex natura rei ante intellectûs. Conseq. item cognitio enim illud attingit, in se, quòd si in se non habet,

aliud à rationali, in se est ipsum rationale.

268 Resp. primò, quòd aperiatur: Si enim ante cognitionem non habet animal, quo sit aliud à rationali; non habet, quo alterum cognoscatur clarè, alterum non nisi in confuso. Quòd si dicatur, quòd ipsa operatio sentiendi fundamentum est, quo intellectus in ordine ad illam clarè cognoscit entitatem Petri, ut est sentiens, non autem clarè, ut est rationale. Contra: Eadem operatio sentiendi fundamentum præbet, ut cognoscatur virtus elicitiva ejus, non autem virtus elicitiva discurrendi.

269 Resp. secundò directè negando antec. aliud enim est distinctio à parte rei, aliud verò distinctio ante opus intellectûs, prout opus intellectûs dicit cognitionem; illud primum requiritur ad distinctionem ex natura rei, hoc secundum relinquit distinctionem rationis. Itaque ex operatione sentiendi species accepta per sensus, lumine intellectûs agentis, representat intellectui virtutem illius operationis elicitivam; hæc verò à parte rei ipsa est anima rationalis, & virtus elicitiva discursûs, quare ex natura rei non distinguitur; quia tamen sumitur ex operatione entiendi, tantùm, præcisè repræsentat intellectui sentiendi virtutem; quare ipso intellectu distinguitur ante opus quidem intellectûs possibilis, sive ante cognitionem, non autem ante omne opus intellectûs, quia per irradiationem intellectûs agentis sic repræsentat: quia ergo ex ipso intellectu oritur sic repræsentare, & distingui, illa distinctio dicitur rationis.

270 Dices primò: Sic repræsentare non ex intellectu oritur, sed ex se habet ipsa species; ex se enim sensatio, à qua sumitur, distinguitur à discursu. Dices secundò: Distinctio rationis debet esse ens rationis; at ens rationis, ut nos ipsi dicemus disp. 3. Metaph. non consequitur, seu resultat, sed fit cognitione attingente rem aliter, ac est; ibi enim latè contendimus, quòd si relatio rationis resultat, non erit rationis: si ergo distinctio illa ante cognitionem in ipsa specie reperitur, ea non erit rationis, sed realis.

271 Resp. ad primum quidem, quòd species ex sensatione causata sensibilis est, & ex se sensationem tantùm, non verò virtutem sensitivam repræsentat; quòd si indirectè virtutem etiam repræsentat, eam repræsentat, ut est physicè, & in re, sic autem non est virtus sentiendi, sed anima rationalis: quòd ergo illa species ex sensatione desumpta repræsentet virtutem sentiendi metaphysicè, & ut sic, qualiter distinguitur à virtute discurrendi, non ex se ipsa est, sed ex ipso intellectu, nempè agente; quare ex eo est distinctio, & sic rationis.

Ad

272 Ad secundum, ut ibi patebit ex B. D. ens rationis alterum est ut intentio prima, alterum verò ut intentio secunda, quod est rationis: ut intentio prima tantùm secundùm quid est ens rationis, nempe ipsi intentioni primæ res extra respondet, licet non modo, quo est intentio; quare quod est intentio prima absolutè, non est tantùm objectivè in intellectu; quod verò est rationis, ut intentio secunda, tantùm objectivè in intellectu est, & de hoc dicitur, quòd non resultat, sed cognitione ipsa formatur. Itaque, quia distinctio est passio transcendens ad ipsum ens secuta, quæ nihil addit ex parte objecti ipsi enti, sicut ante cognitionem in specie intelligibili est animal ut intentio prima, ita ibi distinctionem habet, quæ ibi est rationis ut intentio prima; ipsi intentioni res extra respondet, non tamen modo, quo est in intentione, nempè intelligibili, & præciso; & quia illa distinctio rei convenit, ut est tali modo, extra intellectum tantùm in potentia, in intellectu verò formaliter, & in actu est, & sic rationis, sive intellectûs.

273 Resp. tertiò ad principale argumentum, neg. conseq. ut enim intellectus objecta ipsa separet, & ut distincta attingat, non requiritur in re ipsa ex se distinctio, sed sufficit æquivalentia ad multa, quæ virtus est ad distinctionem, sive virtualis distinctio, & passiva capacitas, ut intellectus pro vi sua separet, & distinguat ipse enim potest, eo quòd potentialis est, multiplicare, & per plures conceptus attingere id, quod in re non habet multiplicitatem.

274 Arguit quintò: Cognitio de rationali non terminatur immediatè formaliter ad animal, si prascindit ex parte objecti: sed si non terminatur ad animal, distinguitur à parte rei: ergo si hoc non admittimus, dicere tenemur, quòd cognitio rationalis immediatè ex parte objecti attingit animal, & sic tantùm præscindit ex parte actûs. Prob. sequela min. Quia tunc à parte rei convenit uni, quod non convenit alteri, puta, posse immediatè per se ipsum terminare cognitionem. Rursus: Cognitio attingit unum, & non aliud: ergo non solùm ex parte intellectûs, cujus est cognitio, est diversitas, sed ex parte etiam rei ipsius, in qua est aliud, & aliud.

275 Resp. primò instando: Cognitio clara unius non attingit clarè aliud: ergo distinguuntur: parte rei, quod ipsi etiam negant. Prob. conseq. per ipsam argumenti rationem, quòd à parte rei convenit uni, quod non convenit alteri, puta, posse terminare cognitionem claram. Resp. secundò, neg. min. cum sua probatione: Unum à parte rei est, quod uni convenit, convenit & alteri, imò à parte rei non est alterum, & alterum: unum ergo convenit, quod non conve-

videri tantùm, prout in intellectu sunt; quare ibi tantùm distinguntur, nempè posse terminare cognitionem rei convenit, ut est à parte rei, remotè, & in potentia; formaliter verò, & in actu, ut est in intellectu. Quo patet ad secundam probationem, alietas, & distinctio ipsius rei est, non tamen ex se, ut est in re, sed ut est in intellectu.

276 Arguit sextò Arriag. Non immediatè contradictoriè opponuntur *cognosci*, & *non cognosci*, quàm *produci*, & *non produci*; sed nulla formalis distinctio sufficit, ut de eodem hominis entitate verificetur *produci*, & *non produci*: ergo. Prob. min. Ideo *produci*, & *non produci* sunt contradictoria, quia unum illorum interimit illam eamdem entitatem, quam ponit affirmatio; sic omninò se habent *cognosci*, & *non cognosci*, ut de se est manifestum: ergo. Resp. primò instando: Non minus contradictoria sunt *produci*, & *non produci*, quàm *cognosci clarè*, & *non cognosci clare*, ut patet per eamdem probationem, idem enim, quod ponit affirmatio, nempè cognosci clarè, tollit negatio.

277 Resp. secundò directè neg. maj. ad probat. ejus dicitur, quòd non sufficit ad contradictionem quòd negatio interimat eamdem formam, quam ponit affirmatio, sed requiritur insuper, quòd negatio, & affirmatio sint de eo dem subjecto secundùm idem, sive eodem modo accepto; jam autem *produci*, & *non produci* convenit rei physicè acceptæ, & quia physicè est homo una entitas, neque distinctio virtualis sufficit, ut sit duplex physicè, *produci*, & *non produci* sunt de eodem, nec sufficit distinctio virtualis, ut verificentur, quia non sufficit, ut sint duo; at verò *cognosci*, & *non cognosci* rei conveniunt in actu, & formaliter, ut est in intellectu, & distinctio virtualis in re sufficit, ut, quod in re est unum, sit in intellectu duplex; quare ea sufficit, ut de eo, quod est in re unum, verificetur cognosci, & non cognosci, quia non, ut est unum, sed ut est duplex, verificatur, & sic non de eodem.

278 Arguit septimò idem: Cognitio intuitiva non præscindit ex parte objecti: ergo nec abstractiva. Prob. conseq. Ideo intuitiva non præscindit, quia attingit objectum, quod in se ipso est indivisibile; sed pariter est indivisibile objectum cognitionis abstractivæ: ergo. Pariter instatur: Cognitio enim intuitiva nec ex parte actûs præscindit, & per rationem ipsius eodem modo est indivisibile objectum utriusque cognitionis.

279 Resp. neg. conseq. ad prob. neg. maj. non enim eo præcisè, quia objectum in se est indivisibile, sed quia illud attingit cognitio intuitiva secundùm modum, quem in se ipso habet, non præscindit nec ex parte actûs, nec ex

ex parte objecti; at verò cognitio abstractiva objectum attingit non secundùm modum, quem in se habet, sed quem habet in ipso intellectu; quare, licèt objectum in se ipso nullam habeat divisionem, illam tamen habet in intellectu. Ratio autem est, non ut ipse ponit, perfectio intellectûs, qua potest conceptus multiplicare de eâdem re, sed potiùs imperfectio, & potentialitas, qua non potest uno actu nisi unam tantùm rationem attingere; quare cogitur objectum dividere, & rationes ejus multiplicare, ut totalitèr, & perfectè concipiat.

280 Arguit octavò idem: Licèt posset genus ita præscindi à differentia, non tamen à singularitate; sed fit universale præcisione à singularitate: ergo præcisio, qua fit universale, non est ex parte objecti. Prob. maj. Vnitas includitur transcendentèr in conceptu entis: ergo non ex parte objecti, sed tantùm ex parte actûs potest præscindi. Confirmatur: Si singularitas distingueretur virtualitèr à natura, non posset natura per illam multiplicari; sed multiplicatur: ergo. Maj. probatam supponit ex eo, quòd natura Divina non multiplicatur in Personis, eo quòd Personalitas, sive relatio est extra conceptum essentiæ.

281 Resp. neg. maj. ad prob. ejus neg. conseq. tantùm enim sequitur, quòd genus non præscindat ex parte objecti ab unitate formali propria generis, non autem à singularitate. Itaque unitas transcendit ens, cujus est unitas, nempè ens formale, & metaphysica unitas formalis, & metaphysica ut generica genus, specifica species; ens verò physicum, & singulare transcendit ut passio ejus unitas singularis, & physica; quia enim unumquodque hoc ipso quòd est, unum est, & per idem habet esse, & unum esse, eo sensu, quo est, se ipso intransitivè unum est; non ergo singularitas, sed passio propria, nempè formalis unitas est impræscindibilis ex parte objecti à conceptu generis.

Ad confirmationem, primò instatur: Si enim singularitas est de conceptu naturæ, non potest sine illa concipi, & fieri universalis; sicut, quia omnimoda indivisio est de conceptu naturæ Divinæ, ea non potest concipi ut multiplicabilis. Secundò, neg. sequelam. Ad prob. ejus multi Theologi dicunt, relationes esse de conceptu essentiæ, & nihilominùs per eas non multiplicatur; nihilominùs dato, relationes non esse de conceptu essentiæ, neg. causalis, quia hac ratione non multiplicetur essentia; immultiplicabilitas enim essentiæ sibi convenit quidditativè ex infinitate Divinæ perfectionis; natura autem creata, quia finita est, potest multiplicari secundùm speciem, & essentiam, etsi importet formam in materia receptam, etiam materialitèr, & individuali

quamvis ipsa individualis differentia non sit de conceptu ejus. Cætera, quæ habet, sunt fundamenta P. Hurtad. jam suprà soluta, nec his poterit patêre ad religionem, quæ alii objiciunt.

§. IV.

Expenditur sententia Nostri Manso.

280 NOster Manso lib. 3. Log. q. 6. §. 4. de mente B. D. docet cum communi sententia NN. præcisiones objectivas; duo tamen addit, alterum, eas dantur tantùm in rebus corporeis, non verò in Angelis; alterum verò, quòd in rebus corporeis præscindit quidem ex parte objecti genus à differentia, ê contrario autem differentia à genere, non objectivè, sed tantùm formaliter, & ex parte actûs præscindi potest. Hæc sententia quantum ad primum vera est, & B. Doctoris, quam oportebit expendere §. sequenti; quantum autem ad alterum, immeritò illam dicit B. D. sententiam: & quia ex ipso conatur deducere, oportet mentem ipsius expendere. Illam sententiam docet Spin. disp. 7. Log. sect. 3. quamvis enim concluſ. 2. ponat, quòd differentia, quæ non est propria generis, ut vivens respectu corporis, possit præscindi objectivè docet tamen concluſ. 3. quòd differentia, quæ est propria generis, ut rationale respectu animalis, animal respectu viventis, non nisi ex parte actûs præscindi potest, & eisdem ferè mediis probat, ac N. Manso; dicit autem, differentiam non esse propriam generis, à qua non valet consequentia ad ipsum genus, valet enim *rationale*: ergo *animal*; *animal*: ergo *vivens*; non autem valet *vivens*: ergo *corpus*; vivens enim etiam convenit spirituali substantiæ.

283 Probat ergo sententiam suam N. Manso, primò ex B. D. in verbis sup. datis ex 3. de Anim. text. 35. quibus ait: *Posteriora verò, de quorum ratione sunt priora, non possunt sic separari, neque sic intelligi sine prioribus*; quibus differentiam assignat inter prius, & posterius; quòd prius potest accipi sine posteriori, non autem è converso; sed differentia posterior est genere: ergo. Posset insuper adducere B. D. de esse, & essentia q. 11. ubi, cùm quæreret: An Deus possit facere esse sine essentia? erat secundum argumentum, quòd Deus plus potest facere, quàm nos intelligere; sed nos possumus intelligere esse sine essentia: ergo. Resp. *Ad secundum dicendum, quòd non potest intelligi esse sine essentia*; ratio autem est, quia esse est posterius essentiâ præsupponens necessariò ipsam: ergo quia tenet, quòd posterius nequit intelligi sine priori, quod sæpe alibi habet.

284 Probat deinde à ratione: Præcisio consistens in eo, quòd

unum sine altero intelligatur, solùm potest dari, quando unum non est de conceptu essentiali alterius, nec in eo includitur; sed licèt prædicata inferiora non sint de essentiali conceptu superiorum, nec in eis includantur, at superiora sunt de conceptu inferiorum, & in eis includuntur: ergo, licèt superiora ab inferioribus possint præscindi, non tamen inferiora à superioribus.

Hanc rationem confirmat, & explicat sic: Hæc consequentia non est bona: *Animal*: ergo *rationale*; hæc autem bona est: *Rationale*: ergo *animal*. Ex communi Logicorum regula, á superiori ad inferius non valet consequentia affirmativè, benè autem ab inferiori ad superius: ergo quia animal præscindit ex parte objecti, non verò rationale. Prob. conseq. Ideo prima non est bona, quia animal in suo conceptu non includit rationale, aut irrationale, quare neutrum infert; rationale verò includit animal, quare illud infert; at præcisio objectiva nihil est aliud, nisi objectiva exclusio unius à conceptu alterius: ergo illud excludit, subindeque præscindit, à quo non valet consequentia, nempè animal; illud verò, à quo consequentia valet, nempè rationale, includit, & subinde non præscindit.

285 Probat insuper Spin. Rugibile, qua rugibile, formalissimè involvit principium sentiendi: ergo involvit animal, & consequentèr non præscindit ex parte objecti. Prob. antec. Rugitus ut talis formalissimè est sensatio, nempe actus vitalis gradûs sensitivi: ergo virtus elicitiva rugitûs est formalissimè virtus elicitiva sensationis. Confirmatur: Id involvitur in conceptu alterius, quod in ejus definitione debet poni; sed si definitur rugibile, debet poni animal, ergo. Patet min. debet enim in definitione poni, quòd est virtus elicitiva hujus sensationis.

286 Probat ulteriùs: Differentia non potest latiùs patere, quàm genus, est enim *sub ipso genere*; sed si præscindit ex parte objecti, latiùs patet: ergo. Prob. minor: Si enim præscindit, in suo conceptu sic præcisso est indifferens ad animal, & non animal; sed tùnc latiùs patet, quàm animale ergo. Patet maj. quia neutrum importat. Patet item min. quia animal non est sic indifferens, sed determinatè est in sua quidditate animal.

287 Hæc in primis sententia ad rem præsentis difficultatis parum refert; quæritur enim de præcisione propter actum, quo fit universale; non autem fit præcisione inferioris á superiori, sed superioris ab inferiori. Deinde advocatione nititur; differentia non ex modo significandi accipitur objectivè per modum concreti, cui tamen ex parte rei significata formalitas abstracta, v. g. rationale ex modo significandi per modum

dum concreti importatur, significat enim habens rationalitatem, ens autem differentia ex parte rei significatæ rationalitas: quare in definitione differentiæ dicitur, quòd prædicatur *in quale quid*, nempè *quale* ex modo significandi, *quid* verò ex parte rei significatæ: differentia ergo includit genus suum tantùm ex modo significandi, sic autem non differentia est, sed species.

188 Dicendum itaque, quòd ipse præscindit differentia à genere, ac genus à differentia. Hoc primum probabimus, tùm ex B. D. tùm à ratione; deinde expendimus, quæ adducuntur in contrarium. Primò itaque prob. ex B. D. in 2. dist. 3. p. 1. q. 1. a. 3. §. *Advertendum tamen*, quem locum in eâd. q. 6. adducit ipse Manso: ibi ergo latè explicat B. D. conceptum differentiæ propriè talis, & quod habet esse in istis corporalibus ad differentiam spiritualium; sic itaque: *Sed in istis corporalibus illud, quod importatur per differentiam, quia per eam importatur, & significatur forma, ut quia per animatum significatur anima, non est illud, quod importatur per genus: ideo de differentia non prædicatur genus essentialitèr loquendo, quia ex parte non prædicatur totum.* Si ergo quod importatur, & significatur per differentiam, non est, quod importatur per genus, patet, quòd ex parte objecti præscindit.

Præterea: Ratio, quam intendit Doctor, hæc est, quod genus totum significat potestativè, & ut est perfectibile per differentiam, nempè materiam sub forma, prout perficit secundùm gradum communem, differentia verò ipsam formam significat, nempè sub gradu perfectivo, puta animal significat materiam sub forma, secundùm quod perficit per gradum sentiendi, qualiter totum potentiale est perfectibile per ulteriorem gradum rationalis, aut irrationalis, animatú verò, sive rationale importat, nempè ex parte rei significatæ, gradum formæ conceptui generis superadditum, & determinativum ejus; sed patet, quòd ex parte objecti præscindit ab ipso genere gradus formæ, qui sibi superadditur, nec in tali gradu includitur objectivè genus: ergo.

Ulteriùs: Intentum B. D. ibi est assignare differentiam inter corporalia, & spiritualia, quam ex hoc assignat, quòd in Angelis differentia sumitur à tota quidditate, & totam quidditatem significat, eo quòd Angelus est quidditas simplex, quare genus in eo de differentia prædicatur; at verò in iis corporalibus differentia sumitur à gradu formæ, & formam significat secundùm talem gradum, quare genus in his non prædicatur de differentia; jam autem, si differentia non præscindit ex parte objecti, patet, quòd ex parte

objecti includit ipsum genus, quare & dicet totam quidditatem, & genus de ea prædicabitur, sicut prædicatur de specie : ergo.

289 Secundum probat ex eodem D. 2. Perh. fol. 64. ad text. *Universaliter verò*, dub. 2. quærit : Vtrùm hæc sit nugatio animal bipes, vel animal rationale ? Respondet : *Ad hanc quæstionem dicendum, secundùm quod potest accipi ex dictis Aristotelis in lib. Elench. in illa parte, de facere autem nugari, non est nugatio hìc animal bipes, vel animal rationale. Nam, ut ibi innuit Philosophus, aliquid potest intelligi in alio duplicitèr; aliquid enim dat intelligere aliud, & hoc per dependentiam, quam habet ad illud, & quòd non sit de significato illius, & istud tale, si addatur, quia non est de significato ipsius, non est nugatio; ideo hìc non est nugatio nasus simus, neque homo risibilis, cùm unum de significato alterius non sit, neque si unum correlativum additur alteri, ut pater, & filius, vel filii ; sed quando unum est de significato alterius, tùnc semper est nugatio, si addatur, ut homo animal, & sic de consimilibus, benè autem differentia est extra naturam generis; itaque vult Philosophus in 6. Top. quòd genus non prædicatur per se de differentia, nam sequeretur, quòd unum animal esset plura animalia, & sic ex his patet, quòd in significato differentiæ per se non includitur genus.*

Hæc latiùs adduxi, quoniam in his primò continetur conclusio; ait enim aperte Doctor, quòd in significato differentiæ non includitur genus, quare differentia a genere præscindit ex parte objecti, seu perfectionis significatæ ; deinde habetur ratio, quatenùs intendit, quòd differentia addita generi non facit nugationem ; & tertiò habetur instantia ad solutionem qua frequentèr utitur N. Manso, quatenùs ait, quòd aliquid dat intelligere aliud per dependentiam ad illud, quin sit de conceptu ejus.

290 Prob. itaque tertiò ratione, quam non solùm hìc intendit B. D. sed etiam loco priùs citato *§. Alia autem differentia*, ratio formatur sic : Si differentia non præscindit ex parte objecti a genere, nulla definitio erit bona ; sed hoc est manifestè inconveniens : ergo. Prob. maj. Tùnc quælibet definitio erit nugatoria : ergo. Prob. anteced. Definitio constare debet genere, & differentiâ ; sed si differentia ex parte objecti non præscindit, genus bis ponitur : ergo. Patet min. si enim ex parte objecti non præscindit, in ipsa perfectione concepta per conceptum differentiæ importatur genus, quare, si aliunde ponitur expressè, bis ponitur.

Confirmatur : Si differentia non præscindit ex parte objecti, genus prædicatur per se de differentia; sed hoc est contra Philoso-

phum;

plum : ergo. Min. patet in verbis B. D. Prob. maj. Si differentia non præscindit, importat ex parte objecti ipsum genus; sed genus prædicatur per se *in quid* de eo, in cujus conceptu importatur : ergo. Patet maj. si enim non importatur in conceptu objectivo differentiæ, potest accipi talis conceptus sine genere. Patet item min. eo enim prædicatur de specie.

191 Ad hæc omnia una solutione respondet N. Manso, quòd dicto conceptu alterius duobus modis accipitur; aut formaliter, quando nempe in ipso conceptu includitur; aut tantùm præsuppositivè, quando videlicet in conceptu suo non includitur, præsupponitur tamen essentiali necessitate: tunc autem genus non est de conceptu differentiæ formaliter, hoc probat facta ratio, & intendit B. D. tùnc enim genus prædicaretur de differentia, & committeretur tautologia addendo differentiam generis; at verò includitur præsuppositivè, & hoc sufficit, ut non possit præscindi; si enim essentiali necessitate præsupponitur genus ad conceptum differentiæ, ea non potest sine genere intelligi; sed in hoc stat præcisio, quòd unum intelligatur sine alio : ergo.

192 Sed hæc solutio in primis relinquit, quod intendimus: Ens enim conceptus differentiæ non includit objective genus: ergo objectivè illud excludit, & hoc est præscindere. Deinde evertit rationem ejus pro principali conclusione illius quæstionis; probat enim ipse præcisionem objectivam, quia si tantùm daretur formalis, addendo unum alteri, fieret nugatio, talem rationem habet num. 18. & ad hanc eamdem affert præsentem solutionem. Insuper B. D. verbis suprà datis ait, quòd, quando unum dat intelligere alterum tantùm ex dependentia, non quòd in ejus conceptu includitur, tùnc non tollitur præcisio, imò nec realis distinctio, quod patet per exemplum ipsius; filius enim præsupponit patrem, & in sensu N. Manso includit præsuppositivè, & tamen non solùm ex parte objecti, & rei conceptæ excluditur pater á conceptu filii, sed realiter entitativè distinguitur; idem patet de effectu respectu causæ, & de quolibet posteriori ad suum prius. Mitto alia, quoniam ex his sufficienter patet æquivocatio, qua nititur, & patebit amplius solutione eorum, quibus ipse se fundat.

293 Ad primum ergo ex authoritate B. Doct. dicitur primò, quòd B. D. loquitur de posteriori in esse; at differentia est posterior in subsistendi consequentia, quo sensu etiam pater ut talis posterior est filio, valet enim, datur pater: ergo datur filius, quo sensu valet, rationale : ergo animal; at inter patrem, & filium datur non solùm mutua præcisio, sed entitativa distinctio : ergo posterioritas in subsistendi consequentia, quamvis

dat

dat intelligere alterum, non impedit mutuam exclusionem, & præcisionem ex parte objecti. Resp. secundò, quòd loquitur B. D. de posterioribus in esse, de quorum conceptu sunt priora; at juxta N. Manso, differentia non est sic posterior, non enim de conceptu ejus est genus: ergo. Patet itaque, quòd effectus posterior est in esse causâ suâ, idem de existentia respectu essentiæ; quia tamen non includitur, neque causa in conceptu effectûs, neque essentia in conceptu existentiæ, non negabit ipse Manso, quin mutuò præscindant prius à posteriori, & è contra: ergo paritér in proposito. Alitèr itaque posterior est genere species, alitér differentia; species posterior est, de cujus conceptu est ipsum prius, & de tali loquitur B. D. differentia autem posterior est tantùm in subsistendi consequentia, de cujus conceptu non est prius, & de hac non tenet dictum ejus.

Quærit itaque in illo loco B. D. non absolutè: An possit accipi prius sine posteriori; sed determinatè: An possit accipi quantitas mathematica sine sensibili? Ratio dubitandi est, quia res, sicut se habet ad esse, sic ad intelligi; sed quantum ad esse non separatur quantitas mathematica á sensibili: ergo neque quantum ad intelligi. Ad hanc rationem, & difficultatem hoc sensu solvendam adducit doctrinam illam, qua intendit, quòd sensibilis non potest accipi sine mathematica, benè autem è contrario; ratio autem est, quia sensibilis posterior est, ita quòd in conceptu suo includit mathematicam; addit enim quantitas sensibilis supra quantitatem mathematicam qualitatis, quibus sit sensibilis: mathematica ergo, quia prior est in suo conceptu, non includit sensibilem, & poterit sine illa accipi; sensibilis verò, quia posterior est, ita quòd in suo conceptu includit mathematicam, & illi addit, non poterit sine mathematica accipi. Patet itaque, quòd non de differentia loquitur, quam addit sensibilis supra mathematicam, sed de ipsa specie; quare inde licet colligere, quòd species á genere non præscindit, non autem, quòd differentia.

Hinc ad alterum, quod nos adduximus ex q. 11. de esse, & essentia, patet sensus; aliud enim est, quòd intellectus accipiat esse in re existens sine essentia; aliud verò, quòd formet conceptum de ipso esse, quin ex parte objecti attingat essentiam: illud primum impossibile est, quia existentia posterior est in esse, & supponit essentiam essentiali necessitate, & hoc ibi intendit Doctor; non autem hoc tollit, quin conceptus ipsius existentiæ ex parte objecti non includat essentiam, & possit sine illa accipi.

294 Ad rationem ejus negmin. jam enim patuit in multis, quòd æquè prius non est de conceptu

...ipsum posterioris, & è contra: quòd non de posteriori, sed de inferiori loquatur minor, tùnc negatur suppositum; quòd differentia sit inferior, patet enim in serie prædicamentali, quòd differentiæ è latere ponuntur, inferior autem ad genus sola species est: quòd si nihilominùs contendat, differentiam esse inferiorem, non de hoc opus est disputari; eo dato, non quodlibet inferius in suo conceptu includit superius, sed illud tantùm, cui inferius est per modum contenti; sic autem non differentia, sed species inferior est.

Ad confirmationem primò in...: Valet enim consequentia à relativo ad correlativum, ut à filio ad patrem, & è contra, ab effectu ad causam, ab esse ad essentiam: sed ista omnia non solùm in..., sed entitate ipsa realiter distinguuntur, & separantur: ergo ratio illa non probat. Rursus: Non valet consequentia, vivens: ergo corpus; spiritus enim vivit: ergo prædicat ex parte objecti vivens de corpore; & tamen est differentia. Deinde neg. conseq. cum ratione istâ, vel claritatis gratiâ distinguitur antec. Valet consequentia, rationale: ergo animal, ex parte rei significatæ, & ut rationale est differentia, neg. antec. rationalitas enim non infert animalitatem: valet illa consequentia ex modo significandi, & prout rationale est concretum, conc. anteced. habens ... rationalitatem, habet utique animalitatem, sed tùnc negatur suppositum, rationale enim hoc sensu non est differentia, sed species. Solutio patet ex jam dictis.

295 Hinc patet ad fundamenta Spinulæ, eâdem enim æquivocatione procedunt; differentiam nempè accipit ex modo significandi, & ut est concretum. Ad primum itaque primò, rugibile non est differentia quidditativa, sed proprietas leonis, differentia enim quidditativa est nobis ignota. Deinde, disting. antec. Rugibile ex modo significandi, & ut est concretum, includit principium sentiendi, conc. antec. sic autem non est differentia, sed tota quidditas leonis: rugibile ex parte rei significatæ, & ut dicit ultimum gradum, sive actualitatem formæ, includit principium sentiendi, neg. antec. Ad prob. ejus, rugitus est operatio sensitiva, & talis; sicut autem taleitas non includit, sed superadditur ad conceptum operationis sensitivæ, ita in ipsa virtute, taleitas, sive ultimus gradus superadditur ad conceptum, sive gradum virtutis sensitivæ. Hinc ad confirmationem, si definiatur rugibile, ut est concretum, debet in definitione poni animal; non autem, si definiatur rugitivitas, seu ultimus gradus formæ, & sic est differentia ex parte objecti, & rei significatæ.

296 Ad secundum, neg. min. ad prob. neg. maj. ad prob. ejus dicitur, quòd neutrum quidem im-

importat, præsupponit tamen animal; quia præsuponit, determinationem habet, & sic non latiùs patet, animal enim non habet determinationem; quia tamen neutrum importat in suo conceptu, potest conceptus ejus ex parte objecti accipi sine animali, & sic præscindit.

§. V.

Explicatur præcisio in Angelis, & vindicatur B. D. ab argument. N. Argent.

297 NOster B. D. in 2. dist. 3. p. 1. q. 1. art. 3. quærit: Utrùm in Angelis sit compositio ex genere, & differentia? Docet autem, esse quidem, sed alterius rationis, ac in istis corporalibus, nempè in corporalibus differentia ex parte rei significatæ importat partem quidditatis, & gradum formæ, in Angelis verò importat totam quidditatem; quare in his corporalibus differentia non prædicatur, secundùm quod importat ex parte rei significatæ, sed tantùm ex modo significandi, & ut sumitur adjectivè, & concretivè, ut ostendit Doctor 7. Metaph. q. 10. unde in definitione differentiæ ponit Porphyrius, quòd prædicatum in quale quid, nempè quale ex modo significandi, quid verò ex parte rei significatæ; at verò in Angelis differentia importat totam quidditatem; quare ea prædicatur de genere, & de specie, & sic tantùm impropriè, & latè est differentia.

198 Ratio autem hujus doctrinæ ex eo desumitur, quòd genus, & differentia, propriè loquendo, tantùm possunt accipi in habentibus compositionem physicam ex materia, & forma: propria enim genus, & differentia faciunt compositionem metaphysicam; & autem de necessitate fundatur in pra physicam. Accipiuntur itaque genus, & differentia propriè, secundùm quod forma perficit materiã secundùm alium, & alium *gradum*, ut genus significat materiam gradu communi perfectam, differentia verò ulteriorem gradum formæ prioris determinativum; quare, cùm dicitur, quòd genus sumitur á materia, differentia à forma, non est sensus, quòd genus solam significat materiam, sed quòd tenet modum materiæ, quatenùs significat totum potestativè, & ut perfectibile est; differentia verò à forma sumitur, & tenet modum formæ, quatenùs significat actualitatem, & gradum perfectivum, & determinativum, quod jam explicatum est.

Si ergo in simplici forma accipere compositionem metaphysicam, tantùm est extrinsecè, & ordine ad subjectum, quatenus nempè ea est receptibilis in subjecto, & habet perficere secundum alium, & alium gradum magis, & minus communem: si itaque in Angelis volumus accipere compo-

sitio

sitionem secundùm gradum magis, & minus universalem, oportet accipere compositionem physicam ex actu, & potentia, ut quatenus actus communiter perficit, accipiatur gradus communis; quatenus perficit magis specialiter, accipiatur gradus particularis.

Quia ergo quidditas Angeli est forma simplex non receptibilis in subjecto, non possumus in eo accipere compositionem, & gradum ipsa quidditate: tantùm ergo in eo accipitur physica compositio essentia, & esse, & quatenus noster intellectus accipit, quòd essentia per esse suum perficitur sic, & communiter cum recipit accipit conceptum communem spiritûs, sive substantiæ immaterialis; quatenùs verò accipit, quòd talis essentia est, & sic esse habet, accipit conceptum specificum talis substantiæ: ibi ergo conceptus communis, & specialis non significant compositionem in ipsa quidditate, sed quilibet gradus totam quidditatem importat sibi comparatam ad esse; quare in his præcisio non est ex parte objecti, & perfectionis conceptæ, sed tantùm ex parte actûs.

299 Hanc B. D. sententiam ex instituto probat, & latè propugnat N. Villan. ex quo Manso in præsenti, quamvis minùs consequenter, uterque enim inferiùs tenet contra expressam sententiam B. D. quòd genus supremum in prædicamento substantiæ est substantia ut sic in communi ad spirituale, & corporalem, ita quòd Angelus directè, & per se ponitur in prædicamento, & contrahit rationem substantiæ, quæ est genus supremum; si autem ratio substantiæ, quam contrahit Angelus, genus est, Angelus & habet compositionem ex genere, & differentia propriè talibus, & in eo potest accipi præcisio objectiva; patet enim, quòd genus supremum in prædicamento, & propriè genus est, & objectivè præscindit: sententia itaque B. D. est, quòd genus supremum in prædicamento substantiæ est corpus, sive substantia corporea, quam propugnabimus disp. 4. q. 2. art. 4. ubi iterùm recurrit præsens difficultas, & ex instituto probatur latiùs, ad præsens tantùm intendimus argumenta expendere, quæ contra sententiam B. D. objicit N. Argent.

300 Itaque N. Thom. de Argent. fidelissimus alioqui Ægidii discipulus, & qui ejus frequentèr sententias tuetur, & explicat, in præsenti non solùm tenet oppositam, sed B. Doctorem arguit inconsequentiæ in dictis suis in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. de hoc eodem quærens: An Angelus sit compositus ex genere, & differentia: priùs ergo quæ contra sententiam B. D. opponit; deinde, quæ pro se adducit, expendemus argumenta. Primò itaque arguit, quòd B. D. in 1. q. 2. Prol. expressè docet, quòd differentia, per quam differunt

runt singula, dicit totam speciem, & substantiam definiti, & probat per Philos. 7. Metaph. text. 35. sed hìc docet oppositum, saltim quantum ad differentiam rerum corporalium: ergo.

301 Sed in primis locus ille non habetur q. 2. Prol. sed q. 1. art. 2. deinde non text. 35. habetur locus Philosophi, sed ut B. D. citat, cap. 12. text. 43. patebit autem solutio, & quòd B. D. tenet consequentiam in dictis suis expendendo textum ejus, & locum Philosophi, quem pro se adducit. Itaque B. D. in illo articulo quærit: An Theologia sit scientia communis, vel specialis? Respondet, quòd specialis; & pro resolutione quatuor, ait, notanda, & primum sic proponit: *Primum declaratur sic: Quia ab illo eodem, à quo aliquid habet esse, & speciem, habet & illud, per quod diversificatur species, & esse: & ratio est, quia per illa eadem entia in esse specifico differunt, per quæ in esse specifico reponuntur; & ideo differentia, per quam differunt singula, dicit totam speciem, & totam substantiam definiti, ut videtur velle Philos. 7. Metaph. cap. de unitate definitionis.*

Hæc quidem in cortice literæ satis videntur apparentia, sed si ex consequentibus attendatur intentum, patet sensus ejus, subjungit itaque: *Sed cùm habitum sit, quòd scientia trahit esse, & speciem à subjecto, consequens est, quòd ab eodem trahat communitatem, & abstractionem; cùm esse commune, & esse abstractum essentialem differentiam constituat in doctrinis.* En, quo sensu differentiam, ait, totam substantiam importare rei definitæ; patet enim, quòd habitudo ad subjectum specificativum non est tota entitas scientiæ, siquidem scientia est qualitas perficiens intellectum in ordine ad tale subjectum; quare habet, quòd sit qualitas, & qualitas de tali specie, & deinde talis subjecti attactiva: non ergo sensus est, quòd sola differentia totam quidditatem, & entitatem physicam significat, sed quòd est tota ratio, & quòd totam formam significat, à qua subjectum est tale.

Eo ergo sensu, quo forma dicitur species, & quidditas subjecti, eodem differentia dicit totam substantiam, nempè formam significat sensu, quo dictum est supra quia ergo alitèr in corporalibus ac in spiritualibus accipitur forma, per quam in esse specifico ponuntur, alitèr in his, & in differentia significat totam quidditatem: in spiritualibus nempè in Angelis, forma quam unumquodque in esse specifico reponitur, dicit totam entitatem cujuslibet, quia unumquodque est forma simplex non recepibilis in subjecto; quare, quia differentia significat id, per quod in esse specifico reponitur, ideo his significat totam quidditat-

At verò in corporalibus forma, per quam in esse specifico reponuntur, dicit partem quidditatis, quia est forma recepta in materia; quare in his differentia non totam quidditatem significat, sed formam, quæ est tota ratio quidditatis, & unde habet res definita esse specificum; & hoc sensu dicitur significare totam quidditatem.

302 Hoc idem colligitur ex verbis Philosophi, quem pro se adducit B. D. intendit ergo Philosophus in illo cap. hanc dubitationem: Quare definitio una est, cum duo debeat includere, genus, & differentiam? Sensus autem rei dubitationis est, quòd genus non significat aliquid secundùm esse separatum á differentia, nempé non significat solam materiam, sed formam item; quare, quia eamdem rem significat differentia, unum quid est definitio ex utroque: deinde procedit explicando, quomodo sub genere accipiuntur differentiæ divisivæ ejus, ut si differentia animalis sit bipes, ulterior differentia bipedis non erit alatum, & non alatum, sed habens, aut non habens pedes fixos, quia hoc quædam peditas est.

Subjungit deinde, quòd, quia non oportet idem bis ponere, quandoquidem in genere includuntur superiora, erit in definitione accipere genus propinquum, & ultimam differentiam; & concludit: *Si igitur hæc ita se habeãt, manifestum est, quòd ultima differentia rei substantia erit, & definitio*; quæ sic exponit Commentator: *Manifestum est, quòd ultima differentia est ex specie, quæ est substantia illius speciei solius, & sola definitio ejus, & quòd illud, quod est ante, non est substantia propria ei.* Patet itaque sensus, quòd ultima differentia est rei substantia, & quidditas, nempé ratio determinativa, & quæ definitionem rei facit, eo sensu, quo præcedentes differentiæ non sunt rei quidditas, nempè quia sunt aliis communes: non ergo intendit, quòd conceptus differentiæ sic est tota quidditas, quòd nihil relinquitur extrà conceptum ejus, sed tãtum, quod est ratio determinativa, & ultimus gradus formæ dantis esse specificum.

303 Aliter posset responderi ex B. D. tùm in Art. vet. q. 12. sup. univ. tùm hìc §. *Est autem diligentèr notandum*; quærit enim in illa quæst. An rationale, vel rationalitas sit differentia? Respondet, quòd rationale, & non rationalitas est differentia; ratio est, quia differentia habet prædicari de specie, prædicatur autem rationale, non rationalitas. Sensum dat hoc præsenti articulo §. cit. sub medium, quo postquam explicuit, quòd in corporalibus differentia à forma sumitur, & non totum, sed solam formam significat, quia non se totis, sed per formas suas differunt corporalia, subjungit: *Differentia ergo, quia prædicatur denomina-*

minativè, implicat totum, sicut album; & omne denominativè prædicans, implicat illud, de quo prædicatur; nunquàm tamen differentia significat totum, neque ratio ejus sumitur à toto, sed à forma tantùm.

Sensus ergo est, quòd differentia objectivè, & ex parte rei est quid, & formalitas abstracta, quæ formam, seu ultimum ejus gradum significat, puta, rationalitas; quia tamen sic non potest prædicari, ex modo significandi sumitur adjectivè, puta, rationale, qualiter implicat totum. Quando itaque dicitur, quòd differentia importat totum, potest dici, quòd sumitur differentia adjectivè ex modo significandi, quod non tollit, quin ex parte rei significatæ non totum, sed partem quidditatis importet, nempè gradum formæ, & sic ex parte objecti præscindat, quod non habet differentia in Angelis; & hoc sensu difficultatem solvit Scholiator Beati Doctoris.

304 Arguit secundò idem Argent. quòd B. D. hìc asserit, quòd in Angelis ratio generis sumitur à tota natura, prout dicit potentialitatem; ratio verò differentiæ ab eâdem tota natura, prout dicit actualitatem; ex quo arguit: Quandocumque aliqua significant eamdem rem sub diversis rationibus, quarum una non includit aliam, illa simùl juncta non faciunt nugationem, ut patet per Commentatorem 4. Metaph. text. 3. ubi vult, quòd dicendo, ens unum, non est nugatio; sed juxta B. D. alia est ratio generis, & differentiæ in Angelis, nec una includit aliam, cùm ab oppositis rationibus sumantur, nempè una à potentialitate, alia ab actualitate: sequitur ergo, quòd genus, & differentia in Angelis non faciunt nugationem, cujus tamen oppositum ponit Doctor.

Et confirmat hanc rationem: Quia secundùm Boœtium, species propriè definitur; sed in Angelis reperitur vera specifica natura juxta B. D. ergo Angelus propriè poterit definiri; tùnc autem, ut patet in Top. & sæpè alibi, propria definitio datur per genus, & differentiam: ergo in Angelis vera datur compositio ex genere, & differentia.

305 Hoc argumentum in multis deficit: primò in min. non enim ait B. D. quòd alia est ratio generis, & differentiæ in Angelis, ita quòd una excludat aliam, imò oppositum ex instituto intendit: deinde in maj. non enim ens, & unum dicunt aliam, & aliam rationem ex parte objecti, ita quòd una excludat aliam, imò oppositum illo textu intendit Philosophus, sed ita quòd alia sit ratio ex parte cõceptûs expliciti, sive quantum ad diversam significationem. Itaque textum Philosophi ex instituto expendemus disp. 1. Metaph. q. 3. art. 1. interim ex ibi dicendis,

tis, eo textu intendit Philosophus, quòd idem significat ens, & unum, non tamen ab eâdem ratione significandi, sive non sicut synonyma; quia nempè voces significant mediâ conceptione, licet ex eâdem re concepta, non tamen eodem conceptu; quare ait, quòd non est idem dicere, homo unus, ac homo homo, nempè hoc secundum idem dicit ab eodem conceptu, seu eâdem ratione significandi illud primum sic idem dicit, quia non ab eodem conceptu.

306 Quod clarius patet ex Commentatore, quem ipse adducit: Commentat. enim super hunc unum adducit opinionem Avicennæ ponentis, quòd unum importat intentionem, sive dispositionem intentionalem supra ens; hanc rejicit Commetator: non quia intendit, quòd unum, & ens dicant diversam rationem, ita quòd una excludat aliam; patet enim, quòd tùnc esset diversa intentio. Deinde ponit argumentum Avicennæ, quod tale est: Si ens, & unum dicunt eamdem intentionem, addendo unum alteri fieret nugatio; sed non fit: ergo. Ad hoc respondet: *Quòd non sequeretur, nisi diceremus, quòd significant eamdem intentionem, & eodem modo; nos autem diximus, quòd significant eamdem essentiam, sed modis diversis, non dispositiones diversas essentiæ additas.* Patet hinc, quòd intendit Commentator, quòd ens unum non est nugatio, non quia duo importat ex parte objecti, sed quia idem diversimodè acceptum.

307 Ad argumentum ergo dicitur, quòd nugatio est duplex; altera metaphysica, non autem logica; altera non solùm metaphysica, sed logica etiam: nugatio enim fit, quando idem bis ponitur; potest autem idem bis poni, ita quòd eadem sit ex parte objecti res significata, quam tamen aliter, & alitèr concipiat intellectus, & eo alitèr, & alitèr explicet, sive aliâ, & aliâ voce; & tùnc metaphysicè quidem est nugatio, quia eadem quidditas bis ponitur, non autem logicè, quia diversa est ratio significandi, significant enim voces medio conceptu: aut potest etiam idem bis poni, ita quòd non solùm eadem sit ex parte objecti res concepta, sed idem etiam modus concipiendi, in dicendo: homo est homo, ensis est gladius: dicendo ergo ens unum, non fit nugatio logicè, quia ex diversa ratione significandi, nempè ens ab esse, unum ab indivisione; fit tamen nugatio metaphysicè, quia idem ex parte objecti importat unum, atque ens, nempè quidditas, se ipsa objectivè habet indivisionem.

Intendit ergo B. D. quòd addendo differentiam generi in Angelis fit nugatio, non verò in corporalibus, nempè metaphysicè, & ex parte objecti, eo sensu, quo fit nugatio addendo genus speciei, ut

si dicatur homo animal, quia in Angelis idem ex parte objecti importatur per conceptum generis, ac per conceptum differentiæ, nempè tota quidditas, sicut in conceptu hominis importatur ex parte objecti animal; at verò in corporalibus metaphysicè, & ex parte objecti, quod significatur per conceptum differentiæ, non importatur in conceptu generis, aut è contra. Intendit autem Commentator, quòd addendo unum enti, non fit nugatio logica, & quantum ad modum concipiendi eamdem intentionem; sic autem neque in Angelis fit nugatio addendo differentiam generi, hoc autem non sufficit ad metaphysicam compositionem, & præcisionem ex parte objecti; patet enim, quòd ens, & unum dicuntur de Deo, in quo non est talis compositio, aut præcisio.

Ad confirmationem: Datur quidem in Angelis vera natura specifica, sed non vera species prædicabilis, ut ex instituto probabitur disp. seq. definitur autem propria definitione, & per genus, & differentiam, non quælibet natura specifica, sed quæ propriè est species prædicabilis; hæc enim tantùm constat genere, & differentiâ, alioqui deberet propriâ definitione definiri natura Divina.

308 Arguit tertiò directè pro conclusione sua: Id, de quo genus essentialiter prædicatur, sa vâ distinctione ab aliis speciebus ejusdem generis, in illo reperitur compositio generis, & differentiæ; sed ita est Angelus: ergo. Prob. min. quia substantia, quæ est genus generalissimum, essentialiter prædicatur de Angelo; sed aliunde distinguitur ab aliis speciebus ejusdem generis, nempè non solùm à substantiis corporalibus, sed etiam ab aliis Angelis: ergo. Resp. neg. min. ad prob. ejus neg. maj. Probabimus enim ex instituto disp. 4. quòd substantia, quæ est prædicamentum, non prædicatur de Angelo.

309 Arguit quartò: Quandocumque aliquod genus æqualitèr dividitur in aliqua duo, si unum divisorum est compositum ex genere, & differentiâ, & alterum; sed genus generalissimum substantia primæ suî divisione dividitur immediatè, & æqualitèr in substantiam corpoream, & incorpoream: cùm ergo substantia corporea compositа sit ex genere, & differentiâ, idem dicendum de incorporea. Resp. sicut ad præcedens, neg. min. substantia enim, quæ dividitur immediatè per corporeum, & incorporeum, non est substantia, quæ est genus, sed est ratio analoga.

310 Arguit quintò: Omnis natura finita, & limitata, quæ conceptibilis conceptu confuso, & determinato, in illa reperitur compositio generis, & differentiæ; sed ita est Angelus: ergo. Patet min. planum est enim, quòd si Angelus

conci-

concipitur, ut est substantia, magis confusè concipitur, quàm ut est spiritus. Patet item maj. quia à conceptu communi, sive confuso sumitur ratio generis; & á conceptu determinato, & contrahente illum conceptum communem sumitur ratio differentiæ.

311 Resp. primò, quòd eodem argumento probatur, quòd ens sit genus, quod tamen ipse non admittet; patet enim, quòd magis confusè concipitur, ut est ens quàm ut est substantia. Deinde directè neg. maj. ad prob. dicitur, quòd non ex quocumque conceptu communi, & contrahibili, sive confuso sumitur genus, sed ex eo tantùm, qui metaphysicè contrahibilis est, sive per differentiam objectivè superadditam; hujusmodi autem non est in Angelo conceptus substantiæ, significat enim ex parte objecti totam ejus quidditatem, & quòd est forma simplex non receptibilis in subjecto.

312 Arguit sextò: Natura Angeli non est actus purus, quia tunc esset Deus; nec potentia pura, quia tunc esset materia prima: ergo est actus permixtus potentiâ; sed tunc ratio generis sumi potest a tota natura, prout in ea reperitur potentia; ratio differentiæ ab eâdem tota natura, ut in ea reperitur ratio actûs; tandem ratio speciei, quæ unit in se copulat utrumque: erit ergo in Angelo species composita ex genere, & differentiâ. Resp. quòd B. D. non negat in Angelo talem compositionem logicè, & quantum ad conceptus explicitos, sed metaphysicé, & ex vero genere, & propriâ differentiâ, quæ ex parte objecti non totam quidditatem, sed partem metaphysicè important; argumentum tantùm illud primum probat. Ad formam, concessâ primâ conseq. distinguitur subsumptum: Ratio generis propriè; & metaphysicè talis sumetur à tota natura, neg. ratio generis latè, & quantum ad conceptum explicitum, conc. subsumptum. Solutio patet ex jam dictis.

ARTICULUS II.

Per quem actum intellectus fiat Universale?

§. I.

Quibusdam notatis, referuntur Sententiæ.

313 SEnsus dubitationis est, posito, quòd præcisio, quæ intervenit in formando universale, non solùm ex parte actûs, sed ex parte etiam conceptûs objectivi præscindit, & separat: An sufficiat actus directus sic præscindens, an requiratur ulterior actus reflexè comparans prædicatum præcissum ad inferiora sua? Pro cujus expeditione notandum primò ex B. D. in 1. dist. 25. q. 1. art. 1. §. *Propter hoc dicendum*, quòd universale sumi po-

test dupliciter; uno modo absolutè; alio modo respectivè: absolutè dicit prædicatum ipsum, quod universale est, ut homo animal; respectivè dicit intentionem ipsam universalitatis, ut species genus: primum est universale primæ intentionis, seu metaphysicum; alterum est universale secundæ intentionis, sive logicum.

Dicitur ergo universale metaphysicum ipsa quidditas abstracta secundùm se, & ut est quidditas, quia de ea sic agit Metaphysicus; hoc autem dicitur sumi absolutè, quia ipsa quidditas secundùm se nullam habet relationem, sed tantùm modum relativi, quo se ipsa intransitivè ad relationem superadditam est relativa secundùm dici, & exigit relativè concipi ad ea, quibus potest contrahi, & in quibus potest esse. Sic relativè concepta est universale logicum, & illa relatio, quæ in ipsa concipitur ad inferiora sua, est secunda intentio, & universalitas logica.

314 Notandum deinde, quòd actus, de quo potest esse difficultas, multiplex est; pro cujus intelligentia ex dicendis in lib. de An. oportet præmittere processum intellectûs nostri in cognoscendo: ita que noster intellectus, eo quòd purà potentia est, nihil intelligit nisi per speciem à re ipsa acceptam; quia autem res extra sensibilis est, species ejus á re ipsa sensui impri mitur, & objectum repræsentat, ut est sensibile, atque à sensibus speciem accipit intellectus: ut ergo species fiat in actu intelligibilis, sive objectum repræsentet ut intelligibile, oportuit ponere intellectum agentem, á quo illustratur phantasma, & virtute ejus á specie, quæ est in phantasmate, & objectum repræsentat, ut est sensibile, causetur species in intellectu possibili, quæ objectum repræsentet, ut est intelligibile.

Iste est ergo processus, quòd ab objecto in re existente causatur species in sensu, puta, in potentia visiva, & ista objectum repræsentat, ut in se est, nempè cum conditionibus existendi, figura, colore &c. sicut imago ejus imprimitur in speculo; hoc eodem modo illud percipit imaginativa, sive phantasia, quæ etiam est potentia sensitiva: deinde irradiatione intellectus agentis ab ista specie causatur in intellectu possibili alia ad modum ipsius intellectûs repræsentans, nempè ipsum quid sine hic, & nùnc, & conditionibus sensibilibus: deinde intellectus factus in actu per hanc speciem, quæ concitur actus primus intelligendi, objectum percipit, prout in eo præsentatur.

An autem illa species in lumine intellectûs agentis tantùm abstrahat á singularitate, & conditionibus sensibilibus, ita quòd repræsentet naturam specificam sine hic, & nùnc, non verò prædicata generica, & differentialia? Quæstio est, quæ ad præsens institutum non re-

fert,

sert; sufficit enim, quod illa species repræsentet naturam sine hic, & nunc, & ut est in actu intelligibilis ut ea sit universalis pro priori cognitionem. Vtrumque dici potest; uno modo, quòd species sensibilis repræsentat modo sensibili id, quod est à parte rei, & quia à parte rei non est animal, sed tale animal, id de necessitate repræsentat species sensibilis; & quia intellectus agens tantùm habet denudare à conditionibus sensibilibus, & facere actu intelligibile quod erat actu sensibile, species in lumine intellectûs agentis repræsentat naturam specificam, cujus autem prædicata format intellectus possibilis aliter, & aliter illam concipiendo; quare talia prædicata non in specie impressa, sed tantùm in expressa repræsentantur.

Alio modo dici potest, quòd etiam in ipsa specie impressa in lumine intellectûs agentis, non solùm natura specifica, sed cætera etiam ejus prædicata repræsentantur: per sensus itaque accipitur species objecti, ut est in re; Petrus autem, ut est in re, habet, quòd sit hoc corpus, & quòd exerceat operationem vegetandi, sentiendi, & discurrendi, quod sensus ipse percipit: ex his ergo species ipsa in lumine intellectûs agentis habet repræsentare prædicata quidditativa, quæ sunt uniuscujusque principium, ut ex operatione sentiendi animal, sive virtutem sensitivam, & ita de reliquis.

Quia ergo species in lumine intellectûs agentis repræsentat quidditatem secundùm se, & ut est intelligibilis, hoc percipit intellectus primo actu, sive directâ tendentiâ in objectum, quæ proinde dicitur actus directus, & abstractio intellectûs possibilis. Deinde, secundo actu reflectitur intellectus supra id, quod cognovit, & collatione ad id, quod est extra, videt, quod ita, vel ita sibi convenit, & de eo potest prædicari; & iste dicitur actus reflexus, & comparatio simplex. Vlteriùs, quia videt intellectus hoc secundo actu, quòd id, quod cognovit, ita, vel ita convenit, & prædicari potest de inferiori, prædicat; & hic tertius actus est judicium, & dicitur comparatio composita.

315 Nonnulli actum directum, sive abstractionem intellectûs possibilis dividunt in positivam, & negativam, quam tamen divisionem non uno modo explicant. Martin. apud Merin. vocat abstractionem positivam, qua concipitur natura extra inferiora, sed non sine illis; negativam verò, qua sine inferioribus concipitur. Merin. videtur velle, quòd abstractio positiva sit, qua cognoscitur natura sine singularitate, sed non cognoscitur unum non esse alterum; negativa verò, qua cognoscitur unum non esse alterum. N. Manso vult, quòd abstractio negativa sit, qua cognoscitur natu-

ra, nullo modo cognitis inferioribus; positiva verò, qua cognoscitur natura præcisſa ab inferioribus, cognoscuntur tamen inferiora tanquam terminus, à quo fit abstractio.

316 Sed hæ omnes distinctiones inutiles omninò apparent: actus namque directus, qualis est præcisio illa, tantùm attingit ipsum quid in eo, quod quid est, v. g. animal in eo, quod est animal, sive virtus sentiendi; ut autem attingat intellectus: An distinguatur ab isto, an excludat, sive an ab hoc, vel illo separetur, alium requirit actum reflexé comparantem hoc cum illo; id enim est collatio quædam, & sic se habere ad alterum, quod non habet ipsa quidditas secundùm se; actus autem directus tantùm attingit quidditatem secundùm se.

317 De his ergo actibus dubitatur, quo fiat universale; & tot sunt sententiæ, quot capita. Ortiz octo enumerat, & fatetur aliquas omittere; solemniores ad tres reduci possunt. Prima docet, universale metaphysicum fieri per abstractionem intellectûs agentis; logicum verò per actum reflexè comparativum naturæ ad inferiora. Hanc esse Thomistarum communem, ait Joan. de S. Thom. Secunda sententia docet, per abstractionem intellectûs agentis nullum fieri universale, sed metaphysicum fieri per abstractionem positivam intellectûs possibilis; logicum verò per simplicem comparationem. Ita communiter Scotistæ apud Merin. disp. 2. q. 3. Tertia sententia docet, universale sive logicum, sive metaphysicum fieri per abstractionem positivam intellectûs possibilis, non tamen cognosci nisi per actum reflexé comparativum. Ita N. Villan. cui adhæret Manso.

§. II.

Proponitur, & probatur prima Conclusio.

318 NObis dicendum primò, universale metaphysicum fieri per quamcumque abstractionem, etiam intellectûs agentis. Hæc est contra Scotistas, & NN. etiam, qui ponunt, solâ abstractione positivâ intellectûs possibilis fieri universale, in hoc tamen minùs consequenter. Pro cujus intelligentia nota, quòd motivum Scoticæ sententiæ est, quia in lib. de Anim. quæritur: An habeat noster intellectus speciem propriam rei singularis? Docent Scotistæ, quòd sic; quare consequenter hìc tenent, quòd tantùm per cognitionem fit universale, species enim in abstractione intellectûs agentis repræsentat ipsum singulare; docent verò NN. quòd objectum directé, & per se attingibile ab intellectu nostro est universale, & quòd singulare solùm intelligit per conversionem ad

phan-

fantasmata; quod in lib. de An. dicit expresè B. D. & ibi ostendimus: non ergo hìc consequētèr dicitur, universale non fieri per abstractionem intellectûs agentis; patet enim, quòd objectum fit in actu intelligibile pro priori ad cognitionem per irradiationem intellectûs agentis; sed per ipsos in actu intelligibile est universale: ergo.

319 Prob. ergo primò ex B. D. quidem illo eodem loco, ex quo eum deducit N. Villan. nempè dist. 17. q. 2. art. 1. ad 4. postquàm de specie secundùm quod est, quantum ad entitatem suam, asserit esse quid singulare, ex quo fortè motus est Villan. subdit: *Si autem illæ species sunt universale, hoc est ratione objecti, quod repræsentant, & in cognitionem ducunt; nam cùm illæ species sint abstractæ à materia, & à conditionibus materiæ, quæ sunt hìc, & nùnc, ideo per se, & directè repræsentant objectum universale, non particulare, & hoc est, quod Commentator ait in 1. de Anim. comment. 8. quòd intellectus facit universalitatem in rebus.* Ergo loquitur de specie, quæ ducit in cognitionem, & consequenter ut cognitionem præcedit; de hac ait, quòd repræsentat universale, quia abstracta est à materia, & conditionibus materiæ: ergo per abstractionem intellectûs agentis, quam utique habet species, quæ ducit in cognitionem, fit universale metaphysicum, & ut est objectum directum intellectûs.

Prosequitur ibi: *Nam cùm particularia, sive individua differant per materiam, quia in alia, & alia parte materiæ recipitur alia, & alia individualis forma; si quis posset cum dolabro, vel cum aliquo instrumento removere has differentias individuantes ab individuis, omnia individua ejusdem speciei fierent unum, quia non haberent, per quod differant; sed cùm hoc non possit fieri realiter, sed fiat per intellectum, quia intellectus intelligit res materiales sine conditionibus materiæ, intellectus facit universalitatem in rebus, & species in intellectu sunt repræsentativæ rerum universalium.* En per hoc solum, quòd removeatur differentia individualis, sicut removeretur cum dolabro, vel instrumento, fit universale; sed ita removetur per abstractionem intellectûs agentis: ergo.

320 Dices: B.D. expresè habet modum, quo fit illa abstractio sufficienter, ut objectum sit universale, ait enim: *Quia intellectus intelligit res materiales sine conditionibus materiæ*: ergo actu, quo ita intelligit. Contra, primò: Talis actus non est abstractio positiva, ut ipsi volunt. Secundò: Hoc solùm, quòd removeatur differentia individualis, fit universale, ut intendit Doctor; sed juxta ipsos sufficienter removetur per intellectum agentem: ergo. Sensus itaque est, quòd, quia intellectus di-

rectè

rectè, & per se intelligit quidditatem sine conditionibus materiæ, pro priori ad actum intelligendi ipse intellectus, ut est agens, debet objectum denudare à conditionibus materiæ; & quia sic est universale, ipse intellectus facit universalitatem actu, quo sic denudat.

321 Hæc adeo sunt clara, ut mirum sit, Gerardum de Sen. fidelissimum alioqui Ægidii discipulum in 1. dist. 3. q. 3. a. 2. docêre speciem impressam, quæ per actum intellectûs agentis abstrahitur, non esse universalem, quoniam universale dicit esse perfectè abstractum á phantasmatibus; talis autem species solùm est abstracta quantum ad modum immutandi, concernit autem ipsum particulare, & materiale subjectum; quare, ut sit universalis, ulteriùs requirit cognitionem perfectè abstrahentem, ita habet §. *Neque valet.*

322 Mirum, inquam, sic docêre: Tùnc enim sequeretur, quòd intellectus directo aspectu attingeret singulare, quod perpetuò negat B. D. & ex instituto probabitur disp. 3. de Anim. q. 5. art. 3. Sequela autem ostenditur: Attingit enim intellectus actu directo objectum, ut repræsentatur in specie impressa abstracta per intellectum agentem: si ergo in tali specie sic repræsentatur natura, quòd concernit ipsum singulare, id potest directo aspectu attingi; docet autem B. D. quòd tantùm attingit singulare per conversionem ad phantasmata, ut ibi explicabitur, sive *uniendo se sensui*, ut habet in 1. dist. 30. q. 1. art. 3. Præterea: Non aliter intelligit intellectus singulare præsens, sive per speciem à phantasmate acceptam, ac absens, sive per speciem objecti, quòd priùs intellexit acceptam á memoria: ergo eodem modo in utrâque repræsentatur; & consequenter, si in specie objecti cogniti repræsentatur, ita quòd omninò non concernit singulare, eodem modo repræsentatur *in* specie impressa, sive *cognosci*. Patet antec. quia utroque modo docet B. D. quòd non nisi per conversionem ad phantasmata attingit singulare.

323 Prob. secundò conclusio ratione, quæ ex verbis B. D. deducitur: Per quemcumque actum separetur natura á singularitate, fit universale metaphysicum; sed ita separatur abstractione intellectûs agentis: ergo. Minorem NN docent, contra quos agimus; contra Scotistas verò probabitur *ex* instituto in lib. de Anim. loc. prius citat. Majorem habet expresse B. D. verbis suprà datis, insuper ratione ostenditur: Hoc ipso, quòd sine differentiis determinantibus repræsentetur quidditas, est ipsa essentia, quæ in omnibus inferioribus reperitur, & habet se ipsa intransitivè quidditativam aptitudinem, ut cuilibet inferiori conveniat, & consequenter est meta-

physi-

...ficè universalis; sed ita repræ-...catur per abstractionem intelle-...agentis: ergo. Patet min. si ...abstractio intellectûs agentis ...quòd objectum sit actu in-...ligibile, species vi illius repræ-...tat ipsum quid, ut quid est tan-..., puta, hominem præcisè, ut ...o est. Patet inde maj. homo ...præcisè, ut homo est, unam ...itatem dicit se ipsa intransi-...convenientem, & positivè ...munem Petro, & Paulo.

Confirmatur, sive directè for-...hæc eadem ratio contra ...as: Species repræsentans ...itatem animalis præcisè, & ..., ut est virtus sentiendi, re-...entat universale metaphysi-...; sed ita repræsentat species ...essa pro priori ad cognitio-...& consequenter in abstractio-...ellectûs agentis: ergo. Patet ..., quia quidditas animalis ut ..., & præcisè, ut est virtus sen-...di, non importat ea, quibus ...ir multiplex, & consequenter, ut ..., repræsentatur de se indiffe-...ns, & communis ad omnia infe-...ora. Prob. min. primò: Quia sic ...est intelligibilis: ergo sic repræsen-...atur pro priori ad cognitionem. Secundò: Quia ipsi docent, quòd objectum movens ad actum cog-...oscendi præcedit actum ipsum; ...sed movet ad actum cognoscendi ...tiam ipsa quidditas animalis in ...acie repræsentata: ergo. Ex quo ...sequitur ulteriùs ad hominem contra ...M. confirmari præcedens ratio: Quoniam ipsi docent, quòd objectum motivum intellectûs, & directe intelligibile in actu est universale, singulare enim est in actu sensibile, & non nisi per conversionem ad phantasmata intelligitur; sed per abstractionem intellectûs agentis fit objectum motivum intellectûs, & directe intelligibile in actu: ergo.

324 Prob. tertiò ex alio textu B. D. quodl. 1. q. 9. ubi quærens: An Angeli cognoscant singularia? in resolutione assignat differentiam inter intellectum nostrum, & Angelicum, & ait: *Forma autem intellectûs nostri est species intelligibilis abstracta à phantasmatibus, & conditionibus individuantibus; & quia illa species est abstracta à conditionibus individuantibus, intellectus noster recto aspectu, & ut efficitur in actu per illam speciem, non cognoscit rem individualem, & particularem, sed abstractam, & universalem. Si ergo intellectus noster debeat cognoscere particulare, hoc non erit directo aspectu, quia tunc non ageret secundùm formam, quod est contra rationem agentis, sed cognoscet particulare per reflexionem convertendo se ad phantasmata.* Ex quo

325 Prob. quartò: Si universale metaphysicum tantùm fit per abstractionem intellectûs possibilis, tunc agens non ageret secundùm formam, qua est in actu; sed hoc est inconveniens: ergo. Patet min. ex communi principio, quòd unum-

unumquodque agit, secundùm quod est in actu per formam, secundùm quam agit. Ostenditur maj. Intellectus, ut cognoscat, fit in actu per speciem intelligibilem: aut ergo illa species intelligibilis, secundùm quam fit in actu, repræsentat universale metaphysicum; aut non? Si primum, habetur intentum conclusionis, fit enim in actu per speciem abstractam ab intellectu agente: si secundum, habetur intentum argumenti: Illa enim cognitio format universale metaphysicum; at ita non est forma, per quam fiebat in actu: aut ergo non agit, secundùm quod est in actu per formam, aut talis forma pro priori ad actum est universale metaphysicum.

Confirmatur: Idem eodem modo repræsentat species expressa, quæ est terminus cognitionis directæ, ac species impressa movens ad talem cognitionem; sed repræsentatum in specie expressa est universale metaphysicum: ergo. Patet major, quia species expressa est imago, quam format intellectus in percipiendo id, quod repræsentat species impressa; imò N. Gavardi cum multis vult, quòd non distinguuntur realiter, sed ipsa species impressa, ut percepta ab intellectu, dicitur expressa. Patet item min. quia universale metaphysicum est ipsa prima intentio objectiva. Hæc ratio colligitur ex B. Doctore quodlib. 2. quæst. 6. quem tamen locum latiùs statim expendemus pro conclusione secunda.

§. III.

Proponitur secunda Conclusio.

326 DIcendum secundò: Universale logicum tantùm fit actu reflexo, seu simplici comparatione naturæ inferiora. Hæc Conclusio est contra NN. Manso, & Vilan. expressè tamen illam habet B. D. multis in locis, ex quo probatur primò ex quodl. 2. q. 6. §. *Redeamus ergo*, ubi ita habet: *Redeamus ergo, & dicamus, quòd intellectus primo aspectu fertur in ipsam essentiam secundùm se, sive in ipsum esse essentiæ; sed propter istam latitudinem, & propter istum aspectum ipsa essentia non apprehenditur ab intellectu, ut est quid universale; sed quando intellectus se convertit supra ipsum esse essentiæ, & videt quòd illud est commune multis, tùnc dicit, quòd illud esse est quid universale.* En apertissimè utrumque, & quòd actu directo attingitur id, quod est universale metaphysicè, & transcendenter, non tamen isto actu habet intentionem ipsam universalitatis; & insuper, quòd talem intentionem, quæ est universalitas logica, habet, quatenùs intellectus se reflectit, & comparando prædicatum cognitum ad ea, quæ sunt extra, videt, quòd est commune multis.

Proble-

Prosequitur ibi: *Ideo cognitio intentionis est intentio prima, dico primò, quia est objectum intellectûs secundùm latitudinem primam: cognitio autem universalitatis est intentio secunda: dico secundò, quia est objectum intellectûs non secundùm latitudinem primam, sed prout reflectitur supra illud, quod cognovit, scilicet, ipsum esse commune multis.* Sic cognitio directa, sive intentio prima tantùm attingit esse rei, quod est objectum directum primæ tendentiæ; ens item universalitas, quæ est secunda intentio, eo talis dicitur, quia est objectum intellectûs secundùm latitudinem secundam, sive prout se reflectit: sed universalitas logica est secunda intentio: ergo.

Ulteriùs ibi prosequitur: *Ipse noster intellectus noster fertur in ipsum, ut in hominem, capram, & alia, quæ, ut sunt objectum intellectûs, habent esse essentiæ, & praedicantur de rebus; sed ut postea intellectus se reflectit supra res, & dicit, quòd prædicantur de pluribus, sic habent esse universale formaliter, & sic accipitur universale, ut est subjectum intentionis universalitatis.* Ens sic habet esse universale formaliter: ergo priùs in ordine directo tantùm habet esse universale fundamentaliter, & metaphysicè.

327 Ex his apertè patet, quòd opinio N. Manso non est ad mentem B. D. ait enim, quòd in actu directo non habet esse universale formaliter, hoc est, quoad cognosci, habet tamen esse ipsa universalitas metaphysicè, & quoad esse. Patet, inquam, hoc non esse ad mentem Doctoris: primùm enim ait, quòd propter aspectum directum non accipitur, ut est subjecta intentioni universalitatis; si autem metaphysicè, & quoad esse habet universalitatem, patet, quòd est subjecta intentioni universalitatis. Deinde ait, quòd intentio prima objectivè est ipsum esse essentiæ, universalitas autem est intentio secunda; si autem ipsa universalitas metaphysicè, & quoad esse est in actu directo, tùnc non secunda, sed prima intentio est. Tandem, si per actum reflexum tantùm habet cognosci, non verò esse, non benè diceret Doctor, quòd tùnc habet esse universale formaliter, & tùnc est subjecta intentioni universalitatis; patet enim, quòd priùs esset subjecta illi intentioni, & haberet esse, licèt non cognosci.

328 Prob. secundò ex eodem B. D. in 1. dist. 30. q. 1. art. 3. ubi ait: *Ut si aliquis intellectus uniendo se sensui apprehendit Sortem, vel Platonem, huic apprehensioni immediatum fundamentum res extra respondet; postmodùm, quia cognoscit intellectus, quòd hoc apprehensum non prædicatur de pluribus, nominat ipsum individuum.* Nota ly *postmodùm*, & vides, quòd secunda intentio individui attribuitur ab intellectu rei

conceptæ, quatenùs supra se reflectit, & comparando ad rem extra, videt, quòd de uno tantùm prædicatur; sed eodem modo, quo format intellectus in Sorte intentionem individui, format in homine intentionem speciei: ergo.

329 Prob. tertiò ex eodem B. D. in eodem 1. dist. 25. q. 1. a. 1. §. *Propter hoc dicendum* sub medium, ubi ita habet: *Ideo notandum, quòd natura duplicitèr potest nominari; uno modo, ut in significato nominis includatur habitudo; alio modo, ut in tali significato non includatur habitudo, sed tantùm significetur res ipsa, cui talis habitudo competit, propter quod homo non est nomen secundæ intentionis, neque est illud, in cujus significato includitur habitudo ad intentionem, sed est illud, cui convenit talis intentio, quia concedimus, quòd homo sit species: igitur aliquando in nomine includitur habitudo, aliquando non includitur, quia in nomine, quod est homo, non includitur, in eo autem, quod est species, includitur.* Ex quo sic: Actu directo attingitur res, ut significatur per vocem *homo*, ut autem significatur per vocem *species*, non nisi actu reflexo; sed, ut habet relationem, non significatur per vocem *homo*, sed per vocem *species*: ergo non habet relationem, ut attingitur actu directo, sed tantùm, ut attingitur actu reflexo.

330 Probat. quartò ratione: Universale logicum constituitur per relationem rationis, quæ est secunda intentio; sed talis tantùm habet esse per actum reflexè comparativum: ergo. Utraque præmissa probanda est, quoniam majorem negat N. Villanova tenens, quòd est relatio realis; minorem verò negat N. Manso tenens, quòd ea resultat ex actu recto, quod item tenet Villanova. Major primò expresse habetur text. B.D. loc. sup. cit. quodl. 2. 6. ubi ait, quòd *utrumque est rationis, alterum tanquàm intentio prima, alterù tanquàm intentio secunda*: ergo non solùm secunda intentio, sed prima etiam est rationis.

Deinde, ratione prob. eadem maj. Universalitas est superioritas, & prædicabilitas prædicari communis de suis inferioribus; sed hæc est relatio rationis, si sumatur logicè, & formalitèr: ergo. Patet maj. est enim universalitas communitas illa, & indifferentia, vi cujus prædicatum universale de inferioribus dicitur in quid, & directè. Patet item min. illa enim superioritas metaphysicè est *ipsa* quidditas se ipsa intransitivè indifferens, & communis; logicè autem, & formalitèr habitudo, quam concipit intellectus ad inferiora, sed talis habitudo nequit esse realis: ergo. Patet hæc min. quia relatio realis est de necessitate unius ad alterum, neque esse omninò potest inter identificata; sed prædicatum universale est ipsa quidditas inferioris, cui est universale, de

...ubim prædicatur in quid: ergo.

Deinde prob. min. contra N. Manso: Si illa relatio non formatur actu reflexo, sed ex actu directo resultat, ea est relatio realis; sed est rationis, ut jam patuit, & ponit ipse Manso: ergo. Prob. sequela maj. Relatio, quæ posito fundamento re ipsa consequitur, realis est; sed talis esset, si pro priori ad actum reflexum in ipso actu directo sumatur: ergo. Prob. maj. Ad talem relationem per se, & formaliter nihil confert intellectus, sed tantum ad fundamentum ejus; sed quod fundamentum ponatur ab intellectu, non tollit, quòd relatio sit realis, si ipsa non formaliter ab intellectu, sed re ipsa resultant: ergo. Patet maj. si enim ea resultat, tantùm habet intellectus ponere fundamentum ejus, non tamen ipsam relationem. Ostenditur minor: Similitudo inter duos conceptus fundamentum habet, quod ab ipso intellectu ponitur; ergo ea est relatio realis, non alio, nisi quia posito fundamento, non per intellectûs, sed re ipsa consequitur illa relatio: ergo.

331 Prob. quintò: Si universalitas logica non actu reflexo fieret, sed resultaret in objecto actûs directi, ea non esset secunda intentio objectiva, sed prima; sed hoc ipsi negant, & omnes communiter: ergo. Prob. maj. Sic se habet prima intentio objectiva ad actum directum, & primam intentionem formalem, sicut se habet secunda ad actum reflexum, & secundam intentionem formalem; sed prima intentio objectiva non præcedit actum directum, sed est objectum, prout stat sub ipso actu, & terminat tendentiam intellectûs: ergo. Patet minor; intentio enim propriè dicitur de ipsa tendentia, & actu intellectûs, de objecto autem tantùm ratione actûs, & prout stat sub ipso; quare pro priori ad actum non intentio est, sed fundamentum ejus.

332 Prob. sextò: Si universale logicum fit actu directo, non solùm quoad esse, sed etiam quoad cognosci præcedit actum reflexum; sed hoc secundum negant illi DD. ergo & primum negare debent. Prob. maj. Si fit actu directo, ipso actu directo cognoscitur habitudo ad inferiora: ergo. Prob. antec. Si fit actu directo, non abstractione negativâ, sed positivâ fit; sed abstractio positiva cognoscit habitudinem ad inferiora: ergo. Prob. min. Abstractio positiva est cognitio naturæ cognoscendo inferiora, à quibus abstrahitur; sed actus cognoscens naturam, & inferiora, à quibus abstrahitur, cognoscit naturâ sic se habere ad ipsa inferiora, nempè esse prædicatû in illis repertum, & contractum per differentiam, à qua abstrahitur: ergo.

333 Prob. tandem ex ipsa doctrina, & ratione, qua ipsi moventur: Ideo universale logicum non fit per actum reflexum, quia relatio,

tio, quæ est universalitas logica, resultat in ipso actu directo; sed hæc ratio nulla est: ergo. Prob. minor: Ideo talis relatio resultat, quia actus directus ponit naturam extra centrum, nempè à singularitate separatam, & naturali sequelâ consequitur in unoquoque habitudo, & inclinatio ad centrum; sed paritèr abstractio intellectûs agentis ponit naturam extra centrum, nempè à singularitate separatam: ergo paritèr abstractio intellectûs agentis formabit universale logicum. Major est ratio N. Manso, & minorem omnes NN. docent contra Scotistas.

334 Ad hanc rationem respondet N. Manso, non sufficere abstractionem intellectûs agentis, imò nec etiam abstractionem negativâ intellectûs possibilis, quia hæc tantùm ponit fundamentum; ut autem resultet relatio, requiritur fundamentum, & terminus; quare ea tantùm resultat in abstractione positiva, quæ attingit inferiora tanquam terminum, à quo fit abstractio.

335 Hæc solutio multiplicitèr rejicitur: primò destruit rationem suam; ut enim natura ponatur extra centrum, sufficit, quòd separetur à singularitate; sed per hoc, quòd ponatur extra centrum, resultat relatio: aut ergo non requiritur terminus, aut non tenet ratio ipsius. Rursus: Aut requiritur, aut non requiritur cognitio termini? Si primum, non solùm ponitur, sed cognoscitur etiam actu directo illa relatio, ut patuit in præcedenti ratione: si autem non requiritur, sufficit abstractio intellectûs agentis, ut præsens ratio intendit. Insuper: Neque abstractio positiva ponit terminum illius relationis: ergo aut hoc non requiritur, aut relatio non resultat in abstractione positiva. Prob. antec. Abstractio positiva attingit individua ut terminum *à quo*; sunt terminus illius relationis terminus *ad quem*: ergo illa abstractio non attingit individua, ut sunt terminus illius relationis.

Præterea: Terminus, *à quo* fit abstractio, non est singulare, sed singularitas; sed terminus illius relationis non singularitas, sed singulare est: ergo. Patet maj. quia terminus *à quo* abstractionis est id, à quo separatur natura abstracta; patet autem, quòd non separatur à singulari, siquidem in hoc inclusa relinquitur. Patet min. quia terminus illius relationis est, de quo prædicatur universale.

§. IV.

Argumenta contra primam Conclusionem.

336 ARguitur primò ex D. D. q. 2. sup. univ. ubi, cùm quæreret: An universale habeat esse in anima, vel in re extra? respondet: *Dicendum ad hanc quæs-*

stionem, quòd res de se non est universalis, nisi in eo, quòd intelligitur; sed in abstractione intellectûs agentis non intelligitur: ergo. Præterea, in eâdem q. paucis interjectis, ait: *Nam res intellecta significata per ista nomina, homo, animal, potest dici universale, prout est intellectus abstractus, id est, secundùm quod similitudo est apprehensa ab anima, referuntur ad rem, cujus est similitudo.* Rursus, in solutione concludit per hæc verba: *Ut dicatur universale illud, quod est intellectus abstractus, & similitudo ejus est apprehensa ab anima*; quibus aperte requirit ad universale, quòd sit apprehensum: ergo non fit per abstractionem intellectûs agentis.

337 Resp. quòd sensus Doctoris patet ex ipso titulo; intendit enim, quòd res, quæ est in re extra, habet esse universale, non prout est in re extra, quia sic habet esse singulare, & materiale, sed tantùm, prout habet esse in anima, quia sic abstrahitur à singularitate, & modo, quem in re habet; at non solùm abstrahitur actu cognoscendi, sed per ipsam intellectûs agentis irradiationem: ergo. Non itaque negat Doctor, abstractione intellectûs agentis fieri universale, imò id satis expresse innuit; si enim universale est præcisio ex hoc, quòd habet esse abstractum, & similitudo est ipsius quidditatis, juxta Doctorem, hæc eadem similitudo eodem modo abstracta repræsentatur in specie intelligibili ex irradiatione intellectûs agentis.

338 Arguitur secundò ex N. Manso: Natura, prout repræsentatur in specie impressa, licèt á singularitate abstrahat, non tamen est positivè universalis, sed tantùm negative: ergo universale positivè tale non fit per abstractionem intellectûs agentis. Prob. ant. Universale non solùm dicit unitatem, sed etiam aptitudinem ad essendum in pluribus; sed licèt natura repræsentata in specie impressa habeat unitatem, non tamen habet aptitudinem: ergo. Prob. min. Aptitudinem ad plura tantùm habet natura in actu attingente illa plura tanquam terminum, *à quo* fit abstractio; sed ita tantùm attingit abstractio positiva intellectûs possibilis: ergo.

339 Resp. neg. antec. ad prob. ejus neg. min. vel claritatis grátiâ disting. Aptitudinem ad plura formalem, & quæ sit habitudo, non repræsentat species impressa, conc. min. aptitudinem ad plura transcendentalem, & metaphysicam, neg. min. & hoc sensu neg. item assumptum probationis; habitudinem enim ad inferiora solùm habet natura in actu reflexè comparante. Itaque aptitudo ad essendum in pluribus uno modo significat formalem habitudinem ad illa plura, hanc non habet natura de se, etiam præcisa à differentiis, sed tãtùm ex intellectu comparan-

te ipsam ad inferiora; alio modo illa aptitudo significat quidditativam indifferentiam ad plura, & hanc se ipsa intransitive dicit ipsa quidditas naturę de se, sive ex hoc tantùm, quòd secundùm se accipiatur: prima aptitudo est universalitas logica, secunda est universalitas metaphysica: quia ergo species impressa naturam secundùm se repræsentat, ea repræsentat universale metaphysicum.

340 Arguitur tertiò ex eodem: Aliquid accipit natura per abstractionem intellectûs possibilis, quod non habet in abstractione intellectûs agentis; sed non accipit, quòd sit fundamentum universalitatis, quia hoc jam præhabebat: ergo accipit, quòd sit universalis, & sic id non habet per abstractionem intellectûs agentis. Resp. primò instando: Aliquid accipit natura per abstractionem negativè intellectûs possibilis, quod non habet in abstractione intellectûs agentis; sed non accipit, quòd sit fundamentum universalitatis: ergo accipit, quòd sit universalis; & sic universale fit per abstractionem negativam, quod est contra ipsum. Secundò, directè neg. maj. quia abstractio intellectûs possibilis solùm habet cognoscere illud ipsum, quod repræsentat species impressa, quare ex parte naturæ cognitæ nihil addit.

341 Arguit quartò idem ex D. Thom. 1. p. q. 85. a. 2. *Ad esse abstractum sequitur in natura intentio universalitatis*, & opusc. 56. *Est igitur universale unum unitate cognitionis*; sed intellectus agens non cognoscit: ergo. Resp. quòd authoritatem D. Thomæ veneratione accipimus; quia tamen nostri muneris est mentem Ægidii expendere, sensum D. Thomæ exponendum relinquimus, quatenùs autem eumdem sensum habet sæpè N. D. Ad primum dicendum uno modo, quòd intentio universalitatis sequitur ad esse abstractum, nempè in natura abstracti fundatur, non tamen per *ipsam* abstractionem, sed per *sequentem* actum; alio modo, quòd per ipsam abstractionem habet natura intentionem universalitatis, non secundam, sed primam. Ad secundum, unitas universalis est unitas cognitionis, nempè non unitas, quæ sit in re, sed quam intellectus facit separando ea, quibus natura multiplicatur; non solùm autem cognitione separat, sed irradiatione intellectûs agentis.

342 Arguitur quintò: Universale metaphysicum est proximum, & immediatum fundamentum universalitatis logicæ; sed natura per intellectum agentem non fit proximum fundamentum universalitatis logicæ: ergo. Prob. min. Tùnc est fundamentum proximum universalitatis logicæ, quando nihil mediat ad ipsam universalitatem logicam; sed inter naturam abstractam ab intellectu agente, & universalitatem logicam me-

mediat abstractio intellectûs possibilis: ergo.

343 Resp. neg. min. ad prob. ejus disting. maj. Quando nihil mediat ex parte naturæ fundantis, conc. maj. quando nihil mediat ex parte intellectûs, neg. maj. & eodem sensu disting. min. Mediat ex parte intellectûs, conc. min. mediat ex parte naturæ, neg. min. Quæ natura fundans eadem est, quæ eodem modo repræsentatur in specie impressa, atque attingitur ab intellectu per actum directum; quæ in ipsa specie impressa est immediatum fundamentum universalitatis logicæ; quòd autem detur alter actus intellectûs, non tollit immediationem ipsius naturæ, quia ex tali actu nihil accipit natura, quo fiat immediatum fundamentum.

344 Arguit sextò Mastrius: Ergo per intellectum agentem fit universale, quia per illum abstrahitur natura à conditionibus individuantibus; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. Intellectus agens solum abstrahit à materialitate, non autem à conditionibus individuantibus; quare species, quæ est in phantasmate, & species impressa non differunt ex objecto, quòd unum sit singulare, non aliud, sed ex entitate, quòd una sit corporalis, nempè species, quæ est in phantasmate; alia spiritualis, nempè species intelligibilis: ergo.

345 Resp. quòd hoc argumentum directè pertinet ad difficultatem in lib. de Anim. loco suprà citat. examinandam, interim neg. min. ad prob. ejus dicitur primò, quòd abstrahere à materialitate non aliud intelligitur, quàm abstrahere á conditionibus individuantibus; non enim est abstrahere á materia ipsa, hanc enim percipit intellectus directè, & per se, cùm pertineat ad quidditatem, & substantiam rei intellectæ: est ergo abstrahere á modo, quem substantia habet in materia, nempè *hìc*, & *nùnc*, *quantum*, *quale* &c. quæ sunt conditiones individuantes. Secundò, species, quæ est in phantasmate, nequit esse entitativè corporalis; tùm, quia ait Philosophus, quòd sensus immutatur per species sine materia; tùm deinde, quia deberet habere localem situationem in organo, quod esse omninò non potest: si ergo differt à specie intelligibili, quia una est corporea, alia spiritualis, non in entitate est hæc diversitas, sed in objecto repræsentato; & consequenter species intelligibilis in lumine intellectûs agentis repræsentat ipsum quid modo spirituali, & sine conditionibus individuantibus.

346 Tandem arguitur ex ipsa ratione, quam nos pro conclusione adduximus: Vniversale metaphysicum est prima intentio objectiva; sed talis non fit per abstractionem intellectûs agentis: ergo neque universale. Prob. min. Sic

se

se habet secunda intentio objectiva ad actum reflexé cognoscentem, qui est secunda intentio formalis, sicut se habet prima intentio objectiva ad actum directè cognoscentem, qui est prima intentio formalis; sed secunda intentio objectiva non præcedit actum reflexum, sed eo formatur, & est terminus ejus: ergo.

347 Resp. neg. maj. licèt enim prima intentio objectiva sit universale metaphysicum; non tamen ê converso, universale metaphysicum est præcisè intentio, sed objectum ejus. Itaque universale secundæ intentionis est objectum purè terminativum, quia ad actum reflexum ipsa quidditas movet, quæ est objectum actûs directi; universale verò primæ intentionis est objectum etiam motivum, quia ad actum directum movet ipsum intelligibile, ut est abstractum, sine hîc, & nùnc, & universale: hoc ergo præcedit actum directum, non autem illud actum reflexum; sicut autem secunda intentio objectiva eo præcisè dicitur, quia objectum est terminans tendentiam reflexam, sive secundam, ita prima; quare pro priori ad actum directum non est prima intentio, sed universale primæ intentionis, sive pertinens ad primam intentionem ut objectum motivum ejus.

§. V.

Argumenta contra secundam Conclusionem.

348 ARguitur primò authoritate B. D. in 1. dist. 30. q. 2. art. 3. ubi diinguens de entibus rationis ait: *Quædam sunt, quæ intellectus sua subtilitate investigando perquirit, & hujusmodi sunt nomina secundæ intentionis, vel impositionis.* En secundas intentiones investigando perquirit intellectus: *si ergo perquirit*, non format per actum reflexum, sed formatas, & existentes vi actûs directi, quærit, & cognoscit per actum reflexum.

349 Ex hoc eodem loco nostram deduximus Conclusionem non solùm verbis suprá adductis, sed ex his etiam, quæ pro se contra nos adducit Manso; prosequitur enim ibi Doctor: *Alia sunt quæ intellectus ex sua subtilitate non investigando perquirit, sed suo modo intelligendi ipsa de necessitate consequuntur, & hujusmodi sunt relationes secundæ intentionem.* En distinguit contra cundas intentiones illa entia tionis, quæ ex modo intelligen de necessitate consequuntur: ergo secundæ intentiones non consequuntur, & resultant ex modo intelligendi præcisivo, tùnc enim non distinguerentur penes hoc. Priùs itaque quàm sensum D. ex-

pen-

fundamentis, quædam insurgit difficultas ex his contra ea, quæ suprà dicebamus.

350 Dices itaque: Nos suprà diximus, relationem, in qua consistit universalitas, debere esse realem, si ea consequitur ad positionem fundamenti; sed hìc docet Doctor, aliquas esse relationes rationis, quæ sic consequuntur: ergo non tenet. Resp. neg. min. Non enim illo sensu ait Doctor, antecedi, nempè ad positionem fundamenti, sicut ad positionem similis sequitur similitudo; isto enim modo ponit N. Manso sequi relationem universalitatis; ait autem Doctor, quòd illæ relationes consequuntur ex nostro modo intelligendi: pro cujus intelligentia sciendum, quòd, quæ in re sunt relativa secundùm *dici*, non habent re-ipsum, sed modum relativi sibi advenientem ex sua quidditate formaliter, ut disp. 4. explicabitur: hæc ergo noster intellectus modo relativorum concipit, hoc est, concipiendo ordinat, sive concipit in ordine ad alterum; & quia illum ordinem in re non habent, illi ordo rationis, qui dicitur ex modo concipiendi consequi, quatenus ex modo proprio habet intellectus ita ad alterum concipere; fingit autem, quòd concipiendo formet, non autem ex conceptu in re resultat illa relatio; & tales sunt relationes temporales in re, de quibus ibi intendit Doctor.

351 Nùnc autem pro solutione argumenti verba subjicimus S. P. lib. 9. de Trinit. cap. 12. ubi illam versans difficultatem: Cur verbum mentis, quod cognitione formatur, genitum dicitur, non autem de voluntate? sic habet: *Quia notitiâ jam inventum est, quòd partum, vel repertum dicitur, quod sæpe præcedit inquisitio eo fine quietura; nam inquisitio est appetitus inveniendi, quod idem valet, si dicas reperiendi.* Hunc locum S. P. latiùs expendimus in lib. de Anim. pro explicanda natura intellectionis, & formationverbi: interim verbum mentis dicitur repertum, & quòd ejus partum præcedit inquisitio, non quòd verbum præcedat actum, quo reperitur; quippè ipso actu, quo reperitur, formatur: eodem ergo sensu ait Doctor, quòd intellectus investigando perquirit secundas intentiones, non quòd pro priori existant, sed quòd ipso actu formantur, quo investigantur.

352 Arguitur secundò ex eodem B. D. 2. de Anim. text. 60. ubi quærens dub. 2. An universalia sint in anima? in resolutione ait: *Hoc viso, de levi patet, quomodo aliquid habet esse universale: nam res ipsæ sunt universales, sed non sunt universales, ut sunt in se ipsis, quia sic habent esse non abstractum; sed sunt universales, ut sunt consideratæ ab anima, quia sic habent esse abstractum.* Hæc adeo expressa esse, ait N. Manso, ut mi-

rum sit, cur Gavard. neget de mente Doctoris, universale fieri per cognitionem directè abstractivam. Sed id pariter omnes NN. negant, exceptis, quos viderim, Manso, & Villan. & quidem meritò; mens quippé Doctoris, etiam hoc ipso loco plana est, ibi enim sæpe in prosequendo repetit, quòd intellectus rei sic abstractæ attribuit intentionem universalitatis: non ergo illam habet vi abstractionis resultantem, tùnc enim non attribueret, sed cognosceret intentionem, quam habet.

353 Resp. itaque, quòd universale, ut jam patuit, duobus modis accipitur; altero metaphysicè, & sic dicit ipsam quidditatem rei, quæ est universalis, abstractam; alio modo logicè, & sic dicit intentionem universalitatis, quam illi quidditati attribuit intellectus, ex quo videt eam esse multis communem: ait ergo Doctor, quòd primo modo res ipsa est universalis, ut est in anima, & habet esse abstractum, quod nos in prima conclusione diximus; sed adde, quòd intentionem universalitatis, quæ est universalitas logica, rei sic abstractæ attribuit intellectus, nempè actu, quo supra illam se reflectit, & videt, quòd est multis communis, quod ista conclusione intendimus.

354 Arguitur tertiò ex eodem B. D. loco suprà pro nobis adducto quodl. 2. q. 6. ex quo ait Manso, mentem Doctoris penetrari, quæ alioqui foret difficilior: ait ergo Doctor: *Aliud est loqui de re, quæ est universalis, aliud, quæ est subjecta intentioni universalitatis: res enim secundùm esse essentiæ est universalis, licèt non consideretur, ut est subjecta intentioni universalitatis, nisi quando intellectus se reflectit super eam, & videt, quòd est communis multis.* La reflexio solùm habet considerare seu cognoscere, naturam esse subjectam intentioni universalitatis. Resp. quòd in ipsis verbis patet sensus; distinguit enim rem, quæ est universalis, & ut est *subjecta intentioni*, non ut cognoscitur, sed ut est subjecta; si autem actus reflexus tantùm habet cognoscere intentionem, quæ priùs erat in natura, patet, quòd priùs non solùm erat res, quæ est universalis, sed etiam, ut est subjecta intentioni universalitatis.

355 Rursus: Ibi subjungit Doctor: *Dicamus ergo, quòd intellectus primo aspectu fertur in ipsam essentiam secundùm se; sed propter istum aspectum ipsa essentia non apprehenditur, ut est universalis* (en non ait, non est universalem, sed non apprehenditur) *sed quando intellectus se convertit super ipsum esse essentiæ, & videt, quòd illud est commune multis, tùnc dicit, quòd illud esse est quia universale.* Nota ly *dicit*, & vides, quòd iste actus reflexus non format universalitatem, sed cognoscit. Resp. quòd sensus patet ex jam

dictis; quia enim secunda intentio est objectum purè terminans, non aliud est esse subjectam intentioni, quàm cognosci ut sic subjectam; si enim præcederet ut objectum movens, esset specificativum, & sic ens reale: ait ergo Doctor, quòd tùnc cognoscit esse subjectam intentioni, quia sic cognoscendo intentionem format.

356 Arguitur quartò: Cognitio abstractiva comparativa naturæ ad singularia, aut est falsa, aut supponit universale logicum priori cognitione factum; sed primum non datur: ergo dici debet secundum. Prob. maj. Intellectus reflexus comparans, vel comparat naturam, quæ potest esse in multis, vel quæ non potest? Si hoc secundum, habetur, quia cognoscit intellectus per comparationem, naturam posse esse in multis: si autem primum detur: ergo ante comparationem natura potest in multis esse; sed potens in multis esse est logicè, & formaliter universalis: ergo. Confirmatur: Ideo per comparationem compositam, seu prædicationem non fit universale, quia, antequàm prædicetur natura, est prædicabilis, & sic universalis; sed similiter ante comparationem est comparabilis: ergo.

357 Resp. neg. maj. ad prob. quòs dicitur, quòd actus reflexus comparat naturam, quæ potest esse in multis; tùnc autem disting. assumptum: Potens esse in multis est universalis, proportione servata, nempè potens metaphysicè, & per quidditativam indifferentiam, est universalis metaphysicè, potens autem logicè, & per formalem habitudinem est universalis logicè, conc. min. potens esse in multis absolutè, est universalis logicè, neg. min. Itaque ante comparationem, qua cognoscitur natura, ut potens in multis esse, est utiquè potens, sed illud posse est ipsa sua quidditas; quare tùnc habet universalitatem quidditativam, & metaphysicam, non autem habet relationem, quæ est intentio universalitatis, sed hanc format intellectus cognitione reflexa.

Ad confirmationem neg. min. ante prædicationem enim est prædicabilis natura non solùm prædicabilitate metaphysica, quæ est quidditativa aptitudo, sed etiam prædicabilitate logica, quæ est relatio, quam format intellectus cognoscendo sic esse prædicabilem, & ideo prædicatio utramque supponit universalitatem; at verò ante comparationem habet naturæ comparabilitatem quidditativam, & metaphysicam, nempè quidditativam indifferentiam, & potestatem, ut multis comparetur, non autem habet logicam, nempè habitudinem ad illa multa; quare ista comparatio supponit quidem universalitatem metaphysicam, non verò logicam; quare hanc format.

358 Arguitur quintò: Uni-

versale formaliter tale non est natura actu in multis, neque actu de multis prædicata, sed potens de multis prædicari; sed ante comparationem natura abstracta est potens de multis prædicari: ergo. Prob. min. Simplex comparatio non dat naturæ abstractæ, quòd possit de multis prædicari: ergo id habet natura abstracta ante ipsam comparationem. Patet antec. nam comparatio solùm habet cognoscere capacitatem, quam de se habet natura abstracta.

359 Resp. dist. maj. Universale formaliter tale, hoc est, universale logicum, neg. maj. universale formaliter tale, hoc est, universale non solùm fundamentaliter, sed in actu, & formaliter, conc. maj. sed tùnc posse esse in multis duplex est juxta dicta in solutione præcedenti. Itaque ly *formaliter* duos habet sensus; uno modo appellat ipsam universalitatem, & hoc sensu universale formaliter tale est universale logicum, nempè habens formalem universalitatem; alio modo ly *formaliter* appellat supra esse, & sic universale formaliter est, quod actu, & formaliter est universale, universalitate tamen quidditativa, & metaphysica: utroque modo est potens esse in multis, sed proportione jam dicta, nempè universale formaliter tale metaphysicum, est potens quidditativè, & metaphysicè; universale verò logicum est potens logicè, & per habitudinem. Natura ergo abstracta de se habet posse esse in multis quidditative & metaphysicè, neque hoc sibi tribuit comparatio; quare ante comparationem habet formaliter, & in actu esse universale metaphysicum; non autem habet posse logicum, & per habitudinem; hæc enim format ipsa comparatio quatenùs cognoscendo posse in multis esse, ordinat ad illa multa quare universalitatem logicam ista comparatio format.

360 Arguitur sextò: Aliud est naturam esse universalem, aliud verò ut universalem cognosci: ergo licèt per actum abstractivum non cognoscatur natura ut universalis, est tamen universalis. Patet antec. & simùl ostenditur conseq. quia natura est universalis per hoc, quòd sit potens esse in multis, & de multis dici; cognoscitur autem ut universalis, quando reflexè consideratur natura quæ erat signatè potens in multis esse, ut sic exercitè potens; sed patet, quòd hoc secundum tantùm habet actus reflexè comparans: ergo.

361 Resp. disting. ant. Aliud est naturam esse vniversalem metaphysicè, aliud verò ut universalem cognosci, conc. antec. aliud est esse universalem logicè, aliud verò ut universalem cognosci, neg. antec. Ad prob. ejus dicitur eodem modo esse universalem metaphysicè nihil esse aliud, nisi quòd metaphysicè, & quidditativè sit po-

...ntis in multis esse; esse verò ...niversalem logicè est importare ...habitudinem ad illa multa; jam ...quam ista habitudo non est realis, ...quam natura abstracta secun...dum se dicat, identificatur enim ...cum inferiori, quare non potest ...eadem relationem dicere: est ergo ...relatio rationis, quam intellectus ...cognoscendo format, & sic talem ...habitudinem habere non est aliud, ...quam cognoscere ut sic ordinatum, ...et cognitione ordinari; quare es...se logicè universalem est ipsum ...cognosci ut universalem.

362 Tandem arguitur: Illa ...facit universale, quæ dat ...entiam secundæ intentioni; ...est actus abstrahens: ergo. ...ob. min. Species expressa for...mam per actum abstrahentem re...presentat naturam similem ei, ...quod est in re; sed simile refertur ...ad id, cui simile est: ergo illa spe...cies expressa jam habet relatio...nem ad inferiora, in qua consistit ...secunda intentio, & sic actus abs...trahens dat existentiam secundæ ...intentioni.

363 Sed contra, primò: Spe...cies impressa abstracta per intel...lectum agentem repræsentat natu...ram similem ei, quod est in re, per illam enim cognoscit intellectus id, quod est in re; sed simile refer...tur ad id, cui simile est: ergo illa relatio fit per actum intellectûs agentis. Contra, secundò: Simili...tudo est non ad inferius, sed ad idem prædicatum in inferiori re...pertum; sed universalitas non est ad idem, sed ad inferius, quod su...peraddit differentiam contrahen...tem: ergo illa similitudo non est universalitas. Contra, tertiò: Si...militudo est relatio realis prædi...camentalis de primo modo relati...vorum; sed secunda intentio non est relatio de prædicamento: ergo idem.

Directè neg. min. ad probat. ejus neg. subillatum conseq. quòd similitudo illa sit secunda inten...tio, hæc enim est superioritas ad inferiora formaliter ut talia, de his enim prædicatur universale; illa autem similitudo est relatio ad...æquationis, in qua consistit veritas intellectûs; in hac quidem ponit Villan. consistere secundam inten...tionem; id verò neg. N. Manso, qui in præsenti hac arguit ratione,

DISPUTATIO III.

DE PRÆDICABILIBUS.

TRACTATUM hunc Porphyrius composuit ut Chrysadorio discipulo ad prædicamentorum notitiam viam sterneret, ut ex ipso ejus exordio patet; quare Tractatus ipse Isagoge inscribitur, quod est veluti Proœmium, sive introductio. Hinc non eadem ratione accipitur hìc prædicabile, ac in præcedenti disputatione universale, etsi enim quidquid prædicatur, universale sit, & è converso, dicitur tamen universale respectu inferiorum, prædicabile verò etiam respectu subjecti, v. g. album respectu substantiæ est quintum prædicabile, ad inferiora verò, hoc nempè, & illud album est universale: universale ergo de necessitate prædicatur *in quid*, prędicabile verò etiam *in quale*.

Hinc item non ita latè accipitur prædicabile, ut comprehendat quidquid prædicatur. Ratio est, quia si intentum Porphyrii est ad prædicamenta viam sternere, prædicabile accipit, ut ad prædicamentum pertinet; quare neque complexa, neque æquivoca, aut analoga ad hunc Tractatum pertinent, tùm, quia ea, ut talia, in prædicamento non reponuntur; tùm, quia non unum prædicatum important: quinque ergo assignat, de quibus Tractatum instituit, nempè Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, de quibus sit

QUÆST.

QUÆSTIO PRIMA
DE PRÆDICABILIBUS IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

An Prædicabile dividatur adæquatè in illa quinque?

§. I.

Aliis sententiis, probatur communis Conclusio.

PRima sententia docet, divisionem Porphyrii minùtam esse. Caram. in Metaph. lib. 6. assignasse fertur quadraginta sex prædicabilia; Izquier. in Pharo Scient. disp. 17. q. 7. triginta assignat, & posse, ait, multiplicari, si propria passio dividatur in Physicam, Metaphysicam, & Moralem. Sed hæc sententia, quantum ex hoc colligitur, neutrum enim licuit videre, extra chorum saltat; asserenti enim, album esse indivisum ineptè reponitur, quòd dividitur per nivem, lac, & saccarum: non ergo de materiali ratione, quæ prædicatur, sed de prædicabilitate ipsa quæritur, de modo nempè, quo subjecto convenit, & de eo prædicatur; patet autem, quòd passio aut physica sit, sive metaphysica, aut moralis, eodem modo convenit subjecto.

Ad rem ergo sententiam istam tenet Caiet. in præsenti q. 14. qui ad quinque Porphyrii addit individuum vagum, & definitionem; & de definitione quidem supponit, de individuo verò probat ex instituto esse prædicabile diversum à reliquis; despicitur communiter ejus probatio, quæ tamen difficultate non caret, ut patebit inferiùs; definitio autem, cùm eamdem quidditatem importet, ac species, seu definitum, eodem modo convenit; quare patet de facili, quòd non debet poni novum prædicabile.

2 Secunda sententia asserit, superfluam esse Porphyrii divisionem. Aliqui unum tantùm prædicabile constituunt, quod nempè dicitur in quid; alii duo, nempè genus, & speciem; & ita tenere nonnullos de Græcis, & Arabibus, testatur Mastrius; alii tribus essentialibus addunt quartum extra-essentiale. Tertia verò, & communis Peripateticorum sententia docet, divisionem in quinque voces Porphyrii esse adæquatam. Pro hac superfluum est AA. citare, tenent enim cæteri præter citatos.

Dicen-

3 Dicendum ergo: Universale adæquatè dividitur in quinque prædicabilia. Sumitur universale non formaliter ex habitudine ad inferiora sua, sed materialiter ex habitudine ad subjectum, de quo dicitur. N. Manso rationem B. D. pro sufficientia hujus divisionis sic proponit: Prædicabile, aut essentialiter dicitur, aut accidentaliter: si essentialiter, tribus modis; aut enim totam essentiam dicit, & sic est species; aut partem potentialem, & sic est genus; aut partem actualem, & sic est differentia: si autem accidentaliter, vel necessariò, & sic est proprium; vel contingenter, & sic est accidens.

4 Hæc ratio non benè formatur ad mentem B. D. ipse enim passim habet expressè, quòd pars de toto non prædicatur; quare non benè dicitur, quòd prædicatum essentiale aut dicit totum, aut dicit partem; nec sufficit dicere, quòd pars physica non prædicatur, benè autem metaphysica, quia Doctor de partibus metaphysicis loquitur, tùm loco suprà citato in 2. dist. 3. intendit: An in Angelis detur compositio ex genere, & differentia? Tùm deinde q. 12. sup. univ. quærit: An rationale, vel rationalitas sit differentia? Resp. quòd non rationalitas, sed rationale: ratio ejus est, quia rationalitas, cùm dicat partem, non potest prædicari; verba dedimus suprà.

5 Prob. ergo sufficientia prædicabilium ratione B. D. q. 5. sup. univ. qua de hoc ipso quærens, ita habet: *Sic patet sufficientia prædicabilium: nam omne illud quod prædicatur, aut prædicatur in quid, aut in quale; si in quid, hoc fit duobus modis: aut dicit totam essentiam individui determinatè, aut indeterminatè; si indeterminatè, sic est genus; si determinatè, sic est species: sed si prædicatur in quale, hoc fit duobus modis, aut in quale essentiale, aut accidentale; si primo modo, sic est differentia; si secundo modo, aut dicitur convertibiliter, aut non convertibiliter: si convertibiliter, sic est proprium; si non convertibiliter, sic est accidens, & sic sunt quinque prædicabilia, & non plura.*

Hæc ratio satis plana est; quod enim dicitur de aliquo, aut accipitur substantivè, hoc est, importat essentiam ad modum essentiæ, sive ad modum per se stantis, ut corpus, animal, color; aut accipitur adjectivè, hoc est, significat essentiam ut adjacentem, ut corporeum, animatum, coloratum; tùnc autem secundæ substantiæ primis dicuntur, nempè de individuo subsistente: quod ergo dicitur, aut accipitur substantivè, & sic dicitur in quid, non enim substantivè prædicatur, nisi de eo, cujus est quidditas, ut color de albedine; sic autem aut determinatè, & in actu, ut Petrus est homo, & sic est species; aut dicit quidditatem indeterminatè, ut Petrus est corpus,

ci, corpus enim ipsam formam ri significat, á qua habet, quòd ic corpus, non autem determinatu, sed in quadam confusione, & determinabilem per alios gra- os viventis, sensitivi, rationalis, sic est genus.

Si autem accipitur adjectivè, ta forma significata aut est de quidditate subjecti, de quo dici- ur, ut non est; si primum, est ssentia, v. g. animatum ipsam nimam significat, nempè habens nimam: notandum autem, quòd ius prædicatum genus est, & dif- rentia; aliter tamen, animatum am idem significat, quod ani- a, nempè idem gradus respectu nferioris, quem contrahit, diffe- entia est; respectu inferioris, á uo contrahitur, genus est, sive ecies subalterna; ut autem est fferentia, sumitur adjectivè, sub- antivè verò, ut est genus; sic vi- entis in arbore prædicamentali, uodin recta linea, ubi ponuntur enera, ponuntur substantivè cor- us, vivens, animal; ê latere au- em, ubi ponuntur differentiæ, po- untur adjectivè corporeum, ani- atum; quòd si aliqua eâdem vo- e ponatur in recta linea, & ad la- us, ut vivens, eo est, quia non ha- etur vox propriè significans ad- ectivè, non autem eodem modo cipitur, ut est genus, & ut est fferentia, quamvis eâdem voce atur.

Si tandem prædicatum significat ormam adjacentem, quæ non est de quidditate subjecti, ut colo- ratum, risibile, hoc duobus tan- tùm modis esse poterit; aut enim illa forma ita necessariò convenit subjecto secundùm quidditatem suam, ut dicatur ad converten- tiam cum ipso, & sic est proprium, ut risibile de homine, quamvis enim risibilitas non sit de quidditate hominis, quidquid autem ho- mo est, risibilitatem habet, & ê converso: aut forma significata sic est extra quidditatem, quòd con- tingentèr convenit, & non ad con- vertentiam, ut coloratum de su- perficie, & sic est accidens.

6 Mastrius disp. 4. q. 5. n. 94. rejicit communem assignatio- nem de proprio; quoniam non ex eo, quod convertibiliter dicitur, sed ex eo, quod oritur ex intrin- secis subjecti, subindeque habet necessariam connexionem, pro- prium est. Ratio ejus est, quia uni- versale in ratione propria univer- salis repugnat prædicari de infe- rioribus convertibiliter: si ergo proprium est unum de quinque universalibus, non ex eo accipi- tur, quòd convertibiliter prædi- catur. Assumptum patet, quia uni- versale in ratione propria univer- salis prius est, & latiùs patet, cùm ad multa dicatur; quod autem la- tiùs patet, non dicitur ad conver- tentiam cum eo, quod minùs pa- tet.

7 Sed contra, primò: Multa oriuntur ex intrinsecis subjecti, quæ non soli, sed aliis conveniunt,

quare non propria sunt, & subinde oriri ex intrinsecis subjecti ulteriori indiget determinatione. Secundò: Sic oriri ex intrinsecis subjecti, quòd habeat connexionem, est dici ad convertentiam. Tertiò: Vniversale in ratione universalis, sive ad ea, quibus est universale, non proprium est, sed genus, aut species; ipsum enim risibile ad hominem quidem est proprium, ad hanc autem, & illam risibilitatem est species; patet autem, quòd hoc secundo modo comparatur, ut est universale; idem dicendum de differentia, rationale nempè ad hanc, & illam rationalitatem species est. Ratio est manifesta, quia universale, ut ut tale, comparatur ad id, cui est universale, ut contrahibile ad suum contrahens.

Ratio ergo, qua nititur, in æquivocatione fundatur, quam in exordio cavendam diximus; nempè non sumitur hìc universale formaliter, sive ex habitudine ad inferiora, quibus est universale; sic enim cuique patet, quòd nullum universale in quale dicitur, multò minùs accidentaliter: sumitur ergo universale materialiter, & ex habitudine ad id, de quo prædicatur; & sic jam patet, quòd aliquid prædicatur in quid, & de inferiori, cum quo non potest habere competentiam; aliquid verò prædicatur in quale, & de subjecto, cum quo potest convertentiam habere.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

8 ARguitur primò fundamento Caietani: Individuum vagum, v.g. *aliquis homo*, verè prædicatur de prima substantia, puta, de Sorte; sed non pertinet ad aliquod ex illis quinque: ergo. Prob. min. Non prædicatur neque in quid, neque in quale, sed in cujusmodi. Ant. ostendit, notato priùs, quòd Plato ponebat universale subsistens: de individuo subsistente est quærere primùm, quid est? Resp. quod est homo: secundò quæritur, cujusmodi homo est, universalisnè, an particularis? Resp. quòd est aliquis homo particularis: tertiò quæritur, qualis homo? Resp. quòd iste, nempè Sortes: ergo aliter de Sorte dicitur, quòd est homo, quòd est aliquis homo, & quòd est iste homo; nempè quòd est homo in quid, sive ad interrogationem, quid est? Iste homo in quale, sive ad interrogationem, qualis homo est? At verò aliquis homo, in cujusmodi, sive ad interrogationem, cujusmodi homo est?

9 Resp. primò neg. maj. de Sorte enim, quòd est aliquis homo, sive quòd est iste homo, non dicitur prædicatione formali, sed identica, & tantùm penes conceptus explicitos, nam ex parte objecti nihilo differt Sortes ab isto homine,

hinc, sive etiam ab aliquo; tantùm enim importat indeterminationem conceptûs expliciti, non autem determinabilitatem ex parte objecti. Resp. secundò neg. min. ad prob. ejus dicitur primò, quòd nulla est talis interrogatio cujusmodi apud Peripateticos; ex quo enim subsistens est, nulla relinquitur dubitatio, an sit universalis? Solùm ergo sequitur, quòd apud Platonicos erit alia prædicatio, quæ neque sit in quid, neque in quale, de quo nihil ad nos. Dicitur secundò, quòd voluntariè infinitur illa interrogatio, æquè enim posset quæri, qualis homo est, universalisnè, an particularis? Tertiò sequitur, quòd iste homo dicatur de Sorte in quale, & tùnc erit aut proprium, aut accidens, quod patet esse falsum.

Itaque dici in quid, aut in quale, non ex eo attenditur, quòd interrogatio per quid, aut quale fiat, id enim sæpe est voluntarium, sed ex eo, quòd prædicatum, quod dicitur, substantivè accipiatur, aut adjectivè, hoc est, significet essentiam, ut per se stantem, & ad modũ essentiæ, aut ut alteri adjacentem: quia ergo iste homo, vel aliquis homo tãtùm penes conceptũ explicitũ differt à Sorte, non facit prædicationẽ formalem, nec importat prædicatum ad aliquod ex illis quinque formaliter pertinens; quia tamen ex modo conceptûs expliciti significatur substantivè, reductivè, & quantum ad modum explicandi, reducetur ad duo prima, nempè iste homo prædicatur ad modum speciei, quia *iste* individuationem importat determinatam; aliquis homo dicetur ad modum generis, quia *aliquis* individuationem importat indeterminatam: nota autem, quòd, quia talia sunt subjecta, qualia permittuntur à prædicatis; Sortes in utrâque accipitur reduplicativè, ut est individuum.

10 Arguitur secundò: Hæc prædicatio, Sortes est individuum, non pertinet ad aliquod ex illis quinque: ergo divisio non est adæquata. Prob. antec. Quòd si individuum, sive quod de uno tantùm prædicetur, non dicitur in quid de Sorte, est enim secunda intentio, quam sibi attribuit intellectus; aliunde nec est differentia, nec convertibiliter dicitur de Sorte, quia multa alia sunt individua, neque tandem accidens importat, quod possit adesse, & abesse: ergo.

11 Resp. quòd ly *individuum* potest accipi primò intentionaliter, aut secundò intentionaliter, sicut cùm dicitur, quòd homo est species, potest esse sensus, quòd est quidditas, cui competit intentio speciei; aut potest esse sensus, quòd habet intentionem speciei. Itaque primò intentionaliter est prædicatio identica, non enim intentionem prædicat, sed quidditatem, quæ est fundamentum ejus; & hoc sensu neg. conseq. talis enim

prædicatio non arguit novum prædicabile: secundò intentionaliter est prædicatio quinti prædicabilis, prædicat enim secundam intentionem, quæ contingenter convenit; etsi enim Sorti non conveniat contingenter habere individuationem, convenit tamen contingenter, & ex attributione intellectûs habere secundam intentionem, & hoc in hoc sensu prædicat.

12 Arguitur tertiò: Ista prædicatio, *Deus est homo*, aut ista, *Christus est homo*, ad nullum pertinet ex illis: ergo idem. Anteced. ostenditur, quia ly *homo* essentialiter non dicitur de Deo, aut Christo Domino, quare non pertinet ad tria prima; sed aliunde neque accidentaliter, cùm substantiam dicat: ergo. Adde, quòd Christus Dominus univocè cum cæteris hominibus est homo, quare sibi non est accidens, quòd homo sit. Confirmatur: Ista, *homo est existens*, neque pertinet ad essentialia, cùm existentia de homine non dicatur essentialiter; neque ad accidentalia, quia accidens est, quod adest, & abest absque subjecti corruptione; existentia autem non abest absque corruptione hominis.

13 Resp. primò, dato antec. neg. conseq. prædicabilia enim multiplicantur non ex quacumque prædicatione, sed ex ea tantùm, quæ ad prædicamenta pertinet; ad hoc enim tractatus ille instituitur, ut in exordio ipsius Porphyrii patet; constabit autem disput. seq. quòd neque Deus, neque Christus Dominus in prædicamento ponuntur. Resp. secundò, quòd primum est quinti prædicabilis, Deo enim contingenter convenit, & quia voluit assumpsisse hominem, neque ratio prædicabilis accipitur ex quidditate ipsa, quæ prædicatur, sed ex convenientia ad subjectum; patet enim, quòd color est accidens, & tamen substantivè, & in quid dicitur, quòd albedo est color. Secundò: Prædicatio est propositio duplex, nam Christus Dominus duas habet naturas Divinam, & Humanam: ergo subjectum in illa accipiatur pro supposito, sive natura Divina, dicitur, sicut dictum est de primo; si autem accipiatur pro hac subsistente humanitate, sic est species de individuo, ut probat ratio subinducta in argumento.

Ad confirmationem dicitur, quòd illa prædicatio est quinti prædicabilis, existentiæ enim subjacere homini convenit contingenter. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd homo, ut est subjectum, accipitur specificativè pro ipsa essentia, quæ non destruitur defectu existentiæ; si autem accipiatur reduplicativè, est propositio identica, nempè homo ut existens est existens.

14 In contrarium reponit N. Manso, quòd ex D. Thom. Christus Dominus in triduo mortis non fuit homo; & ratione patet, non enim

enim fuit vivens: ergo neque animal, neque homo. Confirmatur, quia, licèt existere conveniat contingentèr naturæ universali, non autem individuo; quare aliter accipienda est ista: *Petrus est existens*, ac ista: *Homo est existens*. Ad hoc ipse respondet, quòd illa propositio: *Petrus est existens*, ad nullum prædicabile pertinet, quia hìc solùm agitur de propositionibus, quæad scientias deserviunt; scientia autem non agit de singularibus; altera autem: *Homo est existens*, est quinti prædicabilis.

15 Sed in primis hæc ejus solutio non tenet, primò, quia ad considerationem prædicamentalem non solùm secunda substantia, sed prima etiam pertinet; instituit autem hunc tractatum Porphyrius, ut ipse expressè asserit in ordine ad lib. Prædicam. Secundò: Species, quæ est secundum prædicabile, non nisi de individuo prædicatur: ergo prædicatio de individuo ad hanc considerationem pertinet. Rursus: Existere neque contingentèr, neque necessariò convenit naturæ universali, tantùm enim existit singulare: si ergo existere alicui convenit contingentèr, ipsi singulari ita convenit. Deinde, quæ opponit, nihil urgent: verum est, quòd Christus Dominus in triduo non fuit homo, hoc tamen non tollit, quin existere sit extra quidditatem sive hominis, sive individui, ita quòd possit convenire, & non convenire; quare de utroque dicitur contingentèr, & deficiente existentia, destruitur physicè, & quantum ad esse in natura, non autem quantum ad quidditatem suam.

16 Arguitur quartò pro secunda sententia: Universale de his, quibus est universale, essentialitèr dicitur; sed duo tantùm sunt modi dicendi essentialitèr: ergo duo tantùm sunt prædicabilia, in quæ dividitur universale. Patet maj. universale enim ad id, cui est universale, comparatur tanquàm contrahibile ad suum contrahens, in quo includitur. Patet item min. quia quod dicitur essentialitèr, essentiam importat illius, de quo dicitur: aut ergo totalitèr, & determinatè, aut potestativè, & indeterminatè.

17 Hoc argumentum, quod ferè unicum est hujus sententiæ fundamentum, in æquivocatione nititur supra notatâ. Resp. ergo dist. ing. conseq. Duo tantùm sunt prædicabilia, in quę dividitur universale formalitèr, ut est universale, sive ex habitudine ad inferiora sua, conc. conseq. in quæ dividitur universale, ut est prædicabile, sive ex habitudine ad id, de quo dicitur, neg. conseq. Patet autem ex jam dictis, quòd non primo, sed secundo modo hic sumitur universale.

ARTI-

ARTICULUS II.

An Universale sit genus ad quinque prædicabilia?

18 TOta ferè hujus articuli difficultas in eâdem æquivocatione fundatur: non itaque de universali quæritur, ut universale est, sive ex habitudine ad ea, quibus est universale, sic enim dicto sunt tantùm genus, & species; cætera namque de his, quibus sunt universalia, non dicuntur, v. g. accidens de hoc, & illo accidenti, non dicitur ut accidens: quæritur ergo de universali, ut est prædicabile, sive ex habitudine ad id, de quo dicitur. Prima sententia negat, pro qua citantur Albert. Mag. tract. prædicab. cap. 9. Bruxel. Contarin. Simp. Alex. quos sequitur Oña q. 4. art. 3. & ex parte Mastr. quamvis enim genus esse asserat, eodem tamen fundamento, quo utitur Oña, habere asserit admixtam analogiam. Secunda sententia asserit, universale, prout hic sumitur, genus esse ad quinque prædicabilia. Hæc est communis Thomistarum, ut asserunt Parra, Complut. Joan. de S. Thom. eamdem tenet Scotus q. 8. univ. quam sequuntur Scotistæ; tenet item B.D. quem omnes NN. sequuntur.

19 Dicendum ergo, quòd communis ratio prædicabilis est genus ad illa quinque. Probat. ex B. D. q. 13. sup. univ. ubi quærit: An differentia possit definiri? Ratio dubitandi est, quia differentia, cùm dicat ultimam actualitatem rei, non videtur habere genus, & differentiam, pro cujus explicatione ait: *Et ideo nota, quòd uno modo dicitur differentia res absolutè considerata, ut rationale; alio modo dicitur differentia res communis apprehensa ab intellectu subjecta ipsi intentioni; alio modo ipsa intentio: unde dico, quòd differentia, quæ est res absolutè considerata, non definitur, sed res subjecta intentioni, quæ est communis apprehensa ab intellectu, illa potest definiri, & habet aliquid loco generis, & aliquid loco differentiæ: nam, cùm dicitur, differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale, illud prædicatur ponitur ibi loco generis, & totum aliud loco differentiæ; nam prædicabile est genus ad differentiam, & sic de aliis prædicabilibus.*

20 Prob. deinde ratione communi: Ratio prædicabilis æquè dicitur de illis quinque tanquam de differentibus specie in quid; sed hæc est definitio generis: ergo ratio prædicabilis genus est ad illa quinque. Prob. maj. Et quidem quòd prædicabilia inter se specie differant in ratione prædicabilium, de se patet; quòd autem æquè in quid de omnibus dicatur ratio prædicabilis, ostenditur: non minùs essentialiter, & quidditati-

vè

vè convenit speciei prædicari de individuo, ac convenit proprio, sive accidenti prædicari in quale de subjecto: ergo esse prædicabile æque in quid convenit utrique. Ostenditur antec. Aliud est enim, quòd species individuo conveniat in quid, accidens verò in quale; aliud verò, quòd speciei conveniat essentialitèr prædicari in quid, & accidenti æquè essentialitèr conveniat prædicari in quale; at licèt non eodem modo utrumque conveniat subjecto, de quo dicitur, utrique tamen eodem modo convenit per quidditatem suam sic, vel sic de subjecto dici, & fundare intentionem prædicabilis: ergo.

21 Arguitur primò: Quod prædicatur denominativè, non est genus; sed communis ratio prædicabilis de illis quinque dicitur denominativè: ergo. Prob. min. Id dicitur denominativè, quod non prædicat essentiam ad modum essentiæ, sed ut adjacentem alicui, ut coloratum; sed prædicabile de illis quinque non prædicat essentiam ad modum essentiæ, sed ut subjacentem alicui determinationi: ergo. Minor ostenditur, tùm, quia significat ly *prædicabile* essentiam ut subjacentem secundæ intentioni prædicabilitatis; tùm, quia ly *prædicabile* dicit concretum accidentale secundæ intentionis; at concretum accidentale apud omnes prædicat denominativè formam, ut in subjecto: ergo.

22 Hoc argumentum latè versat N. Fulgent. & ad illud totam hujus articuli controversiam devolvit. Nobis pro solutione notandum, quòd subjectum potest accipi specificativè secùndùm quidditatem, quam simplicitèr importat; aut reduplicativè secundùm aliquam determinationem illi quidditati convenientem, v. g. cùm dicitur, album est coloratum, ly *album* potest accipi specificativè pro ipsa substantia, quæ albedini subjacet; aut potest accipi reduplicativè pro ipsa, ut alba est: primo modo coloratum dicitur denominativè, & est prædicatio accidentis; secundo modo coloratum dicitur in quid, & est prædicatio generis de specie.

Similitèr ergo in proposito, cùm dicitur genus est prædicabile, ly *genus* potest accipi specificativè pro ipsa quidditate, quæ intentioni subjacet, & sic ly *prædicabile* dicitur denominativè; aut potest accipi ly *genus* reduplicativè, ut est genus, & sic ly *prædicabile* dicitur in quid; patet autem, quòd hìc accipitur non specificativè, & primò intentionalitèr pro ipsa quidditate, quæ genus est, sed reduplicativè, ut est genus. Patet ergo ad formam neg. min. ad probat. ejus paritèr neg. min. vel claritatis gratiâ distinguo. De illis quinque sumptis specificè pro ipsa essentia, conc. min. sumptis reduplicativè, neg. min. Ad prob. dicitur, quòd subjacere intentioni prædicabilitatis de ipsa essentia se-

cundùm

cundùm se, & specificativè, adjectivè dicitur, sive denominativè; at verò de essentia reduplicativè, ut subjacet huic intentioni, subjacere intentioni dicitur in quid, & ut ratio communis de suo particulari.

23 Arguitur secundò: Illa ratio est analoga, quæ convenit uni ratione alterius, & cum dependentia ab illo; sed ratio prædicabilis ita se habet ad illa quinque: ergo est analoga, & consequentèr non est genus. Maj. nota est, tùnc enim attributionem habet, & dicitur per analogiam ad id, à quo dependet. Min. ostenditur: Proprium, & accidens per dependentiam à natura specifica, vel generica prædicantur de subjecto, eo enim Petrus est risibilis, quia est homo. Hoc est fundamentum, quod habet Oña, cui addit Mastrius hanc confirmationem: Inæqualitèr de illis dicitur ratio prędicabilis, nempè de aliis in quid, de aliis in quale; sed inæqualitas in ratione communi causat analogiam: ergo.

24 Resp. disting. min. Ratio prædicabilis ita se habet ad illa quinque primò intentionalitèr, & pro ipsa quidditate, conc. min. ad illa quinque secundò intentionalitèr, & ut sunt prædicabilia, neg. min. Ad prob. ejus dicitur, quòd proprium primò intentionalitèr, quia oritur ex natura specifica, individuo convenit ratione naturæ specificæ, sed in primis ipsi naturæ specificæ per se convenit; & quia illius est proprium, per se habebit prædicari de eo, cujus est proprium; deinde, quamvis risibilitas Petro conveniat ratione naturæ humanæ, ipsi tamen risibilitati convenit de se, quòd sit proprietas; & rationi communi, quæ ab omnibus proprietatibus abstrahitur, per se convenit fundare intentionem prædicabilitatis æquæ ac communi rationi, quæ abstrahitur ab omnibus speciebus.

Ad confirmationem neg. maj. etsi enim comparativè ad subjectum alia in quid, alia in quale dicantur; ipsa tamen in se æqualitèr habent in quid, & essentialitèr rationem prædicabilis. Deinde disting. min. Inæqualitas, quæ ex differentiis oritur, causat analogiam, neg. min. inæqualitas, quæ in ipsa est ratione communi, conc. min. In proposito itaque, quòd aliud in quid, aliud in quale dicatur, non est ex ratione communi, qua est prædicabile, sed ex speciali ratione, qua tale est; quare ipsa ratio communis præcisa à differentiis æqualis est, & sic genus.

25 Arguitur tertiò, & est præcedentis major explicatio: Ista propositio: *Petrus est albus*, non est immediata: ergo album non prædicatur immediatè, & per se, & sic accidenti non convenit immediatè, & per se ratio prædicabilis, sed tantùm mediatè, & ratione alterius. Ostenditur antec. de Petro non dicitur album, nisi in quan-

quantum habet aliquam individuam albedinem: ergo in tantum ly *album* est prædicabile accidens de Petro, in quantum est species ad omnes albedines individuas; & sic non nisi mediâte specie convenit sibi ratio prædicabilis per modum accidentis.

26 Sed contra: Si eatenùs de Petro dicitur album, quatenùs habet hanc individuam albedinem, sic dicitur de Petro, sicut dicitur *habet* albedine; sed de hac albedine non ut accidens, sed in quid dicitur per modum speciei: ergo *in* prædicabitur de Petro. Ostéditur maj. tùm, quia proprium v. g. risibilitas, eo quòd Petro convenit ratione naturæ, cujus est proprietas, sic convenit Petro, sicut ipsi naturæ; tùm deinde, quia Petrus reduplicativè ut habens hanc albedinem, seu quòd idem est, in quantum habet hanc albedinem, quidditativè est albus. Directè neg. conseq. Aliud enim est, quòd tali modo album conveniat Petro; aliud verò, quòd tali modo ipsi albo conveniat intentio; album quidem per se, & immediatè fundat intentionem, ut jam patuit; quòd autem tali modo conveniat, facit, quòd sit tale prædicabile; quare inæqualitas non ex communi ratione, sed ex particulari est, qua est tale prædicabile.

27 Arguitur quartò: Si universale esset genus ad illa quinque, tùnc species directè, & formaliter prædicaretur de genere suo, & idem esset superius, & inferius se ipso; sed hoc est inconveniens: ergo. Patet minor; quando enim prædicatur inferius de superiori, prædicatio est indirecta, & in sensu formali falsa, ut cùm dicitur *animal est homo*; species autem inferior est genere. Major sic patet: Si universale esset genus ad illa quinque, tùnc utraque ista propositio esset vera: Vniversale est genus: Genus est universale; tùnc autem patet, quòd in prima prædicatur species de genere; genus enim, quod in ea prædicatur, est unum de illis quinque, & sic species contenta sub ratione communi universalis; deinde patet, quòd ly *universale* in altera subjicitur, in altera prædicatur; quare est inferius, quatenùs subjicitur, & superius, quatenùs prædicatur.

28 Resp. primò, quòd argumentum quilibet tenetur solvere, saltim enim ad duo, quæ dicuntur in quid, genus esse communem rationem universalis, nullus dubitat; quare apud omnes genus est aliqua species contenta sub ratione communi universalis, & ipsa ratio communis genus est, saltim ad illa duo. Directè disting. maj. Idem eodem modo esset superius, & inferius, & species ut talis prædicaretur de genere suo, neg. maj. idem sub diversa acceptione esset superius, & inferius, & species non exercité ut species prædicaretur

de genere suo, conc. maj. sed hoc sensu neg. min. Ad prob. eodem sensu disting. maj. Utraque propositio est vera in eâdem acceptione, neg. maj. in diversa, conc. maj.

Itaque, cùm dicitur, universale est genus, ly *genus* est exercitè genus, & comparatur ut superius ad omnia genera tàm primæ, quàm secundæ intentionis; quando autem dicitur, genus est universale, ly *genus* non est exercitè genus, sed signatè; exercitè autem est species, & accipitur ut ratio subjecta, & contrahens rationem communem universalis; pariter ly *universale* accipitur diversa suppositione; uno modo, quasi primò intentionalitèr, sive ad modum primæ intentionis; alio modo, quasi secundò intentionaliter; quare uno modo est ratio communis ad omne universale; alio modo est ratio specialis reperta in hoc, aut illo; non autem inconvenit, quòd idem sub diversa acceptione sit genus, & species, superius, & inferius.

QUÆSTIO SECUNDA

DE GENERE PRIMO PRÆDICABILI.

ARTICULUS I.

An Genus benè definiatur à Porphyrio?

§. I.

Rationes dubitandi, & resolutio Articuli.

29 POrphyrius in 1. cap. hujus tractatûs, quo de Genere agit, præmittit, quòd non uno modo genus accipitur; nam primò dicitur genus multitudo ab uno originem ducens, quo sensu Latini dicuntur á Poëta genus Æneadum; alio modo genus dicitur id, unde quis originem ducit, ut Locus, sive Patria, ut Periander dicitur genere Thebanus; alio modo accipitur pro eo, sub quo species collocantur, ut animal dicitur species hominis. Hac triplici acceptione à Philosopho accipi, ait, & de eo hîc agi; quare alias misit generis acceptiones, ut qua à Grammaticis dicitur nomen generis masculini, aut fœminini, & à Rhetoribus oratio generis deliberativi, vel demonstrativi, & hoc ipsum, quod dicimus id generis alia, quia ad intentum suum, ut nempè pateat, quo sensu hîc accipitur genus, unam, aut alteram acceptionem sufficit commemorasse.

In hac ergo acceptione genus esse ait: *Quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid.* Hanc definitionem sic ipse explicat: Dicitur primò, *quod prædicatur*, nempè aptitudine, hoc est, quod natum est prædicari, quo genus cum cæteris convenit, etiam cum individuo; dicitur deinde, *de pluribus*, quo differt ab individuo, quod de uno tantùm prædicatur; dicitur insuper, *differentibus specie*, quo à specie differt, quæ tantùm de differentibus numero prædicatur; & tandem dicitur, *in quid*, quo á reliquis differt, quæ prædicantur *in quale*, seu adjectivè, & denominativè.

30 Circa hanc definitionem dubitatur: An ea sit exacta? Triæ sunt, quæ possunt facere rationem dubitandi, quare ad tres dubitationes possumus difficultatem reducere: Prima: An ea definitio sit essentialis, vel descriptiva? Ratio dubitandi est, quia aptitudo ad prædicari non est essentia universalis, sed passio quædam; patet

enim, quòd differentia, proprium, & accidens non ex habitudine, qua sunt universalia, sunt prædicabilia, sed ex alia, quæ ad istam consequitur: non ergo per quidditatem, sed per passionem traditur illa definitio. Secunda: Dato, quòd sit essentialis, an physica, vel metaphysica, hoc est, an per subjectum, & formam, an per genus, & differentiam? Ratio dubitandi est, quia ly *quod prædicatur*, naturam ipsam significat, quæ est intentionis subjectum; quare ex subjecto, & forma videtur conflari definitio illa.

Tertia dubitatio: Dato, quòd sit metaphysica, an rigorosa per verum genus, & differentiam? Ratio dubitandi est, quia aut ponitur genus ly *quod prædicatur*, aut *quod prædicatur de pluribus*: si primum, est genus remotum, per id namque non solùm cum reliquis prædicabilibus convenit, sed etiam cum individuo, quod non est prædicabile; si autem dicatur secundum, non est verum genus, sed complexum ex genere, quo convenit cum individuo, & differentia, qua ab illo differt; genus autem est incomplexa ratio conveniendi. Similitèr, quod ponitur loco differentiæ, non est vera differentia; hæc enim debet esse atoma, & ultima actualitas, qua genus à reliquis omnibus differt; illa autem duas continet, alteram, qua à specie, alteram, qua á reliquis differt genus; quare propriam differentiam per duas circumloquitur.

31 Spin. hîc ait, definitionem esse exactam, ab omni Schola supponi contra unum Laurent. Valla, ridendos proinde nonnullos, ut Martinium, & Izquierdo, quos Grammaticum sequi non puduit. Sed à censura profectò abstineret, si suos legisset Thomistas; nam Joannes de S. Thoma hîc ut communem suæ Scholæ, & expressim in S. Thoma ponit sententiam asserentem, quòd illa definitio descriptiva est, & pro hac cæteri citant communitèr Thom. 2. sent. docet quidditativam esse, & essentialem. Ita Scotus q. 15. sup. univers. Sed, an metaphysica? negat Spin. asserens, hanc esse communem Thomistarum; affirmat B. D. intrà adducendus, quem sequuntur Discipuli, & hanc esse Scoti intentionem, colligitur ex cit. q.

32 Pro expeditione notandum, posse quidem rei essentiam per proprietates suas explicari, quando nempè tales habet, quæ sibi conveniunt, tùnc enim illas assumens sufficientèr notificat essentiam, ut risibile, admirativum, & similes respectu hominis; per tales autem non traditur definitio, sed tantùm explicatio descriptiva; licèt enim hominem esse deducatur subjectum tales proprietates habens, eæ tamen non quid est explicant, sed quæ ipsum quid consequuntur, & circumstant. Item notandum, quòd formæ, sive sub-

substantiales, sive accidentales, definiuntur per ordinem ad subjectum, quando speciale subjectum sibi determinant; sic anima definitur: Actus corporis physici organici, sic simitas, curvitas nasi; quando autem habent subjectum commune, definiuntur per ordinem ad operationem sibi propriam, ut albedo per disgregare visum: ista definitio dicitur secundùm quid, & per additamentum, quia ipsum quid explicat ex ordine ad aliquid extrinsecum, & superadditum, nempè subjectum, vel operationem.

33 Tandem notandum, non esse idem definiri physicè, ac per additamentum; definitio enim per additamentum impropria est, ut habetur ex Philos. 7. Metaph. cap. 5. potest autem definitio physica quidditativa esse, si nempè partes physicas accipiat ipsius quidditatis, ut de homine corpus rationali animâ informatum; debet autem partes physicas accipere, sicut eas physicè importat definitum; quare poterit ex ordine ad aliquid tradi, & tamen quidditativa erit, si nempè talem ordinem in quidditate sua importat definitum.

34 Ad propositum ergo, primæ dubitationi dicimus, definitionem esse quidditativam. Prob. primò ex B. D. sup. univ. fol. 6. col. 1. ubi de specie agens, & explicans definitiones, quas de illa habet Porphyrius, contra se objicit, quòd unius rei una est definitio; sed de specie ponuntur tres: ergo non benè. Resp. quòd unius rei una est definitio, uno modo acceptæ, si autem pluribus modis accipiatur, potest plures habere, & concludit: *Et ideo dico, quòd solùm una est vera definitio speciei, aliæ sunt descriptiones*; dicit autem veram definitionem speciei, quæ traditur per prædicari de pluribus; vera autem definitio, ut accipitur contra descriptivam, quidditativa est; sed patet, quòd idem dici debet de definitione speciei, & generis: ergo.

35 Probat. secundò ratione, qua evertitur contrariæ sententiæ motivum: Illa definitio est quidditativa, quæ non per passionem, sed per prædicatum quidditativum traditur; sed esse natum prædicari non passio est, sed essentia universalis, prout universale hìc sumitur: ergo. Prob. min. Non sumitur hìc universale, prout respicit inferiora, quibus est universale, sed prout respicit subjectum, de quo dici potest; sed hoc secundo modo proculdubio quidditas ejus est posse prædicari: ergo. Patet min. quia reduplicativè, & sub acceptione, qua est natum dici de subjecto, apertè patet, quòd tota ejus quidditas est sic posse dici. Maj. & suprà ostensa est, & sic patet: Hunc tractatum Porphyrius ipse ait institui in ordine ad prædicamenta Aristotelis; sed prædicamenta, ut patebit, significant modos prædicandi generales, &

non

non reductos in alium priorem: ergo ex habitudine, qua prædicantur, accipiuntur ea, de quibus hîc agitur. Præterea: Patet, quòd album alia habitudine ad substantiam comparatur, ac ad hoc, & illud album, & hoc secundo modo universale est; sed hîc de illo agitur primo modo, nempe ita est quintum prædicabile: ergo universale, ut hîc de illo agitur, & illa definitione definitur, non est formaliter universale, sive non hîc accipitur sub habitudine, qua est universale, sed qua est prædicabile, & consequenter ejus quidditas est prædicari.

36 Dicimus deinde ad secundam dubitationem, quòd illa definitio est metaphysica. Quod explicatione potiùs, quàm probatione indiget: itaque definitio physica accipit prædicata quidditatis, ut sunt physicè in re; quare in proposito deberet accipere naturam, quæ est subjectum secundæ intentionis, & ipsam secundam intentionem; patet autem, quòd non sic accipit: primò quidem, quia diversum est fundamentum secundæ intentionis generis, ac aliorum prædicabilium, nempè in genere est natura generica, in aliis propria respectivè natura; quare in uniuscujusque definitione, si acciperetur physicè, deberet accipi diversa natura, quæ est uniuscujusque intentionis fundamentum; at patet, quòd in singulis accipitur ly *quod prædicatur*: non ergo prædicatum physicum accipit, sed metaphysicam rationem ad omnia communem. Deinde patet, quòd ly *quod prædicatur*, naturam significat, quæ intentioni subjicitur, non primò intentionaliter, & ut est talis, aut talis, sed ut unâ communi ratione prædicabilitatis comparatur ad specialem rationem talis, vel talis prædicabilitatis; sed priori modo acciperetur physicè fundamentum secundæ intentionis, posteriori accipitur metaphysicè, ut habet ab ipsa secunda intentione communem conceptum prædicabilitatis ut sic: ergo.

37 Tandem tertiæ dubitationi dicimus, quòd illa definitio rigorosa est per verum genus, & propriam differentiam. Quod sic patet: Verum genus est simplex ratio conveniendi proximè determinabilis per propriam differentiam illius, quod definitur, & propria differentia est atoma ratio, qua ultimò ab omni non ipso differt; sed ita assumit illa definitio: ergo. Probat. minor, primò de genere: Quamvis enim pro explicito duo assumat, nempè prædicari, & de multis prædicari, metaphysicè tamen, & ex parte objecti non duo sunt, quod enim non de multis prædicatur, non nisi identicè prædicatur, quare prædicari formaliter, & metaphysicè est prædicari de multis; at per hoc cum reliquis prædicabilibus convenit: ergo. Deinde, de differentia ostenditur ea-

idem min. Quia infima differentia est nobis ignota, ut q. 5. probabimus, quare cogimur propriam uniuscujusque differentiam circumlocutione explicare per duas; sed illa definitio per duas explicat id, quo genus ab omni non ipso differt: ergo propriam differentiam assumit.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

38 EX his primò patet ad motiva dubitandi: ad rationem primæ dubitationis jam patuit, quòd universale non sumitur hìc formalitèr, ut universale est, sive ex habitudine ad inferiora sua, sed ut est prædicabile, sive secundùm comparationem ad subjectum, de quo dicitur; quidquid autem sit, an sub priori acceptione sit passio ejus aptitudo ad prædicari, certum est, quòd sub posteriori ipsa est ejus quidditas. Ad rationem secundæ jam item patuit, quòd ly *quod prædicatur*, significat naturam, ut stat sub secunda intentione; quare non subjectum præcisè, sed subjectum sub forma significat secundùm conceptum communem, ipsam nempè prædicabilitatè ut sic, communitèr. Ad rationem tertiæ, quantum ad conceptum generis dicitur, quòd prædicari formalitèr loquendo, non convenit individuo; individuum enim non nisi materialitèr, & improprie convenit individuo: cùm ergo in definitione accipiatur formalitèr, & propriè, nihil habet genus formaliter loquendo, quo cum individuo conveniat. De differentia autem patebit infrà, quòd ultima est nobis ignota; quare in qualibet definitione oportet propriam differentiam per duas circumloqui.

39 Deinde arguit primò Oña, quòd ipse Porphyrius in text. descriptionem vocat: ergo ea non est definitio quidditativa. Antec. ostendit per verba Porphyrii, concludit enim: *Nihil ergo superfluum descriptio dicta conceptùs generis continet*, & priùs definitionem sic proponit: *Quod & describentes sic assignarunt.* Secundò, quia verum genus debuit esse universale; sed hujus passio est prædicabile, quod assumit: ergo. Tertiò, quia per clariora, & notiora debuit tradi definitio; est autem clarior, & notior per ly *prædicabile*, quòd est passio, quàm per prædicatum quidditativum.

40 Resp. ad primum neg. conseq. in ipso enim textu notatur in margine versio Perionis, quæ habet *definierunt*: vox ergo græca expressionem, sive explicationem significat, quæ utramque translationem patitur, sive definitionis, sive descriptionis; quare inde non licet argumentum sumere, siquidem constat ex prædicatis, per quæ traditur, quòd non passiones, & accidentia, sed quidditatem

tem ipsam explicat. Ad secundum neg. maj. jam enim patuit, quòd non accipitur hic universale comparativè ad inferiora, ut talia sunt, sed comparativè ad subjectum, de quo dicitur. Ad tertium neg. suppositum min. quòd ly *prædicabile* sit passio; jam enim patuit, quòd est quidditas definiti in sensu, quo definitur.

41 Arguit. secundò communi Thomistar. fundamento: Concretum accidentale debet definiri physicè per subjectum ad formam; sed genus est concretum accidentale ex natura, & secunda intentione: ergo ita accipienda est illa definitio, quòd per ly *quod prædicatur*, accipiatur natura, quæ est subjectum, & per cætera significetur secunda intentio, & sic definitio erit physica. Maj. ostendunt per verba S. Thomæ 7. Metaph. lect. 4. quibus docet, quòd in definitione accidentis debet poni definitio substantiæ; quare ait Philosophus illo textu, quòd substantia est prior accidenti definitione; & idem colligitur ex Philosopho, tùm ibi, tùm sæpe alibi; ait enim cit. 7. Metaph. cap. 5. quòd solius substantiæ definitio est, nempè proprié, & quòd alia tantùm definiuntur secundùm quid, & per additamentum, ponendo nempè in definitione eorum ipsam substantiam.

42 Resp. neg. maj. ad prob. ejus dicitur, quòd accidens sive in concreto, sive in abstracto definiri debet secundùm quid, & per additamentum, ita quòd in definitione ejus ponatur substantia, sed non proinde physicè; primum docent Philosophus, & S. Thomas; & ratio est, quia accidens, sicut non habet esse nisi ex attributione ad substantiam, & quia est perfectio ejus, ita neque definitionem. Secundum autem sic patet: Definitur enim à Philos. quantum: *Divisibile in ea, quæ insunt quorum unumquodque unumquid, & hoc aliquid aptum est esse*; quæ definitio accipit utique substantiam, quæ est ipsum divisibile; atque etiam, si definiatur quantitas in abstracto, dicitur, quòd est perfectio tribuens substantiæ divisibilitatem in ea, quæ insunt; ly autem *divisibile* non significat substantiam secundùm se, ut est physicè subjectum quantitatis, sed substantiam sub quantitate, & ut ab ea habet conceptum communem divisibilitatis, qui determinatur per talem specialem divisibilitatem, quæ propria est quantitatis.

Similiter in proposito, ly *quod prædicatur*, non significat naturam seorsùm à secunda intentione, & ut est subjectum ejus, sed ut stat sub secunda intentione, & ab ea habet communem conceptum prædicabilitatis ut sic, qui determinatur per talem specialem prædicabilitatis modum; patet autem: tùm, quòd definitio physica deberet accipere subjectum seorsùm,

sum, & ut est subjectum formæ; tum deinde, quòd subjectum, ut stat sub forma secundùm conceptum communem, est prædicatum metaphysicum: relinquitur ergo, & quòd concretum accidentale potest definiri metaphysicè; & quòd præsens generis definitio metaphysica est.

43 Arguitur tertiò: Genus definitur per ordinem ad speciem; id hoc est per additamentum definiri: ergo illa definitio non est quidditativa. Patet maj. definitur enim per prædicari de pluribus differentibus specie. Min. item patet, quia definiri per additamentum est definiri per aliquid extra propriam quidditatem; species autem est extra quidditatem generis. Confirmatur: Nondùm explicata est species: ergo definire genus per speciem est definire per aquæ ignotum. Præterea: Genus per ordinem ad speciem, & species per ordinem ad genus definitur: ergo circulum facit definitio, & sic inepta est.

44 Resp. neg. min. ad prob. ejus dicitur ex prænotatis, quòd definiri per additamentum est definiri per aliquid, quod est extra conceptum quidditatis; quod autem in sua quidditate est respectivum, licèt non importet id, ad quod respectivum est, importat tamen in sua quidditate respectum; quare per talem respectum definiri, non est definiri per additamentum, sive per aliquid extrinsecum, sed per prædicatum quidditativum: genus ergo, quod in sua quidditate respectivum est ad speciem, sive secundùm dici, si sumatur primò intentionaliter, sive per rationem, si sumatur secundò intentionaliter, quidditativè definitur, quando definitur per talem ordinem, quamvis species ipsa sit extra conceptum generis: verum est quidem, quòd genus, eo quòd accidentale concretum, definiri debet per additamentum, nempè includendo in definitione sua naturam, sive substantiam, quæ prædicatur; hoc autem non tollit, quin definitio sit quidditativa, quia ipsa substantia importatur quidditativè in concreto, quod definitur.

Ad confirmationem respondet B. D. q. 8. in solut. ad 2. quòd species notior est genere quoad nos, quia propinquior est ad singulare sensibile; quare benè potest genus per ordinem ad speciem definiri. Quòd si dicas: Tùnc non poterit species per ordinem ad genus definiri, quia definiretur per minùs notum; definitur autem à Porphyrio, nempè *quæ immediatè ponitur sub genere.* Ad hoc dicitur, quòd illa definitio non est quidditativa; quidditativè enim definitur species per ordinem ad individuum, de quo prædicatur. Ad alteram confirmationem dicitur, quòd correlativa se mutuò notificant; quare non est inconveniens, quòd ad se mutuò definiantur,

tur, sicut sunt ad se invicem; species autem uno modo, nempè ut subjicibilis, est correlativa generi; quare hoc sensu potest per ordinem ad illud definiri, quamvis genus definiatur etiam per ordinem ad ipsam. Ex his poterit ad reliqua patêre.

ARTICULUS II.

Quodnam sit definitum in definitione generis?

§. I.

Quibusdam notatis, probatur nostra Conclusio.

45 GEnus dicit naturam ipsam, quæ de multis prædicatur, ut animal, & intentionem, secundùm quam concipitur apta prædicari, seu quæ est ipsa aptitudo: quæritur ergo: Quid definiatur, nempè, an natura, an intentio, an utrumque? Et quod de genere dicitur, dicendum de reliquis. Tota difficultas devolvitur ad communem de modo definiendi concretum accidentale, de quo latè hìc Complutenses Thomistæ communiter contendunt: primò, concretum accidentale non posse propriè definiri, quia non est per se unum, sed omninò per accidens, cùm includat res diversi prædicamenti; & quia non habet unum quid, non potest unâ definitione explicari; idque expressum dicunt in Philosopho 7. Metaph. cap. 3. Deinde ex hoc deducunt, solùm posse definiri quidditative accidens in abstracto; quòd si definiatur in concreto, non metaphysicè per genus, & differentiam, sed physicè definiri debet definitione impropria, & per additamentum, nempè per subjectum, cui inhæret.

46 Quod, quia totius est difficultatis cardo, latiùs oportet expendere: primò quidem non alitèr in abstracto, quàm in concreto debere accidens definiri, patet in primis ex ipso Philosopho ibidem, non quidem 3. sed 5. cap. quo de hoc agit, nempè de modo, quo definiri habet tùm accidens, tùm substantia; ait enim: *Patet igitur, quòd solius substantiæ definitio est; si enim & cæterorum quoque prædicamentorum, necesse est ex additione esse, ut qualitatis, & imparis.* Intendit ergo, quòd sola substantia definiri habet simpliciter, & propriè; & quòd accidens sive in concreto, sive in abstracto sumatur, absolutè enim ipse loquitur, tantùm habet definiri secundùm quid, & ex additione. Deinde ratione id ipsum patet; sicut enim accidens in concreto importat subjectum, cui inhæret, ita in abstracto importat quidditativè ordinem ad illud; non enim est ens, nisi quia entis, ut ipsi docent Thomistæ.

47 Deinde posse quidem accidens in concreto metaphysicè defi-

definiri, jam suprà patuit ex ipso Philosopho definiente quantum per esse *divisibile in ea, quæ insunt*; ulteriùs autem ratione ostenditur: Eo enim substantiæ complete accipimus definitionem metaphysicam, quia, quatenùs forma diversis gradibus perficit materiam; accipimus materiam sub forma secundùm communem gradum, & hoc significatur conceptu generis; accipimus deinde ulteriorem gradum illius prioris determinativum, & iste significatur conceptu differentiæ; similiter, si definiatur forma substantialis in abstracto, ipsa, secundùm quod materiæ tribuit communem perfectionem, accipietur ut genus, & ulterior, quam tribuit, perfectio erit differentia; sed eodem modo omninò accipimus sive concretum accidentale, sive accidens in abstracto: ergo. Hæc min. de levi patet; habet enim forma accidentalis æquè, ac substantialis perficere subjectum suum magis, & minùs communiter, ut quantitas reddit divisibile, & taliter divisibile; secunda intentio constituit prædicabile, & sic prædicabile.

48 Quod deinde dicitur, concretum accidentale esse unum per accidens, & non importare unam quidditatem, absolutè loquendo, falsum est, & contra Philosoph. qui 8. Metaph. text. ult. ita habet: *Attamen eadem de omnibus ratio erit; etenim ipsum sanum esse, aut vpula, aut compositio, aut conjunctio animæ, & sanitatis erit; & æs esse triangulum, compositio æris; & album esse, compositio superficiei, & albedinis. Causa verò est, quoniam potentiæ, & actus rationem quærunt unientem, & differentiam; est autem, ut dictum est, ultima materia, & hoc potentia, hoc quidem actu.* Sensus est, ut exponit Commentator, & in ipso textu patet, quòd reprehendit quosdam de antiquis, qui quærebant causam, qua fieret unum ex corpore, & animâ; & postquam ostendit, quòd se ipsis facient unum, eo quòd alterum est actus, alterum verò potentia, subjungit, quòd eadem est ratio in accidentalibus, ut sanum, triangulum, album.

Per se ergo istâ sunt unum; quia tamen non simpliciter in istis, sicut in substantialibus, potentia habet rationem potentiæ, per se quidem uniuntur, & faciunt unum, non tamen simpliciter, sicut in substantia: quia ergo per se unum faciunt, quodammodò unam quidditatem important, & unâ possunt definitione explicari; quia tamen non simpliciter, & proprie, sicut substantia, ideo sola substantia, quæ proprié, & simpliciter unam quidditatem importat, proprie, & simpliciter definiri habet; cætera autem, quia unam quodammodò, simpliciter autem diversas important quidditates, definitionem quidem unam habent, quatenùs unum sunt, quæ

tamen ex additione erit; & hoc est, quod habet cap. 5.

Quod ut pateat, notabimus, quòd potentia in genere substantiæ, quia est simpliciter, & omninò potentia, non est de se hoc aliquid; quare actus sibi adveniens, ita constituit hoc aliquid, quòd unum omninò, & simpliciter quid relinquit; at verò potentia in genere accidentis est de se hoc aliquid, puta, potentia, cui conjungitur albedo, ut constituat album, est de se hæc substantia quanta; quare albedo constituit quid, quatenùs est actus, & forma; relinquit verò alterum quid, quod de se habebat potentia, cui advenit; quare in priori definitio unum quid simpliciter, & omninò significat, in hoc autem posteriori significat quidem ipsum quid, quod tribuit forma, nempè albedo, ex additione tamen, & importando alterum quid, quod habebat potentia, cui advenit.

49 Notandum insuper, quo magis patet præcedens intentum, quòd aliud est loqui de concreto, aliud de complexo: complexum importat utrumque in recto, & subinde est unum sola aggregatione; concretum verò importat alterum, ut alteri adjacens, & hoc per se, & ex se unitatem habet, nempè importat subjectum, ut actu perficitur, per se autem actus perficit, & potentia perficitur; quare in complexo nivis, & albedinis expressé, & de formali importatur utrumque; in concretò verò album, sive nix, ut alba est, subjectum, sive substantia nivis de materiali importatur, & non attenditur, quòd hæc, aut illa substantia est, sed tantùm, quòd substantia est tale esse habens, sive ita perfecta ab ista forma.

50 Hinc supponendum est ad propositum præsentis dubitationis, quòd non definitur illâ definitione utrumque in recto, neque aliquem licuit videre, qui ita ponat; & si enim aliqui pro hac sententia citantur, ij tamen non utrumque in recto, sed naturam *ut quod*, intentionem *ut quo* definiri asserunt; id autem jure supponitur, quia aliter, ut jam patuit, complexum, atque concretum importat duo, nempè complexum utrumque in recto, & æquè per se, concretum verò alterum ut alteri adjacens; jam autem non definitur complexum ex natura, & secunda intentione; tale enim nec unum conceptum, nec unam definitionem habere posset, sed definitur concretum accidentale secundæ intentionis, nempè *genus*.

51 Supponendum deinde, neque intentionem solam definiri; tùm, quia non genereitas, sed genus definitur; tùm, quia intentio non est, quod prædicatur, sed aptitudo ipsa. Neque item definitur natura secundùm se, ut res quædam est; sic enim animal v. g. non definiretur, *quod prædicatur de pluribus*, sed *principium sentiendi*

ri; quare DD. qui citantur pro sententia asserente, definire solam naturam, non intendunt, quòd definiatur natura secundùm se, ut res est; & expressè Spin. qui illam sententiam probandam assumit, n. 14. docet, non definiri naturam secundùm se, sed secundùm esse, quod sibi quasi accidentaliter convenit, sicut homo ipse potest definiri, aut secundùm quod est essentialiter, nempè animal rationale; aut secundùm quod est albus, musicus &c.

51 Devolvitur ergo tota controversia ad duas sententias, quæ fere ex æquo controvertuntur. Prima asserit, definiri intentionem ut naturæ adjacentem, seu quod idem est, intentionem in recto, naturam in obliquo. Hanc tenet Scotus q. 14. sup. univ. & sequuntur Scotistæ omnes; eamdem cum Cajetano tenent communiter Thomistæ, á S. Thoma, Complutenses, Parra, Oña, apud quos alii. Secunda sententia docet per oppositum, definiri naturam, ut sub intentione, seu quod idem est, naturam in recto, intentionem in obliquo. Hanc docet expressé B. D. q. 6. sup. univ. qua de hoc ipso quæritur; sequuntur omnes NN. Fulgent. Bonher. Gavard. Villan. Manso, & alii; item tenent multi neque ignobiles Thomistæ apud Spin. qui latissimè Thomistarum rationes impugnat; Elis. ad mentem Resoluti; & ex DD. Societat. fere omnes.

53 Dicendum ergo: Definitum in definitione generis est natura, prout intentioni subest. Prob. primò ex ipso textu Porphyrii, qui datâ definitione exemplificat in animali, & paulò infrà: *Atque genus est exempli causa animal, species homo, differentia rationale, proprium risibile, accidens album, nigrum, sedere.* Quibus apertè innuit, se naturam ipsam definire, & genus naturam ipsam significare; sed non definit naturam secundùm se, sic enim est corpus animatum, sensibile, sive principium sentiendi: definit ergo naturam, ut tali intentioni subjicitur.

54 Prob. secundó ratione B. D. Id est definitum, quod significat vox *genus*, prout per illam significatur; sed non significat intentionem in natura, sed naturam sub intentione: ergo. Patet maj. definitur enim res, prout à nobis concipitur, atque eodem modo voces significant, nempè mediâ conceptione. Prob. min. Si vox significat intentionem in natura, sive accidens in subjecto, & non á contrario, naturam sub intentione, & subjectum sub forma, nulla prædicatio denominativa vera est; sed hoc est absurdum: ergo. Ostenditur maj. Tùnc enim, cùm dicitur: *Petrus est albus*, sensus erit: Petrus est albedo inhærens subjecto; similiter, cùm dicitur: *Animal est genus*, sensus erit: Animal est intentio naturæ adjacens; sed patet,

quòd

quod iste sensus est falsus, & sensus est, quòd Petrus est subjectum, cui inhæret albedo, & animal est natura, cui intentio adjacet: ergo.

55 Prob. tertiò communi ratione: Id est definitum, cui definitio convenit; sed definitio non convenit intentioni, ut naturæ adjacet, sed naturæ, ut intentioni subjicitur: ergo. Patet maj. definitio enim ipsa est quidditas definiti. Prob. min. Prædicari de pluribus non intentioni convenit, etiam ut subjecto adjacet, sed naturæ, prout est de pluribus prædicabilis, patet enim, quòd intentio non prædicatur: ergo. Aliæ adducuntur rationes, quas omitto, quoniam istam sufficere patebit expendendo solutiones, quas communiter habent Doctores contrariæ sententiæ.

56 Resp. primò Scotus q. 14. citat. quòd prædicari de multis in actu exercito convenit naturæ; at verò in actu signato convenit intentioni: quia ergo ipsa est, quæ in actu signato prædicatur, illi convenit definitio. Hanc distinctionem sic explicat Scotus ipse: Quod exercetur in primis intentionibus, significatur in secundis, ad modum quo negatio significatur per verbum *nego*, exercetur tamen per particulam *non*; similiter prædicatio exercetur per verbum *est*, significatur autem per perbum *prædico*; quod item alio exemplo explicat Mastrius: Si in pictura ostenditur aliquis equus, ex gestu corporis solemus dicere, illum esse ferocem; tunc ista ferocia equo vivo convenit exercite, sive in actu exercito, equo autem picto signate, sive in actu signato.

57 Ista solutio ex ipsa ejus explicatione patet, quòd magis confirmat, quàm solvit argumenti rationem; patet enim, quòd si quis definiat ferociam, definitio non pictæ, quę significat, sed verę convenit, quæ est ferocia; similiter, cùm definitur prædicatio, quòd *est affirmatio, vel negatio unius de alio*, ista definitio non ipsi verbo convenit, quo significatur prædicatio; verbum enim *prædico* non est, sed significat affirmationem, vel negationem: & ratio hæc ipsa est, quia definitio de definito dicitur prædicatione dicente *hoc est hoc*; sed de eo, quod in actu signato est tale, non dicitur, quòd est, sed tantùm, quòd significat: non ergo intentio est, quod prædicatur, sed tantùm significat; sed definitum est, cui convenit definitio, ita quòd est, quod prædicatur: non ergo intentio, sed natura est definitum.

58 Quare ipse Mastrius aliter mentem Scoti exponit; ait itaque, ly *quod prædicatur*, in definitione posse utroque modo accipi, nempè exercitè, aut signatè: si accipiatur exercitè, definitum in definitione illa est natura sub intentione: si autem accipiatur signatè, tunc est intentio in natura. Sed in primis relinquit intactam difficultatem;

trem; hoc enim quæritur: An debeat accipi exercitè, an signatè? Deinde, deserit mentem Scoti; intendit enim Scotus, quòd ita debet accipi, quòd conveniat intentioni in natura, non autem naturæ sub intentione; quare intendit, quòd præcisè debet accipi signatè, quod jam excluſum est.

59 Resp. secundò Cajetanus, quem nonnulli sequuntur Thomistæ: *Prædicari* accipi duobus modis, nempè *formaliter*, & *denominativè*: formaliter, convenit intentioni; denominativè, convenit naturæ: quare, cùm in definitione dicitur, *quod prædicatur*, magis significatur intentio, cui prædicari convenit formaliter, quàm natura, cui convenit denominativè. Sensus hujus solutionis non est, ut aliqui malè intelligunt, quòd prædicari convenit intentioni *ut quo*, & tanquam formæ, seu rationi formali, tùnc enim non solvit argumentum; prædicari enim sequitur ipsam naturam *ut quod*, & in reo, prout subjacet intentioni tanquam rationi formali; & sic erit definitum, quod intendimus.

Sensum enim ex ipsis Cajetani verbis accipiemus, qui cap. 1. super prædicabil. quo hanc quæstionem movet, in solut. ad 1. sic ait: Hoc autem præsuppoſito, sciendum, quòd definitio alicujus accidentis aliter convenit ipsi accidenti, aliter ejus subjecto; ipsi siquidem accidenti convenit quidditativè, ut ei, quod formaliter est tale; subjecto verò ejus denominativè, ut quod subjectivè, vel denominativè est tale: v. g. si definiatur album, & dicatur, quòd *est disgregativum visùs*, talis definitio convenit albedini quidditativè, & ut ei, quod formaliter est disgregativum, eadem verò definitio conveniet nivi denominativè, & ut ei, quod substernitur illi: ita definitio generis convenit intentioni generis quidditativè, rei autem substractæ denominativè; ita quòd illa propositio: *Genus prædicatur de pluribus*, est quidditativa, ista autem: *Animal prædicatur de pluribus*, est denominativa.

Rursus sciendum, quòd sicut accidens, cui formaliter convenit aliquid, habet in se duo: primum est, quòd ipsum potest vocari tale *ut quod*, formaliter tamen; & sic dicimus, quòd albedo est, quæ disgregat visum: secundum est, quod est id, quo subjectum dicitur tale, & sic dicimus, quòd albedo est, qua nix disgregat visum: ita intentio generis habet in se hæc duo; & namque dicimus, quòd genus est, quod prædicatur, intelligentes per hoc, genus esse, quod formaliter prædicatur; & dicimus, quòd genus est, quo res substracta prædicatur; sicùt enim nix disgregat, quia alba, ita animal prædicatur, quia genus.

60 Hæc Cajetanus: ex quibus liquet, quòd ipse intendit, intentioni de se, & *ut quod* convenire

desi-

definitionem formaliter, & quidditativè; quare sententia ejus est, quòd definitum per se, & formaliter est sola intentio. Sed contra solutionem est primò, quòd aliter definitur accidens in abstracto, aliter verò accidens in concreto, ut albedo est ratio disgregandi, album vero disgregativum; tùnc autem definitio concreti non convenit per se, & formaliter ipsi abstracto, ut albedo non est disgregativa, sed ratio, qua alterum est disgregativum: non itaque intentio est, quæ prædicatur, sed ratio, quâ natura prædicatur, & sic definitio non intentioni convenit. Deinde, intentio non est genus, sed genereitas, neque de animali dicitur, quòd est intentio, sed quòd fundat intentionem; dicitur autem de animali, quòd est genus.

Insuper, aliter convenit nivi secundùm se, & ut est hæc substantia, aliter, ut alba est, disgregare, nempè secundùm se sibi convenit adjectivè denominativè, & ut subjecto, quod albedini substernitur, quæ est ratio disgregandi; ut verò alba est, & habet perfectum esse à forma albedinis, sibi convenit quidditativè: disgregativum ergo, ut est definitio albi, ipsam substantiam nivis significat quidditativè, & formaliter, non secundùm se, & ut est hæc talis substantia, sed reduplicativè, ut est sub tali forma, & ab ea habet tale perfectum esse: pariter ergo in proposito definitio genereitatis, ut si diceretur, quòd est prædicabilitas, soli intentioni conveniret; definitio verò generis, qua dicitur, quòd est prædicabile, naturæ convenit, non secundùm se, ut est natura, sed ut intentioni subjicitur. Quo patet, falsum esse, quod secundò notandum jubet, quod nempè ipsi formæ convenit *ut quod* tale esse, nempè albedo non est, quæ disgregat, sed album ut tale.

61 Contra hanc doctrinam ponit Merinus hic: Cùm dicitur, quòd album reduplicativè, ut album, est quidditativè disgregativum, & consequenter, quod definitum in definitione concreti est natura reduplicativè, ut stat sub forma; aut talis reduplicatio accipit aliquid pertinens ad ipsum subjectum, nempè subjectionem ipsi formæ, aut capacitatem ad illam sustentandam; aut accipit aliquid pertinens ad ipsam formam? Si hoc secundum, quidditativa est prædicatio, v. g. qua dicitur, *album, in quantum album, disgregat*; *genus, in quantum genus, est prædicabile*; sed tùnc cùm reduplicata accipiat formam, ex parte subjecti significatur forma subjecto inhærens: si autem dicatur primum, tùnc in primis tales reduplicationes sunt inutiles, & vanæ, quia ex ipsa prædicatione significatur subjectio, & capacitas ad formam, quare inutiliter reduplicatur. Deinde, id non solvit argumentum in contrarium, quoniam ipsa subjectio, & capacitas extra quidditativè

quidditatem est; quare definire secundùm hanc est definire per additamentum.

61 Sed hanc instantiam facile est solvere: dicimus primò, quòd illa reduplicatio accipit perfectum esse, quod subjectum habet à tali forma, seu subjectum ipsum ita determinatum; patet autem, quòd non est inutilis reduplicatio, quia subjectum ipsum potest accipi secundùm se, aut sub tali determinatione, quare reduplicatio determinat acceptionem; patet deinde, quòd ista determinatio est extra quidditatem subjecti secundùm se, non autem subjecti ut sic determinati; quare definitio de eo sub hac acceptione est quidditativa. Dicimus deinde, quòd, etsi reduplicatio accipiat formam, adhuc sub illa reduplicatione non significatur forma ut in subjecto, sed subjectum sub forma; alioqui falsa esset prædicatio, ut suprà arguebamus ex B. D.

63 Pergit ulteriùs Cajetanus, ut tertiò observandum jubet (ex quo posset contra prædicta argumentari) quòd ipsum prædicari duobus modis potest accipi; aut pro inesse, seu identificari prædicati cum subjecto, & sic sumitur fundamentalitèr; aut pro habitudine, seu relatione unius ad alterum, & sic sumitur formalitèr: primo modo convenit naturæ, & non intentioni, natura enim identificatur cum subjecto; sed secundo modo non naturæ, sed intentioni convenit, ipsa enim intentio est habitudo; sed patet, quòd ly *prædicatur* in definitione debet accipi formalitèr: ergo intentioni, & non naturæ convenit definitio.

64 Sed contra: Prædicari, seu prædicabile esse utroque modo accipitur, & ut dicit identitatem prædicati cum subjecto, & ut dicit habitudinem unius ad alterum, nempé aut primò, aut secundò intentionaliter; sed neutro modo solam intentionem significat, aut intentionem in natura, sed naturam ipsam sive secundùm se, sive ut intentioni subest: ergo, sive accipiatur primo, sive secundo modo, naturam significat aut secundùm se, aut intentioni subjectam. Ostenditur min. Quod prædicatur enim, aut significat ipsum animal, aut significat genus, non enim prædicatur neque genereitas sola, neque ea naturæ adjacens; sed primo modo significat naturam secundùm se, quæ subjecto identificatur; posteriori modo significat naturam sub tali habitudine, quæ est secunda intentio generis: ergo.

65 Tertia solutio ad principalem rationem est M. Soto, ponit, quòd secunda intentio utiquè non prædicatur de inferioribus, neque illi convenit definitio; nihilominùs ea est definitum, quia ejus quidditas explicatur per illam definitionem. Sed contra: Est enim imperceptibile, quòd ejus quidditas per definitionem explicetur,

cetur, & tamen sibi non conveniat, sive de ea non prædicetur ipsa definitio: sicut ergo definitum in definitione hominis id est, de quo prædicatur definitio, & quòd est animal rationale, ita definitum in definitione generis id est, cui convenit definitio, & quòd est prædicabile de pluribus; sed intentio non ita se habet juxta solutionem: ergo.

66 Tandem quarta solutio, quam habent Complutenses, estque communior doctrina Thomistarum, concedit quidem ipsam secundam intentionem non prædicari etiam ut naturæ adjacentem, sed prædicari *ut quod*, & in recto naturam; nihilominùs definitum in illa definitione esse intentionem, non naturam: quia concretum accidentale supponit quidem pro subjecto, à quo forma habet sustentari, significat tamen formam tanquam partem principalem constitutivam, & determinativam; quare in prædicatione importatur in recto, & *ut quod* subjectum, pro quo supponit; in definitione verò importatur in recto forma, quam significat.

67 Sed contra, primò: Eodem modo accipi debet in prædicatione, ac in definitione; sicut enim prædicatur mediâ conceptione, & ut accipitur ab intellectu, ita definitur, sicut concipitur. Rursus: Definitio ipsa prædicatur de definito: si ergo in prædicatione pro subjecto, & pro forma accipitur, definitio ipsa pro subjecto debet accipi, & sic hoc erit definitum. Secundò: Pro eodem supponit, quòd significat; sed supponit pro subjecto: ergo. Patet maj. significari enim est substituere pro signato, & ipsum notificare; supponere autem est accipi pro eo, quod significat; patet autem, quòd petit accipi pro eo, quod notificat, & pro quo substituit. Tertiò: Eodem modo concretum accidentale, ac substantiale importat, & significat formam ut subjecto adjacentem, & subjectum, ut est sub forma, & à forma habet tale esse; sed concretum substantiale significat, & supponit pro subjecto, ut est sub tali forma: ergo. Quòd autem forma sit pars principalis, non arguit, quòd ipsam in recto significet, aut importet concretum, imò hoc ipso eam importat ut adjacentem, & in obliquo.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

68 ARguit. primò communi Thomistarum fundamento, quod hoc ipsum est, quod in præcedenti solutione adduximus, nempè: Concretum accidentale significat formam in subjecto: ergo genus significat intentionem in natura, & sic ista definitur. Confirmatur ex Philosopho, qui cap. de substantia asserit, album solam qualitatem significa-

4. Rursus, cap. de denominativis ait, ea solo casu differre à formis, à quibus denominationem sumunt; quod si denominativa non significant ipsam formam, sed subjectum, non solo casu, sed re ipsa significata differrent: ergo. Confirmat ulteriùs Merin. Si concretum accidentale significat subjectum, hæc propositio est nugatoria: *Lignum est album*; sensus enim est, quod lignum est lignum habens albedinem: ergo, ne hoc dicatur, dici debet, quòd significat formam ut in subjecto.

49 Resp. ad argumentum quidem neg. antec., quia, ut jam patuit, concretum accidentale non formam in subjecto, sed subjectum à forma habere tale esse significat. Ad primam confirmationem verba Philosophi cit. cap. de substantia hæc sunt: *Verùm non quale quid absolutè significat, perinde ac album; non enim aliud album, quàm quale significat; at species, & genus circa substantiam quale ipsum definiunt.* Loquitur ibi de secunda substantia, & quia dixerat significare quodammodò *quale*, subjungit, quòd non sicut album; & rationem addit, quia album non aliud, quàm *quale* significat; at verò secunda substantia, ut genus, aut species, *quale* circa substantiam adjacens significat.

In primis ergo textus est contraproducentem; sequitur enim, quòd non intentio in natura, sed sola intentio erit definitum, quod ipsi non intendunt; patet enim, quòd contraponit concretum accidentale ad secundam substantiam in eo, quòd concretum accidentale tantum *quale* significat; at verò secunda substantia *quale* ut adjacens. Deinde, sensus plane patet legenti textum; poluit enim, quòd substantia omnis hoc aliquid significat; & ait, hoc esse indubitabile in primis substantiis; in secundis verò ait, quòd non unum *quid* significant, quia de pluribus dicuntur, verum non proinde absolutè *quale* sicut album: cùm ergo subjungit, quòd species, & genus circa substantiam *quale* ipsum definiunt, intendit, quòd istæ voces *genus*, & *species* substantiam ipsam significant, non quatenùs substantia est, sed quatenùs talem denominationem habet, quod ipsa ejus verba indicant; sequitur enim: *Quale enim quamdam substantiam sanè significat*: intendit ergo, quòd album non significat substantiam neque primam, neque secundam, animal significat substantiam secundam in eo, quòd substantia est, genus ipsam substantiam secundam, non ut substantia est, sed ut tale esse habet, nempè talem intentionem.

Ad aliam confirmationem textus in cap. de denominativis ita habet: *Denominativa ea dicuntur, quæ ab aliquo nomine appellationem habent, solo differentia casu, ut à Grammatica Grammaticus.* Quo patet, quòd non de re significata,

cata, sed de voce significãte, & modo significandi loquitur. Deinde, non minùs ex parte rei significatæ differt subjectum habens formam á forma ipsa, quàm forma adjacens subjecto à forma secundùm se. Directé ergo dicendum, quòd illa descriptio denominativi assumit, quod frequentèr, & ut in plurimum contingit in voce significante, non autẽ, quòd per se est de ratione denominativi; patet enim, quòd Grammatica dicetur denominativè de fœmina, & tamen non differt casu à denominante: denominativum ergo objectivè, & ex parte rei significatæ per se in hoc differt á denominante, quòd significat concretum; relinquitur autem difficultas de eo, quòd in recto importat concretum, quæ aliunde solvenda est.

Ad alteram confirmationem in primis ea retorquetur contra arguentem: Si enim ly *album* formam in subjecto significat, propositio erit falsa; sensus enim erit, quód lignum est albedo inhærens ligno. Directè neg. maj. ad rationem ejus dicitur, quòd de ligno secundùm se prædicatur lignum ut tale esse habens; sive dicitur, quòd est subjectum tali affectione determinatum, in quo nulla est nugatio.

70 Arguitur secundò: Illud est definitum in definitione generis, quod per se pertinet ad Logicam; sed per se ad Logicam pertinet non natura, sed intentio: ergo. Maj. patet, quia illa definitio á Logico traditur. Min. item patet, quia Logica non agit de rebus, sed de intentionibus, alioquin esset scientia realis.

71 Hoc argumentum habet Cajetanus hic cap. 1. dub. 2. illud contra se objicit B. D. cit. q. 6. & respondet neg. min. ad prob. ejus dicit, quòd Logica non agit de rebus secundùm se, & ut res sunt, agit tamen de rebus, ut intentionibus subjacent; nempe animal secundùm se, qualitèr est principium sentiendi, non pertinet ad Logicã, etsi de eo hoc sensu ageret Logica, foret scientia realis; animal verò, ut intentioni subjacet, qualitèr est genus, & definitur, *quod prædicatur de pluribus*, ad Logicam pertinet, & est definitum illa definitione, & hoc sensu ajunt Boœtius, & Avicenna, quòd Logica est de secundis intentionibus adjunctis primis.

72 Reponit autem Cajetanus, quòd hæc solutio procedit ex malo intellectu verborum Avicennæ, cujus sensus est, quòd Logica non est de secundis intentionibus secundùm se, & absolutè, puta, an relationes sint, an absolutum quid, an reales, vel secundùm rationem? Hoc enim est proprium Metaphysicæ; sed ait Logica de secundis intentionibus in eo, quòd primis afficiunt, & denominant; quare hoc definit Logicus. Sed contra, primò: Jam contra ipsum Cajetanum deducitur, quòd non

sola

sola intentio est definitum, sed ipsa in concretione ad naturam. Deinde, non explicat definitio, secundam intentionem sic afficere, aut denominare naturam, sed naturam ipsam sic affici, & constitui, nempè prædicabilem de pluribus: de concreto ergo ex utroque agit Logica, & id est, quod definit; tale autem non intentionem secundùm se, aut in natura significat, sed naturam sub intentione.

73 Arguitur tertiò: Natura, quæ denominatur genus, modò est substantia, ut animal, modò est accidens, ut color; sed his nihil potest esse commune, nisi sola intentio: ergo hæc definitur. Respondet B. D. in solut. ad 2. dist. min. His nihil est commune secundùm se, & in esse rei, conc. min. prout intentioni subjacent, neg. min. Itaque animal, & color in esse rei tantùm habent supra se rationem entis; quare genus, quod est ratio communis univoca ad utrumque, non ea significat hoc sensu; animal verò, & color, ut habent intentionem fundare, sive ut comparantur ad inferiora sua, in hoc conveniunt univocè, quòd sicut animal habet prædicari *in quid* de equo, & leone, ita color de albo, & nigro: hoc ergo est definitum, ipsa natura non secundùm se, sed ut intentioni subjacet, & hoc significatur per vocem *genus*.

74 Arguitur quartò: De quocumque prædicatur definitum, de eo prædicatur definitio; sed natura prædicatur de individuis: ergo de illis prædicabitur definitio, si natura est definitum; sed definitio non prædicatur de individuis: ergo definitum non est natura. Patet prima maj. quia definitio, & definitum dicuntur ad convertentiam, ut quidquid est homo, est animal rationale, & ē converso. Patet deinde min. quia animal prædicatur de Petro. Patet tandem subsumptum, quia Petrus est *prædicabile de pluribus*.

75 Hoc argumentum apertè est contra producentem, quia, licèt de Petro prædicetur animal, non tamen prædicatur intentio, neque sola, neque in concreto. Præterea: De quocumque prædicatur definitio, de illo prædicatur definitum; sed de animali prædicatur definitio, nempè est *prædicabile de pluribus*, non autem prædicatur intentio, neque sola, neque in concreto; animal enim non est intentio adjacens, sed subjectum, cui adjacet: ergo intentio non est definitum. Directè dist. min. Sed natura prædicatur de individuis secundùm se, & ut res est, conc. min. ut intentioni subjacet, neg. min. Ex quo solùm sequitur, quòd non definiatur natura secundùm se, & ut res est.

76 Arguitur quintò: Definitio debet *in quid*, & essentialitèr de definito prædicari; sed natura non est prædicabilis de pluribus

in quid, sed denominative ratione intentionis, intentio autem ratione sui, & *in quid*: ergo non natura, sed intentio definitur. Hoc item est contra arguentem; intentio enim non est prædicabilis, sed prædicabilitas, & intentio adjacens est prædicabilitas adjacens.

77 Resp. directè disting. min. eodem modo: Natura secundùm se, & ut res est, non est quidditativè prædicabilis, sed denominativè ratione intentionis, conced. min. natura, ut intentioni subjacet, neg. min. Itaque naturæ secundùm se quidditativè convenit, quòd sit animal v. g. & quòd fundet intentionem, & prædicabilitatem adjectivè, & denominativè; at verò natura, ut intentioni subjacet, & prædicabilitatem habet, quidditativè est prædicabilis, nullo autem sensu intentioni convenit, quòd sit prædicabilis: non ergo definitur intentio, sed natura, ut intentioni subjacet.

ARTICULUS III.

An genus actu, vel potentiâ contineat differentias?

§. I.

Probatur nostra sententia.

78 SUpponunt communiter DD. genus, prout hîc de illo quæritur, significare naturam, seu pro natura accipi; de hac enim solùm dubitari potest: An differentias contineat? Sed nulla certe consequitur ad dicta in præcedenti; ibi enim contendunt, genus non naturam, sed intentionem significare per se, & absolutè: quamvis autem dicatur, quòd talia sunt subjecta, qualia permittuntur à prædicatis; prædicatum autem, nempè continere differentias, determinat acceptionem generis pro natura. Hoc non satisfacit: primò, quia prædicari de pluribus, quod soli convenit naturæ, debuit etiam ibi determinare: secundò, quia cætera, quæ de genere quærun:ur, eodem modo acceptionem determinant pro natura: absolutè ergo genus significat naturam.

79 Videbitur alicui inutilis, & superflua dubitatio; si enim in præcedentibus determinatum est, genus ex parte objecti præscindere à differentiis, non relinquitur dubitandi ratio. Sed illi ipsi, qui ibi nobiscum ponunt præcisionem ex parte objecti, hîc ulteriùs de hoc dubitant, & nonnulli tenent, quòd actu continent; quare cogimur *id* iterùm examinare, ut quæ hîc specialitèr objiciunt, solvantur.

80 Prima ergo sententia docet, genus actu continere differentias, non quidem determinatè, sed indeterminatè, & confusè. Ita Averr. Oña, & de mente Resoluti latè propugnat Eliseus hîc. Secunda sententia docet, genus non actu, sed potestate tantùm continere

nere differentias. Hæc est communis, eam expressè habet B. D. q. 15. sup. univ. & sequuntur omnes NN.

81 Prob. primò ex Philosopho 7. Metaph. cap. 12. ubi ita habet: *Genus etenim non videtur particeps esse differentiarum; simil namque contrariorum idem participare, differentiæ namque contrariæ, quibus genus differt.* Idem habet Porphyrius cap. de differentiis, ubi ait: *Neque verò omnes oppositas habet; idem enim oppositas nimirùm haberet; sed ut sunt, potentiâ quidem omnes eas differentias habet, quæ sub se sunt, actu autem nullam.* Idem habet cap. de propriis generis, & differentiæ, ubi ait: *Præterea, genus quidem potentiâ differentiam continet; animal enim partim particeps, partim expers est rationis.*

82 Prob. deinde duplici ratione, quæ ex his deducitur, prima sic formatur: Genus est determinabile, & contrahibile per differentiam; sed si illas actu continet, non est determinabile, & contrahibile per eas: ergo. Prob. min. In tantum contrahibile est, in quantum recipere potest; sed si actu habet, non potest recipere: ergo. Patet maj. quia eo ait Philosophus illo eodem cap. quòd *genus tenet modum materiæ*, quia sicut materia est potentia determinabilis per formas, ita genus per differentias; determinatur autem materia physicè, quatenùs physicè susci pit: ergo determinatur genus metaphysicè, quatenùs metaphysicè susci pit. Confirmatur ad hominem ex doctrina ipsius Elisei: Quia materia continet in actu formas secundùm esse essentiæ, non autem secundùm gradum existentiæ, eas recipit tantùm secundùm gradum existentiæ, non verò secundùm esse essentiæ; sed differentia non habet gradus, ut possit secundùm unum contineri, secundùm alium acquiri: ergo si genus illas continet, absolutè non poterit per illas determinari.

83 Secunda ratio: Si genus continet actu differentias, continet actu opposita; sed hoc implicat: ergo. Patet min. quia opposita nequeunt simùl, & in actu in eodem conjungi. Hæc est ratio, quam intendunt Philosophus, & Porphyrius cit. text. & hanc tantùm habet B. D. & quidem ea sufficit pro ostendenda conclusione, quæ sic confirmatur: Differentiæ in genere continetur per realem identitatem cum illo, saltim physicam; sed oppositæ realitèr identificari repugnat: ergo. Patet maj. quia saltim physicè nullus ponit, quòd differentia distinguatur á genere. Rursus: Si genus continet actu differentias, de nulla specie poterit prædicari; sed hoc est incõveniens: ergo. Patet maj. non enim potest prædicari *in quid* de homine, quòd actu continet irrationalitatem, nec de leone, quòd actu continet rationalitatem.

Sed

84 Respondet ad hæc Eliseus, quòd aliud est *includere*, aliud verò *continere*, aliud autem *esse*: *includere* est in suo conceptu imbibere; *esse* est cum illis identificari; & hoc utrumque repugnat, quòd tantùm probant adductæ rationes: *continere* autem est præhabere intra virtutem activam, aut passivam, ad modum quo causa continet effectus; & hoc modo non implicat genus actu continere oppositas differentias, sicut non implicat causam continere diversos, & etiam oppositos effectus.

85 Sed contra, primò: Quidquid aliud continet, eo sensu, quo continet, includit, neque aliqua est diversitas continentię ab inclusione; quia enim causa continet effectus in potentia sua, illos potestativè, sive in eâdem potentia includit, & effectus possibilis verè dicitur potestativè includi in causa. Secundò: Hæc solutio in eamdem recidit communem sententiam, quòd nempè genus potestativè tantùm continet differentias; præhabere enim in virtute activa, vel passiva solùm est præhabere virtutem activam, vel passivam: genus ergo hoc sensu continere differentias est habere in actu potentiam, ut illis determinetur, non autem ipsas actu habere, & hoc est, quod ponit communis sententia.

86 Resp. secundò: Actu continere duobus modis esse posse; aut continentiâ determinatâ; aut indeterminatâ, & confusâ: continentia determinata est, quando subjectum continet formam, quæ excludat reliquas, quas posset habere, sic definitio continet determinatè differentiam; hæc duplex est, explicita, & implicita: explicita, quando non solùm determinatur, sed explicatur etiam, ut definitio determinat, & explicat differentiam; implicita autem, quando determinat, sed non explicat, ut conceptus speciei: continentia indeterminata, quę semper est confusa, & implicita, contingit, quando subjectum commune continet plures actus indeterminatè, & confusè, ut si materia contineret omnes formas; unde vas plenum aquâ illam continet determinatè; sed si concipiamus illud plenum multis liquoribus, omnes continet indeterminatè, & confusè. Jam ergo implicat, genus actu determinato, sive implicito, sive explicito continere omnes differentias, non verò illas continere actu indeterminato, & confuso.

87 Sed contra, primò: Philosophus, & Porphyrius in allatis textibus dicunt, quòd genus non solùm potestate continet, sed insuper, quòd actu non continet, nempè verba sunt: *Actu autem nullam*. Secundò, quòd forma reliquas excludat, oritur ex incompatibilitate, quam in se ipsa ad aliam importat: ergo implicat, ipsam de se incompatibilem esse cum altera, & actu confusè contineri, nem-

nempè ità quòd in actu sit cum alia, & eam non excludat: contineri ergo sic, quòd non se excludant, non est contineri actu, sed potestative, sive in potentia; si enim actu continentur, se excludunt, quia oppositæ sunt, ut arguit Philosophus. Tertiò, quia formæ ad se invicem incompatibilitatem habent, etsi ipse ponat actu contineri in materia, non tamen secundùm eamdem potentiam propinquam; sed in genere non est multiplex potentia propinqua: sicut ergo in eâdem potentia propinqua materiæ non continetur actu confusè multiplex forma, quia ex se ipsis habent incompatibilitatem, & repugnantiam simultatis, ità nec in eodem conceptu generis multiplex differentia.

88. Resp. tertiò in explicatione conclusionis suæ: Quòd genus actu continere differentias potest duobus modis intelligi; aut ita quòd *animal* v.g. ut in homine existit, physicè contineat actu rationale, & irrationale; aut ita quòd non ut est physicè, sed in esse intentionali; & priorem modum, ait, esse probabilem, posteriorem defendit de mente Resoluti. Prioris modi probabilitatem explicat ex paritate materiæ; in ea enim physicè, ut in homine existit, continebantur omnes formæ ex ipsa educibiles, ut docet Resolutus, & ipse in Physica probat; sed genus sumitur à materia, differentia à forma: ergo sicut sine implicatione materia continet actu formas, licèt oppositas, quia indeterminatè, & confusè, ita genus differentias.

Alium modum sic explicat: In esse physico *animal*, ut est in homine, aliud est ab animali, ut est in bruto; quare, ut est in homine, unam tantùm hominis differentiam continet actu; at verò in esse intelligibili unum est, & unam habet communem intelligibilitatem, sive intentionem animalis; & quia in bruto unam, in homine alteram differentiam habet, illa communis intentio utramque continet indeterminatè, & in confuso: implicat ergo, genus, ut est physicè, utramque differentiam continere, non autem implicat in esse intentionali.

89. Sed contra primum modum dicitur primò, quòd genus non sumitur à materia, aut solam materiam significat: materia enim una est in omnibus habentibus eam, saltim in istis sublunaribus, sed genera diversa sunt: non ergo, ait Philosophus 7. Metaph. cap. 12. unde illa propositio desumitur, quòd genus sumitur à materia, sed quòd genus tenet modum materiæ, & differentia modum formæ, nempè genus significat gradum potentialem determinabilem, differentia verò gradum actualem determinantem: quia ergo ab eâdem forma secundùm gradus diversos sumuntur genus, & differentia, ut *rationale*, & *animal*

ab eâdem anima rationali secundùm gradus sentiendi, & discurrendi, licèt possit materia plures formas continere, non tamen genus plures differentias in actu. Dicitur secundò, quòd materia, dato, quòd plures formas contineat, non tamen in eâdem potentia propinqua; sed genus unam habet potentiam propinquam, consistit nempè intentio generis in habitudine unius intelligibilitatis: ergo.

90 Contra secundam solutionem: Genus in esse intelligibili est genus secundùm communem intelligibilitatem, sive secundùm unam habitudinem ad intellectum; sed genus, si continet differentias, non illas continet, ut accipitur pro intentione, ut omnes in principio supponunt, sed ut accipitur pro natura: ergo. Rursus: In quocumque sensu utramque in actu contineat, de neutra specie poterit prædicari *in quid*; homo enim non est quidditativè id, quod in actu continet irrationalitatem: relinquitur ergo, quòd non actu continet, sed potestate, & virtute per utramlibet determinabili.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

91 ARguit primò Eliseus ex Philos. 1. Physic. cap. 1. ubi ait: *Universale verò totum est quoddam, quippe cùm multa complectatur ut partes.* Id clariùs habet 5. Metaph. cap. 26. sed omne totum actu continet partes suas: ergo cùm partes, ad quas genus dicitur totum, sint differentiæ, eas actu continet. Si respond. genus esse totum potentiale, quare potentiâ, non actu continet differentias. Reponit ipse, quòd continere actu differentias, non tollit rationem totius potentialis: quia esse totum potentiâ consistit in indifferentia ad plures differentias, per quas determinatur; sed hæc indifferentia non tollitur per hoc, quòd actu differentias contineat: ergo. Min. ostendit, primò, quia actualis continentia formæ in materia non tollit ab ea rationem potentiæ de se indifferentis ad quamlibet: ergo paritèr. Antec. notum est, quia illa potentia est ipsa essentia materiæ. Secundò probat illam minorem: Actualis identificatio animalis cum rationali non tollit ab animali intrinsecam indifferentiam ad plures differentias, quia in multorum sententia, animal *à parte rei* præscindit objectivè a rationali, licèt cum illo identificetur: ergo minùs tollit rationem totius potentialis.

92 Resp. quòd bona est data solutio, & sensus Philosophi ex ipso patet text. loco præsertim ex Metaph. cit. quo ipse ait clariùs loqui; ait enim, totum esse, *quod continet cõtenta ut unum quid illa sint, hoc autem duplicitèr*; & subjungens

lungens de utroque modo exemplum, ait; quòd universale ut totum quidpiam dicitur, *eo quòd de singulis prædicatur, & unum omnia sunt singula*; & addit alium modum totius, *quantum*, sive *continuum*. Quibus patet primò, quòd universale totum dicit, quatenùs in eo unum sunt contenta, ea nempè, de quibus prædicatur; prædicatur autem genus de speciebus: si ergo continet actu ea, quibus est *totum*, non differentias, sed species continet. Deinde: Aliter totum dicit *quantum*, sive *continuum* ad partes, in quas est divisibile, aliter universale ad ea, quæ continet; sed *quantum* totum est actualè continens in actu, & subjectivè *partes*, in quas dividitur: ergo universale non in actu, & subjectivè, sed objectivè, & potestativè inferiora continet, quatenùs in eo *unum* sunt quodammodò.

93 Ad instantiam ergo, esse totum potentiale in hoc consistit, & hoc ex terminis dicit potestativè importare partes; si enim in actu importat, in actu totum est, sive actuale. Ad rationem itaque neg. min. illa enim indifferentia nihil est nisi potestas, seu determinabilitas ejus per utramlibet differentiam. Ad primam prob. datâ actuali continentiâ formarum in materia, dicitur, quòd eo sensu, quo actu continet, non est in potentia; quia enim ipse ponit continere secundùm esse essentiæ, ponit tantùm esse in potentia ad formam secundùm gradum existentiæ. Ad secundam probat. missâ item præcisione illâ, dicitur, quòd eo sensu, quo actu identificatur cum una differentia, non præscindit, nempe præscindit in esse intentionali, identificatur autem in esse entitativo: in sensu ergo, quo præscindit, & totum est per indifferentiam ad utramlibet, neutram actu habet.

94 Arguit secundò ex eodem Philos. 7. Physic. text. 31. ubi ait: *Atque his sermo significat, genus ipsum non esse quid unum, sed sub hoc multa latère*, alia autem litera habet *æquivocationes latère*; ex quo sic arguitur: Quę in genere latent, differentiæ sunt; sed eo dicuntur latère, quia implicitè continentur: ergo. Resp. quòd sensus Philosophi est satis planus in litera; & primùm non ait, quòd in genere latent, sed sub genere; quare non in ipso subjectivè, & in actu continentur ea, quæ latent, sed sub ipso, hoc est objectivè, & potestativè. Deinde: Ea, quæ latent sub genere, non differentiæ sunt, sed species, nempè sub animali latent homo, & leo. Intendit ergo, quòd species, ut *homo*, unam quidditatem significat; genus verò, ut *animal*, non unam, sed hominem, leonem, & alia animalia; quare ait sub hoc multa latère. Ad formam ergo primò neg. maj. non enim differentias, sed species intendit latère. Secundò neg. suppositum maj. non enim in genere,

sed sub genere latent. Tertiò neg. min. non enim eo latent, quia implicitè continentur, sed quia genus universalitatem, & indifferentiam habet ad utramlibet.

95 Arguit tertiò: Intentiones universales non fiunt ab intellectu, sed in re ipsa præexistunt, quare differentiæ in re præexistunt; sed non separatæ à genere: ergo contentæ in illo. Resp. primò, quòd falsum est, intentiones in re præexistere, ut probatum est præcedenti disputatione. Secundò, eo misso, non intentio continet, sed natura; at natura in re extra unam tantùm habet. Tertiò, hoc item misso, tantùm probat differentias in specie simùl cum genere contineri, hoc enim tantùm sequitur ex eo, quòd præexistunt non separatæ à genere; genus enim, quod ipse ponit in re præexistere cum differentia, ponit ex natura rei aliud esse à differentia, & cum ea simùl posita constituere speciem: non ergo in genere, à quo distinguitur, sed in specie continetur, quam constituit simùl sumpta cum genere.

96 Ad hanc solutionem reponit Eliseus, quòd aliud est continere, aliud verò includere; differentiæ includuntur quidem in specie, quam constituunt, continentur verò in genere, quod determinant; sic forma includitur in toto, continetur verò in materia. Sed hoc liberè omninò dicitur; continere enim in actu idem omninò est, quod includere; & materia, si in actu continet formas, illas in se includit, & inde educuntur quantum ad gradum existentiæ; sic enim ipse philosophatur; quare in sensu ejus hoc tantùm differt totum à sola materia, quòd totum formam habet quantum ad gradum existendi, quam habebat materia quantum ad esse essentiæ; non potest autem in differentia illa distinctio concipi, ut in genere dicatur contineri quantum ad esse essentiæ, & inde educatur ad gradum existendi, ut constituat speciem; tùnc enim non metaphysica formalitas, sed physica forma erit; non ergo sic continetur in genere, quòd actu in ipso sit, sed tantùm, quòd genus potestatem habet, ut illa determinetur.

97 Arguit quartò: Si in omni ente corporeo esset una materia, ea contineret in actu omnes formas; sed in omni specie est una intentio generis: ergo ea continet omnes differentias. Hanc rationem dicit fundamentalem; sed ad illam dicitur, primò, quòd non intentio continet, sed natura; quare oporteret, quòd natura ipsa una esset; non autem natura, sed intentio tantùm una est juxta ipsum. Dicitur secundò, quòd, datâ actuali continentiâ formarum in materia, materia non suscipit id, quod continet, nec continet actu, quod suscipit, nempè educitur forma, & illam recipit materia secundùm gradum existentiæ, continetur

fetur autem secundùm esse essentiæ; sed differentia ipsa additur generi, & ipsum determinat : ergo.

98 Directè neg. conseq. tùm, quia alia est potentia materiæ ad formas, alia verò generis ad differentias, nempè materia potentia est entitativa, & subjectiva physicè transmutabilis ad formam; genus autem potentia est objectiva metaphysicè determinabilis; quare illius potentia non est subjectivæ continentiæ, sed objectivæ indifferentiæ; tùm deinde, quia forma in materia contenta est essentia physica, in qua est distinguere gradum essentiæ á gradu existentiæ; quare admissâ actuali continentiâ in materia secundùm gradum essentiæ, relinquitur potentia ad gradum existentiæ; at verò differentia est formalitas metaphysica ipsius essentiæ, quare si actu continetur in genere, non relinquitur genus totum potestativum determinabile per ipsam.

99 Arguit quintò : *Animal* prædicatur ut totum potentiale: ergò continet actu differentias. Prob. conseq. Si enim *animal* non contineret actu rationale, non diceretur ut totum de homine; non enim contineret totum, quod est in homine. Neque valet recursus ad continentiam potentialem; materia enim potentiâ continet formam, neque tamen ut totum prædicatur de ente naturali.

100 Sed contra, primò : Si animal prædicatur de homine ut totum, quia continet actu totum, quod est in homine, neque prædicatur ut totum potentiale, neque absolutè prædicari potest; sed utrumque ipse supponit, & quòd prædicatur, & quòd ut totum potentiale : ergo. Ostenditur maj. quantum ad primum quidem, quia si actu continet totum, quod est in homine, totum actuale est; quantum ad secundum deinde, quia qua ratione unam differentiam continet, eâdem continet aliam; sed eâdem ratione, qua non continens rationalitatem non est homo, eâdem continens irrationalitatem de homine non dicitur; ergo. Contra, secundò : Materia juxta ipsum continet formas eo sensu, quo genus continet differentias: ergo prædicabitur de ente naturali, sicut genus de specie; at hoc est absurdum : ergo.

101 Directè neg. conseq. ad rationem ejus dicitur, quòd prædicatur ut totum potentiale, quia potestativè continet totum, quod est in homine; si enim actu contineret, ut totum actuale diceretur. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd materia est potentia subjectiva, & physica, quare ea non prædicatur, quamvis in potentia contineat formam; at verò genus est potentia objectiva, & solius indifferentiæ; quare sic est potentia, quod est potestativè totum, & ideo prædicatur.

ARTI

ARTICULUS IV.

An Genus ut totum, vel ut pars prædicetur de speciebus?

102 Missis multorum expositionibus, quæ vel difficultatem non attingunt, vel magis confusionem pariunt; genus aut sumitur sub habitudine ad alteram differentiam, cum qua definitionem constituit alicujus speciei determinatæ; vel sumitur sub habitudine ad quamlibet differentiam indeterminatè, secundùm quod per quamlibet potest determinari: priori modo est pars essentiæ metaphysica; posteriori autem est totum potentiale, seu potestativum. Quæritur ergo: An priori, an posteriori acceptione de speciebus prædicetur *in quid*, & ut genus?

103 Prima sententia docet, prædicari ut partem. Pro hac citantur N. Venet. Ofia, Caber. & tenet novissimè N. Manso q. 3. §. 2. n. 13. quamvis ipse putat, idem esse prædicari ut totum potentiale, & ut partem metaphysicam, quod male dicit, mentem esse B. D. ut patebit statim. Secunda sententia docet, genus ut totum potentiale prædicari. Hæc est cæterorum communis, pro qua N. Villan. B. Doctorem adducit multis in locis, quæ apud ipsum videri possunt.

104 Dicendum ergo, quòd genus non ut pars, sed ut totum potentiale de speciebus prædicatur. Prob. primò ex B. D. q. 12. sup. univ. qua quærit: *An rationale, vel rationalitas sit differentia?* Resp. quòd rationale, & non rationalitas: ratio ejus est, quia differentia prædicatur; at rationalitas non prædicatur, eo quòd est pars: ergo. Patet itaque, quòd de mente B. D. non est idem partem esse metaphysicam, & totum potentiale. Patet deinde, quòd nihil ut pars prædicatur de toto; & quia genus *in quid*, & substantivè est totum, nempe potentiale, *in quid* prædicatur; quia verò differentia non est totum, nisi ut sumitur *in quale*, & adjectivè, non nisi *in quale* prædicatur.

105 Prob. secundò ex eodem D. ibidem q. 7. qua de hoc ipso quærit: An genus dicat totam quidditatem? Et respondet post argumentum in contrarium: *Oppositum patet; nam genus prædicatur in quid, & non prædicaretur in quid, nisi diceret totam quidditatem, & essentiam*; & explicans quomodò dicit totam quidditatem, concludit: *Et ita dico, quòd ipsum genus dicit totam quidditatem speciei indeterminatè tantùm; nam substantialitèr, & in quid prædicatur de specie, ut dicitur 1. Topic.* Rursus, q. seq. quærebatur: An genus prædicetur de specie? Primum argumentum in contrarium erat, quòd pars non prædica-

dicatur de toto. Ad hoc adducit aliorum solutionem, qua dicunt, quòd pars materialis non prædicatur, benè autem pars formalis, & subjungit: *Sed hæc solutio nihil valet; nam neque pars materialis, neque formalis de suo toto prædicatur*; quare solutio ejus est, quòd genus dicit totum indeterminatè, & potestativè.

106 Prob. tertiò ratione: Genus eâdem prædicabilitate, qua de una specie prædicatur, prædicatur de reliquis; sed ut pars non habet prædicabilitatem, qua de reliquis possit prædicari: ergo non ut pars, sed ut totum prædicatur. Patet maj. quia uni communi intentioni de omnibus prædicatur. Patet item min. quia sub determinatione, qua est pars hujus, solùm de isto prædicatur. Confirmatur primò: Genus prædicatur de specie, ut superius de inferiori; sed tantùm est superius, ut est totum potentiale: ergo. Patet min. quia est superius, quatenùs latiùs patet, quàm species; at verò ut est pars hujus, non latiùs patet, benè autem, ut potestativè se habet ad utramlibet differentiam: ergo.

Confirmatur secundò: Differentia est pars metaphysica non minùs, quàm genus; sed eo quòd pars non potest prædicari *in quid*, sed *in quale*: ergo, si genus prædicatur *in quid*, non ut pars prædicatur, sed ut totum. Min. ex ipsa patet definitione differentiæ, illam habet ubi suprà B. D. & docet expresse ipse Manso; quare patet, quòd solutio ejus ad commune fundamentum, nec procedit consequenter, nec argumenta solvit. Ad argumentum, cùm dicitur, quòd pars non prædicatur de toto, respondet N. Manso, quòd pars physica non prædicatur, benè autem metaphysica. Hæc in primis solutio ipsa est, quam rejicit ubi suprà B. D. Deinde contra ipsum est, nam differentia, puta, *rationalitas*, pars est metaphysica, & tamen non prædicatur: ergo.

107 Arguitur primò ex Philosopho in 1. Post. Definitio, & partes ejus dicuntur per se in primo modo definito: ergo genus prædicatur ut pars definitionis. Resp. quòd 1. Post. text. non reperio, de facili autem patet sensus, siquidem enim genus, & differentia partes sunt definitionis, quia tàm genus, quàm differentia per se in primo modo prædicantur, proculdubio partes definitionis prædicantur; quæritur autem, an ut partes sunt? Dicitur ergo, quòd prædicantur quidem partes definitionis de definito, non verò ut partes sunt, sed ut totum important, differentia nempè determinatè, sed *in quale*; genus verò *in quid*, sed indeterminatè, & potestativè; quare neg. conseq.

108 Arguitur secundò: Nisi genus ut pars prædicetur, non est, quo differat à specie; sed differt: ergo. Maj. ostenditur; tùm, quia

differentia uniùs prædicabilis ab alio, cùm sit quidditativa, non potest desumi ex aliquo extrinseco; at desumeretur, si genus non prædicatur ut pars; tùnc enim tantùm differret à specie ex his, de quibus prædicatur; tàm enim genus, quàm species completè, & *in quid* prædicatur, quare solùm differunt, quia genus de differentibus specie, species autem de differentibus numero prædicatur; tùm deinde patet eadem maj. quia per cætera potest genus cum aliqua specie convenire, nempè subalterna, quæ etiam de differentibus specie prædicatur: solùm ergo differt genus à specie absolutè per hoc, quòd prædicetur ut pars.

109 Resp. neg. maj. ad primam prob. dicitur, quòd in relativis terminus quidem extra quidditatem est, habitudo autem ad terminum ipsa est quidditas: quia ergo tàm genus, quàm species in ratione prædicabilis relativa sunt ad id, de quo prædicantur, ex diversitate hujus termini diversa est in utroque habitudo, & ex diversa habitudine differunt quidditativè. Ad secundam prob. dicitur, quòd species subalterna comparativè ad superius, quod contrahit, species est; comparativè verò ad inferius, de quo prædicatur, non est species, sed genus, & ut genus prædicatur, nempè ut totum potestativè, v. g. *vivens* de animali; quare in ratione prædicabilis nihil differt à genere.

110 Arguit tertiò N. Manso. Totum potentiale non est totum actuale: ergo est pars actualis, & subinde prædicari ut totum potentiale, non verò ut pars actualis, est aperta contradictio. Patet conseq. quia quòd de homine dicitur, aut est in actu totus homo, aut pars ejus: ergo si totum potentiale non est in actu totum, erit in actu pars. Resp. disting. conseq. Ergo est pars formaliter eâdem habitudine, qua est totum potentiale, neg. conseq. ergo est pars identicè, diversa tamen habitudine, conc. conseq. & ad subillatum jam patuit suprà ex B. D. quòd nihil de homine prædicatur ut pars ejus. Itaque, quia genus non est in actu, sed potestate tantùm tota quidditas speciei, est in actu pars ejus; ut autem præmissimus, alia est habitudo partis, nempè ad hanc differentiam, cum qua constituit definitionem; alia est habitudo totius potentialis, nempè ad utramlibet differentiam, qua est universale: dicimus ergo prædicari id, quod est in actu *pars*, non verò ut est pars, sive sub habitudine partis.

ARTICULUS V.

An Genus possit immediatè individuari?

111 NOn dubitatur de individuatione physicâ, & in re, hoc enim sensu omnibus

bus certum est, non posse dari in re hoc individuum *animal*, quin aliquam speciem cum differentia constituat; quare physicè, & in re non nisi mediâ specie individuatur genus: quæritur ergo de individuatione intentionali: An nempè sicut intellectus cum fundamento in re concipit animal ut sic, & sine omni differentia, ita possit cum fundamento in re concipere *hoc animal* immediatè, hoc est, quòd concipiat hoc, quin concipiat hujus, aut illius speciei? Hoc sensu negant Suar. disp. 6. Metaph. sect. 11. Spin. disp. 7. Log. sect. 2. cit. item Fons. 5. Metaph. cap. 28. q. 14. sect. 3. communis tamen cæterorum sententia affirmat, cum qua

112 Dicendum, quòd genus potest immediatè individuari. Prob. de facili: Idem enim fundamentum, quod intellectus habet, ut concipiat animal sine rationali, aut irrationali, habet, ut concipiat *hoc animal*; sed cum fundamento in re concipit animal, quod *sibi* repræsentatur, nec rationale, nec irrationale: ergo pariter concipit *hoc animal*. Ostenditur maj. Eo enim, quòd intellectus in subjecto existente videt operationem sentiendi, quæ tantùm, & præcisè est operatio sentiendi, fundamentum habet, ut concipiat virtutem sensitivam, quæ tantùm, & præcisè sibi repræsentatur ut virtus sensitiva; sed pariter videt hanc sentiendi operationem: ergo idem fundamentum habet, ut concipiat hanc sentiendi virtutem.

Confirmatur, & explicatur æquivocatio, qua nititur contraria sententia: Aliud est, quòd intellectus concipiat animal sine rationali, aut irrationali, aliud verò, quòd concipiat ita esse in re; sed licèt hoc secundum sit impossibile, nec possit intellectus concipere, animal esse in re sine rationali, aut irrationali, potest tamen concipere animal præcisivè ab utroque: ergo pariter licèt sit impossibile, animal esse in re *hoc*, quin sit rationale, aut irrationale, neque ita possit intellectus concipere cum fundamento in re, potest tamen præcisivè concipere animal hoc sine rationali, aut irrationali, nempè non concipiendo, quòd ita est, sed quòd ita sic repræsentatur.

113 Arguit primò Spin. Dum dico *hoc animal*, *hoc* determinans aut cadit supra animal existens in re; aut cadit supra animal conceptum, & existens in intellectu; sed neutro modo significat individuum incompletum immediatè subjectum generi: ergo. Minor quantum ad primam partem patet, quia animal existens est de necessitate hujus, vel illius speciei. Quantum ad secundam sic ostenditur: Quia *hoc animal*, prout in mente, nihil est nisi hæc cognitio; sed hæc cognitio neque est individuum incompletum, neque ani-

malis : ergo. Patet min. quantum ad utrumque, quia hæc cognitio est individuum completum cognitionis intellectualis, sive actus intellectûs.

114 Resp. quòd eodem argumento probatur, quòd nequit intellectus concipere animal, quod enim in re est, de necessitate est alicujus speciei ; in intellectu autem est hæc cognitio : non ergo poterit concipi genus. Directé dicitur ad maj. quòd ly *hoc* cadit supra animal in re existens, non prout in re existit, sed prout intellectui repræsentatur. Ad rationem in contrarium disting. maj. Nihil est pro materiali entitati suæ, conced. maj. nihil est pro formali objecti repræsentati, & cogniti, neg. maj. Itaque ly *hoc* non determinat entitatem cognitionis, sed subjectum in specie repræsentatum, & cognitione attactum, & hoc est individuum *animal*.

115 Arguit secundò Suarez: Naturæ genericæ essentialis est ordo ad speciem : ergo implicat, etiam per intellectum cum fundamento in re, concipi ut immediatè individuatam. Patet conseq. quia intellectus aliter concipiens, ac sua prædicata exigunt, non concipit genus, sicut intellectus concipiens hominem rugientem, non hominem concipit, sed chimæram: si ergo quidditas generis habet ad speciem immediate ordinari, & mediâ specie ad individuum, qui naturam genericam conciperet sine differentia specifica individuatam, non genus, sed chimæram conciperet, quippè contra suam quidditatem. Antec. autem non minùs clarè patet, siquidem per talem ordinem definitur genus; & illam definitionem quidditativam diximus.

116 Resp. disting. antec. Naturæ genericæ essentialis est ordo ad speciem, exercitè, si genus sumatur exercitè; & signatè, si genus sumatur signatè, conc. antec. essentialis est ordo ad speciem præcisè exercitè, neg. antec. Itaque genus potest accipi exercitè, ut est genus, & sic quidditativè habet comparari ad speciem; & qui vellet genus ut genus ad individuum comparare, immediatè conciperet chimæram ; potest autem accipi ipsum genus signatè pro natura ipsa, quæ genus est, & hoc sensu ad præsens quæritur : An enim ut genus possit immediate ad individuum comparari ? quæritur art. seq. sicut ergo generi non repugnat concipi specificativè pro natura ipsa secundùm se, sic non repugnat concipi sine ordine ad speciem, & immediatè individuatur. Quo patet ad prob. subinductam; *rugibile* enim repugnat homini, quare concipere hominem rugibilem est concipere cum eo, quod sibi repugnat, & sic chimæram; at verò individuatio non repugnat naturæ genericæ secundùm se, & specificative, quare illam concipere individuatam tantùm est con-

cipe-

apte specificativè, seu præcisivè ab habitudine, qua est genus.

117 Arguitur tertiò: Si genus posset immediatè individuari, multæ conciperentur differentiæ individuales; sed id omninò implicat: ergo. Maj. patet, quia multa sunt in re qualibet prædicata genetica, v. g. in Petro *corpus*, *vivens*, *sensibile*: si ergo ista possunt immediatè individuari, concipimus in Petro multas individuationes; at unius individui una est individuatio: ergo. Resp. disting. maj. Si genus posset immediatè individuari physicè, & in re, conciperentur multæ differentiæ individuales, conc. maj. si posset individuari tantùm objectivè, & in conceptu, neg. maj. Itaque aliud est concipere quodlibet prædicatum immediatè se ipso hoc, aliud verò concipere, quòd ita est in re: hoc secundum poneret multas differentias individuales, non autem illud primum. Adde, quòd illa prædicata non sunt in re multa, sed una realitas animæ, quare sibi una competit in re individuatio.

118 Arguitur quartò: Non minùs essentialis est ordo inter differentiam genericam, specificam, & individualem, quàm inter gradus ipsos universales inter se; sed quia essentialis est ille ordo, implicat concipere cum fundamento in re gradum superiorem infimo determinari sine intermedio: ergo pariter implicat concipere genus determinari per differentiam individualem sine specifica. Patet maj. eodem enim respectu contrahibilis ad contrahentis comparatur species ad individuum, & genus ad speciem. Patet item min. apertè enim implicat concipere corpus sensitivum sine viventi, aut vivens rationale sine sensitivo.

119 Hoc argumentum nonnullam habet apparentiam, nititur tamen æquivocatione. Resp. disting. maj. Non minùs essentialis est ordo ad differentiam individualem formalem physicam, sive completam, conc. maj. ad differentiam individualem transcendentalem, & incompletam, neg. maj. Itaque differentia individualis duobus modis potest accipi, uno enim modo significat singularitatem rei existentis; alio modo significat transcendentalem unitatem, quę est passio entis: primo modo constituit individuum completum, & dicitur individuatio physica, & formalis; secundo modo constituit individuum incompletum: prima ergo individuatio essentialem ordinem habet ad speciem, neque ea potest concipi immediatè convenire generi; posterior autem non est differentia contrahens, sed transcendenter cuilibet prædicato conveniens; quare ea potest concipi immediatè convenire generi.

120 Arguitur quintò: Unica differentia individualis sufficit determinare omnia prædicata, quæ sunt in quolibet: ergo superflue

concipitur individuatio cuique propria. Confirmatur, quia *hoc animal*, quod est in Petro intrinsecè, & quasi essentialiter determinatum est, ut sit Petrus: ergo omninò implicat concipere hoc individuum animalis extra hoc individuum hominis.

121 Resp. disting. anteced. Sufficit individuare physicè, & ut sunt in re, conc. antec. objectivè, prout per intellectum multiplicantur, neg. antec. Sic enim sicut multa fiunt prædicata præcisione intellectûs, ita multas habent unitates, sive individuationes, & unumquodque potest intellectus concipere sub propria unitate individuali, qua cum altero prædicato ejusdem individui facit dualitatem. Ad confirmationem neg. conseq. solùm enim sequitur, quòd non possit intellectus concipere, *hoc animal Petri* esse in Petro hoc aliâ hæceitate ab ipsa Petreitate; hoc autem non tollit, quin possit concipere *hoc animal*, non concipiendo Petri, aut Pauli, sicut concipit animal, non concipiendo hominis, aut leonis.

ARTICULUS VI.

An, & quomodò genus prædicetur de individuo?

122 Duplex, ut jam patuit, considerari potest individuum, completum, ut Sortes, hic leo; aut incompletum, ut hoc animal, aliquod vivens. De utroque quæritur, de completo quidem: An de illo prædicetur genus immediatè, an tantùm mediante specie? De incompleto verò: An genus de illo dicatur ut genus, vel ut species? Et quidem prædicari de utroque supponendum est; de completo quidem per se patet, quòd Petrus est animal: de incompleto verò, qui à longe videret corpus aliquod moveri, quin posset determinare, *cujus* esset speciei, bene affirmaret, quòd illud est vivens, sive animal; quare genus prædicaret de individuo incompleto, sive quod non alicujus speciei concipitur.

123 Dicendum ergo primò: De individuo completo prædicatur genus ut genus, non tamen immediatè, sed mediante specie. Hæc conclusio quantum ad primum communis est, & probatur de facili: Genus prædicatur ut genus, quando prædicatur *in quid* incompletè, seu dicit totam quidditatem subjecti tantùm potestativè, & indeterminatè; sed animal de Petro dicitur *in quid*, deinde totam ejus quidditatem importat, nempè corpus, & animam, sive corpus animatum; non autem determinatè, quia non importat rationalitatem, sive non determinat animam rationalem: ergo.

124 Quantum ad secundam partem tenet oppositum Eliseus, qui nonnullos pro se adducit, sed ea etiam communis est, & de facili ostenditur

ostenditur: Tùnc prædicatio est immediata, quando subjecto ratione sui, quatenùs subjectum est, convenit prædicatum; tùnc verò est mediata, quando convenit ratione alicujus, quod proinde mediat; sed Petro convenit esse animal, non ratione, qua est Petrus, sive individuum, sed ratione, qua est homo: ergo non immediatè, sed mediante specie.

125 Arguit primò Elisæus: In illo syllogismo: *Omnis homo est animal*; *sed Petrus est homo*: *ergo Petrus est animal*, qui demonstrativus est, concluditur immediatè animal de Petro: ergo genus prædicatur immediatè de individuo. Prob. antec. Quia, si animal de Petro prædicaretur in conclusione mediante specie, ly *homo*, quod est medium, deberet conclusionem ingredi, quod est inconveniens. Sed contra: Propositio immediata est indemonstrabilis; sed illa demonstratur juxta ipsum: ergo. Patet maj. quia propositio demonstrabilis debet habere medium, quo ostendatur, prædicatum convenire subjecto; quare propositio immediata, sive in qua prædicatum subjecto convenit immediatè per se ipsum, per se nota est, sive se ipsa illi assentitur intellectus, & tantùm ostenditur explicatione terminorum.

126 Directè neg. conseq. imò id apertam involvit contradictionem; quod enim concluditur per aliquod medium, de necessitate concluditur, & si immediatè subjecto convenit, non concluditur, sed explicando terminos ostenditur, hoc illi convenire se ipso. Ad prob. neg. assumptum; una enim oratio est syllogismus, in qua oportet ponere medium, per quod hoc illi convenire deducitur, non autem in deductione ipsa.

127 Arguit secundò: Principia scientiæ subalternatæ in absentia subalternantis sunt propositiones immediatę; at habent medium, per quod prædicatum subjecto convenit: ergo id non tollit immediationem. Patet maj. alioqui non essent principia. Patet item min. quia sunt propositiones demonstratæ in subalternante. Resp. neg. maj. ad prob. ejus dicitur, quòd sunt principia secundùm *quid*, nempè in subalternata, & eodem sensu sunt immediata; si enim probantur, non in ipsa subalternata, sed in subalternante, quare in ista, non in illa habent medium. Patet ergo, quòd quo sensu habent medium, non principia sunt, neque immediatæ propositiones.

128 Arguit tertiò: Ista est immediata: *Petrus est risibilis*: ergo & ista: *Petrus est animal*. Patet conseq. quia sicùt Petro convenit esse animal ratione, qua homo est, ita esse risibile. Antec. ostenditur, quia universale dicitur immediatè de suis inferioribus; sed ly *risibile* non est universale relatè ad speciem, sed relatè ad individua: ergo

ergo. Patet hæc min. quia ad speciem non est superius, sed æquale. Resp. neg. antec. ad prob. ejus primò neg. suppositum minoris, quòd ly *risibile* prædicetur, ut est universale, sic enim non *in quale*, & ut proprium, sed *in quid* prædicaretur. Secundò, neg. ipsa min. risibile enim non ad individua, sed ad hoc, & illud risibile est universale; licùt autem in Petro aliud est, quòd sit homo, & quòd sit risibilis, ita aliud est, quòd sit Petrus, sive hic homo, aliud verò, quòd sit hoc risibile; & hoc secundo modo est inferius, cui est universale ly *risibile*: risibile ergo de Petro, sive hoc homine dicitur ut proprium mediatè, & quatenùs est homo, & eodem modo dicitur mediatè animal; de hoc verò risibili dicitur immediatè, sed non ut proprium, sed ut species, & eodem modo animal de hoc animali dicitur immediatè, non tamen ut genus.

129 Dicendum secundò: De individuo incompleto prædicatur genus immediatè, non tamen ut genus, sed ut species. Quantum ad utramque partem communis est, & probatur de facili, quantum ad primam quidem: hoc animal ratione sui immediatè intelligitur esse animal, ita quòd nihil mediat inter rationem, qua hoc intelligitur, & esse animal; nihil enim præter ipsam animalitatem hæcceitate determinatam importare intelligitur: non ergo mediante aliquo, sed immediatè de hoc animali dicitur animal.

130 Hinc patet quantum ad secundum: Quod enim totam quidditatem subjecti importat determinatè, & in actu, non ut genus, sed ut species prædicatur; sed ita comparatur animal ad hoc animal: ergo. Patet hæc min. quoties enim subjectum supra prædicatum tantùm importat differentiam individualem, prædicatum determinatè, & in actu totâ dicit quidditatem subjecti, differentia enim individualis nullius est quidditativa. Confirmatur: Sicùt comparatur homo ad hunc hominem, ita animal ad hoc animal; sed homo ad hunc hominem comparatur immediatè, ut species ad individuum: ergo. Patet major, quia utrobique tantùm additur differentia individualis. Nihil in contrarium objicitur, quod non ex dictis solvatur de facili. Solet ulteriùs quæri: An genus possit salvari in unica specie? De hoc autem commodiùs quæst. seq.

quare sit

)§(

QVÆST.

QUÆSTIO TERTIA

DE SPECIE.

SPECIES multiplicitèr accipitur; nam primò pro speciositate, seu pulchritudine, quo sensu dicitur in Psal. 44. *Specie tua, & pulchritudine tua*: & Porphyrius in text. adducit ex Euripide, quòd *species prima digna est imperio*, seu ut vertit Boœt. *species Priami*. Secundò accipitur pro quidditate rei subsistentis. Alias acceptiones misit Porphyrius, quia ad intentum suum istæ sufficiunt, nempè quòd hoc tantùm secundo modo accipitur species in præsenti. Duos respectus habet; alterum ad superius genus, cui subjicitur; alterum ad inferius individuum, de quo prædicatur: primâ acceptione dicitur subjicibilis, secundâ prædicabilis, & utroque modo in præsenti consideratur: dividitur in *infimam*, & *subalternam*: infima est, quæ immediatè ad individua descendit; subalterna autem, quæ in alias species dividitur: quia ergo sub altera acceptione correlativa est generi species, immediatè post genus de illa considerationem instituit.

ARTICULUS I.

Utrùm Species subjicibilis rectè definiatur à Porphyrio?

131 CONclusio omnium est affirmativa, sed aliquæ sunt difficultates circa eam explicandæ. Itaque Porphyrius in text. ait, quòd species est, *quæ sub assignato genere collocatur*; & paucis interjectis: *Assignant igitur speciem, & hoc modo: Species est illi, quod subjicitur generi; & de qua genus hoc ipso quid est, prædicatur.* Prima ergo difficultas est: An una tantùm, an duplex sit definitio? Soto docet, unam tantùm definitionem esse; quia, quod primùm ait *sub assignato genere* poni, non est definitio, sed nominis explicatio; quod autem ait generi subjici, & de ipsa genus prædicari, non duas, sed unam explicat speciei habitudinem, nempè ad genus, quare una est definitio. Tolet. apud Rub. q. 1. docet, duas esse definitiones, ita quòd sub assignato genere poni non sit definitio, sed nominis explicatio. Rub. duas item esse definitiones asserit, vult tamen, quòd prima sit *sub assignato genere* poni, secunda autem, *quod generi subjicitur*, & de ea genus prædicatur.

132 B. D. q. 10. sup. univ. in solut. ad 4. supponit duas esse, quod

quod & communiter cæteri docent, ita tamen quòd *sub assignato genere* poni, non sit tantùm nominis explicatio, sed vera definitio, eadem tamen, ac *quod generi subjicitur*; altera autem definitio est, de qua genus *in quid* prædicatur. Quòd duplex sit definitio, sic patet: Nam inferioritas, & subjectio speciei ad genus duplex est; altera ad ipsum tanquam totum potentiale, quod contrahit: altera ad ipsum tanquam prædicatum, quod de ipsa dicitur; jam enim in præcedentibus patuit, quòd alia est acceptio universalis in eo, quòd est universale, & in eo, quòd est prædicabile: quia ergo utramque inferioritatem habet species ad genus, secundùm utramque definitur; & per hoc, quòd *generi subjicitur*, explicatur, quòd est inferius, cui genus est universale; per hoc autem, quòd de ea genus prædicatur, explicatur, quòd est inferius, cui genus est prædicabile; quare, siquidem hìc accipiuntur magis in ratione prædicabilium, potior est secunda definitio.

133 Quòd deinde *sub assignato genere* poni, definitio sit, eo patet, quòd habitudinem explicat inferioritatis, quam habet species ad genus, in qua consistit quidditas ejus, & est subjicibilis. Quod tandem ista non ponat in numerum cum altera, eo quia idem est, & eamdem habitudinem explicat sub genere poni, & generi subjici, quare Porphyrius quasi recapitulando, id ipsum repetit, quod prius posuit. Neque motivum, quod innuit Soto, quid urget: etsi enim videatur in specie idem esse, quòd genus ad illam dicat habitudinem, quod unâ definitione explicatur, & quòd ipsa talem habitudinem terminet, quod explicatur in altera; jam ex dictis patet, quòd non eadem est, per alteram enim explicatur habitudo prædicati ad subjectum, per alteram verò superioris, sive universalis ad suum inferius; quamvis autem in genere idem sit superius esse, sive universale, & esse prædicabile, absolutè tamen non est idem, ut patet in tribus ultimis.

134 Secunda difficultas est: An exactè definiatur species, ut subjicibilis? Ratio dubitandi est, quia, cùm priùs definierit genus per ordinem ad speciem, nùnc autem speciem definiat per ordinem ad genus, circulus apparet, in quo vix potest vitium excusari. De hoc latè Spin. qui usque ad undecim enumerat solutiones. Illis missis, nobis dicendum, quòd relativum formaliter ut tale non habet quidditatem circumscriptam, & in se ipsa cognoscibilem, sed quæ alterum quodammodo includit correlativum; quare dicitur ex Philosopho, quòd *relativa sunt simul naturâ, & cognitione*: quia ergo correlativa sunt genus, & species, ut ei subjicibilis, se mutuò includunt quodammodò, & ad se invicem habent definiri; esset autem vicio-

fitiosa circulatio, si haberent quidditatem absolutam.

135 Vlteriùs facit difficultatem in hoc ipso, quòd eæ definitiones aliis à definito conveniunt: siquidem individuum sub genere ponitur, & de illo genus *in quid* prædicatur, quod ipse habet Porphyrius in litera hujus capit. ait enim, quòd si de Petro dicitur homo, & de homine animal, oportet, quòd ipsum animal dicatur de Petro. Ad hoc respondet B.D. cit. q. 10. in solut. ad 2. quam solutionem ex Alberto adducunt Complutenses, quòd sermo in definitione debet accipi formaliter, & per se, quin hoc addi oporteat, sic enim intelligitur ex natura rei: quando ergo dicitur, quòd species ponitur sub genere, aut quòd genus de illa prædicatur, intelligitur per se, & formaliter; jam sic est, quòd individuum per se non ponitur sub genere, sed sub specie; nec de illo genus dicitur per se, sed ratione speciei, quam includit: non ergo individuo conveniunt definitiones illæ.

136 Sed instatur hæc solutio: Quia individuum incompletum per se, & immediatè sub genere ponitur, & de eo genus prædicatur; nam per se ipsum *hoc animal est animal*, & *hæc quantitas est quantitas*, & non ratione alicujus speciei: ergo saltim huic individuo conveniunt illæ speciei definitiones. Sed ad hoc patet ex eâdem solutione: Si enim formaliter accipiuntur verba definitionis, cùm dicitur species sub genere poni, & de illa genus prædicari, accipitur genus formaliter, ut genus est; jam autem suprà patuit, quòd de individuo incompleto non prædicatur genus ut genus, sed ut species.

137 Aliter instatur principalis solutio, & est replica contra præcedentem: Si genus de individuo incompleto non ut genus, sed ut species dicitur, genus supremum ad individua incompleta illius ut species comparatur, v. g. substantia ad hanc substantiam, posito, quòd ea sit genus supremum; sed tùnc huic speciei non convenit illa definitio: ergo ea non convenit omni definito. Patet hæc min. quia talis species non haber genus, sub quo ponatur, & quod de ipso prædicetur. Quod confirmari potest in materia, quæ ad hanc, & illam materiam species est; & tamen non habet genus supra se, non enim genus est substantia præscindens à completa, & incompleta.

138 Ad hoc argumentum nonnulli Thomistæ apud Mastrium respondent, quòd illæ definitiones non sunt speciei in tota latitudine sua, sed tantùm ut est subjicibilis; non autem inconvenit, aliquam speciem non esse subjicibilem, sed tantùm prædicabilem, & illa erit species, quatenùs de differentibus numero prædicatur, non autem, quæ generi subjiciatur,

tur, & ita est in proposito argumenti; nec proinde aliis à definito definitiones conveniunt, quia definitum est species, ut est subjicibilis.

139 Hanc solutionem Mastrius rejicit; quia species, cùm dicat quidditatem rei completè, & in actu, ex compositione generis, & differentiæ resultat: nulla ergo esse potest species, quæ non habeat genus supra se, subindeque, quæ non sit subjicibilis. Quare ipse ad replicam aliter respondet, quòd quælibet species prædicabilis ad secundum prædicabile pertinet; quare habet supra se communem rationem prædicabilis, quę genus est ad omnia prædicabilia, & sic quælibet species prædicabilis sub genere ponitur, & de ea genus prædicatur.

140 Sed neque ratio, qua solutionem rejicit, neque solutio ejus subsistineri potest: ratio quidem deficit in eo, quòd, licèt species completa habeat componi ex genere, & differentia, non tamen species incompleta; dicitur autem species completa, quæ importat in actu, & determinatè totam quidditatem individui subsistentis, sive completi; incompleta autem, quæ totam quidditatem individui importat non subsistētis, sed metaphysicè accepti, ut *hoc animal*; hæc enim eo quòd individui totā quidditatem importat determinatè, & in actu, species est, & ut species prædicatur, nempè per se, & *in quid* de differentibus numero: si ergo non est de ratione speciei per se, & absolutè, quòd componatur ex genere, & differentia, non illi convenit per se, quòd habeat supra se genus.

141 Deinde solutio ipsius deficit: quia communis ratio prædicabilis genus est ad speciem, quæ prædicatur de individuo secundò intentionaliter acceptam; prædicatur autem de individuo incompleto, v. g. de hac substantia, substantia ipsa primò intentionaliter sumpta: ruit ergo solutio. Quod ipsa ejus ratione patet: Eo enim substantia, quę prædicatur, habet genus supra se, quia species, quæ prædicatur de individuo, componitur ex genere, & differentia; sed substantia, ut prædicatur de hac substantia, non importat tanquam genus rationem communem prædicabilis: ergo. Patet hæc minor; genus enim de definito prædicatur; non autem prædicatur de hac substantia ratio communis prædicabilis. Præterea: procedit replica de genere supremo, quodcumé illud sit; at supremum in eo, quòd tale, non habet aliud supra se: si ergo solutio accipit in sensu, quo aliud habet supra se, non est ad propositum argumenti.

142 Ad instantiam ergo positam n. 137. dicitur primò, quòd an aliqua sit species prædicabilis, quæ non sit subjicibilis, aut è contra, disputatur seq. art. quare, hoc misso, dicitur secundò, quòd Porphy-

phyrius speciem, sicùt cætera prædicabilia definit, quatenùs ad notitiam prædicamentorum ordinantur, ut patet ex ipsius libri exordio; quare solùm speciem definit, quæ formalitèr, ut species est, ad prædicamentum pertinet; jam autem individuum incompletum non pertinet ad prædicamentum, sed solùm prima substantia, seu individuum completum: species ergo, quę talis dicitur tantùm per ordinem ad individuum incompletum, non pertinet ad hanc considerationem, nisi tantùm reductivè, & ex quadam analogia ad speciem propriè talem; quare, licèt illi non conveniat definitio data de specie, non proinde dici debet defectuosa. Itaque genus supremum, & quodlibet genus, ut immediatè de individuo incompleto dicitur, species est incompleta, quæ tantùm impropriè, & analogicè species dicitur, nec sub hac acceptione ad prædicamentum pertinet; quare illis definitionibus non comprehenditur.

143 Tertia difficultas ex eo oritur, quòd Porphyrius habet in litera hujus capitis, nempè intermedia, ut species subalterna duos habeat respectus; alterum ad superius, alterum ad inferius; extrema verò, ut genus supremum, & infima species, unum tantùm, quia genus supremum, cùm non habeat aliud supra se, alioqui non esset supremum, tantùm habet respectum ad inferius; species verò infima, cùm sit ultimum, alioqui non esset infima, tantùm habet respectum ad superius: dubitatur ergo, quomodò speciem definit per ordinem ad inferius, de quo prædicatur, si tamen ipsa tantùm habet ordinem ad superius? Hæc difficultas ad alteram definitionem pertinet speciei, ut est prædicabilis, hìc tamen communitèr expenditur.

144 Merinero hìc in annotat. ad lit. respondet, quòd loquitur Porphyrius de respectu intra lineam prædicamentalem, nempè generalissimum in prædicamento non habere respectum ad superius, quod in prædicamento sit; si enim superiorem rationem habet, ea non pertinet ad prædicamentum: hoc ergo sensu ait de specie infima, quòd non habet respectum ad inferius, nempè quod pertineat ad prædicamentum; jam autem individuum, per ordinem ad quod speciem definit, est extra arborem, cùm de eo non sit scientia, nec definitio; quare adducit documentum Platonis, quo dicebat, à supremo ad infimam speciem descendendum per intermedias species, & ibi sistendum; singularia autem, eo quòd infinita, prætermitti debere.

145 Sed hæc solutio non est ad mentem Porphyrii; ipse enim in serie prædicamenti individuum ponit tanquam fundamentum, & ipsum definit hoc capit. quare ad seriem, & considerationem prædi-

camentalem pertinet; ipse etiam Philosophus in prædicamentis de prima substantia, quæ est individuum, considerationem instituit. Aliter itaque dicendum, quòd solutio difficultatis ex ipsa patet litera Porphyrii, ait enim: *Specialissimum etiam ipsum unam habet relationem, eam, qua ad anteriora, quorum est species; qua verò ad posteriora, non aliam habet, sed individuorum species dicitur.* Intendit itaque, quòd intermedia diversificantur ex utrâque habitudine, nempè ad superius species sunt, ad inferius verò genera; at verò extrema non ita, quia genus supremum genus tantùm est, cùm non habeat superius, cujus sit species; species autem infima species tantùm est, quia ad suum inferius species dici habet, sicut ad superius.

146 Dubitatur ulteriùs, quomodò inter se comparentur rationes speciei subjicibilis, & prædicabilis? Docent aliqui, esse respectus oppositos; subjicibilitas enim inferioritas est ad id, cui subjicitur; prædicabilitas autem superioritas ad id, de quo prædicatur. Sed hoc nequit stare; oppositа enim in eodem esse non possunt; sunt autem in eâdem specie infima subjicibilitas ad genus suum, & prædicabilitas ad inferiora. Deinde oppositа sunt ad se invicem; subjicibilitas autem est ad genus, prædicabilitas verò de specie: non ergo sunt respectus oppositi.

147 Complutenses, quod & multi alii sequuntur, docent esse respectus disparatos, ita quòd illis æquivoca sit ratio speciei; quod eo nonnulli probant, quia neque habent rationem speciei utriquè respectui communem, sed nomen dumtaxat; neque definitionem assignat Porphyrius utrique convenientem. Sed nec hoc nobis probatur: docet enim B. D. & id fere omnes supponunt, ex definitionibus Porphyrii alteram esse essentialem, alteram verò descriptivam; non autem posset esse descriptiva altera, nisi illam eamdem rem explicet per aliquam ejus proprietatem, quam altera explicat per prædicata quidditatis: non ergo æquivocè, & solo nomine, sed re etiam significata, & explicata per definitionem conveniunt subjicibilis, & prædicabilis.

148 Dicendum ergo, unam esse communem rationem speciei in qua conveniunt subjicibilis, & prædicabilis, nempè in hoc, quod est importare totam rei quidditatem determinatè, & in actu: comparatur enim species ad superius, cui subjicibilis est, tanquam determinans, & cum ipso constituens quidditatem completam determinate, nempè qualem significabat potestativè, & indeterminatè ipsum superius; ad inferius autem comparatur tanquam ad id, quod sibi addit tantùm individuationem, quæ est extra quidditatem, quare ejus totam essentiam dicit

patet

patet ergo, quòd utrique, nempè subjicibili, & prædicabili ex æquo, & univocè convenit importare totam quidditatem determinatè, & in actu.

Speciei ergo essentia ut sic, & communitèr in hoc consistit, quòd dicat totam quidditatem determinatè, & in actu, & iste conceptus determinatur veluti per duas differentias, per subjicibilitatem, & prædicabilitatem; speciei autem, ut in hoc tractatu accipitur, quidditas consistit in prædicabilitate, subjicibilitas verò est veluti passio hujus. Porphyrius ergo, cùm duas species, in quas dividitur ratio communis, nempè subjicibilem, & prædicabilem definiisset, sufficienter explicatam putavit ipsam rationem communem.

149 Tandem posset aliquis quærere: Qualitèr ratio speciei subjicibilis ad infimam, & subalternam comparatur? Dicendum brevitèr, comparari tanquam rationem univocam. Prob. brevitèr: Siquidem eâdem ratione, & modo, quo species infima respicit proprium genus, nempè proximum, species subalterna respicit genus remotum, & illi subjicitur. Præterea Porphyrius in lit. in hoc distinguit speciem infimam ab intermedia, quòd infima prædicatur ut species, non autem intermedia; ex quo colligitur, quòd quantum ad subjici plenè conveniunt. Altera definitio speciei, ut est prædicabilis, infrà explicabitur.

ARTICULUS II.

An Species subjicibilis sit prædicabilis?

NUlla ferè controversia est de præsenti articulo, aliqua tamen confusio propter multiplicem acceptionem, quare distinctione opus est. In primis itaque supponendum est, non quæri de ipsis intentionibus, patet enim, quòd subjicibilitas non est prædicabilitas; neque item quæritur de specie subjicibili secundo intentionalitèr, nempè de ipsa ratione communi ad omnem speciem subjicibilem; hæc enim formalitèr de qualibet est prædicabilis, nempè est signatè tantùm subjicibilis; quæritur ergo de specie subjicibili primò intentionalitèr sumpta, sive de ipsa natura specifica.

Triplex esse potest difficultatis sensus: primus identicus: An nempè quælibet species subjicibilis sit simùl, & identicè prædicabilis? Secundus sensus esse potest formalis: An nempè in sensu formali speciei, ut subjicibilis est, conveniat prædicabilitas, aut è converso, hoc est: An prædicabilitas sit quidditas, aut passio speciei, ut est subjicibilis, aut è converso? Tertius sensus est causalis: An nempè ex subjicibilitate causetur in natura prædicabilitas, aut è converso? Resolutio quidem ex dictis præcedenti articulo constat;

si enim subjicibilis, & prædicabilis duæ sunt veluti species dividentes communem rationem speciei, cujus quidditas ut sic, & communitèr in hoc consistit, quod est importare totam quidditatem determinatè, & in actu, in nullo sensu species subjicibilis est prædicabilis, nihilominùs claritatis gratiâ, & ut solvantur, quæ in contrarium objiciuntur, seorsim singulos sensus expendemus.

§. I.

Examinatur difficultas in sensu identico.

150 HOc sensu potissimè disputatur propter naturam, cui plura repugnant individua; de hoc tamen ex instituto quæritur art. 6. & ea nobis neque subjicibilis, neque prædicabilis est. Igitur absolutè nullam dari speciem subjicibilem, quæ non sit prædicabilis; aut prædicabilem, quæ non sit subjicibilis, docet Mastrius hìc n. 70. & cùm objicitur de generalissimo, quod per modum speciei de individuo incompleto prædicatur, respondet, id non obstare, quia Porphyrius definit speciem, ut in serie prædicamentali reponitur; species autem, ut prædicatur de individuo incompleto, non pertinet ad prædicamentum, sicut neque individuum incompletum.

151 Dicendum nihilominùs absolutè, quòd species subjicibilis non est prædicabilis, aut e contra, hoc est, datur species, quæ sit subjicibilis secundùm definitionem à Porphyrio traditam, non tamen sit prædicabilis; & similitèr, quæ sit prædicabilis, non tamen subjicibilis. Prob. quantum ad primum, quia quod habet formalitèr, & per se generi subjici, est species subjicibilis, & illi competit definitio Porphyrii; sed quælibet subalterna ita se habet, non tamen ut species prædicatur: ergo quælibet est subjicibilis, non tamen prædicabilis. Min. ostenditur, quia quælibet subalterna, eo subalterna dicitur, quia sub aliquo genere est, quare habet subjici; sed aliunde eo differt, ac infima, quia ad inferiora sua, de quibus prædicatur, non ut species, sed ut genus comparatur; & eo ait Porphyrius, quòd intermedia duos habent respectus ad superius, & ad inferius, quia videlicèt per respectum ad superius species sunt, per respectum verò ad inferius non species sunt, sed *genera*. Quantum ad secundum sic patet: Definitio speciei prædicabilis ei convenit, quod prædicatur *in quid* per se, & immediatè de differentibus numero; sed aliquid ita prædicatur, quod tamen nulli generi subjicitur: ergo. Patet min. in generalissimo, quod immediatè, & per se de individuo incompleto prædicatur.

152 Ad rationem contra hanc par-

partem dicitur, quòd intendit quidem Porphyrius de specie completa, seu quæ individui completi species est; hoc tamen non tollit, quin definitio ejus absolutè conveniat speciei incompletæ: ea ergo ut species prædicatur, & species prædicabilis est absolutè, non tamen subjicibilis; quod sufficit, ut non habeat connexionem, aut de necessitate comitetur identicè ratio subjicibilis rationem prædicabilis.

153 Dices iterùm contra eamdem partem: De ratione speciei prædicabilis est, quòd componatur ex genere, & differentia; sed quæ sic componitur, habet de necessitate genus, cui subjicitur: ergo. Ostenditur maj. Species enim, quæ est quidditas simplex, non composita ex genere, & differentia, nullo modo pertinet ad prædicamentum, ut nos ipsi dicemus disp. seq. sed quæ non pertinet ad prædicamentum, non est species prædicabilis, neque de ea hîc agitur: quæ ergo prædicabilis est, habet de necessitate compositionem ex genere, & differentia. Resp. neg. maj. ad probat. ejus dicitur, quòd species, quæ ut talis reponitur in prædicamento, talem compositionem habet de necessitate; non tamen quidquid prædicatur ut species, talem compositionem habet, aut secundùm quod sic prædicatur, in prædicamento reponitur.

Itaque non nisi genera, aut species in recta linea prædicamenti reponuntur, ê latere autem non nisi differentiæ; quare, quod non est genus, aut differentia, aut utriusque compositionem importat, non pertinet ad prædicamentum. Rursus: Non nisi ea, quæ ad prædicamentum pertinent, in isto tractatu considerantur. Nihilominùs generalissimum, quod per modum speciei de individuo incompleto prædicatur, vera species est, & ad hujus definitionem pertinet, quia in prædicamento reponitur, licèt non ut species, secundùm se tamen, & ut genus.

154 Contra primam partem dices ex hoc ipso: Species subalterna habet de proprio individuo incompleto prædicari; sed tùnc prædicatur ut species: ergo nulla est subjicibilis, quæ non sit prædicabilis. Patet conseq quia illa tantùm potest assignari. Patet item min. comparata enim ad proprium individuum, ut vivens ad hoc vivens, determinatè, & in actu totam ejus quidditatem importat, in quantum est hoc vivens. Confirmatur: Species subalterna de necessitate significat physicè, & in re formam in materia; sed tali per se convenit de necessitate individualitèr multiplicari: ergo speciei, quæ generi subjicitur, de necessitate convenit de individuis prædicari. Patet maj. quia, ut probabimus disp. seq. habere gradus magis, & minùs universales, & consequenter speciem subalter-

nam

nam non convenit Deo, aut Angelis, sed tantùm corporalibus, seu compositis ex materia, & forma.

155 Resp. disting. maj. Habet prædicari ut subalterna, neg. maj. habet prædicari ut infima, conc. maj. Itaque eo sensu, quo subjicitur, non est prædicabilis, nempè ut subalterna; ad proprium enim individuum incompletum ita comparatur, quòd inter ipsam, & individuationem nihil mediat. Ad confirmationem disting. conseq. De necessitate convenit de individuis prædicari immediatè, & per se, neg. maj. mediatè, & ratione speciei infimæ, conc. maj. Itaque speciei subalternæ de necessitate convenit individualitèr multiplicari in re propter rationem argumenti; aut verò ad individuationem incompletam comparatur, & tùnc immediatè quidem, & per se, sed non ut subalterna; aut autem ad completam, & tùnc ut subalterna quidem, non tamen per se, & immediatè. Relinquitur itaque, quòd sola species infima est identicè subjicibilis, & prædicabilis.

§. II.

Expenditur difficultas in sensu formali.

156 PRima sententia docet, subjicibilitatem, & prædicabilitatem esse rationes omnimò disparatas, & inconnexas, & tantùm identicè, & materialiter adunari in specie infima; quare in sensu formali species subjicibilis non est prædicabilis, aut è contra. Ita Albert. Magn. Complut. Rub. estque communis. Secunda sententia docet, universalitatem, & prædicabilitatem esse de conceptu quidditativo speciei, ut est subjicibilis; quare species subjicibilis in sensu formali est universalis, & prædicabilis eo sensu, quo homo est animal. Ita Spin. hic, qui pro se alios citat, & sensus ejus est, quòd species importat ut genus universalitatem, & prædicabilitatem, ut differentiam talem prædicabilitatem determinatam, quæ sic determinatur per subjici generi; quare ratio subjicibilis est differentia quidditativa speciei. Hæc sententia ex instituto examinabitur seq. art. interim, quantum ad præsens attinet,

157 Dicendum: Species subjicibilis non est formaliter, & quidditativè prædicabilis, aut universalis; pro eodem ad præsens accipitur prædicabilitas, & universalitas, quia, licèt absolutè non sit idem, ut jam patuit, in specie tamen idem est. Prob. ergo de facili conclusio: Prædicabilitas, aut universalitas est in specie comparabilitas ad inferiora; sed talis non importat formaliter, & quidditative subjicibilitatem: ergo. Prob. min. Subjicibilitas est comparabilitas ad suum superius; sed hæc omni-

omninò disparatè, & tantùm identicè se habet ad comparabilitatem ad suum inferius: ergo. Ostenditur hæc min. quòd enim habeat, aut non habeat superius, cui comparetur, omninò est extra quidditatem, & conceptum comparabilitatis ad suum inferius.

Confirmatur primò: Sic se habet in specie comparabilitas ad suum inferius ad comparabilitatem ad suum superius, sicut se habet in patre relatio, qua est pater hujus ad relationem, qua est filius alterius patris; sed istæ sunt omninò disparatæ, neque una pertinet ullo modo ad conceptum alterius: ergo. Patet maj. quia utrobique est comparatio ejusdem ad suum inferius, & ad suum superius. Patet item min. quia paternitas omninò disparatè, & de materiali respicit in ipso patre filiationem, quam habet ad suum patrem.

Confirmatur secundò: Universalitas, & prædicabilitas ut sic, & in communi importat habitudinem ad id, cui est universale, & de quo est prædicabile: ergo talis universalitas, & prædicabilitas propria speciei importat talem habitudinem, sive ad tale determinatum, cui est universale, & de quo est tali modo prædicabile; sed in hoc non importatur habitudo ad superius, cui subjicitur, sed tantùm tale inferius: ergo subjicibilitas non pertinet ad conceptũ quidditativũ speciei prædicabilis.

Confirmatur tertiò: Subjicibilitas, & prædicabilitas sunt rationes ex æquo immediatè secutæ ad conceptum speciei ut sic, & communitèr sumptæ: ergo neque prædicabilitas est de conceptu speciei, ut est subjicibilis, neque è contra. Prob. antec. Conceptus speciei ut sic, & communitèr in hoc consistit, quòd importet determinatè, & in actu totam quidditatem illius, cui comparatur; sed hoc ex æquo se habet ad id, cui est inferius, & quod contrahit, & ad id, cui est superius, & à quo contrahitur: ergo. Patet maj. tùm, quia species ut sic, & communitèr hoc significat, formam, & quidditatem; tùm deinde, quia comparata ad superius habet in actu, & determinatè id, quod superius potestativè, & indeterminatè; comparata verò ad inferius habet id, cui inferius addit solam differentiam individualem. Min. de se patet; non enim unam acceptionem habet mediante alterâ, aut ratione alterius.

158 In contrarium arguit Spin. Species, ut est secundum prædicabile, dicit universalitatem, & prædicabilitatem temperatam, & modificatam, nempè quæ sit infima universalitas, & prædicabilitas; sed hæc ratio quidditativè componitur ex universalitate, seu prædicabilitate tanquam genere, & tanquam differentiâ, & subjicibilitate generi infimo: ergo prædicabilitas ad subjicibilitatem com-

paratur tanquam genus ad differentiam; & consequentèr species subjicibilis est quidditativè, & formalitèr prædicabilis eo sensu, quo homo est animal. Majorem ostendit, quia quidditas secundi prædicabilis est, quòd prædicetur de differentibus numero, ad differentiam primi, quod prædicatur de differentibus specie, quare conveniunt in prædicabilitate, & differunt in eo, quòd species talem habet prædicabilitatem infimam, & de individuo. Minorem autem eo ostendit, quia infima prædicabilitas per hoc determinatur, quòd sub ultimo, & infimo genere est.

159 Resp. quòd species utrumque habet, subjici, & prædicari, quare utroque modo definitur à Porphyrio; quare species subalterna pertinet ad hoc secundum prædicabile sub altera ejus acceptione; si autem differentia quidditativa est subjici infimo generi, species subalterna nullo modo est species, aut pertinet ad secundum prædicabile. Rursus: Infimam prædicabilitatem habet quidquid per se, & immediatè prædicatur de individuo; tale autem non de necessitate habet sub infimo genere poni, imò neque sub genere poni; prædicatur enim vivens de hoc vivente, & corpus de hoc corpore, sive etiam substantia de hac substantia; non autem sub infimo genere ponitur vivens, & in nostra sententia sub nullo genere ponitur corpus, in communi autem sub nullo ponitur substantia.

160 Directè primò neg. maj. quia species, ut est secundum prædicabile, utrumque habet, subjicibilitatem, & prædicabilitatem; quare ejus quidditas importat tanquam genus dicere totâ quidditatem, & tanquam differentiam illam dicere determinatè, & in actu, quo differt à genere, quod totam quidditatem dicit potestativè, & indeterminatè. Secundò datâ maj. neg. min. sicut enim prædicabilitas ut sic importat habitudinem ad subjectum ut sic, ita talis infima prædicabilitas ad tale infimum subjectum; de hoc autem latiùs ex instituto art. seq.

161 Arguitur secundò ex fundamentis Toleti, qui directè intendit, quidditatem speciei in universalitate consistere, & ejus esse passiones subjicibilitatem, & prædicabilitatem; ejus tamen fundamenta ad propositum objici possunt. Primum sic formatur: Prædicabile est genus ad illa quinque: ergo quodlibet ex illis contrahit rationem prædicabilis, & habet quidditativè, & formalitèr esse prædicabile; sed species subjicibilis unum est ex illis quinque: ergo. Secundum: Quod immediatè subjicitur generi, est quidditativè, & formalitèr prædicabile de multis; sed species subjicibilis immediatè, & per se subjicitur generi: ergo. Patet min. non enim generi subjicitur immediatè, & per se individuum. Tertium: Correlati-

lativa sunt sub eodem genere; sed genus est quidditativè, & formaliter sub genere prædicabilis: ergo & species subjicibilis, quæ ut talis, est illi correlativa.

162 Resp. ad primum quidem, quòd, ut præmissum est in exordio articuli, non agitur de specie subjicibili sumpta secundò intentionaliter; ut autem comparatur ad communem rationem prædicabilis, sumitur secundò intentionaliter. Secundò prob. minor subsumpta, vel claritatis gratiâ disting. Species subjicibilis est formaliter unum ex illis quinque, neg. min. est materialiter, & identice, conc. min. & hoc sensu contrahit rationem communem, & est prædicabilis. Itaque species, ut est secundum prædicabile, utrumque importat, rationem subjicibilis, & prædicabilis; sed ut dicetur art. seq. quidditativè, & formaliter rationem prædicabilis, subjicibilitatem autem concomitanter in sensu jam dicto; quare species subjicibilis est secundum prædicabile tantùm hoc sensu.

Ad secundum neg. maj. ad prob. dicitur, non esse quidem singulare, quare universalitatem, & prædicabilitatem habet, non tamen formaliter, sed concomitanter, & identicè, ex comparatione scilicèt ad alium terminum. Ad tertium disting. eodem sensu: Species ut correlativa generi est formaliter sub eodem genere relativa; at verò sub eodem genere prædicabilis est tantùm identicè, nempè hoc sensu ipsa habet rationem prædicabilis.

§. III.
Expenditur articulus in sensu causali.

163 CAjetanus cap. de specie docet, quidditativam rationem speciei consistere in subjicibilitate, & hujus esse passionem prædicabilitatem; quare species subjicibilis apud ipsum est prædicabilis eo sensu, quo homo est risibilis, nempe in sensu causali, quatenùs passio causari habet ex ipsa quidditate subjecti. Alii per oppositum docent, quidditatem speciei in prædicabilitate consistere, & hujus esse passionem subjicibilitatem; quare species subjicibilis est prædicabilis in sensu causali indirecto, quo nempè risibile est homo. Secunda sententia docet, has rationes esse omninò disparatas, & inconnexas; quare neutra est alterius passio. Hæc est communis, tenet Albert. tract. 4. prædicab. cap. 2. Masi. sect. 1. q. 4. Didac. à Jesu disp. 7. q. 2. Rub. q. 2. Complut. & alii. Tertia sententia docet, quòd si sermo sit de universalitate, seu prædicabilitate ut sic, & absolutè, subjicibilitas non est passio; si autem de prædicabilitate determinata, & propria speciei, hujus passio est subjicibilitas ad genus. Ita Joan. de S. Thom. q. 8. art. 1.

164 Dicendum: Prædicabilitas non est passio subjicibilitatis, aut ê contra, sed duæ species sunt, quæ concomitanter adunantur in specie infima. Prob. de facili ex jam dictis: Subjicibilitas speciei ad genus est sic importare determinatè, & in actu illam quidditatem, quam genus importat potestativè, & indeterminatè, quod fundat habitudinem contractivi ad ipsum genus; sed ex hoc non sequitur tanquam passio prædicari *in quid* per se, & immediatè de differentibus numero, quod est prædicabilitas speciei: ergo. Patet maj. eo enim animal v.g. cõparatur ut species subjicibilis viventi, quia vivens importat potestativè, & indeterminatè vegetativum, aut sensitivum; animal autem importat determinatè sensitivum; quare sub ipso ponitur, & fundat habitudinem contractivi. Minor item patet, primò quidem, quia aliqua est species, nempè subalterna, quæ sub genere ponitur, non tamen ita prædicatur: ergo prædicabilitas illa non sequitur tanquam passio ad subjicibilitatem. Secundò, quia prædicablilitas est comparatio ad terminum oppositum, quæ non oritur, neque de necessitate sequitur ex comparatione ad genus.

Similiter prædicabilitas speciei est importare determinatè, & in actu quidditatem individui, de quo per se prædicatur; sed hujus non est passio comparabilitas ad genus, cui subjicitur: ergo. Patet min. passio enim ad convertentiam dicitur, & sequitur de necessitate ad id, cujus est passio; jam autem patet, quòd non de necessitate sequitur ad hoc, quòd est per se prædicari de individuo, generi subjici: tùm, quia stat ita prædicari, quod non habet genus supra se, nempè generalissimum de individuo incompleto; tùm deinde, quia subjici generi ad hoc sequitur immediatè, quod est importare talem quidditatem, quæ ex genere, & differentia componitur: relinquitur ergo, quòd est conceptus veluti genericus speciei importare determinatè, & in actu totam quidditatem illius, cui comparatur, & sunt veluti species ejus ex æquo, & immediatè secutæ comparabilitas ad superius per modum subjicibilis, & ad inferius per modum prædicabilis, & ista in aliqua concurrunt ut in specie infima; in aliqua tantùm reperitur subjicibilitas, ut in subalterna; in aliqua tantùm prædicabilitas, ut quando generalissimum per modum speciei prædicatur de individuo incompleto.

165 Arguit primò in contrarium fundamento Cajet. quod tale est: Species formalitér in eo, quòd species, est correlativa generi; sed ut correlativa generi *non* est universalis, neque prædicabilis: ergo quandoquidem definitio speciei per prædicabilitatem speciem verè declarat; si non formalitér per suam quidditatem, relinquitur

quitur, quòd per aliquam proprietatem ipsius; & sic prædicabilitas est passio secuta ad subjicibilitatem. Hanc sequelam ita declarat: Cùm species sit sub genere, ita quòd suppositio ejus tota ex genere oriatur, differentiæ enim speciei constitutivæ ex genere oriuntur, & sunt veluti qualitates ejus, quare dicimus prædicari *in quale*; ex hoc necessariò sequitur, quòd species aliqua sub se respiciat, quorum suppositio non ex ipsa specie, sed aliunde oriatur, nempè ex materia, & hoc est respicere individua, tanquam quod prædicatur de illis: hæc ergo prædicabilitas tanquam passio sequitur ex subjicibilitate propria speciei.

Confirmatur autem hoc ex eo, quod Porphyrius ait, quòd nempè species infima unam habitudinem dicit, subalterna autem duas; sensus enim est, quòd habitudo generis, & speciei non ita possunt reperiri in uno, quòd una oriatur ex alia; at verò in specie infima habitudo ad inferiora oritur ex subjicibilitate ad genus, nempè ex quo sub genere sit, pullulat necessariò sub se habere individua: intendit ergo Porphyrius, istam habitudinem non esse aliam, non quia non sit diversa, sed quia non est extranea; oritur enim ex subjicibilitate, & conceptu speciei. Posset iterùm confirmari ex B. D. suprà adducto: Si enim una definitio quidditativa est, aliæ descriptivæ, patet, quòd descriptiva traditur per proprietatès: ergo id, quod una assumit, sequitur ut proprietas ad id, quod assumit altera.

166 Resp. ad argumentum quidem, quod apertè instatur sic: Animal formaliter, ut animal est, contrahitur per rationale; sed ut contrahitur per rationale, non est in equo: ergo formaliter, ut animal est, non est in equo. En in eâdem forma absurdissimam consequentiam; ratio autem est, quia major est indirecta, latiùs enim patet animal, ut animal est, quàm contrahi per rationale: sicut ergo ad hoc distinguenda est major, nempè animal, ut animal est, habet tantùm contrahi per rationale, negatur: habet contrahi per rationale, & insuper per alias differentias, conc. ita in proposito species formaliter, ut species est, habet poni sub genere, & insuper comparari ad inferiora sua; est autem universalis, & prædicabilis sub altera conceptione, & comparatione.

Deinde neg. conseq. non enim sequitur, quòd proprietatem explicet illa altera definitio, sed diversam speciei acceptionem, quæ non ex priori oritur. Itaque ad explicationem sequelæ, neque ex genere oriuntur differentiæ, neque enim major ratio est, ut contractivum speciei non ex ipsa oriatur, quàm ut contractivum generis; neque item ad hoc, quod est poni sub genere, sequitur ut pas-

sio habere sub se individua; tùm, quia patet, quòd species subalterna sub genere ponitur; nec tamen per se habet individua, quæ sub ipsa ponantur; tùm deinde, quia habere sub se individua, disparatè se habet, & tantùm concomitanter ad hoc, quod est sub genere poni.

Ad confirmationem, valdé est violenta illa interpretatio Porphyrii; tùm, quia quod sit extranea, aut intranea habitudo illa, non est ad propositum, ut sit, vel non sit diversa; intendit autem Porphyrius, quòd diversa est in subalterna, non autem in infima; tùm deinde, quia eo non est extranea in specie infima habitudo ad inferiora, quia oritur ut passio ex habitudine ad superiora, sive ex subjicibilitate; at intermedium habet etiam subjicibilitatem ad genus: ergo ex hac orietur etiam habitudo ad inferiora, & erit paritèr intranea. Sensus ergo Porphyrii est, quem suprá dedimus, quòd nempè intermedium duas habitudines habet, quia ad superiora species est, ad inferiora autem non species, sed genus; infimum autem unam tantùm habet, quia tàm ad superiora, quàm ad inferiora species est.

Ad ulteriorem confirmationem ex B. D. dicitur, quòd definitio est descriptiva, eo quòd non traditur per prædicata quidditatis; non tamen proinde sequitur, quòd tradatur per passiones, poterit enim tradi per prædicata, quæ ipsam quidem rei quidditatem sufficienter determinent, non tamen ex ipsa quidditate oriantur; si enim res duas habet acceptiones, quarum quælibet sufficienter rem determinat, ex qualibet definiri poterit, & tùnc ad hanc acceptionem altera erit descriptio: ita ergo est in proposito, ad speciè nempe, ut sic quælibet est quidditativa; ad ipsam verò, ut est secundum prædicabile, quæ traditur per subjicibilitatem, est descriptiva.

ARTICULUS III.

Per quid constituatur species in ratione secundi prædicabilis?

167 SPecies, ut præmissum est, duas habet acceptiones, seu habitudines, alteram ad superius, cui subjicibilis est, alteram ad inferius, de quo est prædicabilis: quæritur itaque: Quænam sit differentia constitutiva ejus in ratione secundi prædicabilis? Prima sententia asserit, constitui per subjicibilitatem. Ita Cajetanus in hoc cap. cujus sententiam latè propugnat Spin. dissert. 19. theor. 2. & pro ea alios citat, inter quos Joan. de S. Th. q. 8. art. 1. sed hunc quidem immeritò, nam 1. concl. illius art. ita proponit: Constitutivum intrinsecum, & essentiale speciei, ut est secundum prædicabile, est universa-

ſerſalitas talis, quæ dicit reſpectum, & prædicabilitatem ad plura ſolo numero differentia. Differt autem Spin. à ſententia Cajetani, quòd Cajetanus ponit, prædicabilitatem eſſe paſsionem ſubjicibilitatis; Spin. autem ponit, prædicabilitatem eſſe conceptum genericum, ſubjicibilitatem verò differentialem. Communis cæterorum ſententia docet, conſtitui per prædicabilitatem, cum qua

168 Dicendum: Species in ratione ſecundi prædicabilis conſtituitur per prædicabilitatem de individuis. Prob. primò: Per ſubjicibilitatem generi univocè convenit ſpecies infima cum ſubalterna; ſed ratio ſecundi prædicabilis non convenit ſubalternæ: ergo ſubjicibilitas non eſt quidditas ſecundi prædicabilis. Patet major; ſubalterna enim æquè, & eodem modo, ac infima ſub genere ponitur. Patet item min. quia ſubalternæ non convenit prædicabilitas propria ſecundi prædicabilis. Confirmatur: Quia id, ſine quo reperitur prædicabilitas propria ſecundi prædicabilis, non eſt ejus quidditas; ſed ſine ſubjicibilitate reperitur: ergo. Patet min. generaliſsimum enim prædicamenti de individuo incompleto habet prædicabilitatem ſpeciei; tale autem nulli generi ſubjicitur.

169 Dices: Subjicibilitas, ut abſtrahit ab infima, & ſubalterna, univoca eſt ad utramque ſpeciem, hæc autem non conſtituit ſecundum prædicabile; ſed ſubjicibilitas infima ſeu generi infimo non convenit ſubalternæ, & hæc conſtituit ſecundum prædicabile; & ex hoc inſtatur ratio: Per id conſtituitur ſecundum prædicabile, quod ſumptum communitèr convenit omni ſpeciei, ſumptum verò particulariter, & determinatè convenit determinatæ, & particulari ſpeciei; ſed ſubjicibilitas ſumpta communitèr omni ſpeciei convenit, ſumpta verò particularitér particulari tantùm; prædicabilitas verò de differentibus numero non poteſt ſumi communitèr, & particularitèr: ergo.

170 Sed contra, primò: Si conſtitutum non poteſt ſumi communitèr, & particularitèr, non eſt conſtitutivum ejus, quod poteſt ſumi communitèr, & particularitèr, quia conſtitutum, & conſtitutivum idem omninò ſunt; ſed ratio ſecundi prædicabilis non poteſt ſumi communitèr, & particularitèr, tantùm enim ei convenit, quòd de individuis prædicatur *in quid*: quia ergo ſpecies in ratione ſubjicibilis poteſt ſumi communitèr ad infimam, & ſubalternam, aut particularitèr pro ſola infima, erit conſtitutivum ejus ſub hac acceptione ſubjicibilitas, quæ ſic ſumitur, non autem ſub ratione, qua eſt ſecundum prædicabile.

171 Contra, ſecundò: Ratio ſecundi prædicabilis comparatur ad ſpeciem ſubalternam tanquam illi repugnans, nempè repugnat

ſpe-

speciei subalternæ accipi ut prædicabile species; sed subjici generi etiam infimo non est prædicatum sic repugnans: ergo etiam hac addita determinatione non est constitutivum secundi prædicabilis. Patet min. quia speciei subalternæ, ut talis est, repugnat esse prædicabile, & tale prædicabile, quare omninò repugnat; at verò subjici generi infimo tantùm repugnat ratione differentiæ; habet enim subjici generi, prædicari autem nullo modo habet, ut species est.

172 Resp. secundò ad eamdem rationem Spin. in solut. ad 1. quòd sicut nos ipsi dicimus, quòd prædicari de differentibus numero convenit generi, nempé de individuo incompleto, & tamen est quidditas speciei, quia intelligitur formaliter, & per se, genus autem de individuo incompleto non prædicatur formaliter ut genus, de completo autem non prædicatur per se; ita in proposito subjicibilitas convenit quidem speciei subalternæ, nihilominùs est quidditas secundi prædicabilis, quia debet intelligi de subjicibilitate generi infimo, quæ speciei subalternæ non convenit.

173 Sed contra: Quòd enim sermo in definitione debet esse formalis, & per se, nullâ indiget explicatione; quare, cùm dicitur, quòd species est, *quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, sine ullo addito*, ly *prædicatur* debet accipi formaliter, & per se; at verò subjici generi æquè simpliciter, & univocè convenit infimæ, & subalternæ, quare absolutè, & sine addito de utrâque intelligitur.

174 Prob. secundò conclusio ad hominem ex doctrina ipsius theor. 4. n. 45. De ratione relationis est denominare in ordine ad proprium terminum, & non aliter; sed constitutivum secundi prædicabilis denominat in ordine ad ea, de quibus prædicatur: ergo non est relatio subjicibilitatis ad genus, sed prædicabilitatis ad inferiora. Maj. est ipsius ibi, & ratione ejus amplius patet: Licèt enim in Patre sit Paternitas, & Spiratio, quia tamen Paternitas ad Filium tantùm refert, ad quem dicitur Pater, constitutivum Patris Paternitas est, non Spiratio: ergo pariter in proposito, licèt species duas habeat relationes subjicibilis, & prædicabilis; quia tamen prædicabilitas ad id tantùm dicitur, de quo prædicatur, in ratione prædicabilis per hanc, & non per illam constituitur.

Et confirmatur: Ad illum eumdem terminum, ad quem dicitur prædicabile, dicitur tale prædicabile; sed prædicabile dicitur ad id, de quo prædicatur: ergo tale prædicabile non constituitur relatione ad superius, de quo non prædicatur, sed relatione ad tale inferius, sive ad tale subjectum, de quo sic prædicatur. Maj. patet, tùm inductione in singulis; tùm, quia sicut

sit prædicabile ut sic dicit superioritatem, & prædicabilitatem ut sic, ita tale prædicabile dicit talem superioritatem, & prædicabilitatem; talis autem superioritas est habitudo ad tale inferius subjectum. Mitto alia, quoniam ex his potest sufficienter conclusio patere, & patebit amplius solutione argumentorum.

175 Arguit ergo primò ex eo, quod ipse proponit ut motivum dubitandi: Illa habitudo est essentialis, & quidditativa in specie, quæ prior in ipsa intelligitur; sed prior intelligitur habitudo subjicibilitatis ad genus: ergo. Prob. min. Species habet respicere genus ut quid ipsam constituens, habet autem respicere individua ut quid extra essentiam ipsius; sed prius est respicere proprium constitutivum, quàm id, quod est extra essentiam: ergo.

176 Resp. primò disting. min. Sed prior intelligitur in specie, ut est secundum prædicabile, habitudo ad genus, neg. min. imò sic de materiali, & per accidens sibi convenit habitudo ad genus: sed prior intelligitur in specie secundùm se, & ut species est, habitudo ad genus, mitto min. Itaque species secundùm se, & ut sic utramque habitudinem habet; sic autem neque de illa nunc quæritur, neque alteram priùs importat, utramque enim æquè immediatè fundat; species autem, ut est secundum prædicabile, alteram tantùm habet, nempè prædicabilitatis hujus determinatè, sive de tali subjecto: species ergo ut sic, & ut est species, constituitur per importare totam quidditatem determinatè, & in actu, & hoc neutram habitudinem dicit, sed rationem communem indifferentem ad utramque; ut est subjicibilis, alteram tantùm dicit subjicibilitatis, & ut est prædicabilis, prædicabilitatis.

177 Resp. secundò neg. min. ad prob. ejus disting. maj. Species primò intentionaliter, & ut est hæc talis quidditas, respicit genus ut suum constitutivum, mitto maj. species secundò intentionaliter, & ut est species sive subjicibilis, sive prædicabilis, neg. maj. Itaque species quælibet, puta homo, si consideretur primò intentionaliter, respicit proprium genus, puta animalitatem, ut sui constitutivum; sic autem de specie non quæritur ad præsens, imò mittitur illa maj. quia etiam hoc sensu non est de ratione speciei, quòd componatur ex genere, & differentia, ut suprà patuit; at verò si consideretur, ut fundat intentionem speciei, non respicit genus, sed ut sic, & communiter dicit tantùm importare totam quidditatem in actu, & determinatè; ut prædicabilis importat habitudinem ad id, de quo prædicatur; ut subjicibilis verò, non ipsum genus, sed habitudinem ad genus: sive ergo, ut est species, sive ut est prædicabilis, non respicit genus; ut autem est sub-

subjicibilis, respicit genus, non ut constitutivum, sed ut terminum habitudinis, qua constituitur.

178 Arguit secundò: Universale, seu prædicabile est genus commune ad quinque prædicabilia: ergo nequit species in ratione secundi prædicabilis formaliter ultimò constitui per universalitatem, aut prædicabilitatem. Patet conseq. eo enim, quòd animal est genus, nequit homo formaliter, & ultimò per animalitatem constitui, sed per aliquid illi superadditum. Nùnc ita: Sed universalitas, aut prædicabilitas non potest determinari ad constituendam speciem per aliquid extra conceptum prædicabilitatis nisi per subjicibilitatem: ergo. Prob. min. Prædicabilitas determinatur ad constituendam speciem per hoc, quòd prædicetur completè, sive de differentibus numero; sed hoc dicit formaliter subjicibilitatem: ergo. Prob. min. Per ly *completè* significatur, quòd constituatur ex genere, & differentia, per ly autem *de differentibus numero* significatur, quòd sit constituta sub infimo genere, alioqui non tantùm de differentibus numero prædicatur; sed hoc utrumque est formalissimè subjicibilitas ad genus: ergo.

Confirmatur: Id, quod determinat, & modificat rationem communem genericam in composito metaphysico, est differentia constitutiva illius; sed subjicibilitas ad genus, seu coarctatio speciei sub genere determinat universalitatem, & prædicabilitatem ad speciem: ergo. Ostenditur min. quia universalitas, seu prædicabilitas commune quid est ad illa quæ; per hoc autem fit prædicabilitas talis determinatè, & propria speciei, quòd sit prædicabilis sub genere infimo constituta, hæc enim soli convenit speciei.

179 Resp. neg. subsumpta ad prob. ejus neg. min. ad prob. ejus primò neg. min. Non enim formaliter, sed concomitanter tantùm significat ly *completè* compleni ex genere, & differentia, aut *de differentibus numero* poni sub infimo genere. Secundò, datâ min. neg. min. Subjicibilitas enim est habitudo ad superius; sic autem prædicari dicit aut talem quidditatem in se importare, aut de tali subjecto determinatè dici. Itaque prædicari complete formaliter sub terminis importat dicere determinatè totam quidditatem illius, de quo dicitur; quòd autem componatur ex genere, & differentia, aut sit sub aliquo genere de materiali est, & tantùm concomitanter poterit importare; cum enim dicitur: *Hæc substantia est ens per se*, prædicatum importat totam quidditatem subjecti, & dicitur ut species de individuo, non tamen est sub aliquo genere, aut componitur ex genere, & differentia.

Rursus: Dato, quòd sit ide-

prædi-

prædicari completè, quod componi ex genere, & differentia, hoc non est formalissimè subjicibilitas, sed ad summum subjicibilitatem concomitanter, & identicè supponit; subjicibilitas enim est habitudo inferioritatis ad superius; componi autem ex genere, & differentia nullam habitudinem importat formaliter, sed tantùm quidditatem in se, & absolutè. Similiter prædicari de differentibus numero formalitér significat habitudinem ad tale subjectum, quod supra prædicatum importat tantùm differentiam individualem; quare formaliter est importare totam quidditatem ejus, in quo tantùm de materiali, & concomitanter importatur poni sub genere: differentia ergo est extra conceptum generis, & illi superadditur metaphysicè; sed non proinde debet esse in specie subjicibilitas superaddita prædicabilitati, sed talitas, sive determinatio prædicationis superaddita ad conceptum communem prædicabilitatis ut sic.

Ad confirmationem disting. maj. Id quod determinat quidditativè, conc. maj. id quod determinat utcumque, neg. maj. Verè enim risibilitas determinat animalitatem, neque tamen est differentia hominis; sed hoc sensu neg. min. ad prob. ejus dicitur, quòd prædicabilitas ut sic est conceptus communis ad illa quinque; determinatur autem ad speciem per subjicibilitatem, per talem subjicibilitatem, nempè infimo generi, & per talem prædicabilitatem, sive de tali determinatè subjecto: subjicibilitas ergo est differentia quidditativa speciei subjicibilis ut sic, & in communi ad infimam, & subalternam; talis subjicibilitas, nempè generi infimo, est differentia quidditativa speciei infimæ; speciei verò prædicabilis, sive ut est secundum prædicabile, differentia quidditativa est talis prædicabilitas.

180 Arguit tertiò: Si aliquâ ratione subjicibilitas non est differentia determinans prædicabilitatem speciei, eo maximè, quia subjicibilitas, & prædicabilitas sunt rationes oppositæ; sed hæc ratio nulla est: ergo. Prob. min. In primis illa oppositio non est vera oppositio, sed ficta, & intentionalis. Deinde: Subjicibilitas, & prædicabilitas in specie sunt ad diversos terminos, quare cessat oppositio: ergo altera potest alteram determinare ut differentia ejus. Hanc consequentiam ostendit doctrinâ, & fundamento Joannis de S. Thom. nam si in politicis describatur Minister supremus, ita debet describi: *Qui omnibus superior est, ita ut solo Regi sit minor.* En constat tanquam genere superioritate cum cæteris Ministris communi, & tanquam differentiâ subjicibilitate ad solum Regem: ergo pariter in specie infima sic coeunt superioritas, & inferioritas, ut sit genus superio-

ritas ad inferiora sua, qua cum cæteris convenit; & sit differentia inferioritas ad infimum genus, qua à reliquis differt.

Hoc idem aliis confirmat exemplis, nam ex communi proloquio: *Infimum supremi est supremum infimi*, ubi in uno adunantur ratio supremi ad inferiora, & infimi ad superiora: similitèr avus quidditativè dicit, quòd inter ipsum, & nepôtem mediat pater, hoc est, inter avum, qui solùm est superior, & producens, & nepôtem, qui solùm est inferior, & productus, mediet pater, qui simùl est inferior, & superior, producens, & productus: mitto sexcenta alia, & ex his concludit, quòd quidditas speciei, ut est secundum prædicabile, his duobus constat, prædicabilitate tanquam genere, & subjicibilitate tanquam differentiâ, ita quòd dicat prædicabilitatem temperatam, & modificatam, seu talem, quæ sit sub infimo genere; ex quo sequitur, quòd sit de individuis, ad modum quo Minister supremus dicit superioritatem, quæ sit sub solo Rege.

181 Resp. neg. maj. neque enim subjicibilitas, & prædicabilitas oppositæ rationes sunt, non enim possent in eodem convenire: ratio ergo, quare subjicibilitas non est differentia prædicabilitatis, est, quia diversa relatio est ad alium terminum, quare ad prædicabilitatem disparatè se habet; differentia autem prædicabilitatis est talis prædicabilitas, seu determinatio ejusdem termini, quæ in communi respicit prædicabilitas ut sic. Neque exempla quid gent, tantùm enim ex eis ded tur, quòd in eodem reperiatur perioritas, & inferioritas; non tem, quòd una sit differentia a rius. Ad primum itaque: Mini supremus duo habet, & quòd subditis jus dicit, & quòd à R accipit potestatem jus dicendi, ex utroque seorsim est Minister, talis Minister, nempè supremus puta, ex habitudine ad Regem Minister, & cum cæteris conv in eo, quòd potestatem acci est autem supremus, eo quòd Rege immediatè, quare illi subest: similitèr ex eo, quòd dicit, cum cæteris convenit, verè supremus, & à cæteris diffe per hoc, quod his dicit, puta omnibus omninò præter solum gem.

Paritèr in aliis exemplis: *Infimum supremi attingit supremum infimi*, quare habet utramque habitudinem, neutra autem est differentia alterius, sed erit *infimum* per habitudinem ad supremum, tale infimum per habitudinem tale supremum; poterit autem esse infimum, quod nulli sit supremum, & ita supremum, quòd nulli sit infimum: similitèr ergo in specie concurrunt subjicibilitas & prædicabilitas secundùm habitudines ad superius, & ad inferius, ita tamen, quòd sit subjicib

lis ex habitudine ad superius, & talis subjicibilis, puta subalterna, aut infima, ex habitudine ad tale superius; sit autem prædicabilis ex habitudine ad inferius, de quo dicitur, & talitèr prædicabilis, puta, ut secundum prædicabile ex habitudine ad tale inferius, de quo tali modo dicitur; quare ut est secundum prædicabile, est differentia ejus habitudo non subjicibilitatis, sed talis prædicabilitatis. Quo patet ad aliud exemplum.

182 Argui potest quartò ex doctrina, quam habet in solut. ad 5. Licèt subjicibilitas non determinet prædicabilitatem in eo, quòd prædicabilitas est, at determinat in eo, quòd talis est, nempè coarctata, & limitata sub genere; sed prædicabilitas constituit secundum prædicabile non in eo, quòd prædicabilitas est, sed in eo, quòd coarctata est, & limitata sub genere: ergo. Patet maj. quia prædicabilitas in eo, quòd infima est, non potest esse alia nisi talis, quæ sit constituta sub infimo genere. Min. item, quia in eo, quòd prædicabilitas constituit prædicabile, talis autem prædicabilitas tale prædicabile.

183 Resp. primò neg. maj. ad rationem ejus dicitur, quòd prædicabilitas in eo, quòd talis est, nempè infima, constituitur per esse de tali, nempè infimo subjecto; esse autem sub infimo genere importat de materiali implicitè, & concomitantèr. Resp. secundò neg. min. non enim constituit secundum prædicabile, neque est talis prædicabilitas formaliter per hoc, quòd est sub infimo genere, sed per hoc, quòd de tali subjecto tali modo prædicatur, & stat talem prædicabilitatem infimam, & propriam secundi prædicabilis sine subjicibilitate reperiri, ut cùm generalissimum de individuo incompleto prædicatur; aut sine subjicibilitate generi infimo, ut cùm eodem modo prædicatur species subalterna.

ARTICULUS IV.

Utrùm species prædicabilis benè definiatur à Porhyrio?

184 SPeciem in ratione prædicabilis ita definit Porphyrius: *Quæ de pluribus numero differentibus in eo, quòd quid est, prædicatur*; quæ definitio ex dictis circa definitionem generis sufficientèr explicata manet, sed aliqua circa illam dubitantur; & primùm quæritur: An ea sit quidditativa, vel descriptiva? Communitèr tenetur, descriptivam esse, quoniam prædicabilitas putatur passio universalitatis. Sed, quidquid de hoc sit, quidditativam esse docet B. D. cit. q. 10. idque ex dictis præcedenti articulo patet: quia estò prædicabilitas sit passio universalitatis, hîc de specie, sicut de cæteris, agitur in

eo, quòd prædicabilia sunt; constat autem, quòd, licet risibilitas sit passio rationalitatis, de hoc, & illo risibili reduplicativè in eo, quòd risibile est, quidditative dicitur: licèt ergo detur, quòd prædicabilitas sit passio speciei, ut est universalis, est tamen quidditas ejus, ut est prædicabilis; & quia hìc definitur sub hac acceptione, definitio per prædicabilitatem quidditativa est.

185 Dubitatur secundò: An ea soli speciei conveniat? Et facit rationem dubitandi, quòd multa sunt, quibus illa definitio convenit, quæ tamen non sunt species: nam primò *Deus* de tribus Divinis Personis dicitur, quæ solo numero differunt, & tamen non est species prædicabilis. Secundò: Persona de Patre, & Filio dicitur, neque item est species prædicabilis. Tertiò: Genus de individuis prædicatur *in quid*. Quartò: Multa incompleta de differentibus numero prædicantur, ut materia de hac, & illa materia, motus de hoc, & illo motu, & multa similia; at ista non sunt species prædicabilis, tùm, quia sub nullo genere continentur; tùm, quia in prædicamento non ponuntur: ergo.

186 Hæc omnia parvi ponderis sunt. Ad primum dicitur, quòd Natura Divina significata per terminum *Deus* non multiplicatur in Personis, quare propriè non prædicatur de multis: sicut ergo latè tantùm, & ex quadam similitudine illi convenit definitio, ita latè habet rationem speciei; prædicatur nempè quodammodò sicut species. Adde, quòd Deus non ponitur in prædicamento; hìc autem *prædicari* accipitur pro prædicatione, quæ ad prædicamenta pertinet; ad horum enim notitiam ordinavit hunc tractatum Porphyrius ipse.

187 Ad secundum, non nihil controversiæ est inter DD. Arriag. respondet, quòd Persona in Divinis prædicatur de Patre, & Filio per modum generis, quia Paternitas, & Filiatio specie differunt. Sed contra: Etsi enim Paternitas, & Filiatio secundùm se, & ut sunt relationes de prædicamento, specie differant, quia unaquæque propriam quidditatem habet, quæ à multis individuis contrahitur; at verò in Divinis Paternitas, & Filiatio dicunt subsistentias Personales ejusdem Naturæ Divinæ, quare differunt tanquam duplex individuatio.

Hurtad. respondet, differre quidem plusquàm numero Patrem, & Filium, non tamen specie; quia quæ specie differunt, inæqualia sunt in perfectione, eo quòd species sunt sicut numeri; at Pater, & Filius sunt omninò in perfectione æquales: ait ergo, Personam de Patre, & Filio esse prædicabilem, istum ex genere, & specie, quod Porphyrius omninò nescivit. Sed contra, primò, hoc relinquit difficultatem intactam; si enim

enim illi convenit definitio speciei, jam convenit aliis à definito. Secundò: Eo dato, quod assumit, non mixtum ex utroque, sed magis neutrum erit, neque enim ad species comparatur, quare non erit genus; neque ad individua, quare non erit species; & primum patet, quia ponit, quòd Pater, & Filius non differunt specie; secundum autem, quia ponit, quòd differunt plusquàm numero. Insuper, prædicabile istud inutile est omninò ad notitiam prædicamentorum; quare, etsi aliquod tale nosset Porphyrius, omisisset, sicut omisit æquivocum, & analogum. Præterea: Pater, & Filius solâ differunt subsistentiâ Personali, quæ tantùm individualitèr.

Pasqualig. apud Mastr. hìc respondet, conceptum Personę non prædicari neque ut genus, neque ut speciem; quia conceptus generis, & speciei finitus est; quidquid autem in Deo est, infinitum est. Sed relinquitur difficultas: si enim species debet esse quid finitum, id debet explicare definitio, quia, ut jacet, etiam infinito convenit: est ergo insufficiens. Mastrius respondet, habere quandam similitudinem cum specie, quatenùs de pluribus differentibus numero per multiplicationem in illis dicitur; non verò esse propriè speciem, quia conceptus speciei dicit realitatem quidditatis de se potentialis ad individuationem; hoc autem Persona in Divinis non dicit. Sed paritèr difficultatem non evacuat: si enim illa potentialitas est de conceptu speciei, definitio, quæ illam non explicat, est insufficiens.

188 Dicendum ergo, quòd ista prædicatio: *Pater est Persona*, nullius est prædicabilis, neque illi convenit definitio data de specie. Ratio utriusque est: Quia, ut in præcedentibus diximus, prædicatio, ex qua sumitur prædicabile, est formalis, in qua nempé saltim præcisione ex parte objecti prædicatum differt à subjecto, quare prædicationes identicæ, ut in quæ definitio dicitur de definito, ad nullum spectant prædicabile; & hinc est, quòd in definitione prædicabilis, cùm dicitur: *Quod prædicatur*, debet accipi formalitèr, sive prædicatione formali; jam autem patet, quòd, cùm dicitur: *Pater est Persona*, prædicatio est identica, sicut cùm dicitur: *Hic homo est Petrus*, quia Paternitas ita est Personalitas, quòd non potest ex parte objecti præscindi conceptus communis Personæ, sed tantùm formalitèr, & ex parte actûs; quare illud prædicatum non importat quidditatem, sed tantùm conceptum explicitum.

Hinc est, quòd si ex parte objecti præscindatur conceptus Personæ ab hac, & illa, erit propriè species prædicabilis, & importabit quidditatem Personalitatis ut sic determinabilem per talem, vel talem Personalitatem; quare Persona

sona de individuo prædicatur ut species, quia ex parte objecti aliud importat; nam individuum significat singulare ens, vel singularem substantiam; Persona autem singularem substantiam rationalem: sicut ergo addit substantia rationalis ad substantiam, ita Persona ad individuum; non tamen ita, si dicatur Persona de hoc individuo homine, sic enim tantùm differt quantum ad explicitum, & sic comparatur in Divinis Persona ad Patrem, & Filium.

189 Ad tertium, jam patuit suprà, quòd genus de individuo completo non prædicatur formaliter, & per se, quare illi non convenit definitio; de individuo autem incompleto prædicatur quidem per se, & formaliter, quare illi convenit definitio; at respecta illius non genus, sed species est, importat enim totam quidditatem determinatè, & in actu, nam hoc animal nullam aliam quidditatem importat nisi animalitatem. Ad quartum, item dictum est, quòd incompleta reductivè, & ratione ipsius completi ad prædicamentum pertinent, quare sic etiam ad prædicabilia: conceptus ergo materiæ ad hanc, & illam materiam comparatur ut species incompleta, sicut substantia ad hanc substantiam, & animal ad hoc animal, & idem de reliquis incompletis; quare his, quia species sunt, definitio speciei convenit.

190 Dubitatur tertiò: An definitio conveniat omni speciei? Ratio dubitandi est, quia rationale, & irrationale ex æquo sunt species dividentes animal, quare ex æquo habent rationem speciei prædicabilis; at illa definitio, licet conveniat rationali, quippè de differentibus numero prædicatur, non convenit irrationali, quippè de diff. rentibus specie, ut de equo, & leone, prædicatur: ergo. Addunt nonnulli, quòd ipsum etiam rationale de differentibus specie prædicatur, ut de mare, & fœmina, quæ ulteriùs de multis individuis dicuntur.

191 Ad hoc dicitur de facili, quòd rationale, & irrationale ex æquo dividunt animal, quare ex æquo habent rationem speciei subjicibilis, quæ sumitur ex comparatione ad genus, non autem speciei prædicabilis, quæ sumitur ex comparatione ad individua: quia ergo irrationale non significat quidditatem, quæ sit species prædicabilis, illi non convenit definitio. Hinc collige consequenter ad dicta præcedenti articulo, *quòd* species prædicabilis non constituitur per subjicibilitatem ad infimum genus; quod enim immediatè contra rationale ponitur sub animali, est proculdubio sub infimo genere, sicut ipsum rationale; & tamen non descendit immediatè ad individua. Ad alterum, quod additur, diversitas sexûs non est quidditativa; quare non facit distinctionem specificam inter marem,

rem, & fœminam, sed accidentalem tantùm, & penes dispositionem corporalem.

192 Dubitatur quartò: An illa definitio cóveniat speciei subalternæ? Non est dubium de ea comparativè ad individua incompleta; de his enim, ut jam patuit, ut infima species prædicatur, nempè infra quam tantùm est differentia individualis: quæritur ergo de specie subalterna ut tali. N. Manso q. 4. n. 6. respondet affirmativè, aitque esse communem, & duplici ratione probat: altera, quia species subalterna ut talis de individuis completis, saltim mediatè, prædicatur: prædicatur ergo de differentibus numero *in quid*: altera ejus ratio est, quia ad differentias specificas duobus modis comparatur species subalterna, nempè ut genus, & ut species; si comparatur ut genus, tùnc differentia specifica se habet de formali; si autem comparatur ut species, tùnc diversitas specifica inferiorum se habet de materiali; quare formaliter dicitur de differentibus numero.

193 Sed sanè mirum est, quòd illa potuerint ejus ingenium movere: & in primis quod ait communem esse illam sententiam, nullum certè pro ea licuit videre præter solum Manso: deinde ea expressè est contra textum Porphyrii, qui hìc omninò prætermitti non debet, cùm sit lib. auth. quem omnes exponendum suscipiunt, Porphyrius itaque post datam definitionem speciei prædicabilis, immediatè subjungit: *Sed hæc definitio specialissimę fuerit, ejusque, quæ solùm est species, non autem genus; at alię etiam non specialissimarum.* En priores definitiones, nempè speciei subjicibilis, utrique conveniunt, nempé specialissimæ, & subalternæ; hæc autem soli specialissimæ, non autem subalternæ. Præterea: Si subalterna ex habitudine ad inferiora species est, & illi convenit definitio, tùnc eodem modo, ac infima, eamdem habitudinem dicit ad superiora, & ad inferiora, nempè secundùm utramque erit species; sed hoc negat Porphyrius in textu: ergo.

194 Ad primam ergo ejus rationem dicitur, quód eâdem probat. quòd genus ut genus erit species prædicabilis; patet enim, & id habet Porphyrius in textu hujus capit. quòd genus ut genus prædicatur mediatè de individuo, nempè quia animal ut genus dicitur de homine, & homo de Petro; oportet, ait Porphyrius, eodem modo animal de Petro dici. Rursus: Licèt species subalterna de individuo completo prædicetur *in quid*, non tamen ut totum actuale, sive ut dicens totam quidditatem ejus determinatè, & in actu, sed tantùm potestativè, & indeterminatè; sed quod prædicatur ut species, dicit totam quidditatem determinatè, & in actu, quod verò dicit totum potestativè,

vé, non ut species, sed ut genus prædicatur: ergo species subalterna ad ea, de quibus prædicatur, non species, sed genus est. Directè ergo neg. conseq. quia definitio ei tantùm convenit, quod per se,& formalitèr prædicatur de differentibus numero.

195 Ad secundam rationem, omninò voluntaria est, & sine ullo fundamento diversitas illa; quomodocumque enim intellectus comparet subalternum ad inferiora sua, nunquam accipiet importare totam quidditatem inferioris determinatè, & in actu, sed tantùm potestativè, quia semper inferius addit differentiam constitutivam quidditatis: semper ergo, & unum inferius ab altero differt quidditativè, & specificè, & ipsum subalternum comparatur ut genus. Relinquitur itaque, quòd species subalterna tantùm habet rationem speciei subjicibilis, & illi non convenit definitio speciei prædicabilis; quod quia sufficienter ex dictis constat, superfluum est amplius probare.

ARTICULUS V.

An species conservetur in unico individuo, aut genus in unica specie?

§. I.

Quibusdam præmissis, probatur nostra sententia.

196 HÆC difficultas potissimè de genere controvertitur; videmus enim, quòd natura Solis in unico conservatur individuo, quare de natura specifica nullus dubitat; hic autem & de utroque quæritur, quia tota difficultas ad id devolvitur, quod contendunt Thomistæ, aliter philosophandum de genere, ac de specie, eo quòd species differentiam essentialem addit generi, individuum autem speciei addit differentiam materialem, & extra quidditatem. Notandum itaque, quòd non est difficultas: An natura, cui pluralitas *inferiorum* repugnat, sit genus, aut species? De hoc enim seq. art. sed an sicut natura Solis, licèt unum habeat individuum, est vera species prædicabilis de pluribus, ita natura generis, cui unica subesset species, esset verum genus?

197 Notandum deinde, quòd sive genus, sive species poterit sumi, aut pro ipsa natura, cui competit fundare intentionem, ut est

ñata fundare illam; aut pro concreto, sive naturâ ut habente, & fundante intentionem: priori modo est quidditas absoluta, puta animal, aut homo, & tantùm relativa secundùm dici, hoc est, habens talem modum in quidditate sua, quòd petat, aut possit ab intellectu accipi relativè: posteriori modo est relativa secundùm esse, sive importat veram relationem, non quidem realem, sed rationis, ipsa nempè intentio est relatio rationis.

198 Tandem notandum, quòd relativum eo modo, quo relativum est, coexigit terminum, nempè relatio à termino specificatur, & eo ait Philosophus, quòd *relativa mutuò se ponunt, & interimunt*, seu ut communiter dicitur, *sunt simùl naturâ, & cognitione.* Itaque relativum secundùm esse exigit terminum verè, & secundùm esse; quare pater, existente filio, pater est, & paternitatem habet in actu; eo verò non existente, non est pater nisi tantùm secundùm dici, quatenùs potest ab intellectu accipi in ordine ad filium, quem habuit: hinc, si relatio est secundùm rationem, terminum exigit non in re, sed in ratione ipsa, sive intellectu referente: hinc item, si relatio est tantùm secundùm dici, non exigit terminum, sed tantùm, quòd possit ab intellectu accipi; quia talis relatio ipsa est quidditas absoluta, quæ talem habet modum, quo potest ab intellectu relativè accipi.

199 Prima sententia docet, speciem in unico individuo habere veram rationem speciei, genus autem in unica specie non habere veram rationem generis. Ita communiter Thomistæ apud Complutenses hîc q. 2. & hanc dicunt communem sententiam absolutè. Secunda sententia docet, æquè genus in unica specie, ac speciem in unico individuo habere rationem generis, & speciei. Ita Scotus q. 18. sup. univ. quem sequuntur Scotistæ; hanc tenet B. D. q. 9. sup. univ. quem NN. sequuntur. Tertia sententia docet, neque genus in unica specie, neque speciem salvari in unico individuo. Ita Oña q. 2. art. 2. concl. 3.

200 Dicendum: Æquè genus in unica specie habet rationem generis, ac species in unico individuo habet rationem speciei. Probat. primò: Æquè genus, ac species dependet à termino, ad quem dicitur; sed species ita dependet, quòd in unico individuo habet rationem speciei: ergo & genus in unica specie. Hæc ratio ad hominem procedit contra Thomistas, qui minorem admittunt, negant autem consequentiam. Directè ostenditur maj. quia univocè conveniunt in ratione prædicabilis: ergo eodem modo utriusque ratio relativa est, & à termino dependens. Secundò: Ideo ratio speciei salvatur in unico individuo, quia

relativa est tantùm secundùm dici, aut per rationem, quare sufficit, quòd pluralitas inferiorum non repugnet ab intellectu accipi; sed paritèr genus est relativum metaphysicè quidem secundùm dici, logicè autem secundùm rationem: ergo. Min. principalis ex hoc ipso probatur contra Oña, qui solus illam negat, quia nempe ad relationem constitutivam speciei sufficit, quòd non repugnet ab intellectu accipi terminus; quare nullâ existente rosa, conceptus ejus est species prædicabilis.

201 Prob. secundò: Quidditas generis, & speciei consistit in prædicabilitate uniuscujusque propria; sed ad prædicabilitatem de materiali se habet multiplicitas inferiorum: ergo. Major probata est art. 3. Min. ostenditur: Prædicabilitas propria generis est, quòd sit natum prædicari *in quid* indeterminatè, sive ut totum potestativum; prædicabilitas verò speciei est, quòd prædicetur *in quid* determinatè, sive ut totum in actu; sed ad hoc de materiali se habet æquè in utroque multiplicitas inferiorum: ergo. Patet major; per hoc enim, quòd prædicatur de differentibus specie, hoc significatur, quód id, de quo dicitur, addit differentiam quidditativam, quam potestativè continet genus; prædicari verò de differentibus numero, quòd id, de quo dicitur, addit tantùm differentiam individualem, quare hoc dicit totam quidditatem actu, illud verò potestativè. Patet item minor, quia æquè de uno, & de multis prædicatur dicens id, quod in sua quidditate importat.

202 Dices: Ex hac ratione sequitur, quòd natura, cui plura repugnant individua, erit species prædicabilis; sed hoc negamus sequenti art. ergo ratio non tenet. Prob. sequela maj. Si enim de materiali est pluralitas inferiorum, & solùm est de formali, in quo consistit quidditas, prædicari tali modo, nempè *in quid* ut totum actuale, idem erit, quòd non existant & quòd non possint concipi ibi plura; patet enim, quòd de uno, repugnantibus cæteris, poterit prædicari *in quid* ut totum actuale: ergo erit formaliter, & propriè species prædicabilis.

203 Resp. neg. maj. ad prob. ejus neg. suppositum, quód illa natura habeat formaliter, & propriè prædicari; tantùm enim prædicabitur identicè, & secúndùm diversum explicitum. Itaque natura specifica, cui plura repugnant individua, est quidditativè imprascindibiliter individua, seu nequit ex parte objecti ab individuatione præscindi, & idem dicendum de generica; si enim præscindi posset, posset concipi secundùm se sine unitate individuali, & consequentèr sine repugnantia ad multiplicitatem; repugnantia enim ad multiplicitatem indivisibilitas est, & unitas: si ergo in proprio con-

cepru

ceptu repugnantiam involvit multiplicitatis, in se impræscindibiliter individuationem importat; quare de individuo tantùm identicè, & secundùm explicitum prædicatur, & sic non est species prædicabilis.

Aliud itaque est loqui de specie, sive genere, ut est quid universale, & ut est quid prædicabile, licèt in utroque idem respectus, qui est universalitas, sit prædicabilitas; universalitas est formaliter ad multa, quare ut universale formaliter exigit multa, sive non repugnare, sive intellectu concipi, nempè universalitas metaphysica, quia est relativa secundùm dici, requirit non repugnare; logica verò, quia est relativa per rationem, requirit multa concipi; at verò prædicabilitas est ad subjectum, de quo tali modo dicitur, quare requirit per se, & formaliter præcisionem ex parte objecti ad prædicationem formalem; multiplicitatem verò tantùm identicè, & de materiali ad rationem prædicabilis.

Quo patet ad instantiam, quam habet hìc Mastrius, licèt nostram tenet sententiam; ait enim, quòd casu, quo genus unam tantùm haberet speciem, idem de specie ad unicum individuum, non prædicaretur incompletè, & ut genus: quia tùnc reciprocaretur cum illa specie, quare non esset indeterminatum, v. g. si nulla esset species animalis nisi solus homo, tantum diceret homo, ac animal, quare ly *animal* non esset indeterminatum; at prædicatio incompleta semper est indeterminata: ergo tùnc non esset genus prædicabile.

Ad hoc, inquam, ex dictis jam patet; animal enim, etsi esset determinatum ad hominem, sicut non natura Solis determinata est ad hunc, metaphysicè tamen, & præcisione ex parte objecti homo adderet supra animal rationalitatem, sicut hic Sol addit individuationem supra conceptum naturæ; quia ergo homo importat differentiam quidditativam superadditam animali, ly *animal*, quantumcumque determinatum, non dicit in actu totam quidditatem hominis, sed potestativè tantùm; quare neg. min. quòd prædicatio generis sit essentialiter indeterminata. Alia possent addi, sed ex his sufficientèr patet conclusio, & amplius patebit solutione argumentorum.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

204 ARguitur primo ex auctoritate Philosophi 4. Topic. cap. 3. ubi sic ait: *Quoniam autem omnis generis plures species, inspiciendum, si non contingit alteram speciem, esse dicti generis; nam, si non est, manifestum, quoniam non erit genus omninò, quod dictum est.* Item 3. Meta-

phy-

taph. cap. 3. sub med. ita habet: *Necesse etenim est, uniuscujusque generis differentias & esse, & unamquamque unam esse: impossibile verò est, aut species generis de propriis differentiis prædicari, aut genus esse absque suis speciebus.* En apertissimè primo loco, si altera species non est, genus non est; secundo autem, impossibile est genus esse absque suis speciebus: ergo in unica specie non habet rationem generis.

205 Resp. ad primum quidem Rub. ait sensum Philosophi esse, quòd alterâ deficiente specie secundùm acceptionem intellectûs, genus non erit in eâdem intellectûs acceptione; hoc autem non tollit, quin, unicâ tantùm existente specie, possit intellectus accipere alias non repugnare, quo quidditas generis metaphysicè, & secundùm se erit propriè genus; quare inde tantùm sequitur, quòd conceptâ unâ tantùm specie, non erit genus logicé, & secundùm universalitatem rationis. Resp. secundò idem, quod, quia in hoc rerum ordine genus non unam tantùm speciem habet, casu quo unam tantùm haberet, non foret genus secundùm totam perfectionem, quæ sibi competit ex ordine universi, cum quo stat, quòd haberet metaphysicam rationem generis.

His nihilominùs tertiam addimus, quæ, attentâ textûs literâ, magis videtur genuina: itaque ibi assignat Philosophus loca topica; quare agit de genere, ut est medium arguendi, nempè quòd à genere ad species non valet cõsequentia, eo quòd multæ sunt species, benè autem à specie ad genus, ut si homo est, continuò animal erit, non autem à contrario: hoc itaq; sensu subjungit in præsenti textu, quòd inspiciendum est, an altera tantùm sit species, túnc enim genus non erit, nempè quantum ad propositum; benè enim valet tùnc consequentia à genere ad speciem, quod ad propositum nihil refert.

Ad secundum, in illo textu intendit Philosophus, quòd ens, & unum non sunt genus; ad quod probandum assumit verba adducta, quòd nempè unaquæque differentia una est; genus autem non prædicatur de differentiis: ergo unum non est genus, quare subjungit: *Quare, si unum, vel ens genus est, nulla differentia nec unum, nec ens erit*, quia rationalitas non est animal: non ergo intendit, quòd est de ratione generis habere plures species, aut differentias, sed tantùm, quòd est de ratione ejus habere differentiam sibi superadditam, de qua non prædicetur, & cum qua componat speciem, quod quia non habet ens, & unum, non est genus, nempe nihil additur enti, aut uni, quod sit differentia, sive in quo non includantur.

206 Arguitur secundò ratione communi, & quæ est veluti radicale

dicale fundamentum aliarum, & sumitur ex differentia inter genus, & speciem comparativè ad inferiora sua: Genus siquidem ad species descendit per differentiam essentialem, quæ subinde est verè perfectiva illius; species verò ad individua descendit per differentiam materialem, & quæ potiùs imperfectionem, quàm perfectionem causat, quia perfectionem essentialem non addit, sed tantùm multiplicat, & dividit: ergo genus non habet totam perfectionem suam in una specie, siquidem sibi deficit perfectio, quam addunt aliæ differentiæ; species verò plenam perfectionem suam habet in unico individuo, siquidem aliæ differentiæ individuales perfectionem non addunt.

207 Hoc argumentum probat, quòd natura, quæ unum habet individuum, ut natura Solis, perfectiùs habet rationem speciei prædicabilis, quàm quæ habet plura; siquidem differentia individualis imperficit, quare, quæ plures habet, magis imperficitur: similiter perfectiùs habet rationem generis, quod plures habet species, quàm quod duas tantùm, quia differentia quidditativa perficit; at patet, quòd æquè, & sine ulla diversitate habet rationem prædicabilis tàm species, quàm genus, sive plura, sive pauciora inferiora habeant: ergo.

Æquivocat itaque argumentum in acceptione generis, & speciei; addit enim, aut non addit perfectionem differentia primò intentionaliter, & ut est quidditas, non autem secundò intentionaliter, & ut est genus, aut species; at in proposito secundò intentionaliter sumuntur, ut habent, vel fundant intentiones generis, & speciei: non ergo est ad propositum illa diversitas. Ad formam itaque neg. conseq. non enim perficitur, aut imperficitur genus in ratione prædicabilis per hoc, quòd plures, aut pauciores species habeat; utroque enim modo prædicatur *in quid* incompleté, sive ut totum potestativum.

208 Arguitur tertiò: Integra perfectio potentiæ sumitur ex actu adæquato sibi correspondente; sed natura generica, ut nùnc de illa loquimur, est potentia metaphysica respiciens ut actum adæquatum omnes differentias, per quas ad species contrahitur: ergo non habet perfectionem, quam postulat ut genus metaphysicum, nisi actuetur per omnes differentias, & constituat omnes species. Maj. cum conseq. patet, & min. nemo negat, estque satis de se manifesta; tùm, quia quælibet differentia inferior est, & inconvertibilis cum genere, subindeque illi inadæquata; tùm deinde, quia hoc ipso, quòd hæc differentia faciat, unam speciem quidditativè differre ab alia, potentialitas generis est radix hujus diversitatis: ergo exigit differentias oppositas, & sic non potest ab

una

una adæquari. Ita arguunt Complutenses.

209 Sed argumentum per rationes minoris instatur: Neque enim species adæquatur per unum individuum, siquidem unum non convertitur cum specie: ergo actus adæquatus, ad quem est potentia ipsa species, erit multiplex individuum: similitèr individua differunt per differentias individuales, sicut species per differentias specificas. Neque refert, quòd differentia individualis non sit quidditativa: æquè enim genus in ratione generis respicit ut specificativum id, ad quod genus dicitur, & species in ratione speciei; quare actus essentialis, à quo specificatur species in ratione talis, est multiplicitas individuorum, sicut generis multiplicitas specierum.

210 Directe missa maj. quæ nobis falsa est; non enim potentia specificatur quidditativé, & metaphysicè per actum, ut dicemus in lib. de Anim. ubi de hoc ex instituto quæritur; hoc ad præsens misso, dicitur ad min. quòd eodem vitio laborat, ac præcedens: genus itaque primò intentionalitèr, & ut est quidditas, est potentia metaphysica contrahibilis per differentias specificas, & eodem modo species est contrahibilis per differentias individuales; secundò intentionalitér, & ut fundat intentionem prædicabilis, respicit ut terminum id, de quo prædicatur *in quid* incompletè ut totum potestativum; & quia æquè prædicatur hoc modo de una, & de multis speciebus, actus ejus adæquatus, ut est genus, non est multiplicitas specierum, sed tantùm subjectum, de quo sic habet prædicari. Rursus: Per hoc, quòd intellectus accipiat alias species non repugnare, poterit habere actum adæquatum in ratione generis, sicut species habet in ratione speciei per hoc, quòd plura individua concipiuntur non repugnare.

211 Arguitur quartò: Natura generica ad differentias suas se habet, sicut materia corruptibilium ad suas formas, natura verò specifica, sicut materia incorruptibilium; sed licèt materia incorruptibilium totam perfectionem suam habeat in uno tantùm individuo, non tamen materia corruptibilium: ergo licèt species possit habere totam perfectionem suam in unico individuo, non tamen genus in unica specie. Maj. eo ostendunt, quia materia corruptibilium sub una forma habet appetitum ad alias, quod signum est, *sub ista* non habere totam perfectionem suam; è contra verò materia incorruptibilium sub forma, quam habet, non habet appetitum ad alias, quod signum est, sub una habere plenam perfectionem suam.

212 Hoc argumentum in primis supponit, quod probatum erat; deinde falsum assumit; & tertiò malè probat id, quod assumit: primò itaque genus ut genus, sive

in

eo, quòd est tale prædicabile, tantùm exigit sic prædicari, nempè ut totum potentiativum; sed pariter species ut species exigit sic prædicari, ut totum actuale: quantum ad hoc ergo eodem modo se habet genus, ac species, & si species habet plenè, & perfectè rationem prædicabilis per hoc, quòd, uno tantùm individuo existente, intellectus accipiat plura non repugnare, idem dici debet de genere. Deinde materia corruptibilium, & incorruptibilium eadem est, ut suo loco probabitur. Tandem, quòd una appetat, alia non appetat, non arguit, illam, quæ appetit, non habere plenam perfectionem suam, habet enim integram quidditatem materiæ; sed tantùm arguit habere dispositiones, quibus transmutationi subjicitur, ex quo nihil ad propositum. Patet ergo ad formam.

213 Arguitur quintò à posteriori: Nullum datur genus in natura, quod non habeat multas species; at multæ species dantur, quæ unicum habent individuum: ergo id signum est, quòd genus in unica specie non conservatur, benè autem species in unico individuo. Consequentia ostenditur, quia alioqui aut superflueret multiplicitas specierum, aut defectuosa esset natura in specie, quæ unicum habet individuum. Confirmatur primò, quia per se solùm intendit natura conservationem speciei, individuum autem solùm per accidens, & ratione speciei; sed hoc eo est, quia species perfectionem essentialem habet, non autem individuum: ergo salvatur perfectio speciei sine multis individuis, non autem generis. Secundò: Natura non intendit genus, sed speciem, non enim animal, sed hominem intendit; sed hoc non alio, nisi quia genus dicit quidditatem incompletam, species verò completam: ergo species sine multis individuis habet perfectionem suam, non verò genus sine speciebus.

214 Resp. ad argumentum neg. conseq. & rationem ejus: quia enim species quidditate, & essentiâ differunt, eæ conducunt ad decorem universi, & ideo non superfluit earum multiplicitas; individua autem non per se intenduntur, aut multa ejusdem speciei ad decorem universi conferunt, quippè non differunt quidditate, & essentiâ; quare tantùm multa ponuntur propter conservationem speciei, & ideo in incorruptibilibus, quia in uno individuo sufficienter conservatur species, unum sufficit, neque deficit natura in eo, quòd multa non ponit.

Ad primam confirmationem neg. conseq. imò eâ sequitur, quòd aliqua deficiente specie, non haberetur perfectè conceptus generis, nempè deficeret sibi perfectio illius speciei; quis autem dicat, quòd, rigente bruma, corruptis pullicibus, & muscis, animal non est perfectè genus? Itaque differentia

rentia specifica essentialem perfectionem importat; sed in primis non generi secundò intentionaliter, & ut est genus, sed primò intentionaliter, & ut cum ea constituit speciem: deinde non multas differentias simul habet, sed unam tantùm; quare non majorem perfectionem arguit una, quàm multiplex. Quo patet ad secundam confirmationem; est quidem genus quidditas incompleta, & totum potestativum, sed unâ tantùm differentiâ completur, quare peridem sibi est physicè, & in re unam habere, ac multas; quare neg. conseq. & de facto post mundi finem una tantùm relinquetur animalis species, nempè homo, quæ eandem perfectionem quidditativam ex eodem genere, & differentiâ habebit, ac nunc.

215 Tandem arguit Joannes de S. Thoma: Genus dividitur per differentias oppositas; sed si unum oppositorum est in natura, etiam est reliquum: ergo genus exigit in natura esse plures species. Majorem sic ostendit: Quia genus contrahitur per differentias formales, quæ proinde sunt incompatibiles in eodem; at hoc est oppositio, incompatibilitas in eodem: ergo. Minorem, præterquamquòd est commune proloquium, ex Philosopho 2. de Cœlo sic ratione ostendit: *Contrariorum idem est subjectum*; quare oportet, quòd susceptivum unius contrarii habeat potentiam ad alterum: ergo id debet esse possibile, quia ad impossibile nulla est potentia.

216 Hoc argumentum multipliciter deficit: primò, per rationem majoris species exigit plura individua, quia multiplex individualitas in eodem est incompatibilis; sed hoc est oppositio, incompatibilitas in eodem: ergo sunt oppositæ; sed si est unum oppositorum in natura, est etiam reliquum: ergo. Secundò, tantùm sequitur, quòd genus casu, quo unam haberet speciem, non esset divisibile, aut indifferens; sicut item species in unico individuo re est species, quin sit divisibilis aut indifferens, ita genus vere esset genus. Tertiò, sequitur, quòd genus duas tantùm potest habere species, quia oppositio, maximè contraria, de qua procedit probatio, est inter duo extrema. Quartò, minor argumenti est de lata oppositione, qualem tantùm habent differentiæ ejusdem generis, probatio autem de strictè contrariis. Quintò, casu quo unam tantùm haberet speciem, nulli esset opposita, quare non infert, alteram exigere genus. Sextò, argumentum intendit, multas species debere esse in natura, de hoc enim est controversia; probatio autem solùm deducit, alteram esse possibilem. Septimò, nec hoc deducit, quia potentiam non connecti cum possibilitate termini, probabimus in Physica. Patet itaq; ad formam.

ARTI-

ARTICULUS VI.

An natura, cui plura repugnant individua, sit species prædicabilis?

§. I.

Relatis sententiis, probatur prima Conclusio.

217 INstituitur difficultas de natura Angelica, supposita ejus immultiplicabilitate numerica; sed primò, quia natura Angelica in nostra serie non ponitur in prædicamento, quare ad præsentem tractatum non pertinet; & rursus, quia suppositum de ejus immultiplicabilitate nobis non probatur; in communi, & sub hypothesi dubium instituimus de natura qualibet, quæ concipiatur numericè immultiplicabilis, quamvis gratiâ exempli assumatur natura Angelica. Notandum autem, quòd in nostris principiis hypothesis est impossibilis; oportet enim de natura nos loqui possibili in prædicamento, tantùm enim de his præsentem tractatum instituit Porphyrius; at nobis in prædicamento tantùm ponuntur corporalia, quibus numericè multiplicari non repugnat: quæ ergo numericè immultiplicabilis concipiatur, hoc ipso prædicabilis non est, prout nùnc de prædicabilibus loquimur; nihilominùs communem controversiam sub hypothesi expendemus.

218 Prima sententia docet, talem naturam inadæquatè conceptam ex modo cognoscendi intellectûs nostri esse speciem prædicabilem, cui proinde conveniat definitio Porphyrii. Ita Cajetanus in hoc cap. quem sequuntur communiter moderni Thomistæ, à S. Thom. Ler. Parr. Colleg. Complut. Froyl. & alii. Secunda sententia negat, talem naturam esse speciem prædicabilem. Hæc est cæterorum extra Scholam D. Thomæ, & ex Thomistis eam tenent non pauci, nec ignobiles Thomistæ, Aguir. Lin. Moned. Espin. Bonav. Sern. Oña, Bajon. Prad. Curiel, & alii apud istos; quare non benè quidam asserit, non esse censendum D. Thomæ discipulum, qui primum non tenet.

219 Duplex est difficultas; altera: An possit talis natura sic inadæquatè concipi, nempe metaphysicè, & præcisione ex parte objecti; si enim tantùm ex parte actûs præscindit, tantùm identicè, & penes conceptum explicitum prædicatur, sicut definitio de definito; & hujusmodi prædicationes nullius sunt prædicabilis. Altera difficultas est, dato, quòd sic inadæquate concipiatur, an sit universalis, & prædicabilis per modum speciei; de utroque enim quæritur: duplici ergo conclusione difficultatem explicabimus.

220 Dicendum itaque primò:

mò : Talis natura nequit inadæquatè concipi metaphysicè, hoc est, nequit ex parte objecti præscindi á singularitate. Hæc de facili probatur: Nequit enim concipi metaphysicè, & ex parte objecti sine eo, quòd est de ejus conceptu quidditativo; sed de conceptu quidditativo naturæ, cui plura repugnant individua, est singularitas: ergo. Maj. patet ex terminis, præcisio enim ab eo, quòd est de quidditate rei conceptæ, tantùm est formalis, & ex parte actûs, sive quantum ad conceptum explicitum. Prob. min. De conceptu quidditativo talis naturæ est repugnantia multiplicitatis numericæ; sed hæc repugnantia ipsa est singularitas: ergo. Patet hæc min. quia est indivisibilitas, seu immultiplicabilitas, in qua conceptus unitatis consistit. Patet item maj. illi enim naturæ repugnat multiplicabilitas, eo quòd est talis natura, v. g. si talis sit natura Angelica, ex conceptu, quo est substantia spiritualis, non sibi repugnat multiplicabilitas, illam enim habet anima nostra, sed ex conceptu, quo est talis determinatè natura: inconceptu ergo quidditativo talis naturæ importatur immultiplicabilitas, & consequenter unitas singularis.

221 Ad hanc rationem duobus modis respondent Thomistæ: primus solutio est, quam sic proponit Joannes de S. Thoma: Repugnantia ad plura individua non convenit illi naturæ secundùm omnem ejus conceptum, v. g. naturæ Angelicæ convenit ex irreceptibilitate in subjecto, quia ipsa non individuatur ex sigillatione materiæ, seu ex ordine ad subjectum sicut aliæ formæ, sed ex carentia ejus: si ergo concipiatur illa natura adæquatè, ut est in se cum illo modo individuationis sibi conveniente, concipitur cum repugnantia multiplicitatis; si autem concipiatur sine tali modo individuationis, concipitur sine illa repugnantia, & consequenter à singularitate præscindit. Hanc solutionem alitèr alii adducunt, nempe individuatio illius naturæ utrumque habet, & quòd sit conceptus specificus, & quòd sit conceptus individualis: ab individuatione ergo, secundùm quod est conceptus specificus, nequit præscindi illa natura, bene autem ab individuatione secundùm conceptum individuationis.

222 Sed utrumque difficultatem relinquit intactam: non enim aliud est ex parte objecti sibi convenire hunc individuationis modum, & esse talem naturam; patet enim, quòd ex conceptu talis naturæ habet sic individuari; quare tantùm ex parte actûs, & quantum ad conceptum explicitum potest talis natura talis quidem concipi, & sine illo modo. Similiter in individuatione illius naturæ, quòd sit conceptus specificus, & individualis, non est aliud ex parte

parte objecti, sed tantùm quantum ad conceptum explicitum; est enim ex parte objecti ipsa individualitas: solùm ergo inadæquatè concipitur illa natura præcisione formali. Explicatur, & sit natura illa *Gabrielis*: Ex conceptu specifico quidditatis suæ, quo est substantia Angelica, sibi repugnat numerica multiplicitas; hoc enim sensu loquimur: Aut ergo non concipit intellectus naturam Angelicam, sed naturam spiritualem communem Angelo, & animæ nostræ; aut concipit naturam, cui repugnat multiplicitas, prout sic repugnat, hoc enim est talis naturæ: non ergo potest conceptus talis naturæ, cui repugnat multiplicitas, accipi sine tali repugnantia metaphysicè, & ex parte objecti.

223 Altera solutio est: Individuationem duobus modis accipi posse, nempè aut negativè pro præcisa exclusione multiplicitatis; aut positivè pro perfectione per illam negationem significata: hoc posteriori modo est unitas, illo autem priori solùm est fundamentum, & radix illius. Itaque natura illa, eo quod ex conceptu suæ quidditatis sibi repugnat multiplicari, primum habet, quare nequit præscindi ab individuatione, prout est pura negatio; non tamen habet ex conceptu suæ quidditatis secundum, quare potest præscindi à positiva perfectione, quam dicit individualitas, seu unitas singularis.

224 Sed contra, primò, assumpta doctrina nequit substineri à Thomistis, cum quibus in præsenti agimus: Disputatur in Metaphysica: *Quid addit unum supra ens?* Tenent Scotistæ, quòd addit perfectionem positivam, quæ per negationem significatur; tenent verò Thomistæ, quòd addit tantùm negationem divisionis; quare individuo significat, ipsum ens, quod unum dicitur, se ipso intransitivè non habere divisionem: si ergo illa natura quidditate sua habet repugnantiam multiplicitatis, se ipsa intransitivè est individua, seu quod idem est, individua; quare individualitas non est positiva perfectio, à qua possit objectivè præscindi, sicut in natura multiplicabili, sed est ipsa ejus quidditas.

225 Contra, secundò: Etiam dato eo, quod assumit, poterit quidem illa natura sine formali unitate concipi, non autem sine radicali; sed hoc sufficit, ut nequeat ex parte objecti præscindi, seu præcisione sufficienti, ut sit universalis, & prædicabilis: ergo. Patet maj. si enim ex quidditate sua habet repugnantiam multiplicitatis, ab illa repugnantia nequit ex parte objecti præscindi, sicut nec à sua quidditate; ista autem repugnantia saltim est radix, & fundamentum illius positivi, in quo dicetur consistere unitas. Prob. min. Sic debet præscindi natura, ut vi præcisionis sit universa-

versalis, & prædicabilis, quod quamvis est de se, relinquatur, saltim negativè, & indifferenter se habeat ad singularitatem, & oppositum ejus, imò sic præcissa tantùm negativè est universalis, & prædicabilis, ut de natura materiali secundùm se accepta ipsi docent Thomistæ; sed natura illa quidditativè importans repugnantiam multiplicitatis non potest sic præscindi, sed ex quidditate sua habet determinationem, & exigentiam singularitatis: ergo.

226 Prob. secundò eadem conclusio ad hominem, & loquamur de natura Angelica, de qua ipsi loquuntur, cum quibus disputamus: Si talis natura potest objectivè præscindi à singularitate, eumdem conceptum ex parte objecti dicerent genus, & species in Angelis; sed hoc est contra ipsos sic volentes præscindere: ergo. Min. patet: siquidem ipsi ponunt in Angelis compositionem ex genere, & differentia, vi cujus eos ponunt in prædicamento, imò hinc sumunt unum ex fundamentis suæ sententiæ, ut videbimus. Maj. ergo ostenditur: Genus in illa natura dicit conceptum substantiæ spiritualis completæ irreceptibilis in materia; sed hoc ipso dicit conceptus speciei metaphysice, & ex parte objecti, si à singularitate præscinditur: ergo. Patet maj. quia conceptus generícus communis est omnibus Angelis, non autem animæ nostræ; sic enim esset genus remotum. Prob. min. Præcissa Gabrieleitate, qua est hic Angelus, conceptus, qui relinquitur, est tantùm substantia spiritualis completa; sed conceptus speciei est, qui relinquitur, eo præcisso, quo est hic Angelus: ergo. Patet maj. quia conceptus substantiæ spiritualis completæ immediate determinatur Gabrieleitate, neque aliud potest intelligi determinativum, quo fiat talis substantia spiritualis completa.

227 Nec refert dicere, quòd Gabrieleitas potest accipi sub conceptu specifico, & individuali, & conceptus specificus illius naturæ præscindit à Gabrieleitate sub conceptu individuali, non autem sub conceptu specifico. Id, inquam, non refert, quia Gabrieleitas non est illa duo compositione metaphysica, & præcisione ex parte objecti, sed tantùm diversa expressione conceptûs explicitè: ergo Gabrieleitas metaphysicè, & ex parte perfectionis conceptæ ipsa est singularitas: aut ergo ex parte objecti non præscinditur illa natura á singularitate, ut intendit conclusio; aut si præscinditur, non relinquitur ex parte objecti Gabrieleitas; & sic idem est objectivé conceptus specificus, & generícus, ut intendit argumentum.

228 Ex his sequitur, quòd natura illa, cui plura repugnant individua, non est species prædicabilis, neque universalis: non est qui-

quidem prædicabilis, quia de individuo non habet prædicari prædicatione formali, sed tantùm identicâ, ut ab eo tantùm præscindat penes conceptum explicitum: non est item universalis, si enim objectivè importat implicitè singularitatem, tantùm pro explicito conceptus accipitur modo universali, non autem est metaphysicè, & objectivè. Quia tamen contendunt nonnulli, debere admitti principia omnia sententiæ Thomisticæ quantum ad hypothesim, ab qua controvertitur difficultas, ideo hac admissa præcisione.

§. II.

Probatur secunda Conclusio.

219 DIcendum secundò: Natura illa etiam inadæquatè concepta non est species prædicabilis, aut universalis. Hujus conclusionis fundamenta abundè congerunt N. Manso, & citatus Spin. nobis sat erit ad hominem ex communibus Thomistarum principiis, contra quos ea statuitur, unam, vel alteram elicere rationem. Prob. ergo primò: Natura Angelica præcisa à singularitate relinquitur, qualis est apud Thomistas natura de se multiplicabilis in statu solitudinis, sivè ante rem; sed talis non est universalis apud ipsos Thomistas, nisi tantùm negativè: ergo. Ostenditur maj. Natura illa à singularitate præcisa non potest concipi cum positiva aptitudine ad multa, sed ad summum sine repugnantia multiplicitatis; sed ita se habet apud ipsos natura quælibet in statu solitudinis: ergo.

Confirmatur, & explicatur: Docent Thomistæ, quòd natura humana v. g. in statu solitudinis, sive ante contractionem non est una, aut universalis positivè, sed tantùm negativè, quia secundùm se, sive de se non exigit multiplicitatem, alioqui non posset una fieri per intellectum, neque item exigit unitatem, alioqui non posset multiplex esse in re; quare in illo statu negativè se habet ad utrumque, & dicitur negativè universalis, quia positivè universalis est per positivam unitatem, & aptitudinem ad multa, quam non habet in illo statu; jam autem natura Angelica, datâ objectivâ præcisione à singularitate, debet concipi ut natura Angelica, & subinde differens ab anima nostra; quare non potest concipi cum positiva aptitudine ad multiplicitatem: non ergo dici poterit positivè universalis, sicut non dicitur natura humana in statu solitudinis; imò neque negativè; quia natura humana in illo statu negativè se habet ad universalitatem, quia ea sibi de se non repugnat; at naturæ Angelicæ universalitas repugnat, etiamsi á singularitate præscindatur, quia etiam sic præcisa, sibi repugnat aptitudo ad multa, eo

quòd

quòd talis natura est.

Confirmatur secundò, quo quædam evertitur solutio, quæ hìc posset adhiberi: Natura humana v. g. habet repugnantiam multiplicitatis non ex conceptu naturæ, sed ex singularitate, qua individuatur; quare hoc ipso, quòd singularitatem non habet, concipitur sine repugnantia multiplicitatis, seu cum non repugnantia; & quia secundùm se, sive in statu solitudinis singularitatem non habet, habet illam non repugnantiam, & est saltim negativè universalis; at natura Angelica habet repugnantiam multiplicitatis non ex individualitate, sed ex conceptu specifico talis naturæ: ergo quantumcumque à singularitate præscindatur, non poterit concipi non repugnans multiplicitatem; & consequenter non erit universalis, etiam negativè.

230 Prob. secundò eadem conclusio: Universale logicum fit per actum reflexè comparativum naturæ ad inferiora: ergo natura, cui plura repugnant individua, etiam inadæquatè concepta, & præcisa à singularitate, non est universalis, aut species prædicabilis. Antecedens Thomistæ docent. Consequentia probatur: Natura, cui repugnat fundare logicam universalitatem, nullo modo est universalis, aut species prædicabilis; sed si tenet antecedens, illi naturę repugnat fundare logicam universalitatem: ergo. Patet maj. quia fundamentum logicæ universalitatis est universalitas metaphysica; quare cui repugnat logicam universalitatem fundare, tàm logica, quàm metaphysica universalitas repugnat. Prob. min. Si universale logicum fit per actum comparativum, cui repugnat comparari, repugnat fundare universalitatem logicam; sed illi naturæ etiam inadæquatè conceptæ repugnat comparari: ergo. Patet min. quia in conceptu naturæ, & consequenter etiam præcisa à singularitate sibi repugnat multiplicitas, & consequenter comparati ad multa.

231 Respondent primò Complutenses, quòd, quando natura est universalis secundùm rem, tùm illi convenit universalitas logica ex comparatione ad multa existentia, vel possibilia; quando verò tantùm est universalis secundùm rationem, non est necessarium, ut comparetur, vel sit apta comparari ad plura, sed sufficit, quod ex modo concipiendi sic habeat comparari ad suum individuum, ac si haberet plura; jam sic est, quòd illa natura à singularitate præcisa ita se habet: ergo est universalis, non quidem secundùm rem, sed secundùm rationem tantùm.

232 Sed contra, primò: Nequit esse universale secundùm rationem, quod secundùm rationem importat negationem universalitatis; sed illa natura præcisa à singularitate importat secundùm ra-

tio-

nem negationem universalitatis: ergo. Prob. min. Quod secundùm rationem, & modum concipiendi importat de se comparabilitatem ad unum tantùm, importat secundùm rationem negationem universalitatis; sed illa natura etiam præcisa importat comparabilitatem ad unum tantùm: ergo. Patet maj. quia comparabilitas ad unum tantùm est definitio individui, & oppositum universalitatis. Patet item min. quia illa natura ex conceptu specifico, sive ut præcisa à singularitate concipitur ut natura Angelica, & consequenter ut irreceptibilis, & immultiplicabilis.

233 Contra, secundò: Sicut se habet universalitas secundùm rem ad multa secundùm rem, ita universalitas secundùm rationem tantùm ad multa secundùm rationem tantùm; sed non est universalis secundùm rem natura, quæ non est comparabilis ad multa secundùm rem: ergo si illa natura, etiam ut præcisa, non est comparabilis ad multa secundùm rationem, non est universalis adhùc secundùm rationem. Maj. immediatè reducitur ad commune principium: *Sicut simpliciter ad simpliciter, ita secundùm quid ad secundùm quid.* Minorem negant quidem Thomistæ, sed ea aperte colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 13. art. 9. quo cùm quæreret: An nomen *Deus* sit communicabile? in solutione ait, quòd natura humana communis est multis secundùm rem, & rationem, quia non solùm ratione apprehendimus multos homines, sed re etiam multi sunt; natura autem Solis est communis secundùm rationem tantùm: *Potest enim natura Solis intelligi ut in pluribus suppositis existens*; & hinc concludit, hoc nomen *Deus* communicabile esse secundùm opinionem ponentium multos Deos: *Quemadmodùm hoc nomen Sol esset communicabile secundùm opinionem ponentium multos Soles.*

234 Contra, tertiò: Natura Angelica, quantumcumque à singularitate præscindatur, nequit ad individuum suum comparari, ac si plura haberet; sed hoc requirit solutio ad universalitatem secundùm rationem: ergo. Prob. maj. Natura illa, si multa individua haberet, præcisivè concepta compararetur cum non exigentia, & determinatione ad unum; sed non de facto præcisa à singularitate habet exigentiam, & determinationem ad unum, nempè conceptu, quo est natura Angelica, importat repugnantiam ad multa: ergo etiam sic præcisa non comparatur ad individuum suum, ac si multa haberet.

235 Respondent secundò alii ad principalem rationem: Universalitatem logicam naturæ convenire ex comparatione reflexa illius ad multa; at verò natura Angelica non est quidem comparabilis

bilis ad multa absolutè, hoc est, ad multa, quæ sint, vel esse possint, est tamen comparabilis ad multa conditionatè, hoc est, ad multa, si essent; ipsa nempè quantum est de se præcisa à singularitate, nihil habet prohibens eam de multis dici, si multa darentur; hoc autem sufficit, ut ea, quantum est de se, sit universalis; id enim, quo prohibetur, non ipsius naturæ, sed termini repugnantia est.

236 Sed contra, primò: Quòd ex se talis sit, quòd non repugnet comparari ad multa, si illa multa essent, tantùm est, quòd esset universalis, si multa haberet, seu quòd quantum est de se, non repugnat universalitatem; at hoc non est universalem esse: ergo. Offenditur assumptum Thomistarum: Vniversi de natura secundùm se, sive in statu solitudinis docent, quòd tantùm habet non repugnantiam ad unitatem, & universalitatem, quia quantum est de se, sibi convenit universalem esse, si talis fiat ab intellectu; docent tamen universi, universale positivè tale non dari ante opus intellectûs etiam in statu solitudinis, quia dicit positivam aptitudinem ad multa, quæ tantùm datur vi actûs abstrahentis: ergo si illa natura tantùm habet, quòd sibi de se non repugnat comparari ad multa, si multa darentur; non autem habet positivam aptitudinem ad essendum in multis, ea non est absolutè universalis.

237 Contra, secundò: Fa sum est, quòd illa natura à singu laritate præcisa non repugnet multa comparari sub condition sive si illa darentur, quia illa n tura sic præcisa, sive secundùm eſt natura Angelica, & ut tal concipitur; sed ut talis prædica tum habet, quo differt ab anim nostra, quod est immultiplicabi litas: ergo secundùm se, sive ut sic præcisa importat repugnantiam comparabilitatis ad multa. Patet min. quia substantia spiritual non repugnat recipi in subject & multiplicari numericè, ut ea c cit conceptum communem ad An gelos, & animam nostram; deter minatur autem ad naturam Ange licam per conceptum substanti completæ, seu quod idem est, ir receptibilis, & immultiplicabilis immultiplicabilitas enim est ir ceptibilitas in subjecto: si erg conceptus specificus à singularita te præcisus naturam Angelicam accipit, repugnantiam importat comparabilitatis ad multa.

238 Prob. tertiò ex alia om nium Thomistarum sententia: Re pugnante producibili, ex quo cumque capite repugnet, repug nat omninò productivum; sed eo prorsus modo, quo comparatur p oductivum ad producibile, com parari habet universale ad multa ergo naturæ, cui repugnat multa subesse, repugnat universalitas. Major est Thomistarum sententia de

connexione causæ cum possibilitate effectûs. Minor ex eodem principio ostenditur, quo Thomistæ fundant majorem, quòd scilicet productivum dicitur ad producibile, & ab eo specificatur; quatenus enim, quòd universale dicitur ad ea, quibus est universale: ut ergo repugnante producibili, etiamsi tantùm ex parte ipsius recipiatur repugnantia, non poterit concipi in sententia ipsorum productivum, ita pariter repugnante multiplicitate, non poterit concipi universalitas. Alia mitto gratis AA. videnda; ex his quam sufficienter patet conclusio, & amplius patebit solutione argumentorum.

§. III.

Dicuntur argumenta contra primam Conclusionem.

239 ARguitur primò: Naturam Angelicam intelligimus ad modum naturæ corporeæ, & per species illius; sed naturam corpoream intelligimus præscindendo a singularitate: ergo naturam Angelicam. Minor hoc supponitur; maj. autem sic patet: Intellectus noster nullius habet speciem, nascitur enim tanquam tabula rasa, quare quidquid intelligit, per species intelligit à sensibus acceptas; unde proverbium: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*; at per sensus tantùm corporalia percipimus: Angelos ergo non per propriam speciem intelligimus, sed per speciem rei corporalis, & ad modum illius. Quod exemplo confirmat, & explicat Goudin: Aulicus Curiæ assuetus divertentem ad se Regem Regio excipit apparatu, & ut Rex ipse petit recipi; at verò Rusticus Curiæ penitùs ignarus Regem excipit modo rustico, & ut alios consuevit recipere: sic intellectus noster corporalibus assuetus spiritualem substantiam modo corporalium percipit; intellectus verò separatus, sive Angelicus modo, quo ipsa petit percipi.

240 Hoc argumentum omnibus Thomistis familiare, desumitur quidem ex D. Thoma loco suprà cit. debile tamen ad præsens est institutum, & infirmatur de facili ex ipso S. Doctoris intento: Deum enim non nisi per speciem rerum corporalium cognoscimus, & modo, quo corporalia cognoscere consuevimus; at corporalia consuevimus intelligere sic præcisivè, quòd potentialiter, nempè formando conceptum unius perfectionis potentialem, & perfectibilem per aliam: ergo Deum sic concipimus; quod tamen falsum est.

241 Nec refert, quod Thomistæ respondent, quòd nempè Deum concipimus modo corporalium, & per species à corporalibus acceptas, sed tamen ut actum

purum, quare non conceptu potentiali. Id, inquam, non refert: primò, quia hoc probat eorum argumentum, quòd non possumus Deum concipere ut actum purum, quia concipimus modo corporalium; nullum autem corporale concipimus ut actum purum. Secundò, quia si non obstante, quòd Deum concipimus per species á corporalibus acceptas, concipimus ut actum purum, & subinde non conceptu potentiali metaphysicé, & ex parte objecti; ita pariter non obstante, quòd Angelum concipimus per speciem corporalium, concipimus ut Angelum, & subinde ut immultiplicabilem; quare ex parte objecti cum repugnantia multiplicitatis numericæ, & consequenter ex parte objecti cum determinatione ad singularitatem, quare non præscindendo ex parte objecti, sed tantùm penes conceptum explicitum.

242 Nec item refert dicere, quòd Deus, non ut actus purus conceptus, esset Deus non Deus; quare & si per speciem corporalium concipimus, cogimur tamen ut actum purum concipere. Nec id, inquam, refert: pariter enim dicitur, quòd substantia spiritualis non ut completa, & immultiplicabilis concepta, esset Angelus non Angelus, secluſa enim immultiplicabilitate, convenit animæ nostræ: cogimur ergo Angelum concipere ex parte objecti immultiplicabilem, & consequenter nō præscindendo ex parte objecti a indivisibilitate, & determinatio ad singularitatem.

243 Dicete neg. conseq. A gelus quidem non directè, & p propriam speciem concipimus; lem enim neque habet, neque a quirere potest intellectus nost sed concipimus ad instar corpor lium, & per species eorum; n tamen proinde omninò sicut cor poralia, alioqui falsa esset co ceptio nostra: concipere ergo modum alterius duobus modis aut positive, & quòd hoc est illud, sic qui Romam non vi per speciem alterius Civitatis mat sibi Romæ conceptum; a modo cognoscimus ad modu alterius remotivé, & quòd non est sicut illud, hoc mod Deum cognoscimus per specie creaturarum, removendo ea earum imperfectiones; hoc i modo Angelus per speciem co poralium, quòd nempe substanti spirituali non convenit, quod pr prium est corporalis; & spiritua completæ, quod proprium est completæ: & si ergo ad mod corporalium concipimus, ita men quòd cognoscimus hanc s ritualem substantiam modum h bere oppositum, & quidditati importare repugnantiam multipl citatis numericæ, seu quòd iden est, determinationem ad unum quare non possumus ex parte obj ti præscindere á singularitate.

Ru

Rursus: Et si concipimus per speciem rei corporalis hanc spiritualem substantiam, concipimus tamen hujus quidditatem distinctam esse à quidditate illius, & consequenter, quòd quidditas corporalis substantiæ talis est, quòd sibi competit individuari ex alio, nempe sive ex dispositionibus materiæ, sive ex habitudine ad subjectum; substantia autem spiritualis talis est, cui competit individuari ex se ipsa, neque subjectum habet, aut ordinem ad illud: etsi ergo hanc per speciem illius concipiamus, concipimus tamen, individuationem in corporali ex ea quidditatem esse, & sine qua possimus ex parte objecti quidditatem accipere, in spirituali verò non esse aliquid ex parte objecti quidditati superadditum.

244 Locus S. Thomæ, unde illud argumentum desumitur, magis ad intentum nostrum, quàm arguentis est; intendit enim, quòd nomen *Deus* secundùm modum significandi commune est, non autem secundùm rem significatam; & ad hoc explicandum assumit, quòd communitas secundùm rem ei convenit, cui plura subsunt non solùm secundùm rationem, sed etiam secundùm rem, communitas verò secundùm rationem tantùm, cui plura subsunt tantùm secundùm rationem, nempé quòd etsi plura non sint in re, ratio tamen potest accipere in pluribus suppositis esse, & sic est de natura Solis: requirit ergo S. D. ad communitatem, & universalitatem, quòd possit ratio imaginati plura suppolita illius naturæ; sed hoc non habet natura, de qua loquimur; loquimur enim de natura, cui plura repugnant, sive de Angelica in hypothesi, quòd sibi repugnat multiplicabilitas; ergo.

Deinde ad propositum suum illud assumptum applicat S. D. & ait, quòd secundùm opinionem, qua quis posset concipere multos Deos, Deus habet communitatem; & quia ex illa imaginatione imponitur nomen, id dici potest ex modo significandi commune, quia tamen rei significatæ nec re, nec ratione plura subsunt, communitatem non habet quantum ad rem significatam. Ex quo ad propositum argumentum tantùm sequitur, quòd Deum, & Angelos concipimus ad modum corporalium inadæquatè, & præcisivè tantum quantum ad conceptum explicitum, non verò objectivè, & ex parte rei conceptæ.

245 Arguit secundò Parra: Ex quo singularitas sit de completa constitutione Angeli, non sequitur non posse ab ea præscindi: ergo. Patet conseq. quia tota repugnantia, ut præscindatur, ex eo oritur, quia in conceptu specifico importat immultiplicabilitatem, & consequenter determinationem ad singularitatem. Antecedens triplici ratione probat: primò, quia etsi conceptus specificus sit de

con-

conceptu generico, potest tamen præscindi genus á differentia: ergo pariter. Secundò: Accidens potest concipi ut per se stans, licèt sit de conceptu ejus alteri inhærère. Tertiò: Etsi albedo per eamdem formam sit disgregativa, & similis alteri, potest tamen concipi ut disgregativa, quin concipiatur ut similis: ergo idem.

246 Resp. neg. antec. de præcisione ex parte objecti, de qua conclusio loquitur, & quæ ad universalitatem speciei prædicabilis requiritur. Ad primam prob. primò neg. antec. pari enim ratione negamus in Angelo præcisionem generis á differentia; est enim quidditas simplex, in qua non est accipere gradus, ut jam suprà probatum est, & iterum in prosequendo probabitur. Secundò: Datâ in Angelo compositione generis, & differentiæ, & præcisione unius ab altero, negabitur suppositum antecedentis: implicat enim, differentiam esse de conceptu objectivo generis, & tamen talem conceptum objectivum accipi sine differentia: tùnc ergo tantùm præscindit, sicut homo à rationalitate, nempè ex parte actûs, & quantum ad conceptum explicitum.

Ad secundam prob. neg. assumptum, quòd inhærere sit de conceptu accidentis; tantùm enim est de conceptu ejus existentia, & sine hac non potest objectivè concipi. Ad tertiam, omninò non video, qua doctrinæ consequentia assumat antecedens; docet enim ipse tract. 4. disp. 3. dub. 4. cum communi Thomistarum, quòd relatio distinguitur realiter à fundamento; quare albedo per entitatem suam est disgregativa, similis verò per relationem superadditam, quare sine ista potest non solùm concipi, sed etiam esse. Quòd si loquatur de similitudine fundamentali, hæc ipsa est quidditas, per quam est disgregativa, sed ab ea non potest ex parte objecti præscindi.

247 Arguit tertiò idem: Natura Angelica verè, & propriè est species subjicibilis: ergo ut talis verè, & propriè præscindit á singularitate. Antec. patet, siquidem quòd in Angelis sit verum genus, & vera generis, & differentiæ compositio, omnes fatentur: ergo species genus habet, cui subjiciatur. Conseq. prob. primò: Quia ratio subjicibilis sumitur ex ordine ad genus, singularitas autem ex extentia materiæ; sed hæc est diversitas fundamenti sufficiens ad præcisionem: ergo. Secundò: Quia genus ut tale non respicit immediatè individuum, sed respicit immediatè speciem subjicibilem: ergo hæc à singularitate præscindit.

248 Resp. neg. antec. cum sua probatione, quòd enim in Angelis non est verum genus, & vera generis, & differentiæ compositio, docet ex instituto B. D. & nos ex ipso probavimus disp. præcedenti agentes de præcisionibus in

Ange-

Angelis: quia ergo ibi genus dicit ex parte objecti totam quidditatem, species non est verè subjicibilis, sed tantum quantum ad conceptum explicitum. Resp. secundò neg. conseq. ad primam prob. neg. min. illa enim carentia materiæ, ex qua sumitur individuatio, quidditativè ex parte objecti involvitur in ipsa specie, ut est subjicibilis; quare tantùm est fundamentum ad præcisionem formæ, & ex parte actûs, non verò objectivam.

Ad secundam prob. primò distinguo, quòd in Angelis non est genus verè tale. Secundò disting. maj. Non respicit immediatè individuum, quod sit tantùm individuum, conc. maj. quod ita est individuum, ut sit simùl species, neg. maj. Itaque dato, quòd in Angelis sit verum genus, quia in corporalibus species individuatur non quidditate sua, sed differentia individuali superaddita, in his speciebus tantùm est species, & genus ad individuum non per se, & immediatè comparatur, sed per speciem; at verò in Angelis species quidditate sua individuatur, & quidditativè importat indivisibilitatem, seu repugnantiam multiplicitatis; quare in his species sic est species, quòd est etiam quidditativè individuum; unde genus in his immediatè comparatur ad speciem, quòd etiam immediatè comparatur ad individuum.

149 Arguit quartò idem: Sicut in Angelo intellectus inadæquatè concipiens, concipit rationem formæ simplicis, qua cum altero convenit, & rationem talis formæ simplicis, vi cujus habet fundamentum, ut ex parte objecti præscindat genus à differentia, ita concipit, quòd non primò differt ab alio per gradum specificum, sed primò, & adæquatè differt per gradum individualem: ergo pariter habet fundamentum, ut ex parte objecti præscindat gradum specificum ab individuali. Antec. quantum ad primum de præcisione gradûs generici notum supponit; quantum ad secundum eò probat, quia gradus specificus, siquidem componitur ex genere, & differentia, non primò, id est, se toto differt.

250 Resp. primò juxta jam dicta neg. suppositum antecedentis, seu primam partem de præcisione generis à differentia; eo enim quòd Gabriel v. g. est forma simplex, in eo conceptus substantiæ spiritualis completæ, seu formæ simplicis ex parte objecti non importat gradum quidditatis, sed totam quidditatem inadæquatè explicatam, sicut de ente philosophantur Thomistæ; licèt enim substantia per conceptum entis conveniat cum accidenti, à quo differt perfectate, sive conceptu talis entis; tamen quia ex parte objecti esse, quod significat conceptus entis, est tale esse, conceptus entis non significat gradum quidditatis

ris ex parte objecti præcissum, sed tantùm inadæquatam expressionem, seu conceptum explicitum: ergo pariter, quia ex parte objecti eâdem quidditate, qua est forma simplex, est talis, conceptus formæ simplicis non significat ex parte objecti gradum quidditatis, sed tantùm conceptum explicitum.

251 Resp. secundò: Datâ præcisione generis à differentia, neg. antec. ad probat. ejus dicendum, quòd gradu specifico non primò, seu se toto differt; differt autem primò, seu se toto gradu differentiali, qui quidditativè, & objectivé importat individualem, nempé repugnantiam multiplicitatis; quare tantùm sequitur, quòd præscindi possit genericus ab individuali, sicut præscinditur à differentiali; non autem quòd possit præscindi differentialis ab individuali, & consequenter neque specificus, qui per differentialem constituitur.

§. IV.

Argumenta contra secundam Conclusionem.

252 ARguitur primò fundamento Cajetani: Universalitas non convenit rei secundùm quod in se ipsa est, sed secundùm modum, quem habet in intellectu nostro; sed natura Angelica, licèt in se ipsa talis sit, ut determinetur ad unum tantùm individuum, subindeque ab intellectu cognoscente ipsam adæquatè, & ut est, non possit accipi ut universalis; at ab intellectu nostro apprehenditur modo potentiali, & præcisivo: ergo secundùm modum, quem habet in intellectu nostro, est universalis. Patet hæc conseq. quia sic non importat illam determinationem.

253 Resp. datâ hypothesi hujus conclusionis, nempè præcisione à singularitate, neg. conseq. ad probat. ejus dicitur, quòd illa natura præcissa á singularitate, non tamen potest concipi ut apta multiplicari, imò cum positiva repugnantia ad talem multiplicitatem, siquidem concipitur ut natura Angelica: etsi ergo detur concipi præcissa à singularitate, non tamen potest concipi præcissa ab exigentia unius. Itaque apud ipsos Thomistas ad universalitatem non sufficit, quòd naturam concipiamus sine singularitate; sic enim concipimus naturam in statu solitudinis, quæ apud ipsos non est universalis, sed requiritur, quòd ipsa in intellectu nostro unitatem habeat, & aptitudinem ad multa; jam autem, quantumcumque detur præcisio illius naturæ à singularitate, ea tamen in intellectu nostro non talem habet modum, quòd concipiatur apta, sive etiam non repugnans esse in multis, quippè illi quidditativa est repugnantia: ergo.

254 Arguunt secundò Com-

plu-

sistentes: Intellectus noster intelligit naturam cujuslibet speciei per abstractionem à singulari: ergo esse in uno supposito singulari, vel in pluribus est præter intellectum naturæ speciei, & consequenter semèl, quòd à singularitate præscindatur illa natura, concipitur ut species. Eodem argumento probabis, quòd naturam Dei concipimus ut universalem, & speciem prædicabilem, siquidem illam possumus sine Personalitate concipere, & est extra conceptum speciei, quòd multiplicetur, vel non multiplicetur in suppositis; sic tamen universalem, negant Thomistæ.

255 Resp. directè, quòd apud nos quidem abstractione à singulari propria, & ex parte objecti intelligitur species, quia nempè nobis tantùm præscindit ex parte objecti à singularitate natura, cui non repugnat numericè multiplicari; quare in nostris principiis verum est antecedens, & negatur suppositum consequentis, quòd nempè illa natura possit concipi ex parte objecti præcisa à singularitate; quia tamen procedit ista conclusio illa præcisione admissa. Secundò, respond. neg. antec. vel claritatis gratiâ, distinguatur: Natura, cui non repugnat multiplicitas individuorum, abstractione intelligitur ut species, conc. antec. natura, cui repugnat, neg. antec. Itaque eatenùs abstractione à singularitate intelligitur species, quatenùs tali abstractione intelligitur natura non repugnans, seu etiam apta esse in multis; at illa natura etiam abstracta intelligitur repugnans multiplicari: ergo. Rursus disting. conseq. Etsi enim sit extra conceptum speciei habere, aut non habere plura, non tamen est extra conceptum ejus habere aptitudinem, seu saltim non repugnantiam ad plura.

256 Arguitur tertiò: Natura Michaëlis, prout à nobis intelligitur præcisa à sua singularitate, nõ intelligitur determinata ad hoc individuum, sed indifferens, & non appropriata illi: ergo prout sic, & in tali statu, ut si per impossibile plura haberet individua, determinaretur ad unumquodque eorum per differentiam individualem: ergo ex modo nostro concipiendi talis natura est universalis, & prædicabilis.

257 Resp. primò, datâ præcisione, disting. antec. Intelligitur indifferens superioritate, sicut homo ad Petrum, & Paulum, neg. anteced. intelligitur indifferens, æqualis tamen, sicut quidam homo, conc. antec. Itaque quidam homo non determinatur ad Petrum, & consequenter indifferens est ad Petrum, & Paulum; non tamen proinde universalitatem habet: ita illa natura præcisa à singularitate conciperetur indifferens, ita tamen quòd quidditativè importat repugnantiam multiplicitatis, sicut quidam homo. Secundò,

cundò, dato antec. neg. secunda consèq. ex quo enim ita se habeat, quòd si plura non repugnarent, ad plura diceretur, ita se habet, quòd si plura non repugnarent, esset universalis; non tamen est, quia non dicit aptitudinem ad illa multa, sicut de natura in statu solitudinis philosophantur Thom.

258 Arguitur quartò, & est præcedentis confirmatio: Natura Michaëlis abstracta á singularitate comparatur ad proprium individuum ut quid indifferens ad suum determinativum: ergo ex tali modo concipiendi comparatur ut superius, & consequenter universale. Patet consèq. quia indifferens, qua tale, necessariò concipitur cum majori latitudine, quàm suum determinativum. Resp. primò instando: Quidam homo præcisivè à Petro comparatur ad ipsum ut indifferens ad suum determinativum: ergo ut quid universale per eamdem argumenti probationem.

259 Directè neg. consèq. cum sua probatione; non enim semper indifferens dicit superioritatem potestativam, & quæ requiritur ad universalitatem, sed quandoque puram indifferentiam logicam, sicut quidam homo ad Petrum, & Paulum. Itaque illa natura præcisa à singularitate non potest concipi sine repugnantia multiplicitatis, & consequenter concipitur cum determinatione ad unum individuum, licèt non hoc; quare non superior, aut universalis.

260 Arguitur sextò: Hæc prædicatio: *Michael est Angelus*, est verè prædicatio formalis, & directa: ergo in ea prædicatur species de individuo, & sic ly *Angelus* est species prædicabilis. Patet consèq. siquidem prædicatum dicitur *in quid* completè. Resp. primò instando in ista: *Pater est Deus*, & in ista: *Petrus est aliquis homo*. Directè neg. antec. est enim prædicatio identica; datâ autem præcisione, est quidem prædicatio formalis, non tamen superius de inferiori, sed æqualis de æquali; quia ly *Angelus* importat quidditativam determinationem ad unum individuum; quare non ut species de individuo, sed ut individuum determinatum de individuo indeterminato dicitur.

261 Arguitur sextò: Michael est individuum, quod directè ponitur in prædicamento substantiæ tanquam fundamentum prædicatorum, quæ seriem prædicamentalem constituunt: ergo concipimus supra illud gradum specificum, cui subjiciatur, & qui de illo prædicetur. Patet consèq. nam implicat individuum, quod non ponatur sub aliqua specie infima. Resp. primò neg. antec. Angelos enim non poni in prædicamento, probabimus disp. seq.

262 Resp. secundò, misso antec. neg. consèq. ad rationem ejus dicitur, quòd individuum naturæ multiplicabilis sic est individuum, quo

quòd habet de necessitate poni sub specie; individuum verò natura immultiplicabilis sic est individuum, quòd naturæ suæ comparatum non ut sub ipsa positum, sed ut illi æquale, nempè natura illa præcisa individuatione relinquitur immultiplicabilis, & consequentèr determinata ad unum, & æqualis ipsi individuo; quare non illi comparatur ut species vere universalis. Hæc sunt fundamenta Complutensium, quibus apud alios nihil additum reperio, nisi loca S. Thomæ, quæ expendere nostrum non est; si quid autem ulterius objiciatur, ex dictis poterit solvi.

QUÆSTIO QUARTA
DE INDIVIDUO.

ARTICULUS I.

An Individuum benè definiatur à Porphyrio?

263 SIcut generi correlativa est species, ita speciei individuum, quare capiti de specie annectit Porphyrius determinationem de Individuo; obscura nonnihil, & nullius ferè utilitatis ea est, quare breviter, quoad fieri poterit, ab ea expediemur. Individuum primò dividitur in *determinatum*, & *vagum*: vagum dicitur, non quòd in re aliquid sit ita singulare, quidquid enim in re est, determinatam singularitatem importat, sed quòd intellectus accipiat naturam singularitate determinatam, non autem hac, aut illa, qualiter significatur per istas voces *quidam leo*, *aliquis homo*. Quare magis suppositionem termini communis, seu illius ab intellectu acceptionem, quàm rationem individui significat, ideo forte id aut omisit Porphyrius, aut non ab individuo determinato distinguit.

264 Individuum determinatum tripliciter accipitur, secundùm quod tripliciter potest determinari natura communis: primò determinatum simpliciter, ut *Petrus*: secundò determinatum, ex demonstratione, ut *hic homo*: & tertiò determinatum ex suppositione, seu ut dicunt per circumlocutionem, ut supposito, quòd Sophronisci unum tantùm filium habuerit, Sophronici filius significat Sortem, sicut de facto Filius Virginis Christum Dominum significat, qui solus Virginis Filius est; & de his tribus exemplificat Porphyr. Deinde accipitur, aut primò intentionaliter, nempè secundùm esse, quod in re ha-

bet, ut quòd est *Petrus*, *hic leo*, *aut hæc albedo*; aut secundò intentionalitèr, nempè secundùm habitudinem ad id, quod sibi intellectus attribuit, ut *quòd subjicitur immediatè speciei, quod de uno tantùm prædicatur.*

265 Porphyrius ergo individuum explicat, primò quidem secundò intentionalitèr quasi correlativè ad speciem, primò quidem dum ait: *Et species ea, quæ est solùm species, de omnibus individuis prædicatur, & individuum de uno solo particulari*; deinde dum ait: *Individuum igitur à specie, & species à genere continetur*: sicut ergo species ex ordine ad genus est, quæ sub genere ponitur, & ex ordine ad inferiora, quæ de individuis prædicatur, ita ex quadam analogia individuum est, ut subjicibile, quod sub specie ponitur, ut prædicabile, quod de uno tantùm prædicatur.

266 Ulteriùs, primò intentionalitèr describit, dum ait: *Individua igitur ex eo talia dicuntur, quòd ex proprietatibus quodque conflat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet.* Proprietates autem ipse non assignat, assignantur communitèr ex Boëtio septem, quæ hoc continentur carmine:

Forma, figura, locus, stirps, tempus, patria, nomen.

Forma accipitur communitèr pro temperamento ex qualitatum mixtione, quæ dicitur complexio; *figura* significat lineamenta exteriora, quibus terminatur quantitas; *locus* refertur ab aliquibus ad originem nativitatis, sed id significatur per patriam, quare *locus* magis significat ubicationem, quam sibi propriam res quælibet exigit; sicut *tempus* significat habitudinem ad mensuram durationis, & hæc duo communitèr dicuntur circumstantiæ individuantes, nempè *hìc*, & *nunc*, fortè, quia aliæ non omni conveniunt individuo, aliquæ enim solius sunt hominis; cætera ergo patet quid significent.

267 Pro explicatione itaq; nonnulla dubitantur, quæ brevitèr attingemus: primò ergo quæritur: An individuum vagum significet aliquam rationem omnibus determinatis communem? Affirmant communitèr Thomistæ, ut videre est apud à S. Thoma, Parra, & alios. Id colligunt ex Divo Thoma 1. p. q. 30. art. 4. ubi determinat, quòd *Persona* in Divinis communitatem habet sicut individuum vagum, idem docet B. D. in 2. dist. 25. q. 1. art. 2. Deinde ratione, quia individuum vagum de omnibus determinatis prædicatur. Motivum autem sic philosophandi desumi videtur ex doctrina, quam hìc adducit Cajetanus ex D. Thom. q. 9. de Potentia art. 2. quòd nempè in Petro v. g. est tria considerare, naturam humanam, modum existendi, & principia, ex quibus sibi convenit talis modus existendi: illud

gra-

primùm est natura communis; secundum significat individuum vagum; & tertium est Petreitas, sive individuum determinatum; jam autem patet, quòd ille modus existendi communis est omnibus: significat ergo individuum vagum rationem aliquam omnibus communem.

268 Nihilominùs dicendum, quòd individuum vagum non significat rationem communem, sed singularem de uno tantùm prædicabilem, non autem hoc, aut illo. Quod primò ex ipso textu Porphyrii colligitur; cùm enim dixisset, universale multa in unum colligere, & ab illo deteensum fieri, divisione, & multiplicatione, quæ exemplificans subjungit: *Species enim in unam naturam congregat multa, & magis ipsum genus; particularia verò, ac singularia in multitudinem ipsum unum è contra dividere semper videntur.* Ubi primò distinguit singulare, ac particulare; & singulare quidem determinatum est, particulare autem indeterminatum, seu vagum. Deinde utrumque, ait, contra universale dividere, ac multiplicare: non ergo particulare, seu individuum vagum rationem aliquam significat, cujus sit multa sub se colligere, sive universaliter continere.

269 Deinde ratione patet: Et enim ista vox *Individuum vagum* omnes voces recolligat, quibus individua vaga significantur, ut *aliquis homo, quidam leo*, & cæteras tales, tamen res significata, de qua quæritur, non multa, sed unum, licèt indeterminatè, comprehendit: ergo licèt vox communis dici possit, non tamen ratio significata per vocem. Prob. antec. Quod multa sub se continet, quibus est universale, non solùm de unoquoque, sed de omnibus dicitur, ut patet inductione; non solùm enim Petrus est homo, sed omnia individua, & idem de quavis alia ratione communi; jam autem licèt omnes tales voces significent individuum vagum, non tamen quod in re est, sive per vocem significatur, de omnibus dicitur, sed de uno tantùm, nempè Petrus est aliquis homo, non tamen Petrus, & Paulus: non ergo universalitatem habet ratio significata, sed tantùm indifferentiam vox ipsa significans, quo suppositionem, & acceptionem intellectus determinat. Præterea: Communi, & universali potest addi signum determinans tàm commune, quam particulare, ut dicitur *quidam homo, hic homo, omnis homo*; sed licèt possit dici omne individuum vagum, aut aliquod individuum vagum, non autem rei significatæ potest addi determinatio: ergo.

270 Ex his de facili patet ad motiva in contrarium: ad primum intentum utriusque Doctoris est, quòd *Persona* in Divinis habet communitatem vocis, non autem rei significatæ; quare ait S. Tho-

mas;

mas : *Ideo communitas Personæ (secundùm quod aliqui dicunt, & benè) adhùc magis assimilatur communi, secundùm quòd aliquis homo commune dicitur, quàm secundùm quod homo* : patet autem, quòd *homo* de Petro, & Paulo prædicat natutam eamdem in utroque, & sic communem, *aliquis homo* non significat aliquam rationem in utroque eamdem, significat enim individuationem, quæ diversa est : solùm ergo utrique communis est vox *aliquis homo*. Quo ad secundum dicitur, quód de individuo determinato prædicatur communitèr tantùm vox, sive conceptus explicitus, qui voci respondet, non autem ratio aliqua in re ipsa conceptui respondens.

Ad motivum ex Cajet. commentitia est ad propositum illa distinctio; principium enim, unde sumitur individuatio, non ponit in numerum cum individuatione ipsa: & rursus, si illud principium est individuatio determinata, puta *Petreitas*, modus, qui inde naturæ convenit, erit paritèr determinatus, & non ratio individui vagi : non ergo alia ratio est in re ipsa individuatio ut *sic*, & vagè, ac ipsa Petreitas, sed ipsa eadè determinatio, & singularitas, quam intellectus sic, & sic aecipit, & ex hoc aliud, & aliud habet nomen.

271 Dubitatur secundò : Dato, quòd individuum vagum non significet communem rationem de omnibus determinatis prædicabilem, sèd sit tantùm individui acceptio, an illi conveniant descriptiones assignatæ á Porphyrio? Ratio dubitandi est, quia individuum vagum nullam habet proprietatem, quæ alteri non possit convenire; & rursus non habet de uno solo prædicari, de quovis enim homine dicitur, quòd est *aliquis homo*; si autem illi non convenit, inadæquata est descriptio, cùm non conveniat omni individuo.

272 Cajetanus, qui hoc dubium movet, respondet, huic individuo descriptionem non convenire, non tamen proinde inadæquata est; quia Porphyrius pollicitus est non de omnibus, sed de illis quinque se tractaturum; quare, etsi individuum vagum omiserit, non proinde inadæquate procedit. Sed contra: Neque individuum determinatum in illi quinque continetur; quare neque de illo determinari debuit.

273 Dicendum, quód illi conveniunt datæ descriptiones eo modo, quo individuum est, nempè indeterminatè, & vagè. Quo solvitur ratio dubitandi : si enim *hic homo* has proprietates habet, nempè hanc formam, hanc figuram, hoc ubi; *aliquis homo* aliquas tales proprietates habet, ut aliquam complexionem, figuram, & ubi : similitèr sicut *hic homo* uni tantùm determinato convenit, puta Sorti, ita *aliquis homo* uni tantùm,

tùm, indeterminatè tamen; non enim Sorti, & Platoni, sed Sorti tantùm, aut Platoni convenit.

274 Dubitatur tertiò: An individuum possit definiri? Si enim non potest, malè definit Porphyrius; quòd autem non possit, patet per Philosophum multis in locis, præsertim 7. Metaph. ubi hoc ex professo determinat. Rursus: Si particulare habet definitionem huiquidditatis ostensivam, habet item passionem, quæ per illam probetur, subindeque de tali potest esse scientia; sed scientia non est particularium: ergo neque definitio. Nec satisfacit, quod aliqui dicunt de individuo non esse scientiam sumpto primò intentionaliter, benè autem secundò intentionaliter, & sic potest definiri. Id, inquam, non sufficit; definitur enim à Porphyrio, etiam primò intentionaliter.

275 De hoc quærit B. D. 7. Metaph. q. 7. cum quo dicendum, quòd definitione propria, & per genus, & differentiam non potest definiri, benè autem definitione lata. Primum eo patet, quia individuum non talem habet quidditatem, quæ ex genere, & differentia componatur, alioqui individua ut talia non ultimò differrent. Secundum verò, quia quidquid intellectus potest uno conceptu accipere, potest per quamcumque descriptionem explicare; sic autem concipit individuum, & ita describit Porphyrius per *habere proprietatem individualium collectionem*, & Philosophus ipse individuum substantiæ, seu primam substantiam.

276 Ad motivum in contrarium dicendum, quòd loquitur Philosophus de singulari, seu individuo exercitè, ut est in re, & de hoc item dicitur, quòd non est scientia; cum hoc tamen stat, quòd individuum, sive singulare signatè, & prout accipitur ab intellectu, conceptu quodammodò communi possit definiri, & de eo fit scientia, ut scientia accipitur latè pro notitia certa, æquali enim certitudine homini convenit risibile esse, aut de multis prædicari, atque individuo subjici speciei, habere tales proprietates, & alia hujusmodi

277 Dubitatur quartò circa descriptionem individui primò intentionaliter, an ea sit adæquata, & omni conveniat individuo? Negativè respondetur ferè communiter, nempè Porphyrius definire voluit tantùm individua substantiæ, sive etiam naturæ humanæ, utpotè hæc notiora sunt, quare illis tantùm illa descriptio convenit. Ratio autem est, quia assignatæ proprietates solis hominibus conveniunt, ut patèrè potest intuenti. Sed in contrarium est, quòd Porphyrius, sicut de specie determinat in communi, & definitiones ejus omni speciei conveniunt sive in generibus accidentium, sive substantiæ, ita determi-

nare debet de individuo; quælibet enim ibi definita species de individuis prædicatur.

278 Dicendum ergo, quòd de omni specie intendit Porphyrius, & consequenter de omni individuo, quare omni convenit ejus descriptio. Primum patet ex ipso textu, exemplificat enim de Sorte, & hoc albo. Secundum autem, quia descriptio ejus nullas assignat proprietates, sed tantùm ait, quòd collectio proprietatum, quæcumque illæ sint, sic est in uno, quòd non in alio; hoc autem verum est, licèt non eædem sint proprietates individui in substantia, & accidenti, nempè collectio proprietatum hujus accidentis non est in illo, saltim enim hîc, & nùnc diversum est.

279 Quo patet ad motiva in contrarium: ad primum quidem, quòd Porphyrius de omni intendit individuo, constat in ipso textu. Ad secundum autem ad summum probatur, quòd assignatio illa proprietatum non ad omne individuum extenditur, sed tantùm ad individua hominis. Sed neque id probat: assignat enim proprietates omnes individuales, non autem ait, quòd omnes omni conveniunt individuo, sed aliquibus omnes, aliquibus aliquæ, ita tamen quòd quæ uni conveniunt, non reperiantur in altero; quare verum est utrumque, & quòd proprietates individuales illæ septem sunt, & quòd individuum quodlibet tale est, quia collectio proprietatum ejus non est in altero.

280 Dubitatur quintò circa alteram descriptionem de individuo secundò intentionaliter, an ea sit exacta? Ratio dubitandi est, quia Philosophus in Perih. docet singulare esse, *quod non prædicatur de multis*, & in Prædicamentis de prima substantia docet, esse *quæ de subjecto non dicitur*, & quòd *à prima substantia nulla est prædicatio*; licèt autem prædicatum de uno tantùm sit non prædicatum de multis, nihilominùs non per determinationem hujus talis prædicationis, sed per negationem seu carentiam explicat individuum Philosophus; quare descriptio Porphyrii non videtur exacta ad mentem Philosophi.

281 Propter hæc aliqui cum Commentatore dicunt, quòd descriptio Porphyrii est inadæquata, & solis convenit individuis accidentium, ea quippè de uno tantùm prædicantur, ut *Sortes est hoc album*. Sed in primis, si *hoc album* prædicatur ut individuum, *contra* illam est textus Philosophi, qui asserit, singulare non prædicari. Deinde: Aut illa prædicatio est accidentis de subjecto, & non individui, de materiali nempè se habet hæcceitas; aut non albedinem hanc prædicat, sed sensus est, quòd Sortes est hoc subjectum habens albedinem, in qua prædicatur individuum substantiæ; aut quòd est subjectum habens hanc albe-

bedinem, in qua prædicatum, ly *subjectum*, & non est prædi- tio individui.

282 Dicendum itaque, quòd descriptio exacta est. Pro cu- intelligentia notandum, quòd dicatio *est unius de altero af- matio*, *aut negatio*; quare im- tat & identitatem prædicati m subjecto, quam significat co- affirmativa, & distinctionem, m requirit prædicatio, ut sit de altero; hæc autem dis- tio, ut cum identitate compo- r, solius rationis esse debet: a ergo distinctio rationis du- est, altera formalis, & pro- i, nempé penes ipsas rationes, perfectiones conceptas, quæ itur rationis ratiocinatæ; alte- impropria, & tantùm penes nceptus explicitos, quę dicitur ionis ratiocinantis; hinc præ- tio duplex est, propria, & for- liter talis, in qua prædicatum ubjecto differt ratione ratioci- m, & impropria, sive identica, ua differt tantùm ratione ra- ciante: prædicari ergo simpli- r, & propriè dicitur de prædi- ione formali, de identica verò tùm impropriè, & secundùm

Ex his ergo patet tùm con- ño, tùm solutio ad motivum itandi: non prædicatur indivi- m propriè, & prædicatione mali, quia id, de quo prædica- tantùm ratione ratiocinante, penes conceptum explicitum distingui potest; prædicatur autem latè, & prædicatione identica: Philosophus ergo proprie locutus, sive de prædicatione formali, asserit, singulare non prædicari; Porphyrius verò prędicari, ait, impropriè, & prædicatione identica, & sic de uno tantùm dicitur. Nec refert, quòd debuit in descriptione poni ly *impropriè*, quia prædicari absolutè, & sine addito, de propria prædicatione intelligitur. Id, inquam, non refert; omisit enim id Porphyrius, quoniam ex præmissis sufficientèr colligitur, quia si propriè prædicari conveniret individuo, id alterum esset ab illis quinque: statuto ergo, quòd prædicabilia sunt illa quinque, sufficientèr relinquitur, quòd si quid præter illa prædicatur, impropriè tantùm prædicatur; quare sensus illius descriptionis est, quòd individuum eo modo, quo sibi prædicari convenit, nempè impropriè, de uno tantùm dicitur.

ARTICULUS II.

An possit abstrahi una ratio communis omnibus individuis?

283 PRima sententia omninò negat. Ita Spin. P. Alfons. & alii. Secunda affirmat, posse abstrahi rationem communem univocam. Hæc est communis apud Scotistas, ut videre est apud Mastrium hic. Tertia as-

serit, posse quidem abstrahi rationem omnibus communem, eam tamen neque univocam esse, neque ex parte objecti præcissam. Ita communiter Thomistæ, & multi alii. Et quidem quantum ad præsentem controversiam nihilo, ut credo, differt hæc tertia sententia à secunda; fatentur enim passim Scotistæ, quòd illa ratio communis non importat formalitatem aliquam ex parte objecti præcissam, quare tota controversia est de quidditate univocationis, & analogiæ, nempè tenent Scotistæ, univocationem cum analogia consistere, & ad illam sufficere æqualitatem in conceptu explicito, quod negant Thomistæ; de hoc autem disp. seq. q. 1.

284 Dicendum cum tertia sententia, quòd potest abstrahi ratio communis omnibus individuis, sive primò, sive secundò intentionalis, non tamen præcisione ex parte objecti. Prob. de facili: Non enim exprimitur per voces, nisi quod præconcipitur; sed exprimitur communis ratio omnibus individuis, sive primò, sive secundò intentionaliter: ergo. Patet maj. quia voces mediâ conceptione significant. Patet min. ex descriptionibus individui in utrâque acceptione: concipit ergo intellectus, individuum, ut est in re, & primò intentionaliter, propriam habere proprietatum collectionem, & hoc Sorti convenit, & Platoni, & omnibus aliis; concipit item, quòd per intellectum habet ad unum tantùm comparari, & de uno tantùm dici, sive etiam immediatè speciei subjicit & hoc paritèr omnibus convenit.

Quantum ad secundum, quòd illa ratio non sit formalitas ex parte objecti præcissa, ex eo ostenditur, quòd in unoquoque concipimus gradus ex parte objecti distinctos, & potsibiles præscindi, in quantum concipimus, quòd forma ejus habet perficere subjectum suum secundùm alium, & alium conceptum, & præstare aliud, aliud perfectum esse; jam sic quòd forma, qua constituitur individuum, sive primò, sive secundò intentionaliter, non potest concipi præstare aliud, & aliud perfectum esse: ergo non possumus de individuo ut tali alium, & alium conceptum formare ex parte objecti præcissum. Maj. hujus discursûs ostensa est in præcedentibus, nempè sumi gradus metaphysicos ex gradibus ipsius formæ, & proinde tantùm reperiri in habentibus formam in subjecto; & ulteriùs sic patet: Si forma constituiva indivisibile perfectum esse tribuit, tantùm possumus multiplicare conceptus, prout unum, & idem perfectum esse constitui aliter, & aliter exprimitur; sed tunc præcisio est tantùm penes expressiones, quibus idem ex parte objecti respondet: ergo tantùm formalis, & penes conceptus explicitos.

Min.

Min. principalis dircursûs sic ostenditur : Forma constitutiva individui est individualitas ; sed hæc sive primò, sive secundò intentionaliter accipiatur, non habet aliam, & alium conceptum, sive aliud, & aliud perfectum esse communicare : ergo. Ostenditur min. quia primò intentionaliter tantùm habet ultimò terminare, & omninò indivisibilem constituere quidditatem, quod, ut patet, est summa perfectio ; secundò intentionaliter non habet aliquid fundare, quo cum reliquis conveniat, sed tantùm analogiam quamdam sive ad subjicibilitatem speciei, sive ad prædicabilitatem omnium; hæc autem non alia est in uno, ac in alio, neque per aliquid concipitur ad unumquodque individuum determinari : non ergo aliquam rationem omnibus communem ex parte objecti determinabilem, sed expressionem tantùm importat.

285 Arguitur primò in contrarium : Ab ijs, quæ sunt primò diversa, nulla potest accipi communis ratio ; at individua sunt primò diversa : ergo. Patet maj. dicuntur enim primò diversa, quæ omninò diversa sunt, seu quæ in nulla ratione sunt idem ; si autem ab illis potest communis ratio abstrahi, in hac conveniunt : si ergo sunt primò diversa, nulla talis potest ratio abstrahi. Patet item principalis min. quia individua ultimò terminant naturam ; quare ut talia nullo conveniant ; si enim individualitas aliquid importat, quo conveniant, non se tota est ultimus terminus, sed erit ultimus terminus differentia illius, in quo conveniunt, & hæc erit individualitas.

Hoc argumentum tantùm probat secundam partem nostræ conclusionis, quòd nempè non possit talis ratio abstrahi præcisione perfecta, & ex parte objecti. Resp. ergo disting. maj. Nulla potest accipi communis ratio metaphysicé, & ex parte objecti, conc. maj. nulla potest accipi logicè, & ex parte conceptûs expliciti, neg. maj. patet enim, quòd saltim hoc ipsum commune utrique concipit intellectus, quòd sicut hoc est primò diversum, & se toto differt ab illo, ita illud est primò diversum, & se toto differt ab isto ; & hoc modo abstrahit communem conceptum omnibus individuis, quòd nempè sicut hoc individuum suas habet proprietates, quæ nulli alteri conveniunt, ita illud suas habet ; quare hoc concipit utrique commune, suas habere proprietates.

286 Arguitur secundò: Si posset abstrahi communis ratio individui, ea esset, & non esset individuum ; sed hoc aperté implicat: ergo. Maj. ostenditur : Quod omnibus hominibus commune concipitur, homo est, nempè ipsa natura humana : ergo quod omnibus individuis commune concipi-

tur, esset individuum. Rursus: Quod de pluribus prædicatur, non est individuum; sed ratio omnibus individuis communis de omnibus prædicaretur: ergo. Respondent Thomistæ, quòd illa ratio abstracta non esset individuum determinatum, esset verò individuum vagum. Sed contra: Ratio communis de ijs dicitur, quibus est communis etiam collectivè, & patet, quòd plures homines sunt plura individua; at individuum vagum sic non dicitur: ergo.

287 Resp. itaque disting. maj. Esset, & non esset eodem modo, neg. maj. esset individuum signatè, non esset exercitè, conc. maj. sed hoc sensu neg. min. Itaque conceptus abstractus ab omnibus hominibus est, & non est homo, nempè est signatè, & repræsentativè, repræsentat quippè naturam omnium, non autem est exercitè, & subjectivè, nam sic est conceptus intellectûs; sic illa ratio ab omnibus individuis abstracta exercitè non esset individuum, sed conceptus intellectûs omnia repræsentans objectivè in confuso ex hoc autem est individuum signatè, & repræsentativè, & de quolibet dicitur.

288 Arguitur tertiò: Datâ illâ ratione communi, sequitur, quòd species non dicitur immediatè de individuo; sed hoc est inconveniens: ergo. Patet maj. tùnc enim inter hominem, & Petrum mediaret illa ratio Petro, & Paulo communis. Resp. eodem modo: Si illa ratio præscinderet ex parte objecti, tùnc metaphysicè & ex parte objecti aliquid mediaret; at verò quia tantùm ex parte actûs præscindit illa ratio à Petreitate, ex parte objecti ipsam importat Petreitatem; quare immediatè metaphysicè comparatur homo ad Petreitatem. Cætera, quæ objiciuntur, nullius ferè difficultatis sunt, & ex his poterunt facilè solvi.

QUÆSTIO QUINTA
DE DIFFERENTIA.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit differentia?

189 QUamvis idem videatur significare differens, & diversum, propriè tamen aliter accipiuntur; diversum namque dicitur, quòd aliud est tota entitate sua; differens verò, quòd aliquo prædicato veluti formâ ab altero distinguitur, & hoc prædicatum differentia dicitur, de qua in præsenti cap. agit Porphyrius. In hac generali acceptione multiplicitèr dividitur, secundùm quod multiplex est prædicatum faciens differre: primùm dividit Porphyrius ipse in *communem*, *propriam*, & *propriſsimam*: communis est, quæ *accommuni accidenti*, *seu separabili sumitur*, ut Sortes sedens sessione differt à Platone stante, aut à se ipso non sedente: propria est, quæ *sumitur ex proprio*, *sive inseparabili accidenti*, ut ex cicatrice, ut similitate differt quis ab alio: propriſsima est, quæ *sumitur ex prædicato quidditativo subjecti*, ut rationalitate differt homo ab equo.

Hanc trimembrem divisionem ad bimembrem ipse reducit; ait enim, quòd differre aut est differre per se, aut per accidens: si per se, sic est differentia specifica, seu propriſsima; si verò per accidens, aut communi, aut proprio accidenti, & sic est communis, aut propria. Addit verò, quòd communis, & propria simplicitèr differentiæ dicuntur; propriſsima autem dicitur determinatè differentia specifica, quod posset alicui difficultatem facere: si enim duo inæqualitèr conveniunt in aliqua ratione, talis ratio simplicitèr dicta intelligitur de principaliori; at inæqualitèr illa duo habent rationem differentiæ, ita quòd principalitèr differentia specifica: ergo differentia simplicitèr de hac intelligitur. Ad hoc benè ait Cajetanus, quòd multoties dici tale sine addito, ex imperfectione est, maximè, quando additum determinans, perfectionem, & nobilitatem significat, sic bruta solemus dicere animalia sine addito, hominem autem non ita absolutè dicimus animal; ita est in proposito, & ratio esse potest, quia differentia specifica facit aliud, quod magis videtur significare diversum; aliæ autem faciunt alterum, quod

quod magis significat differens.

Ex hoc aliter primò divisionem ad bimembrem reducit, ait enim, quòd differre aut facit aliud, aut tantùm alterum, hoc est, talem, ac tantam diversitatem, quæ possit eidem convenire: primo modo est differentia specifica, seu propriſsima, quæ cùm sit quidditativa, alia, & alia aliam, & aliam quidditatem constituit; secundo autem modo est differentia accidentalis, quæ cùm sit extra essentiam, eidem potest alia, & alia convenire; & si est proprium accidens, propria est, communis autem, si commune, & separabile. Rursus, ex hoc aliter eamdem divisionem assignat: differentia aut est separabilis, aut inseparabilis: si separabilis, sic est communis differentia, nam commune accidens separabile est: si inseparabilis, aut per se, aut per accidens; priori modo est differentia, quæ sumitur ex prædicato specifico, aut propriâ passione; utrumque enim est per se inseparabile, & exemplificat in homine, rationale, mortale, susceptivum disciplinæ æquè per se inseparabilia sunt; inseparabilis per accidens, ait, quòd facit diversum, seu alterum, ut aquilinum esse, vel simum: ex his, ait, quòd in definitione quidditativa debet sumi propriſsima, seu quæ facit differre per se.

290 De hac subjungit, quòd est aut constitutiva speciei, aut generis divisiva; non quòd duplex sit differentia; sed ejusdem duplex acceptio; quare addit eamdem, quæ est generis divisiva, esse speciei constitutivam. De hac igitur intendit, quia hæc tantùm differentia est in ordine ad prædicata, quæ seriem Prædicamenti constituunt, nempe genera, & species; quare hanc multipliciter describit, secundùm quod multiplex munus habet: habet namque primò speciem constituere; secundò de ipso prædicari; tertiò genus dividere; & quartò facere differre unum ab alio.

Ex primo munere definiri a *Id quo species excedit genus*; si enim species ex genere constituitur, differentiâ superadditâ, patet differentiam esse id, quod supra genus importat species. Quod autem aliqui objiciunt, genus plus continere, quàm species, fiquidem genus continet differentias omnes, species autem unam tantùm; solvit Porphyrius ipse, dum ait *Genus continere differentias omnes potestate, actu verò nullam*; species autem actu continet differentiam, qua constituitur, & hac excedit genus. Ex secundo munere definit differentiam: *Quæ de pluribus specie differentibus hoc ipso quale quid est, prædicatur*: cujus sensus non est, ut aliqui imaginantur, quòd habeat simùl utrumque *quale*, & *quid*, seu mixtim prædicetur utroque modo; impossibile enim est aliquid prædicari mixtim, & simùl substantivè, & adjectivè: sen-

sensus ergo est, quòd differentia prædicatur *in quale*, & adjectivè, nempè tale esse significat, sicut duo ultima, sicut enim risibile, & album, ita rationale dicitur, non autem rationalitas; quare Porphyrius ipse de propriis generis, & accidentis utrumque distinguit in eo, quòd genus *in quid*, accidens *in quale* dicitur; cap. autem de communibus differentiæ, & accidentis ait, utrique commune esse de pluribus prædicari, nempè eodem modo prædicantur *in quale*.

Tertiò definit ex tertio munere: *Differentia est id, quod suapte naturâ ea, quæ sunt, sub eodem genere, separat*; si enim animal dividatur rationale, & irrationale dividitur, rationale erit differentia separans hominem ab equo, quæ sint species sub eodem genere animalis. Tandem ex eo, quòd ultimò differentiæ convenit, definiri ait: Differentia est *id, quo singula differunt*. Hæc ex his, quæ communiter circumferebantur, elicuit, quo autem ostendat, quo sensu prædictas approbat differentiæ descriptiones, subjungit: *Exactiùs autem ea, quæ ad differentiam pertinent, pertractantes, differentiam, inquiunt, non quodcùm eorum esse, quæ separant ea, quæ sub eodem genere collocantur, sed id, quod ad substantiam, rationemque confert, & quod pars est ei, cujus differentia dicitur esse*: quibus innuit, quòd datæ descriptiones, nisi hoc subintelligatur, nempè quòd sit pars quidditatis, propriæ, aut etiam communi conveniunt.

291 Porphyrius, quia nullam agnovit infimam differentiam, non dividit ulteriùs; subdividitur autem communiter differentia essentialis, sive propriissima in *infimam*, & *subalternam*: altera est, quæ speciem infimam, altera, quæ subalternam constituit; & proindè una de differentibus numero, alia de differentibus specie *in quale* essentiale, seu quidditativum prædicatur. Hac posita divisione, dubitatur, qualis ea sit? Nam in primis prædicari de differentibus specie, & de differentibus numero eodem modo *in quid* constituit duo prædicabilia, genus nempè, & speciem; sed differentia infima, & subalterna habent, altera de differentibus numero, altera de differentibus specie eodem modo prædicari: ergo debent differre ut duo prædicabilia. Ex alia parte infimum, & subalternum in specie non quidem duo prædicabilia sunt, sed unum, quod tamen inæqualiter, & diverso modo habet rationem speciei; at differentia est formaliter constitutiva speciei: ergo.

292 Resp. admissa divisione, de quo infrà, quòd differentia infima, & subalterna sunt duæ species univocæ, & æqualiter contrahentes rationem tertii Prædicabilis, sed differentiæ propriissimæ, eo

eò prorsus modo, quo genus infimum, supremum, & interjectum æqualiter habent rationem generis, & per eamdem rationem: siquidem eo genus supremum, infimum, & intermedium unam rationem generis primi prædicabilis univocè contrahunt, quia æquè habent prædicari *in quid* incompletè, seu ut totum potestativum; sed differentia infima, & subalterna æqualiter habent prædicari *in quale* essentiale, seu quidditativum, quæ est ratio tertii prædicabilis, æquè sunt pars essentialis speciei, quam constituunt, æquè pariter genus sibi superius dividunt, quæ sunt munera differentiæ: ergo. Ex hoc patet ad motivum dubitandi pro utrâque parte.

293 Primò namque prædicari *in quid* de differentibus numero, aut de differentibus specie diversificat modum prædicandi, nempè prædicari de differentibus numero est prædicari de his, quæ supra id, quod prædicatur, addunt tantùm differentiam individualem, quæ est extra essentiam; quare tale prædicatum importat in actu totam quidditatem illius, de quo dicitur; prædicari de differentibus specie est prædicari de his, quæ addunt differentiam essentialem; quare tale prædicatum dicit quidditatem subjecti incompletè, & potestativè; at verò prædicari *in quale* de differentibus specie, aut de differentibus numero non diversificat modum prædicandi, ut jam patuit: licèt ergo prædicari *in quid* de differentibus numero, aut specie diversificet utrumque prædicabile, non autem prædicari *in quale*.

Deinde patet etiam ad aliam partem: Subjici enim infimo, aut supremo generi diversificat rationem speciei, quia quæ subjicitur infimo, sic habet subjici, quòd habet item prædicari per modum speciei, quare habet utrumque munus, & subjicibilis, & prædicabilis; quæ autem subjicitur supremo generi, sic habet subjici, quòd non habet prædicari per modum speciei, quare est species tantùm secundùm *quid*, & quantum ad alterum munus; at verò differentia infima, & subalterna æqualiter habent speciem constituere propriam respectivè, de ipsa prædicari, genus dividere, facere differre unum ab alio, & tandem prædicari *in quale* quidditativum, quæ sunt munera, & acceptiones differentiæ: ergo licèt infima, & subalterna rationem speciei in æqualiter habeant, habent tamen æqualiter rationem differentiæ. Libuit textum Porphyrii summatim percurrere, quia ejus consideratio non parum pro evacuandis difficultatibus, quæ de differentia occurrunt, poterit juvare.

ARTI-

ARTICULUS II.

An prima divisio exacta sit, & qualis?

294 Circa illam divisionem, qua Porphyrius differentiam dividit in communem, propriam, & propriſsimam, duo dubitantur: An nempè ea sit adæquata, & an illæ tres univocè, aut tantùm analogicè conveniant in ratione differentiæ? Quod utrumque, quia parvi ponderis est, hoc articulo comprehendimus. De primo dubio aliquibus fecit rationem dubitandi, quòd illa divisio trimembris est, quare non videtur exacta, quia est de ratione divisionis, quòd fiat per duo extrema. Hoc autem nullius est ponderis: primò, quia Porphyrius ipse ad bimembrem statim reducit. Secundò, quia non ita est de ratione divisionis, quòd per duo extrema fiat, nisi tantùm materialiter, & quoad voces; sæpe enim genus plures habet species immediatè sui contractivas, ut v. g. *animal*, etsi dividatur per rationale, & irrationale, ly *irrationale* non aliquam differentiam significat; non enim per negationem contrahitur genus positivum, sed immediatè importat plures totorum species, quæ communi voce significantur, & hoc sensu facile fit bimembris illa divisio, nempè in propriſsimam, & non propriſsimam.

295 Rationem ergo dubitandi facit, quòd nonnulla sunt, quæ faciunt differre, quæ tamen ad nullum pertinent ex illis extremis; quare divisio non comprehendit omnem differentiam, & sic non est adæquata. Primò differentia individualis; ea namque non est propriſsima, est enim extra quidditatem; deinde neque propria, quia illi non conveniunt, quę propriæ differentiæ attribuit Porphyrius, nempè aut suscipere magis, & minus, aut alterum tantùm constituere; neque tandem communis, quia non est commune accidens. Secundò forma physica, per quam unum ab altero differt; & tamen ea non est differentia, neque enim *in quale* dicitur, neque ad tertium Prædicabile pertinet.

Tandem facit potiſsimè difficultatem propria passio, quæ neque ad propriam, neque ad propriſsimam pertinet; patet autem, quòd non est communis. De propriſsima quidem patet, non enim est pars quidditatis, aut in definitione habet sumi, & ita in textu ipso asserit Porphyrius; exemplificat enim de animali, cujus sunt differentiæ, aptum, & non aptum ad navigandum; & hanc, ait, non esse differentiam talem, quales sunt specificæ, eo quòd non ad substantiam confert, sed tantùm aptitudo est quædam, hoc est, passio. Deinde, quòd non est pro-

pria, ex eo patet, quòd Porphyrius ait, propriam differentiam magis, & minus suscipere; patet autem, quòd passio non suscipit magis, & minus. Rursus: Propria differentia non *aliud*, sed *alterum* tantùm facit; sed passio facit *aliud*: ergo. Patet maj. quæ enim facit *aliud*, quidditatem constituit. Patet item min. quæ enim *alterum* tantùm faciunt, possunt eidem alitèr, & alitèr se habenti convenire; patet autem, quòd risibile, & non risibile sunt homo, & non homo, neque possunt eidem attribui.

296 Hinc Soto, Canter. Merc. Tolet. citat. á Rubio híc q. 1. censent, propriam passionem ad hujusmodi divisionem non pertinere; solùm enim posset esse differentia propria, sub hac autem collocari non posse ultra superiùs adducta, ex ipso ostendunt Porphyrio: nam de propria locutus differentia, exemplificat tantùm de proprietatibus individui, ut sunt *cicatrix*, & *simitas*: ergo aliter sentit de proprietatibus speciei. Rursus: Communem, & propriam esse, ait, inseparabiles per accidens; at propria passio est per se inseparabilis, & in secundo modo perfectatis convenit: ergo.

297 Sed hæc levia sunt, quare tenet communis sententia, quòd illa divisio est adæquata, & ad illam pertinet quidquid facit differre eo modo, quo differentia est, nempè aut formaliter, aut reductivè. Pro cujus intelligentia notandum primò, quòd Porphyrius de differentia tantùm propriissima, seu quidditativa curat, quia tantùm est tertium Prædicabile; aliæ enim aut non prædicantur, ut forma physica, sive substantialis, sive accidentalis; aut ad duo ultima Prædicabilia pertinent; patet enim, quòd *simum* esse de individuo specificativè, est quintum Prædicabile, de illo verò reduplicativè, ut est tale individuum, est quartum Prædicabile. Deinde notandum, quòd sive eadem sit divisio alitèr, & alitèr accepta, sive alia, & alia sit, non eâdem ratione, & modo accipiendi differentiam explicat in prima & aliis divisionibus; quare quę ut extremo convenire, ait, in hac divisione, non benè alteri extremo attribuitur, sive in alia divisione.

298 Dicendum ergo, quòd divisio est adæquata. Quod sufficientèr patebit solvendo motiva in contrarium. Ad primum ergo de differentia individuali, Oñq. 1. art. 1. in solut. ad 4. ait, reducendam esse ad propriissimam, & suo modo esse quidditativam. Hoc multis rejicit Rubio, potest nihilominùs in aliquo sensu sustineri; accipiuntur enim Petrus & Paulus, aut secundùm quod differunt sub eâdem communi ratione individui, & sunt duo individua; aut secundùm quod differunt sub eâdem ratione hominis priori ergo modo reducitur ad

pro-

propriſsimam differentia individualis; poſteriori verò reducitur ad communem. Ad rationem, cùm dicitur, quòd eſt extra quidditatem, dicendum, quòd *Petreitas* eſt extra quidditatem Petri, ut ſit homo, non autem, ut eſt individuum. Deinde, cùm dicitur, quòd non eſt accidens commune, eodem modo, ſiquidem ſpeciei contingentèr convenit, reſpectu propriei habet modum communis accidentis, & ad communem differentiam reducitur; quam deinde propriam eſſe hujus, aut illius differentiæ, ait Porphyrius, ut *facere aliud*, aut *ſuſcipere magis, & minus*, non hujus diviſionis ſint, ſed aliarum.

Individualitas ergo facit *aliud* in ratione individui, nempè aliud individuum, quare comparativè ad hanc rationem propriſsima eſt; at verò in ratione hominis non facit *aliud*, ſed *alterum* tantùm, quare comparativè ad ſpeciem non eſt differentia propriſsima, ſed vamdem naturam alitèr terminum conſtituit: deinde *magis, & minus ſuſcipere* ei differentiæ convenire ait, quæ eſt per accidens inſeparabilis, ut ſimum eſſe; ex quo tantùm ſequitur, quòd individualitas in alia acceptione non pertineat ad extremum inſeparabilis per accidens; ita autem eſt, ſi enim ad rationem communem individui comparetur, inſeparabilis eſt, non tamen per accidens, ſed per ſe ut differentia propriſsima; ſi autem ad ſpeciem, non eſt inſeparabilis.

299 Ad ſecundum de forma phyſica, ea non prædicatur, quare non eſt differentia, nec ad hoc Prædicabile pertinet, quare non debuit illâ diviſione comprehendi; ſi autem accipiatur concretivè, ſic habet prædicari per modum differentiæ *in quale*, & adjectivè, quare ad illam diviſionem pertinet, & tùnc forma ſubſtantialis ad propriſsimam, ſive quidditativam differentiam reducitur, ut *animatum*; forma autem accidentalis ad communem, aut propriam ſecundùm modum ipſius accidentis, ut *album eſſe*, *aut ſimum*.

300 Ad tertium de propria paſsione, æquivocat, & quæ unius ſunt diviſionis, alteri attribuit: dicendum ergo, quòd in priori acceptione pertinet ad propriam differentiam, & hujus tantùm eſt, quòd ſit inſeparabile accidens, quòd autem magis, & minus ſuſcipiat, ei tantùm, quæ eſt inſeparabilis per accidens; ait enim Porphyrius, quòd iſtæ, licèt inſeparabiles ſint, intenſionem, remiſſionemvè ſuſcipiunt, nempè ſicut ſeparabiles, ut ſimum eſſe eodē modo magis, & minus patitur, ac album eſſe; at verò in hac ſecunda acceptione propriam paſsionem reducit Porphyrius ad per ſe inſeparabilem, nempè aliam eſſe, ait, ſeparabilem, aliam inſeparabilem, & hanc ſecundam ſubdividit in per ſe, & per accidens inſeparabi-

lè; & explificans de per se inseparabili adducit rationale, mortale, susceptivum disciplinæ, quod est propria passio; quare per se inseparabilis non propriſsimam differentiam significat, sed ulteriùs habet dividi in inseparabilem per se primò, & sic est propriſsima, & per se secundò, & sic est propria.

Ad aliud, quòd propria passio facit *aliud*, dicendum, quòd per se, & formaliter non *aliud*, sed *alterum* tantùm facit, nempè alterum physicè, si physicè, & realiter distinguatur; alterum metaphysicè, si tantùm metaphysicè, & intentionaliter distinguatur: v. g. risibilitas passio est quidditati hominis superaddita, sive physicè, sive metaphysicè; ad præsens enim nihil refert utrumlibet dicere; quare accipitur quidditas hominis formaliter secundùm se, & sine passionibus, & sic est formaliter non risibile; aut accipitur realiter, & cum passionibus, & sic est risibile; quare risibile, & non risibile propriè, & formaliter eidem quiditati conveniunt aliter, & aliter acceptæ: *alterum* ergo formaliter facit propria passio, & tantùm *aliud* identicè.

Ad alia duo, quæ subinducunt AA. contrariæ sententiæ n. 296. patet de facili ex jam dictis: ad primum quidem, argumentum est negativum, quod proinde nihil concludit; non enim debuit Porphyrius de omnibus exemplificare, sufficit enim dixisse, quòd talis differentia ex accidente sumitur inseparabili, ut comprehendere intelligatur tàm inseparabile per se, quàm per accidens, imò magis inseparabile per se, quia magis est inseparabile; est autem propria passio accidens per se inseparabile, ut ipse in secunda divisione habet. Ad secundum jam ex dictis patet, propriam differentiam non esse tantùm per accidens inseparabilem, neque propriſsimam quocumque modo per se, sed propriſsima differentia est, quæ sic est per se inseparabilis, quod non accidens, sed pars quidditatis est, nempè per se primò conveniens, & inseparabilis; propria autem, quæ est accidens inseparabile, sive per se, sive per accidens sit inseparabile: pertinet ergo propria passio in priori divisione ad differentiam propriam, in posteriori ad differentiam per se inseparabilem.

301 De secundo dubio, an nempè divisio sit adæquata? N. Manso hic dub. 5. asserit cum N. Villan. quòd ea differentiæ, nempè communis, propria, & propriſsima primò intentionaliter sumptæ conveniunt analogicè, at verò sumptæ secundò intentionaliter conveniunt univocè; pro qua sententia Rubio citat Oñam, apud ipsum tamen non invenio. Probat N. Manso primam partem asserti sui ex eo, quòd eæ differentiæ inæqualiter faciunt differre: secundam autem ex eo, quòd sicut

de genere dictum est, quòd primò intentionaliter aliquando est substantia, aliquando accidens, subindeque analogum; at verò secundò intentionaliter æquè habent rationem generis accidens, & substantia ad species suas, ita dicendum in proposito.

302 His acquiescere omninò non possumus: primò quidem, eæ differentiæ sumuntur primò intentionaliter, secundùm quod alia est albedo, alia finitas, alia rationalitas, nempè secundùm esse, & quidditatem, quam à parte rei habent, & quam de unaquaque concipit intellectus directo aspectu; sumuntur autem secundò intentionaliter, secundùm quod habent fundare intentionem, illam autem fundant, aut secundùm quod habent dividere genus, aut constituere speciem, aut prædicari *in quale*, aut facere differre, quę sunt munera differentiæ; sed facere differre juxta ipsum inæqualiter habent: ergo & fundare intentionem, & sic secundò intentionaliter analoga est divisio. Rursus: Primò intentionaliter una, & eadem quidditas est communis, & propriſsima differentia, nempè album esse est differentia communis superficiei; propriſsima autem differentia coloris.

303 Dicendum igitur: Illas differentias primò intentionaliter, & quantum ad quidditatem uniuscujusque neque pertinere ad præsentem tractatum, neque illâ divisione comprehendi; at verò secundò intentionaliter inæqualiter habere, & analogicè rationem differentiæ, quare divisio est analogi in analogata. Primum patet de facili, nam divisio differentiæ in communem, propriam, & propriſsimam non est in substantiam, & accidens, propriſsima enim quandoque est substantia ut differentia hominis, quandoque accidens ut differentia albedinis; neque ad hunc tractatum pertinet determinatio de quidditatibus, ut in se sunt tales, vel talis quidditas, sed tantùm, ut habent sic, vel sic prædicari, & talem intentionem fundare; jam sic est, quòd eæ differentiæ primò intentionaliter sunt substantia, vel accidens; talis substantia, vel tale accidens: ergo.

304 Secundum itaque ostenditur, quòd nempè divisio sit analogi in analogata; ostenditur primò ex ipso textu Porphyrii, qui postquam divisiones latè explicuit, subjungit, quòd exactiùs, & propriè loquendo, differentia est, quæ est pars quidditatis, & habet in definitione poni; verba dedimus art. præcedenti: ergo aliæ minùs propriè habent rationem differentiæ. Deinde ratione jam suprà insinuata: Aliæ enim prædicabilitatem habent, etiam secundùm quod faciunt differre, quarti, aut quinti Prædicabilis: ergo non habent propriè, sed tantùm analogicè, & ex quadam similitudine ratio-

rationem differentiæ, & intentionem tertii Prædicabilis. Quod amplius patebit considerando singula munera, secundùm quæ habent talem intentionem fundare; sive enim facere differre, sive dividere genus, sive speciem constituere, per se, & propriè convenit differentiæ propriſsimæ. Rursus: Quidditas tertii Prædicabilis non est tantùm prædicari *in quale*, tùnc enim non differrent tria ultima Prædicabilia, quare est prædicari *in quale* quidditativum, sive quòd sit pars essentiæ; sed hoc soli convenit propriſsimæ: aliæ ergo tantùm analogicè, & ex quadam similitudine dicuntur differentiæ.

305 In contrarium quæ solent objici, levia sunt: primò, quòd æqualitèr habent facere differre. Secundò, quòd Porphyr. in text. vocat tres species differentiæ. Tertiò, quòd licèt quartum, & quintum Prædicabile differant in eo, quòd alterum *in quale* contingentèr, alterum *in quale* necessariò dicitur, abstrahitur nihilominùs una communis ratio prædicabilis utrique univoca: ergo paritèr licèt illæ tres differentiæ differant in eo, quòd altera *in quale* essentiale, aliæ *in quale* extra essentiam dicuntur, poterit abstrahi una ratio univoca tertii Prædicabilis.

Ad primum patet ex jam dictis, quòd inæqualitér habent facere differre, nam propriſsima, seu specifica sic facit differre, quòd facit aliam quidditatem, aliæ tantùm faciunt differre secundùm *quid*, & penes alteritatem, quæ potest eidem essentiæ convenire. Ad secundum, latè accipit Porphyrius nomen speciei, quando ait, tres esse species, quasi dicat, tres esse modos differentis, sicut Philosophus sæpe dicit, Prædicamenta esse species entis. Ad tertium, convenire contingenter, aut necessariò non diversificat ipsum convenire *in quale* extra essentiam in conceptu communi; at verò facere alterum, aut facere aliud diversificat ipsum differre, & facit inæqualitatem in ipso conceptu communi, quia aliud differt *simplicitèr*, alterum verò secundùm *quid*.

ARTICULUS. III.

An differentia infima includat subalternas?

306 DE secundo differentiæ munere, quo habet genus contrahere, & speciem constituere, nonnulli dubitant: An differentia sit de necessitate perfectior genere suo? Item qualis sit compositio ex genere, & differentia? Quod utrumque mittendum duximus, quia nullius est difficultatis: & quidem de secundo dubio quandoquidem constat, quòd distinctio inter genus, & differentiam est rationis ratiocinatæ,

ſe, & penes conceptus objectivos; inde patet, qualis eſt compoſitio, ſiquidem *eſt diſtinctorum unio*. Ad primum negare videtur Oña q. 1. art. 5. patet autem de facili communis ſententia affirmativa: Genus enim eſt totum poteſtativum contrahibile per differentias, quare habet modum potentiæ; at potentia per actum ſuum perficitur: ergo.

307 Quæ autem in contrarium ipſe opponit, facile eſt ſolvere: primùm ait in ratione dubitandi, quòd genus non dependet à differentia, nam *animal* v. g. eſſe poteſt, quin ſit rationale, non autem è converſo, quare differentia dependet; at perfectius eſt minùs dependens: ergo. Ad hoc dicitur, quòd quantum ad eſſe in re æquè ad ſe invicem dependent, neque enim animal eſſe poteſt, quin aliquâ differentiâ determinetur, neque differentia, quin aliquam ſpeciem conſtituat; quantum verò ad conceptum quidditativum æquè poteſt intellectus unum ſine altero concipere. Præterea: Genus à differentia aliqua dependet tanquam à determinante potentialitatem ſuam, differentia verò à genere tanquam à ſubjecto perfectibili; patet autem, quòd perfectius eſt, quod hoc ſecundo modo dependet.

308 Arguit deinde: Sæpe differentia ſubalterna majorem perfectionem addit generi ſupremo, quàm ſibi additur à differentia infima; ergo genus intermedium ex tali ſubalterna conſtitutum perfectius eſt differentiâ ſuâ. Antec. oſtendit: Vivens v. g. ſupra corpus majorem perfectionem dicit, quàm dicat ſupra vivens vegetativum, quòd in ignobili virgulto reperitur. Rurſus: Spiritualitas addita ſubſtantiæ magis perficit, quàm ratio incompletæ, qua determinatur ſpiritualitas ad animam noſtram. Confirmatur: Quia peccatum ſpecies eſt actûs humani, nihil autem vilius eſſe poteſt differentiâ peccati.

309 Reſp. neg. antec. ad primam probat. dicitur, quòd differentia corporis eſt vitalitas præſcindens à vegetativa, & ſic potentialis, & determinabilis per ipſam; quare perfectior eſt ratio vegetativi vitalitate *ut ſic*. Ad ſecundam: Ratio ſubſtantiæ non eſt genus ad corpoream, & ſpiritualem, ut probabimus diſp. ſeq. neque ratio ſpiritualis ad completam, & incompletam, ut probatum eſt diſp. præced. q. 3. art. 1. §. 5. Rurſus: Hoc miſſo, dicitur, ſicut ad præcedentem, quòd ratio ſubſtantiæ potentialis eſt, & determinabilis per ſpiritualitatẽ *ut ſic*, quę paritèr potentialis eſt ad completam, & incompletam, neque enim ratio incompletæ privationem aliquam ſignificat, ſed poſitivam differentiam, quæ eſt ultima actualitas animæ noſtræ in ratione ſubſtantiæ ſpiritualis: hæc ergo eſt actus, & perfectio determinati-

nativa spiritualitatis *ut sic*. Ad confirmationem, vera est minor in genere moris, hoc autem non tollit, quin in genere physico suam habeat perfectionem entitativam, & differentiam determinativam actûs humani *ut sic*.

310 Relinquitur ergo difficultas aliquantò major de eo, quod quærit articulus; quæ tamen eadem est, quam suprà expendimus disp. præced. q. 3. art. 1. §. 4. Si enim differentia à genere præscindit ex parte objecti, patet, quòd id in suo conceptu non includit: cogimur nihilominùs iterùm expendere, ut argumenta solvantur, quæ hìc specialitèr objiciuntur. Igitur præter ibi citatos Manso, & Spin. tenent partem affirmativam Thomistæ, Jamd. Javel. Canter. & exercitii gratiâ eamdem defendit Soncin. 7. Metaph. q. 37. item Aver. de aliquibus affirmat, de aliis negat, sicut ibi explicata est sententia Spin. quo item modo philosophatur Arriaga.

311 Communis cæterorum sententia negat, quæ ibi probata est, quare superfluit iterùm probare. Pro solutione autem argumenti oportet præ oculis habere, quod ibi notandum jussimus, quòd nempè differentia metaphysicé ex parte rei significatæ est formalitas abstracta, quam species addit generi; quia tamen hæc non potest prædicari, ex modo significandi recipitur *in quale* adjectivè, & concretivè; putà rationale, quod non rationalitatem ipsam significat, quæ est differentia in ipsa re, sed subjectum rationalitate determinatum: de differentia ergo ex modo significandi, & ut prædicatur *in quale*, non quæritur; sic enim nulli dubium, quin genus includit, significat enim ipsum animal tale esse habens; sed quæritur de differentia metaphysice, ut est taleitas ipsa generi superaddita, & de hac procedit communis conclusio; patet autem, quòd si ea sic genus includit, non est, quod generi superaddit species: ergo hoc esse de quidditate differentiæ, ait Porphyrius, & per hoc illam definit, tenet proculdubio, quòd ea non includit in conceptu suo genus.

312 In contrarium primò objicit Sonc. locum Philosophi suprà explicatum, 7. Metaph. cap. 12. ex quo multiplicitèr arguit: primò enim asserit Philosophus, quòd in definitione posita differentia ultima nihil refert, sive ponantur, sive non ponantur superiores: ergo quia istæ in infima includuntur. Secundò, quasi hujus rationem assignans, ait, ultimam differentiam esse totam rei substantiam, quare eâ positâ, non licet superiores adjungere, fieret enim nugatio, & exemplificat de habente pedes; si enim dicatur, quòd est animal bipes, non oportet addere habens pedes, quia id in ly *bipes* intelligitur. Tertiò ibi docet

docet, ad inveniendam propriam, & ultimam differentiam debere genus dividi per differentias sibi proprias, & exemplificat de habente pedes, non dividitur per *album*, & *nigrum*; istæ enim differentiæ sunt colorati, sed per habere, aut non habere pedes fixos, *fixio namque quædam pedalitas est.*

Ex quo sic arguit: Quoties unum de altero prædicatur in abstracto, includitur in conceptu illius; sed ita prædicatur genus de differentia: ergo. Min. habetur in textu, est enim genus pedalitas, sive habere pedes, differentia autem illos habere tali modo, nempè fixos; at per Philosophum fixio est quædam pedalitas: ergo. Confirmatur: Rationalitas est quædam vitalitas; at rationalitas est abstractum differentiæ, vitalitas autem abstractum generis: ergo. Rursus: Rationalitas aut est substantia, aut accidens? Si hoc secundum, non est differentia hominis; si autem primum, includit genus: ergo.

313 Resp. quòd illo cap. dubitationem intendit: Quomodò definitio una est, si duo includit, nempè genus, & differentiam? Non ergo potest esse mens ejus, quòd genus in conceptu differentiæ includitur; tùnc enim aut non oportet utrumque ponere, & nulla est dubitatio; aut nugatio fiet, genus enim bis ponetur: solutio ergo ejus est, quòd differentia est proprius actus determinativus generis, & ideo ait, quòd oportet propriam sumere, quare fit unum ex actu, & potentia; & hoc sensu definitio est una ratio, & una quidditas definiti, nempè composita metaphysicè ex actu, & potentia; ex quo singula solvere facile est.

Ad primum ergo non ait, quòd nihil refert, sive ponantur, sive non ponantur superiores, alioqui sibi ipsi contradiceret; si enim in eo, quod secundò assumit arguens, docet, quòd non oportet superiores sumere, quia fieret nugatio, cùm eæ in inferiori intelligantur, non potuit sine contradictione ponere, quòd nihil refert, sive sumantur, sive non sumantur: loquitur ergo de differentiis, quibus genus dividitur, ait, quòd nihil refert, sive plures sint, sive pauciores, & quòd eadem est utroque modo generis ratio; non itaque intendit, quòd non refert, sive ponantur, sive non ponantur in definitione superiores, sed tantùm, quòd in divisione non refert, si per plures, vel pauciores fiat, dummodò non per pauciora, quàm duo. Secundum in textu non reperio, sensus tamen patet de facili: Prædicata superiora in definitione non ponuntur, ut *substantia*, *corpus*, *vivens*, quia in inferiori includuntur, non tamen in differentia, sed in genere, quod ponitur substantivè, & *in quid*; quòd si in differentia intelliguntur, tantùm est, ut

ut ea accipitur adjectivè, & ex modo significandi: ratio autem est, quia metaphysicè ex parte rei significatæ differentia est, quod species addit generi: si ergo generi additur, contra ipsum genus accipitur, & non id includit.

Ad tertium dicitur primò, quòd non ait Philosophus, quòd fixio est quædam peditas, sed quòd fixio pedum; patet enim, quòd fixio potest esse manuum, aut alterius partis; at verò fixio pedum non est abstractum differentiæ, sed concretivè accipit ipsam peditatem, quæ est genus. Dicitur secundò, quòd loquitur Philosophus de differentia, ut est divisiva generis, & intendit, quòd debet accipi differentia, quæ convenit generi per se in eo, quòd tale est; quarè ait, quòd malè dividet, qui accipiat habens pedes aliud album, aliud nigrum, quia albedo, & nigredo non sunt peditates, nempè differentiæ habentis pedes in eo, quòd habet pedes, sed in eo, quòd est coloratum: sensus ergo est, quòd fixio est quædam peditas, nempè talitas habentis pedes in eo, quòd pedes habet, non autem est peditas formalitèr, quasi ipsam includat, alioqui non esset differentia; non enim adderetur generi, si ipsum includeret, neque esset, quod species importat supra genus.

Ad formam neg. min. ad probat. ejus jam patet, quòd ea non habetur in textu Philosophi. Ad primam confirmationem disting. maj. Rationalitas enim non est quædam vitalitas formalitèr, quasi quidditativè conceptum vitalitatis includat, sed tantùm determinativè, seu præsuppositivè, nempè præsupponit de necessitate vitalitatem, & est talitas ejus, seu differentia per se conveniens habenti vitalitatem talem, nempè sensitivam; ratio autem est supra data, quòd non nisi nugatoriè, & impropriè adderetur generi, si ipsum includeret. Præterea: Aut si includeret genus, quòd nihil præter ipsum; aut ita quòd aliquid amplius? Si primum, non determinat genus; si secundum hoc, quod amplius dicit, est differentia, de qua loquimur. Quo patet ad secundam confirmationem nempè neg. maj. formalitèr enim, & quidditativè non est substantia, neque accidens, sed talitas substantiæ superaddita, & ipsam determinans.

314 Arguit secundò idem Soncin. Si differentia non includit prædicata superiora, sequitur, quòd conceptus differentiæ infimæ sit simpliciter simplex; sed hoc est falsum: ergo. Min. eo patet, quia conceptus differentiæ non est simplicior genere generalissimo; at tale genus non est conceptus simpliciter simplex, quippè resolvitur in duos conceptus entis, & perfectitatis: ergo. Sequela maj. item patet, quia si conceptus differentiæ non includat superiora,

non

non est resolubilis in duos conceptus: ergo.

315 Resp. quòd si differentia infima non est atoma, & simplex formalitas, non est ultima; si enim duos conceptus habet, per alterum differt, & hic est ultima differentia; si autem atoma est, & simplex formalitas, importat conceptum simpliciter simplicem. Ad formam neg. min. ad prob. ejus dicitur, quòd quo sensu generalissimum resolvitur in duos conceptus, eodem resolvitur etiam infima differentia, habet nempè conceptum entis, & talis entis: sicut ergo in generalissimo habere duos conceptus non obstat simplicitati ejus, quia tales conceptus non important aliam, & aliam perfectionem metaphysice, & ex parte objecti, sed tantùm logicé, & ex parte actûs, ita pariter in differentia infima.

316 Arguit tertiò idem Sonc. Si differentia infima non includit superiores, sequitur, quòd sit de omnis prædicatis, seu generalissimis; sed hoc est absurdum: ergo. Patet min. quia talia tantùm sunt decem Prædicamenta. Maj. sic patet: Quia tùnc nihil haberet supra se; at quod nihil habet supra se, est supremum, seu generalissimum: ergo. Si dicatur, nihil habere supra se directè, & in recta linea, habere autem indirectè, & è latere; contra reponit ipse, quòd etiam genus supremum habet supra se indirectè; verum est enim, quòd substantia est animal prædicatione indirecta; prædicatum autem eo sensu, quo prædicatum est, est superius.

317 Resp. primò, quòd bona est data solutio. Ad rationem in contrarium neg. maj. cum sua prob. prædicatum enim superius est, aut æquale in prædicatione directa; eo autem indirecta dicitur, sive præternaturalis, quia inferius de superiori prædicatur: æquivocat ergo in ly *indirectè*, id enim in serie prædicamentali hoc significat, quòd non rectâ lineâ, sed è latere ponitur; in prædicatione verò quod in recta linea, cùm sit inferius, comparatur per modum superioris. Resp. secundò, quòd differentia non pertinet ad rectam lineam; solùm autem in recta linea inferius includit suum superius: ex quo ergo non includat, non arguitur in differentia formaliter, & metaphysicè sumpta, quòd sit superior, aut inferior, suprema, vel infima, sed ex comparatione ad genus, sive ut sumitur concretivè in ipso toto, quod cum genere constituit.

318 Arguit quartò: Hæc est bona consequentia: *Omnis homo est essentialitèr animal; sed omnis homo est essentialitèr rationalis: ergo rationale est essentialitèr animal*, & sic illud includit in suo conceptu. Quòd si hunc syllogismum imperfectum dicis, quia concludit in *Darapti*, en alium in *Celarent*: *Nullum rationale est*

essentialiter animal; sed omnis homo est essentialiter rationali; ergo nullus homo est essentialiter animal. En habes in syllogismo perfecto conclusionem falsam, quare altera præmissarum debet esse falsa; minor evidens est: ergo falsa erit major, & sic tenet ejus opposita contra conclusionem.

319 Ad hoc argumentum variè resp. missis aliorum solutionibus, nobis dicendum ex eo, quod præmissimas, quòd uterque syllogismus concludit de rationali, ut tenetur concretivè ex modo significandi, nempè subjectum habens tale esse; quæritur autem de rationalitate, nempè de eo, quod metaphysicè, & ex parte objecti, sive in re significata speciei addit generi, sic autem non sequitur, quòd rationalitas sit essentialiter, aut includat animalitatem. Cætera aut soluta sunt disp. præced. loco jam citat. aut ex dictis facili negotio solventur.

ARTICULUS IV.

Per quid constituatur differentia in ratione tertii Prædicabilis?

320 ULtimum differentiæ munus est prædicari de his, quæ differre facit, de quo quæritur: Num ipsam constituat in ratione tertii Prædicabilis respectus ad speciem, vel ad individua speciei? Licèt enim habeat comparari & ad genus, quod dividit, & ad individua incompleta, v. g. *rationalitas* ad hanc, & illam rationalitatem, de his duobus non quæritur; siquidem ad genus non comparatur ut prædicabilis, ad individua verò incompleta, puta, ad hanc, & illam rationalitatem comparatur ut species; quare solùm relinquitur dubium de comparatione ad speciem, vel ad individua speciei.

321 In quo communis ferè omnium sententia tenet, constitui in ratione tertii Prædicabilis per ordinem ad individua speciei. Motivum est, quia sicut universalitatem, & superioritatem nihil potest habere nisi in ordine ad multa sibi inferiora, sic nec talem universalitatem; sed tertium Prædicabile dicit quidditativè talem sibi propriam universalitatem: ergo in ratione talis constituitur per ordinem ad multa, quibus universalitatem habet; jam autem per ordinem ad speciem non comparatur ad multa, sed ad unam speciem, quam constituit, neque superioritatem habet, sed est illi æqualis: ergo tantùm per ordinem ad individua speciei est tertium Prædicabile.

322 Nihilominùs Cajetanus, & alii, quos suppresso nomine citat Espinosa, docent, per ordinem ad speciem constitui in ratione tertii Prædicabilis. Tertia sententia est, quam ipse tenet Espin. qui docet cum prima, quòd uni-

universalitas est de quidditate differentiæ ; cum secunda autem, quòd non ex ordine ad individua, sed ex ordine ad speciem formaliter constituitur; quare docet hanc prædicationem: *Homo est rationalis*, non esse formaliter tertii Prædicabilis, sed reductivè tantùm, & rationem, ait, in præsto esse: Quoniam tertium Prædicabile importat in conceptu generico universalitatem, quam tamen non importat rationale in illa prædicatione, non enim illam habet ad speciem.

323 Sed contra primam sententiam est, quòd universale in eo quòd tale *in quid*, & substantivè dicitur de his, quibus universale est; sed differentia, ut est tertium Prædicabile, non dicitur *in quid*, & substantivè : ergo non habet quidditativè, & formaliter universalitatem. Patet maj. quia universale comparatur ad inferiora sua tanquam contrahibile ad suum contrahens ; contrahibile autem substantivè, & *in quid* dicitur de contrahente. Rursus: Petrus, & Paulus formaliter in eo, quòd multa sunt, non differunt rationalitate: ergo rationalitas, ut est differentia, non dicitur de illis, ut multa sunt. Contra tertiam est, quòd si illa prædicatio non est formaliter, sed reductivè tantùm tertii Prædicabilis, nulla relinquitur, quæ formaliter sit tertii Prædicabilis, ad quam illa reducatur: autenim prædicatur rationale de homine, aut de Petro, aut de hoc rationali; sed primum est reductivè tantùm tertii Prædicabilis, quia rationale, ut ipse ait, per ordinem ad hominem non habet universalitatem, aliæ nullo modo sunt tertii Prædicabilis, quia tale constitui, ait, non per ordinem ad individua, sed per ordinem ad speciem : ergo.

324 Pro solutione notandum primò ex B. D. q. 18. sup. univ. quòd Prædicabile non hîc accipitur, ut est formaliter universale; quòd jam in superioribus attingimus, & ipse sic explicat B. D. *album* potest accipi, ut est communis ratio ad hoc, & illud album, & ut importat accidens in subjecto ; priori quidem modo est formaliter universale, sed sic non est quintum Prædicabile, sed species ; posteriori autem modo est quintum Prædicabile, sed sic importat quidem universalitatem, quia non prædicatur hoc singulare album, sed album *ut sic*, non tamen eam importat formaliter, sed tantùm concomitanter, & identicè, quia non prædicatur, ut est universale, sive ad ea, quibus est universale. Secundò ex ipso textu Porphyrii, quòd non quævis prædicatio formalis, & directa, ex qua sumitur Prædicabile, est majoris de minori, sed poterit esse æqualis de æquali ; tùm, quia ait cap. de Specie : *Nam aut paria de paribus, ut hinnibile de equo, aut majora de minoribus, ut animal*

mal de homine prædicantur, oportet; tùm, quia cap. de Proprio ait, ipsum dici ad convertentiam; quod autem cum altero convertitur, ipsi æquale est.

325 Dicendum ergo ad quæstionem: Differentia constituitur in ratione tertii Prædicabilis per habitudinem ad speciem. Prob. primò ex ipso textu Porphyrii, qui postquàm quatuor assignavit differentiæ descriptiones, ulteriorem tradit, quam approbat; sed in ista differentia explicatur per ordinem ad speciem: ergo. Maj. patet ex verbis ejus suprà datis art. 1. ait enim: *Exactiùs autem ea, quæ ad differentiam pertinent pertractantes*; quibus innuit, quòd ista est magis exacta differentiæ definitio. Min. item patet, quia in hac ait, quòd differentia est pars quidditatis illius, cujus est differentia; at est pars speciei per se, individui verò non nisi ut speciem includit: ergo.

326 Probat. deinde ratione: Respectu illius debet constitui differentia in ratione 3. Prædicabilis, respectu cujus per se, & formaliter habet facere differre, constituere quidditatem, & prædicari *in quale* quidditativum; sed ista habet per se, & formaliter per ordinem ad speciem, non autem per ordinem ad individua speciei: ergo. Patet maj. quia illa sunt munera, ex quibus innotescit, & per quæ definitur tertium Prædicabile. Min. ostenditur: quantum ad primum quidem, quia non facit differre individuum ab individuo, sed speciem ab omni non ipsa: quantum ad secundum deinde, quia non constitui, aut est pars quidditatis respectivè ad individuum per se, & formaliter, sive ut est individuum: quantum ad tertium deinde; tùm, quia non prædicatur de individuo per se, sed ratione speciei; tùm deinde, quia non est *quale* quidditativum individui per se, & ut talis, sed speciei.

Confirmatur ex paritate ad Proprium: Hoc enim æquè a Prædicabile, & æquè habere debet universalitatem, superioritatem, & multa, de quibus dicatur; sed Proprium non dicitur per ordinem ad individua, sed per ordinem ad speciem, cui neque universalitatem, aut superioritatem habet, neque multa respicit formaliter: ergo paritèr de differentia. Patet maj. quia æquè, & univocè omnia quinque habent rationem Prædicabilis; quare si illa sunt de ratione Prædicabilis, in quolibet debent reperiri. Patet item min. Proprium enim speciei Proprium est, & per ordinem ad id dicitur Proprium, cum quo habet convertentiam; non autem convertitur cum individuo, sed cum specie.

327 Hinc patet ad motivum primæ sententiæ, neg. enim min. quòd tertium Prædicabile importet quidditativè universalitatem, aut

ait superioritatem; universalitatem enim tantùm identicè importat, quatenùs non prædicatur hoc singulare rationale, sed rationale *ut sic*; superioritatem autem nullo modo importat, ut est tertium Prædicabile, non enim ut superius de inferiori, sed ut æquale de æquali prædicatur.

328 Arguitur primò in contrarium ex Porphyrio, qui cap. *de* propriis differentiæ, & Proprii ita habet: *Et differentia quidem sequitur ea, quorum est differentia, non tamen convertitur; in Propriis verò fit mutua prædicatio, propterea quòd convertuntur.* Ubi differentiam assignat Proprii differentia, quòd Proprium convertitur cum eo, cujus est proprium, non autem differentia; at differentia cum specie, quam constituit, convertentiam habet, non autem cum individuo: ergo.

329 Resp. quòd Porphyrius ipse illo eodem cap. quo ait, differentiam non dici ad convertentiam, exemplificat de rationali, quod Deo, & homini convenit, quare non convertitur cum ipsa specie. Pro solutione ergo notandum ex dicendis art. seq. quòd differentia infima est nobis ignota, quare differentia hominis non rationale, sed rationale mortale est, ut ibi explicabitur; oportet enim infimam differentiam circumlocutione assignari per duas, quælibet latiùs patet, quàm species, v. g. si tantùm accipias rationale, non soli convenit homini, sed Deo etiam, & Angelis, similiter, si tantùm accipias mortale; si autem accipias utrumque, cum homine convertitur æquè, ac risibile; quòd si rationale accipias, ut significat propriam hominis differentiam, utique cum eo convertitur.

Porphyrius itaque, quia nullam agnoscit differentiam infimam, cujuslibet speciei propriam differentiam per duas circumloquitur, & de qualibet ait, quòd non convertitur, verba ejus sunt: *Nam differentia quidem persæpe de speciebus pluribus dicitur; rationalis enim de Deo dicitur, & de homine; Proprium autem de una tantummodò specie, cujus est proprium, prædicatur*: patet ergo, quòd differentia, ut ponitur in definitione, & est pars speciei, cum ea convertitur, sive ea circumlocutione explicetur per duas, sive aliqua sit simplex, & atomia.

330 Ex quo patet ad aliud, quod ex definitione ipsa desumitur, nempè definitur differentia, *quæ prædicatur de pluribus*; at per ordinem ad speciem non de pluribus, sed de una tantùm specie dicitur: ergo. Ad hoc, inquam, patet; ait enim Porphyrius, quòd Proprium de una tantùm specie dicitur, cujus est proprium; at pariter definitur Proprium per *prædicari de multis*: ly ergo *de multis* non debet accipi formaliter, sed identicè, ut dictum est de universali-

salitate. Communiter pro prima sententia tantùm adducitur, quod suprà solutum est, quare supereſt solvere fundamenta tertiæ; hæc tamen ad hoc tantùm reducuntur, quòd universalitas pertinet ad conceptum generícum, quare conceptus differentialis erit habitudo ad superius, qua determinatur, & constituitur talis universalitas propria tertii Prædicabilis; quia tamen de hoc satis q. præced. diximus de constitutivo speciei, superfluum erit ibi dicta repetere.

331 Quæres itaque pro complemento: An differentia prædicetur ut totum, vel ut pars? De hoc quærit N. Manso q. 7. §. 2. Respondet, quòd prædicatur ut pars actualis, & cùm cõtra se objeciſſet B. D. q. 13. sup. univ. ubi docet, quòd rationalitas non est differentia, sed rationale, quia rationalitas dicit partem, quæ non prædicatur, differentia autem debet prædicari; respondet, quæstiones illas non esse B. D. sed à quodam Fr. Augustino Panizono collectas, ut ex ipso titulo patet, quare concludit num. 11. quòd doctrina illa non est B. D. quia solida non est.

332 Sed veniâ tanti Magistri, doctrina illa in se solida est, quòd enim pars de toto non dicitur, nullâ indiget probatione; patet enim, quod totum includit quidem partem, non tamen est pars. Deinde licèt quæstiones illas citatus Panizono ex Comm. B. D. extraxerit, & uno, aut altero verbo à litera B. D. discrepet, quoniam aliquando sensum, non verba accipit; at expositionem B. D. penes me habeo sup. lib. univ. in qua fol. 12. col. 2. quæstio illa habetur, & doctrina, quam ipse rejicit ut minùs solidam. Nec alteri doctrinæ acquiescere possumus, qua eodem numero concludit, quòd in ista prædicatione: *Petrus est homo*, ly *homo* ex modo significandi sumitur adjectivè, *subjectum habens humanitatem*. Tùm enim species diceretur *in quale* sicut differentia, quod nullus admittit: aliter ergo dicitur *homo*, atque *humanus*, nempe *humanus* adjectivè habens humanitatem, *homo* verò substantivè, & *in quid*.

333 Ad dubitationem ergo dicendum cum B. D. quòd differentia prædicatur ut totum, non quidem substantivè, & *in quid*, sed adjectivè, & *in quale*, nempè cùm dicitur: *Homo est rationalis*, ly *homo* est totum substantivè, scilicèt natura humana, ly *rationalis* est totum adjectivè, videlicèt habens tale esse: quia ergo ex parte rei significatæ partem dicit, sic non prædicatur, sed tantùm, prout ex modo significandi sumitur concretivè.

)o(

ARTI-

ARTICULUS V.

An definitio differentiæ, ut Prædicabilis, sit exacta?

334 HAnc difficultatem, olim quidem celebrem, nunc verò minùs controversam latè pertractat citatus Espin. & usque ad decem refert, & impugnat sententias differt. 23. ipsum vide, si placet, nos breviter, quæ necessaria videbuntur, attingemus. Igitur facit rationem dubitandi, quòd Porphyrius differentiâ definit in eo, quòd Prædicabilis est: *Quæ de pluribus, & specie differentibus in eo, quod quale est, prædicatur*; sed differentia infima, quæ propriè est differentia, non potest de pluribus speciebus prædicari: ergo non benè definitur.

335 Hurtado respondet, Porphyrium turpiter erravisse, ut sæpe alibi, carpitque DD. in ejus explicatione laborantes, & de ejus authoritate nimis solicitos, quippe ipse blasphemus, & Apostata noctuæ more à veritatis lumine aberrans cæcutivit, quod ex parte approbat Mastrius, dum ait, quòd de ejus authoritate sint, qui velint, soliciti. Sed certe Porphyrium in isto tractatu exponendum omnes suscipiunt, quotquot de Prædicabilibus determinant, & ejus mentem quærunt, atque authoritatem sequuntur; quòd autem fuerit Apostatâ, nihil refert, ut bonus esset Logicus, sicut nihil refert, quòd Aristoteles Paganus fuerit, ut ipsum in Philosophia sequatur Schola communiter, quatenùs á vero non aberrat, non enim Paganum, sed Philosophum sequitur.

336 Missâ ergo Hurtadi censurâ, cæteri ad quæstionem duobus modis respondent: alii tenent, omnes differentias illâ definitione comprehendi; alii autem tantùm subalternas. Primus modus in quatuor sententias dividitur. Prima, quam ut probabilem proponit Cajetanus, docet, eam definitionem non debere accipi de positiva exigentia, quasi differentia exigat de multis speciebus prædicari, sed de non repugnantia, quasi usque ad hoc extendatur; quod hoc exemplo explicant nonnulli Thomistæ: Si potentia jaculativa hominis v. g. extendatur usque ad lapidis jaculationem ad centum passus, ex quo definiatur per jaculare ad centum passus, non sequitur non comprehendi potentiam jaculandi ad decem: ergo pariter, ex quo differentia *ut sic* extendatur usque ad prædicari de multis speciebus, non sequitur, eam non comprehendi, quæ de una tantùm prædicatur.

Alii dicunt, ly *de multis specie differentibus* posse accipi aut inter se, aut ab aliis differentibus, & sic utramque comprehendit, infimam, quæ ab aliis, & subalternas,

quę inter se specie differunt. Joannes de S. Thoma observandum jubet, quòd ait Porphyrius *de multis & specie differentibus*, quasi dicat, etiamsi specie differant, quo sensu omnes comprehendit. Alii tandem putant, sub disiunctione accipiendum, nempè de multis vel specie, vel numero differentibus.

In secunda sententia sunt patitèr varii dicendi modi; in primis quidam de antiquis Platonicis, ut Plotinus, & Themist. Philosophus putant, nullam esse infimam differentiam, quare sola subalterna, quæ de differentibus specie dicitur, debuit definiri. Secundò Albertus Magnus, quod & sequitur Flan. tenet, differentiam infimam improprie, & analogicè habere rationem differentiæ, quare tantùm definitio debuit subalternam explicare. Tertiò N. Burl. ait, quòd sicut cap. *de Specie* aliquam dat definitionem, quæ soli infimæ convenit, alias, quæ utramque comprehendunt, ita hìc hanc tradit pro sola subalterna, alias autem, quæ omnes comprehendunt. Quartò alii frequentiùs, quòd differentia infima minùs nota est, quare voluit Porphyrius definire subalternam, cujus frequens erat usus. Quintò alii, nullam infimam differentiam nobis notam esse. Hanc tenet B.D. q. 16. sup. univ. eam esse S. Thomæ, late propugnat citatus Espin.

337 Dicendum primò: Illam definitionem non tradit Porphyrius ex propria mente, quare quamvis ea non sit exacta, non ideo culpandus est, aut erasse dicendus. Hæc patet in ipso textu, singulas enim proponens ait, *definiunt*, quo indicat, non propriam, sed quæ communiter circumferebatur, se adducere descriptionem: deinde, quo magis indicet, præcedentes descriptiones minùs exactas esse, concludit: *Quod exactiùs pertractantes, aliter explicant*; per hoc nempè, quòd est pars determinativa quidditatis, quæ habet definitionem constituere: si ergo ad mentem ejus formanda est definitio differentiæ, ut est prædicabilis, juxta hanc expressionem corrigi debet, ut dicatur, quòd est, quæ de multis prædicatur *in quale* essentiale, nempè, quæ est constitutiva speciei infimæ de multis numero differentibus; quæ autem speciei subalternæ, de multis differentibus specie.

338 Nihilominùs dicendum secundò: Datur quidem re ipsa infima differentia, eaque propriè differentia est; ea tamen est nobis penitùs ignota, quare definitio, quæ soli convenit subalternæ, bona est. Prob. quantum ad primum contra primum modum secundæ sententiæ: Quia datur proculdubio infima species, quæ immediatè ad individua descendit; sed ea aliquâ simplici differentiâ constituitur: ergo. Prob. min. Res quælibet in eo differt ab omni non ipsa,

si, quòd aliquid habet nulli alteri conveniens; sed hoc est gradus perfectionis quidditativæ sibi proprius, & differentialis: ergo. Patet maj. in eo enim, quòd alteri convenit, non ab altero differt. Patet item min. quia si differt quidditativè, per aliquid suæ quidditatis differt: licèt ergo illum gradum nos non possimus attingere, quare cogimur circumlocutione uti, datur tamen in re qualibet, estque infima differentia.

Quantum ad secundum, quòd ea sit propriè differentia, ex præmissis patet, æquè enim, ac subalterna habet genus dividere, speciem constituere, facere differre, *in quale* essentiale dici; non enim si nota esset, posset dici *in quid*, cùm sit pars, & gradus quidditatis actualis, & determinativus; sed hæc sunt munera differentiæ: ergo. Quantum ad tertium, quòd nulla sit nobis nota infima differentia, authoritate primò omnium Antiquorum patet, qui id expressè asserunt. Deinde inductione in singulis: si enim, de quo magis putatur esse, non est, neque de quo minùs.

Itaque si quæ est infima differentia, eæ maximè, quæ communiter circumferuntur hominis, equi, leonis, nempè rationale, hinnibile, rugibile; sed istæ non sunt: ergo. Ostenditur min. & quidem hinnibile, & rugibile non sunt prædicata quidditativa, sed passiones quædam equi, & leonis, sicut risibile hominis. Deinde, sicut nullus agnoscit differentiam essentialem hinnitûs à rugitu, ita neque perfectionem essentialem, quam significat rugibile. De rationali clariùs patet; nam aut sumitur communiter, ut sumit Boëtius in definitione Personæ, & sic Deo convenit, & Angelis, sicut illa definitio; aut sumitur magis specialiter, ut significat discursivum, & neque hoc modo est atoma differentia hominis: primò, quia in probabili Scotistarum sententia Angelis etiam convenit discurrere: secundò, quia duas involvit perfectiones, nempè intelligere, quo homo cum Angelis convenit, & sic intelligere, nempè cum discursu; & hoc item commune est, discurrere enim, seu de uno ad aliud transire, *ut sic*, & præcisivè ab intellectione, sensitivis potentiis convenit, & in brutis reperitur, ut in lib. de Anim. oportebit latiùs expendere: patet ergo, quòd aut rationale non est differentia hominis, quare oportet ponere, ut Antiqui ponunt, *rationale mortale*; aut si est differentia hominis, non tamen atoma, & simplex, sed ex duabus communibus coalescens, nempè ex intellectivo, & discursivo,

Quantum ad quartum de facili item patet: Definitio enim, quæ omnes comprehendit differentias, quarum usus esse potest, benè definit; sed definitio illa omnes tales comprehendit: ergo. Pa-

tet maj. superfluè enim, & omninò inutiliter ea definiretur, cujus nullus esse potest usus sive in definitione, sive in prædicatione. Patet item min. si enim infima differentia est nobis ignota, tantùm possumus accipere sive in definitione, sive in prædicatione de specie infima duas subalternas, quarum quælibet multis speciebus communis est.

339 Contra hoc unum tantùm objicitur: Quòd nempé differentia infima primò intentionalitér ignota fortè est, at secundò intentionaliter, nempè ratio ipsa communis infimæ differentiæ nota est; sed hoc sufficit, ut ea definiatur: ergo debuit definitione comprehendi. Patet maj. licèt enim ignotum sit, quænam est infima hominis differentia, notum tamen est, quòd ratio infimæ differentiæ est, qua species infima constituitur, & ab omni non ipsa differt.

340 Ad hoc dicitur primò, quòd potuit quidem illa ratio definiri, non autem sequitur, quòd debuit; etsi enim cognoscatur illa ratio, si tamen illâ nullus uti poterit, superflua est, & inutilis illius rationis explicatio. Dicitur secundò, quòd illo communi, & confuso conceptu sufficientér & reliquis colligitur ejus definitio.

Cætera nullius sunt difficultatis, vide, si placet, citat. Espin.

QUÆSTIO SEXTA

DE PROPRIO, ET ACCIDENTE.

ARTICULUS. I.

Quid sit Proprium, & quotuplex?

§. I.

Singularis sententia Doctoris Resoluti.

341 ELiseus hìc dist. 2. tùm q. 5. art. 3. tùm q. ultimâ art. 1. licèt cum pluribus locutus hæc duo Prædicabilia explicet, censet tamen de mente Resoluti, nullam dari prædicationem accidentalem, & subinde tam penitùs expungendam. Summa doctrinæ illius hæc est: Notat, aliud esse significationem, aliud verò subtilitatem prædicationis, quare hæc propositio: *Petrus est albus*, quantum ad significationem est accidentalis, quippe significat, formam albedinis Petro inesse; at verò quantum ad subtilitatem prædicationis est essentialis: consistit ea subtilitas in eo, quòd termini aliud significant, pro alio verò supponunt; nam Petrus ex parte subjecti debet accipi pro hoc singulari albo, seu pro hoc subjecto habente albedinem; quare sensus illius propositionis quantum ad subtilitatem prædicationis est: *Hoc album est album*, quæ, ut patet, essentialis est: verè ergo, & in rigore tria tantùm sunt Prædicabilia essentialia.

342 Hæc resolutio latè ab eo probatur, ad hoc tamen unum fundamentum reducitur: Propositio affirmativa importat identitatem prædicati cum subjecto, quam significat copula; sed accidentale prædicatum, cùm sit extra essentiam, nunquam potest subjecto identificari: ergo ea, quę quantum ad significationem importat prædicatum accidentale, ex vi, & subtilitate prædicationis debet fieri essentialis, & sic album v. g. non de subjecto albedinis, quippé huic contingentèr convenit, & illi non identificatur, sed tantùm de hoc, & illo albo, & risibile de hoc, & illo risibili poterit prædicari; quare prædicationes accidentium aut erunt primi Prædicabilis ut coloratum de albo, aut secundi, ut album de hoc albo. Min. supponit notam, & maj. multis probat, inutilitér tamen, nullus quippè illam negat.

Sed

343 Sed levi fundamento hæc resolutio novam, atque inauditam hucusque doctrinam invehit, & quæ apertè est contra Philosophum; ipse quippè prædicationes addmittit per accidens distinctas à prædicationibus per se, hasque, & non illas demonstrationi deservire ostendit, quare multus est in explicando, quæ sunt *per se*, & quæ *per accidens*, ut cuique est notum; at juxta illam resolutionem quælibet est per se, & quælibet demonstrationi potest deservire, imò nulla potest syllogismo topico, talis enim non habet fieri ex propositionibus essentialibus. Deinde: Quantum ad significationem copula *est* significat identitatem; sed forma albedinis non identificatur Petro: ergo neque quantum ad significationem datur propositio accidentalis, quam tamen admittere, ait, Resolutus.

344 Præterea: Nulla erit vera prædicatio, sed quælibet erit inutilis nugatio: nam quantum ad subtilitatem prædicationis debet accipi à parte subjecti illud idem, pro quo accipitur prædicatum, quippe inter hæc est identitas, quam significat copula; quare in ista: *Petrus est albus*, sensus est: *Hoc album est album*; & in ista: *Album est coloratum*, sensus est: *Coloratum est coloratum*, siquidem à parte subjecti debet accipi *album*, secundùm quod habet conceptum colorati, aut *coloratum*, secundùm quod talem determinatè colorem habet; quare sensus erit: *Album est coloratum*, & hoc ipse concedit n. 1061. ait enim, animal de homine prædicari, non prout homo habet conceptum intellectivi, alioqui prædicaretur etiam de Angelo, sed prout habet animalitatem; quare cùm dicitur: *Homo est animal*, sensus est: *Animal est animal*, nam homo prohibente animalitatem accipitur; at patet, quòd istæ sunt inutiles nugationes: ergo.

345 Rursus: Dato, quòd in aliquibus possit vitari nugatio, quando nempè á parte subjecti accipitur idem conceptus prædicati individuatus, ut *hoc album est album*; at adhùc relinquitur aliud inconveniens, tùnc nempè non tria, sed unum tantùm esset Prædicabile speciei, quod patebit singula considerando: in primis prædicatio generis hæc est: *Homo est animal*; sed ista juxta sensum ipsius, & subtilitatem prædicationis non est prædicatio, sed ineptissima nugatio, sensus enim est, quòd homo, secundùm quod animal, est animal. Similitèr prædicatio differentiæ hæc est: *Homo est rationalis*, aut *Petrus est rationalis*; sed qua ratione in præcedente ly *homo* debet accipi secundùm animalitatem, alioqui animal prædicaretur de Angelo, eâdem in ista ly *homo* debet accipi secundùm rationalitatem, alioqui rationale diceretur de bruto: ergo sensus est,

quòd

quòd homo, ut est rationalis, est rationalis. Alia duo ipse expungit; quare tantùm relinquitur vera, & formalis prædicatio speciei.

346 Pro intelligentia ergo notandum, quod suprà q. 2. hujus disp. latè attigimus, nempè concretum accidentale significare aut formam in subjecto, aut subjectum sub forma; hoc enim ad præsens parum refert, supponere verò pro subjecto ipso non secundùm se, sed ut à tali forma determinari habet, v. g. *coloratum* supponit pro substantia ipsa superficiata, non in eo quòd est substantia, aut habet superficiem, sed in eo quòd à tali forma perficitur. Deinde: Hoc subjectum á tali forma perfectum poterit accipi specificativè, & secundùm se, aut reduplicativè, ut habet talem determinationem; patet enim, quòd aliter accipit intellectus, quòd Petrus ut albus, sive ut habet albedinem, est albus, & quòd Petrus est albus.

347 Ex his itaque patet primo, quòd quantum ad subtilitatem prædicationis, sive attentâ suppositione terminorum, dantur prædicationes accidentales quarti, & quinti Prædicabilis; nam istu: *Petrus est albus*, est quinti Prædicabilis; & sensus ejus est, quòd substantia Petri specificativè, & secundùm se est ipsa substantia, quæ dealbatur, sive albedine determinatur; & quia eadem est substantia Petri à parte subjecti, & à parte prædicati, habetur identitas, quam significat copula; quia tamen substantia Petri determinata per albedinem à se ipsa secundùm se differt, habetur, quòd unum de alio dicitur, sive prædicatio est formalis; quia tandem sic determinari contingenter convenit, substantia secundùm se contingenter est eadem, quæ dealbatur. Eodem modo potest patere de quinto Prædicabili.

Patet deinde ad principale fundamentum ejus, neg. enim minor. Ad rationem subinductam dicitur, quòd determinatio extra essentiam est subjecti; at verò prædicatum non pro determinatione ipsa supponit, aut accipi debet, sed pro ipsa substantia ut determinata, quæ eadem est, aliter tamen se habens, quare habet & identitatem, & diversitatem, & consequenter veram facit prædicationem accidentalem.

348 Ex his, quæ ipse multiplicitèr urget, potest contra prædicta adduci, quòd *album* v.g. non potest prædicari de subjecto secundùm se, & specificativè accepto: ergo debet de illo prædicari reduplicativè accepto, ut habet albedinè, & sic prædicatio est essentialis, ut ipse contendit. Prob. antec. Totum non potest prædicari de parte; sed album totum est ex ipso subjecto, & forma albedinis: ergo. Si dicas, *album*, eo quòd non *in quid*, & substantivè, sed denominativè prædicatur, non esse totum

quan-

quantum ad id, pro quo supponit, nempè supponit pro ipsa substantia, quæ albedini subjicitur. Contra reponit ipse, quòd prædicatio est essentialis; ipsa enim substantia, quæ albedini subjicitur, Petrus est essentialitèr, & sine ullâ distinctione: aut ergo substantia, quæ albedini subjicitur, accipitur, ut habet albedinem, cui subjicitur, & sic est totum, de quo procedit argumentum; aut accipitur secundùm se, & sine albedine, cui subjicitur, & sic est prædicatio essentialis.

349 Resp. illam propositionem esse denominativam, hoc significare, quòd in illa non prædicatur de subjecto albedo ipsa substantivè, sed denominatio, quam ex ea consequitur subjectum; quare in illa prædicatione ly *album* neque significat substantiam, & albedinem, qualitèr est totum, sic enim albedo diceretur substantivè ex parte rei significatæ; neque proinde substantiam secundùm se, qualitèr accipitur á parte subjecti: significat ergo substantiam ipsam, ut denominatur, sive determinationem habet á tali forma, qualitèr non totum ex subjecto, & forma, sed subjectum est, determinatum tamen, quo patet ad formam.

)§(

§. II.

Resolvitur Articulus.

350 PRoprium quatuor modis dici, ait Porphyrius in hoc cap. missâ primùm acceptione Proprii, ut contra metaphoricum, & improprium dicitur; hìc enim Proprium accipitur, ut dicitur contra commune: primum Proprium dicitur, quod soli convenit, non tamen omni, ut homini proprium est Musicum esse, vel Grammaticum, non enim aliis ab homine convenit, sed non proinde omni homini. Secundum, quod convenit omni, sed non soli, ut homini proprium est bipedem esse, quia omni homini convenit, non tamen soli, quia etiam convenit avibus. Tertium, quod omni convenit, & soli, non tamen semper, sic canescere proprium hominis est, quod soli, & omni convenit homini, non tamen semper, sed in senectute. Quartum, quod omni, soli, & semper convenit, ut homini risibile, admirativum, disciplinæ susceptivum, & hoc quarto modo propriè accipitur Proprium, ut est quartum Prædicabile.

351 Hoc non definit Porphyrius, sed definitionem ejus ex præcedentibus notam supponit, explicando solùm, quod hujus speciale est, nempè *ad convertentiam dici*; patet enim ex dictis, quòd est

ist Prædicabile, id enim omnibus quinque commune est; patet deinde, quòd *in quale* prædicatur, quo tria ultima a duobus aliis differunt; insuper, quòd *in quale* extra essentiam, quo à differentia distinguitur; & tandem *convertibilitèr*, quo differt á communi accidente: est ergo definitio ejus: *Prædicabile in quale extra essentiam convertibilitèr.*

Ab ista definitione parum discrepat Philosophus 1. Top. cap. 4. ubi ita definit Proprium: *Quod non indicat quid erat esse, soli verò inest, & contra (hoc est convertim) prædicatur de re*; per hoc totum, *quod non indicat quod quid est*, intelligit, quod extra essentiam dicitur, & consequentèr *in quale*, etsi enim prædicatum essentiale possit *in quale* dici ut differentia, non tamen quod est extra essentiam, potest dici *in quid*: non ergo quod ait Porphyrius, Proprium esse, quod omni, soli, & semper convenit, est definitio, sed exceptionis explicatio, qua Proprium propriè dicitur. Notandum autem, quód sicut Accidens commune hìc dicitur, quod contingentèr convenit, licèt primò intentionalitèr, & in sua quidditate non sit Accidens, ut existere licit prædicationem quinti Prædicabilis, licèt existentia non sit de prædicamento Accidentis, ita Proprium non dicitur ex eo præcisè, quòd est propria passio, sed quòd *in quale* convertibilitèr dicitur; ratio autem est, quia hìc non attenditur quidditas rei, quæ prædicatur, sed modus, quo convenit subjecto: non ergo est ad propositum, quod nonnulli hìc de propria passione determinant.

352 De Proprio itaque, ut est Prædicabile, dubitatur primò: An omnes propriæ acceptiones pertineant ad hoc Prædicabile, an quarta tantùm? Omnes pertinere nonnulli docent, ut Cant. Murc. Hurt. & alii apud Complut. Aliquas alii, ut Fons. Arriag. Communis sententia solùm quartam acceptionem ad hoc Prædicabile pertinere docet. Ratio autem est manifesta: nam quidditativa ratio hujus Prædicabilis, ut differt à reliquis duobus, quæ dicuntur *in quale*, est dici convertibilitèr; sed hoc soli convenit Proprio in quarta acceptione, ut patet considerranti singulos modos: ergo.

353 Notandum autem, quòd aliud est accipere prædicatum ipsum, aliud verò aptitudinem, sive exigentiam illius, in quo fortè fundantur AA. contrarii; nam Philosophus 1. Topic. Proprium dicit hominis Musicum esse, aut Grammaticum; nempè aptum esse ad Musicam, vel Grammaticam omni, soli, & semper homini convenit, & dicitur ad convertentiam, non verò Musicam habere, aut Grammaticam; quare priori sensu Proprium est, sed ita non in secunda, sed in quarta acceptione sumitur, posteriori autem sen-

su, quo sumitur in secunda, non Proprium, sed commune Accidens est.

354 Dubitatur secundò, respectu cujus habet Proprium rationem quarti Prædicabilis? Hoc item de quinto Prædicabili dubitatur; & facit rationem dubitandi universalitas, quam non habet Proprium respectu speciei, de qua dicitur ad convertentiam. Ad hoc autem patet ex jam dictis q. præced, quòd de illo, cui universale est, non ut Proprium, sed *in quid* dicetur, ut contrahibile de suo contrahente: Proprium ergo, ut quartum Prædicabile dicitur de eo, cum quo habet convertentiam, universalitatem verò importat identicè, & de materiali, ut de differentia dictum est.

355 Dubitatur tertiò de eo, quod secundò quærebatur in titulo: Quotuplex sit Proprium, nempè, an tantùm Proprium speciei, an etiam generis, aut individui sit quartum Prædicabile? Quòd autem Proprium habeat aliquid non solùm species, sed etiam genus, aut individuum, patet de facili: de genere quidem, quia mobile strictè, & motu successivo convertitur cum corpore, soli enim, omni, ac semper corpori convenit natum esse successivè moveri, substantia enim spiritualis tali motui non subjicitur; de individuo similitèr, ut de Socrate, quòd sit Sophronisci filius; dato enim, quòd Sophroniscus alium non haberet, dicitur ad convertentiam.

356 Facit rationem dubitandi, quòd tàm Porphyrius hìc, quàm Philosophus citat. loco 1. Top. tantùm assignant Proprium speciei, quare alia non videntur ad hoc Prædicabile pertinere. Quod autem addunt Complutenses hìc, quòd nempè Proprium causatur à principiis naturæ; natura autem generica non habet causare, quia unumquodque agit, ut est in actu; quare natura generica non habet propriam passionem, quæ de illa dicatur ut Proprium prædicabile. Hoc in prim. ad præsentem difficultatem non pertinet, sed ad Metaphysicam; aliud enim est quærere, an habeat, vel non habeat propriam passionem, quod ad ipsas quidditates pertinet; aliud verò, an dato, quòd habeat, ea dicatur ut quartum Prædicabile, & de hoc quæritur in præsenti. Deinde, quòd mobilitas sit propria passio corporis, jam patuit, nec ratio in contrarium quid urget; non enim causatur passio propriâ causalitate, sed sequitur ad quidditatem.

357 Ad dubitationem ergo dicendum, quòd Proprium individui reducitur quidem ad hoc Prædicabile, quatenùs habet modum ejus, non tamen propriè est Prædicabile, passio enim individui individua est, quare non propriè prædicatur. Deinde, Proprium naturæ genericæ propriè est quartum Prædicabile; propriè enim

nim habet prædicari *in quale* extra essentiam convertibilitèr, æquè ac Proprium speciei, sicut enim homo est risibilis, ita corpus est mobile; similitèr, sicut omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo, ita omne corpus est mobile, & omne mobile est corpus. Ad motivum in contrarium dicendum, quòd exemplificatur de Proprio speciei, quia nobis, id est, frequentius, non autem proinde excluditur Proprium generis, quandoquidem illi conveniunt, quæ de quidditate Proprii esse dicuntur.

ARTICULUS II.

De Accidente.

358 EX præcedentium explicatione constat, quid sit Accidens prædicabile; constat nempè, quòd habet prædicari, quod commune est omnibus; deinde prædicari *in quale*, quo differt à duobus primis; insuper, prædicari extra essentiam, quo differt á tertio; & tandem, quo specialitèr constituitur, & à reliquis differt, prædicari contingenter; quare est ejus definitio: *Quod prædicatur in quale extra essentiam contingentèr.* Quo habetur primò, quòd quidditas Accidentis, sive Accidens primò intentionalitèr, & metaphysicè æquè convenit quarto, & quinto Prædicabili, utrumque enim extra essentiam dicitur; quintum verò, vel quia non habet proprium nomen, retinuit sibi nomen commune, & dicitur Accidens, vel dicitur Accidens commune. Habetur secundò, quod suprà dicebatur, nempè ad rationem quinti Prædicabilis de materiali esse, quòd quidditas illius, quod prædicatur, sit, vel non sit accidens; Proprium enim accidens est secundùm quidditatem suam, nempè extra essentiam, non verò ut Accidens prædicatur; similitèr subsistentia ad prædicamentum substantiæ pertinet, prædicatur verò accidentalitèr.

359 Porphyrius in hoc cap. Accidens definit: *Quod adest, & abest sine subjecti corruptione*: cùm autem Accidens deinde dividat in separabile, quod nempè connaturalitèr separatur, ut dormire, sedere; atque in inseparabile, quod nempè non ita separatur, ut nigrum esse corvo, vel Æthiopi; ad difficultatem, quæ inde consurgit, quòd nempè Accidens inseparabile non abest, respondet, quòd nigrum esse corvo, vel Æthiopi inseparabilitèr convenit physicè, & quantum ad esse, & hac ratione dicitur Accidens inseparabile, abest verò, sive separatur sine corruptione logicè, & quantum ad attributionem intellectûs; accipitur enim quidditas ejus cum nigredine, vel sine illa: quo patet sensus illius definitionis.

360 Notandum deinde, quòd

illa convenit etiam Accidenti prædicamentali, sive rei, quæ est accidens; hæc enim eo, quòd non pertinet ad quidditatem, mente attribuitur, vel separatur sine ipsius quidditatis destructione. Non tamen proinde, ut vult Joannes de S. Thoma, definitur hîc Accidens primò intentionalitèr, & pro quidditate ipsa, nō enim de rebus hìc intēditur, sed de earum prædicabilitate, sive de ipsis, non ut res sunt, sed ut habent prædicari: quia ergo definitio illa Porphyrii æqué explicat rem ipsam, & modum, quo prædicatur, communitèr, eâ relictâ, Accidens, ut est Prædicabile, definitur ut suprà, non quòd hæc Porphyrii definitio sit insufficiens, sed quòd ea latiùs patet, quàm definitum.

361 Nihilominùs pro ejus explicatione duæ communitèr objiciuntur difficultates: prima, quòd quartum Prædicabile, eo quòd extra essentiam, abest, & adest sine subjecti corruptione illo eodem sensu, quo Accidens inseparabile: ergo illi convenit hæc definitio, quare erit quintum Prædicabile. Ad hanc difficultatem communitèr respondent Thomistæ ex Divo Thoma q. de Spirit. creat. art. ultim. ad 7. quòd *adesse*, & *abesse* duobus modis accipitur; aut præcisivè, ut si intelligatur corvus, non intellectâ nigredine; aut negativè, ut si intelligatur non esse niger: tùnc ad argumentum dicitur, quòd *adesse*, & *abesse* priori modo potest Proprio convenire, ut potest intelligi homo, non intellectâ risibilitate; at posteriori modo non convenit Proprio, non enim intelligitur homo non esse risibilis, sed tantùm communi accidenti, & hoc sensu accipitur in definitione. Sed hęc solutio non suffici-patet enim, quòd sicut non intelligitur homo esse in re non risibilis, ita non intelligitur corvus esse in re non niger.

362 Dicendum ergo ad difficultatem, quòd Porphyrius [illegible] cap. præced. Proprium explic[illegible] supponendo, quæ prædicta su[illegible] quare tantùm de illo addit id, qu[illegible] à præcedentibus differt, nempe quod dicitur extra essentiam convertibilitèr, ita in hoc cap. Accidens definit supponendo prædicta de Proprio, quare descriptionem illam accipiendam intelligit, ic[illegible] quòd non convertibilitèr dicatur quod ergo adest, & abest sine subjecti corruptione, Accidens est, [illegible] accidentalitèr prædicatur, ita[illegible]men quòd si ad convertentiam d[illegible]citur, est Accidens proprium; si autem non dicitur ad convertentiam, sed contingentèr, sive separabile, sive inseparabile sit, est Accidens commune, & quintum Prædicabile.

363 Altera difficultas est, quòd aliqua accidentalitèr prædicantur, quæ tamen non intelliguntur adesse, & abesse sine corruptione subjecti, v. g. mors non adest sine corruptione, ipsâ enim adveniente

tè destruitur subjectum ; similitèr existentia sine destructione non abest, hoc enim est subjectum destrui, existentiam ejus deficere, utramque autem dicitur accidentaliter. Communis solutio, quam etiam amplectitur N. Manso, est, duplicem esse corruptionem, alteram physicam, & quantum ad esse in re ; alteram metaphysicam, & quantum ad prædicata quidditativa : definitio de hac secunda accipitur; at verò, quæ in argumento afferuntur, tantùm physicam causant. Sed hæc solutio de existentia quidem tenet, non verò de morte, quæ advenieus etiam metaphysicam corruptionem causat, tollit enim *vivens*, quod est prædicatum quidditatis.

364 Quare alitèr ex Cajetano respondent aliqui Thomistæ, quòd mortuum esse aut sumitur *in fieri* pro exercitio separationis animæ à corpore, & sic non tollit vivens, verè enim vivit anima, quando illa separatio exercetur ; aut sumitur *in facto esse* pro privatione vitæ, & tùnc aut habet distractionem, & sensus est, quòd homo, qui erat, est mortuus; aut est prædicatum repugnans, & sic ad nullum Prædicabile pertinens, non enim minùs homini verè tali repugnat mortuum esse, ac esse lapidem. Secundò clariùs respondet Mastrius, quòd vivens, quod est prædicatum hominis quidditativum, non significat exercitium ipsum vivendi, quo mors privat, sed aptitudinem, quam non destruit, quare mors advenit sine destructione quidditatis, tàtùm enim tollit exercitè vivere à subjecto physicè existente, non autem à quidditate metaphysica natum vivere. Utraque solutio probabilis est.

365 Est nihilominùs tertia solutio, qua respondet Cober. quòd verba definitionis debent divisim accipi, ita ut ly *sine corruptione* debeat appellate super *abesse*; mors autem, quando abest, non destruit, quare dicitur accidentaliter. Hanc solutionem rejicit Espin. quia definitionem Accidentis destruit, & toto cœlo aberrat à mente Porphyrii; si enim Accidens adveniens destruit subjectum suum, non erit Accidens, sed Prædicatum repugnans. Sed solutionem illam ex P. Augustino adducit B. D. & sufficientem esse, ait q. 18. sup. univ. ad ultim. argum. quod hoc ipsum erat; respondet enim, quòd secundùm P. Aug. Accidens est, quod absens non destruit, nec præsens constituit subjecti quidditatem, & ad hunc sensum posse accipi definitionem Porphyrii; patet autem, quòd mors adveniens non constituit, & quidquid extra quidditatem est, nec præsens aliquid ponit, nec absens aliquid tollit, quod sit de ratione quidditatis. Alia solent objici minoris momenti, quæ ex dictis facilè solvuntur, quare de Prædicabilibus hæc sufficiant.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

DE PRÆDICAMENTIS.

HIC INCIPIT DIALECTICA ARISTOTETIS, IMÒ inter ejus opera hoc censetur primum, dignum quidem, quòd inter reliquos Expositorem habuerit P. AUGUSTINUM, qui illud Adeodato filio exponit. In eo Philosophus quidditatum simplicium cognitionem intendens logicè, & per intentiones, quæ de illis formari possunt, res omnes ad decem capita revocat, quæ Prædicamenta, seu suprema Genera dicuntur, sub quibus ordine collocantur differentiæ, & species usque ad individua: patet ergo, alitèr, & alitèr materiam hujus tractatùs Logicam esse, & Metaphysicam: si enim attendatur penes quidditates ipsas, Metaphysica est; si autem penes ordinem, quem inter se habent superioris, & inferioris, & intentiones generis, differentiæ, & speciei, Logica est: patet itaque, quòd inverso doctrinæ ordine de Prædicamentis communitèr tractatur, siquidem de quidditatibus ipsis tota controversia est, & subinde Metaphysica: ne autem à communi à Modernis statuta sede difficultates extrahamus, consuetudini morem gerere cogimur: habet autem tres partes principales tractatus iste, Anteprædicamenta, Prædicamenta, & Postprædicamenta, de quibus eodem ordine disputare aggredimur.

QUÆST.

QUÆSTIO PRIMA

DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

ARTICVLVS I.

Explicantur Univoca, Æquivoca, & Denominativa.

1 DE his omnibus brevissimè determinat Philosophus, & quidem meritò, quæ enim hoc circa controvertuntur, non logica sunt, sed metaphysica; idcircò omisit considerationem de analogis, quam item omittit S. P. omnes antiqui hujus tractatûs Interpretes, quia apud Logicum non distinguuntur analoga ab æquivocis, sed æquivoca sunt, quæ dicuntur à consilio: ratio autem est, quia quæ dicuntur æquivocè, aut analogicè convenire, aut comparantur ad communem vocem, qua significantur; aut ad rem significatam: hoc posteriori modo differunt, sed ea comparatio non est de consideratione Logici; priori autem modo considerantur á Logico, sed hac acceptione non differunt æquivoca ab analogis, conveniunt enim in eo, quòd sub una voce non habent unam quidditatem; quare S. P. divisionem facit adæquatam in homonyma, & synonyma, & homonyma deinde subdividit in à casu, & à consilio.

Quod ulteriùs ex eo patet, quòd de his hîc determinat, quo à prædicamentali serie ea excludantur, quippè unam quidditatem non important; at quantum ad hoc non differunt æquivoca, & analoga, neutra enim unam quidditatem dicunt. Hac ratione, ait B. D. hîc, priùs determinat de æquivocis, & denominativis, quàm de univocis, quia priùs extirpanda sunt vitia, quàm inserendę virtutes; se habent autem æquivoca, & denominativa veluti vitia, quæ à prædicamentali serie excludenda sunt: determinabimus nihilominùs de analogis seq. art. breviter licèt quantum ad præsens pertinet institutum; latior enim determinatio ad Metaphysicam relinquitur, ubi de conceptu entis disputatur.

Benè ergo B. D. in 1. dist. 25. q. 2. art. unic. observandum jubet, quòd Logicus valdè largè accipit æquivocum, ut sub illo comprehendat analogum; ex quo possunt multi textus Philosophi ad speciem contrarii conciliari: nam in 1. Topic. cap. 4. *fanum* dicit æquivocum ad cibum, & urinam; constat tamen, quòd est analogum: rursus alibi ait, quòd ens æquivocè de omnibus dicitur, nem-

nempè: *Si quis omnia entia vocat, æquivocè nuncupabit*, quod ex eo ibi adducit B. D. Rursus in 4. Metaph. cap. 2. ait, quòd ens non dicitur æquivocè, & id generis multa alia. Hæc itaque sine contradictione benè intelliguntur ex dictis; quia enim logicè æquivocum ab analogo non differt, pro eodem aliquando accipit, & hoc sensu æquivocum dicit, quod metaphysicè est analogum, ut *ens*, & *sanum*; quia tamen quantum ad quidditatem, & rem significatam differunt, ubi metaphysicè loquitur, non æquivoca dicit, sed analoga.

2 Definit ergo Philosophus æquivoca: *Quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ per nomen significata est diversa.* Dicit, nomen esse commune omnibus æquivocatis, ut innuat, definire se æquivocum æquivocans, ait B. D. æquivocata namque, nempé res ipsæ, quæ nomine conveniunt, non sunt Dialectici instituti: dicit deinde, quòd ratio substantiæ, hoc est quidditas, diversa est; addit tamen debere accipi, prout per nomen significatur, nam *Gallus* v. g. æquivocè significat hominem, & avem, quorum quidditas in ratione animalis univocè convenit, ita tamen non significatur per illud nomen. Dividunt æquivocum in à casu, & à consilio: à casu dicitur, quod simpliciter æquivocum est, quando fortuitò, & non ex aliqua proportione, aut similitudine commune nomen habent, ut in exemplo adducto; à consilio autem dicitur, quando ex proportione, aut dependentia unius ab altero, nomen unius alteri attribuitur, ut sanum, quod proprié significat sanitatem animalis; ex habitudine, qua illam indicat, attribuitur pulsui, & dicitur pulsus sanus, hoc tamen propriè est analogum.

3 Univoca definit Philosophus: *Quorum nomen est commune, & ratio per nomen significata eadem in omnibus*, ut homo, animal; quæ definitio clara est, significat enim, quòd univoca dicuntur quæcumque sub communi nomine unam quidditatem habent, sive unum conceptum objectivum: pro pleniori autem intelligentia dubitatur primò de hoc ipso: An nempè ad univocationem requiratur unitas conceptûs objectivi, sive una quidditas ex parte objecti præcisa? Nominales, & qui objectivas præcisiones negant, sufficere docent ad veram univocationem unitatem conceptûs formalis, & penes expressionem. Negant verò cæteri, & meritò; si enim res ipsa concepta non accipitur sine differentiis, quibus diversificatur, & multiplicatur, tùnc non habetur unitas quidditatis, & rei significatæ, sed voci respondet multiplex quidditas sicut in æquivoco: requiritur ergo ad univocationem præcisio perfecta, sive ex parte objecti, & rei con-

conceptæ à differentiis multiplicantibus.

4 Dubitatur secundò: An ratio significata per nomen debeat æqualitèr in omnibus reperiri, vel possit salvari univocatio in eo, quòd inæqualitèr, & magis perfectè in uno, quàm in alio, reperiatur? Scotistæ communitèr distinguendum docent de univocatione: alia enim est perfecta, & completa, quando nempè plura conveniunt in forma, in modo habendi illam, & in gradu perfectionis ipsius formæ, & talis solùm reperitur in specie infima, quæ cùm habeat contrahi per differentias materiales, & quę non constituunt quidditatem, eadem omninò reperitur in omnibus: alia est univocatio incompleta, & imperfecta, in qua nimirùm ratio significata eadem est in omnibus; quare dicuntur univocè convenire, non tamen habet eumdem perfectionis gradum in omnibus, sed patitur inæqualitatem, & etiam dependentiam unius ab altero, qua ratione deficit à perfectione univocationis, & dicitur univocatio incompleta.

Docent itaque, quòd ad perfectam, & completam univocationem requiritur illa æqualitas, non verò ad incompletam: ratio est, quia id non exigit Philosophus in definitione univoci *ut sic*, sed tantùm, quòd habeat unam rationem; quare si unam habet perfectè, & æqualitèr in omnibus, erit univocatio completa, & perfecta, qualis reperitur in specie infima; sin verò eamdem quidditatem habent, inæqualitèr quidem, sed sine dependentia unius ab altero, erit univocatio incompleta in secundo gradu perfectionis, & talis reperitur in genere; quare ait Philosophus, quòd in genere latent æquivocationes; si tandem eamdem quidditatem habent, quæ tamen non solùm inæqualitèr in omnibus est eadem, sed insuper in uno habet dependentiam, & attributionem ad alterum, erit univocatio incompleta in tertio gradu perfectionis, talem habet conceptus entis ad substantiam, & accidens, seu potiùs ad creatum, & increatum, substantię enim, & accidenti genus esse dicunt; ratio nempè entis, sive ipsum esse in creatura reperitur, non solùm tamen minùs perfectè, ac in Deo, sed etiam cum dependentia, & attributione.

5 Hæc doctrina ex instituto examinatur in Metaphysica, ubi agitur de conceptu entis: interim dicendum, implicare quidem, quòd quidditas una sit, & eadem, & tamen inæqualitèr reperiatur in omnibus: eo namque essentiæ rerum sunt sicut numeri, quia sicut in numeris facta additione non relinquitur idem numerus, sed hoc ipso, quod sibi additur, fit alius numerus, ita in essentia quælibet additio essentialitèr diversificat, & facit aliam essentiam; at

nequit intelligi inæqualitas in ipsa essentia, & quòd in uno perfectior sit, quin aliquem gradum perfectionis in uno habeat, quem non habet in alio: non ergo poterit esse eadem essentia, sive ratio in utroque, sed si inæqualis est, alia, & alia erit.

6 Dicendum ergo, quòd ad veram univocationem, sicut perfecta unitas, ita æqualitas requiritur rationis significatæ. Ratio est, quam præced. num. dedimus: si enim non separetur ratio significata à diversificantibus, & multiplicantibus ipsam, non una est, sed multiplex, & tùnc sub una voce non habetur una, sed multiplex ratio significata, & ita contingit de conceptu entis; quia enim ex parte objecti ipsum esse non potest præscindi á taleitate, qua est creatum, aut increatum, non unum esse, sed multiplex respondet in Deo, & creatura; si autem ratio illa per nomen significata perfectè, & ex parte objecti præscinditur á differentiis, sic præcisa una quidem est, sed nihil habet inæqualitatis; separatur enim á taleitate, qua fiebat hujus, vel illius; ita contingit in genere, animal nempé præcisum à differentiis non est hominis, aut equi, sed puram dicit virtutem sentiendi perfectè unam, & æqué homini, & equo convenientem, & sic univocam.

7 Ad motivum dicendum, quòd sufficientér Philosophus illam æqualitatem requirit, siquidem ait, quòd ratio significata eadem est; ut enim jam patuit, si in quidditate ipsa præcisa à differentiis inæqualitas habetur, non est eadem, est enim quidditative differens, & sic alia. Quod autem ait Philosophus, quòd in genere latent æquivocationes, & quòd sola species specialissima est physicè univoca, planum habet sensum, nempè appellat ad id, quod est in re: vult ergo, quòd speciei specialissimæ, puta homini, in re extra respondet una quidditas, ea namque non diversificatur essentialitèr in Petro, & Paulo; generi autem, puta animali, non respondet in re extra una, sed multiplex quidditas, nempè homo, & leo, cum quo stat, quòd in intellectu separante á differentiis, quibus in re diversificatur, perfectè una sit, & univoca: ratio autem est, quia tàm homo, quàm animal in re significant formam physicam; ea autem in Petro, & Paulo, quibus convenit homo, diversificatur tantùm materialitèr; in homine autem, & leone, quibus convenit animal, diversa est essentialitèr; in intellectu autem non formam physicam, sed gradum perfectionis, quem intellectus unum accipit æquè his, & illis communem.

8 Denominativa deinde definit Philosophus: *Quæ ab alio appellationem habent solo differentia casu*, ut á Grammatica dicitur quis denominative Grammaticus,

à fortitudine fortis. Est autem communis difficultas, quòd aliqua denominativa non differunt casu, ut cùm mulier Grammatica dicitur, vel Rhetorica, proculdubio denominativè dicitur; at in his denominativum à denominante non differt casu: ergo id non est de ratione denominativi. Respondent Complutenses, id esse per accidens, quòd nempe, dùm à masculino *Grammaticus* derivatur femininum *Grammatica*, casu accidit eamdem terminationem habere. Hoc autem ad difficultatem nihil est; si enim de ratione denominativi est, quòd casu differat, non poterit per accidens contingere, quòd aliquod denominativum casu non differat; sicut quia est de ratione hominis, quòd sit animal, non poterit contingere, quòd aliquis homo non sit animal, casu enim quòd per accidens non contingat, non erit homo: ergo pariter casu, quòd per accidens contingat, aliquod denominativum non differre casu, non erit denominativum, si id est de ratione ejus.

9 Respondet itaque B. D. in expositione textûs, quòd differre casu non debet accipi quantum ad terminationem vocis, sed quantum ad modum significandi, nempè nomen pro materiali importat vocem, & pro formali significationem; itaque denominans significat formam ipsam, denominativum verò formam adjacere subjecto, & in hoc differt *Grammatica* denominativum à *Grammatica* denominante: ratio est, quia de his determinat Philosophus in ordine ad Prædicamenta, ut nempè ostendat, quòd denominans in Prædicamento per se reponitur, denominativum verò ad Prædicamentum pertinet denominantis, à quo appellationem sumit; at pro hoc de materiali se habet terminatio vocis: ergo.

10 Contra definitiones Philosophi aliqua objiciuntur, & primò contra definitionem æquivoci: Non definitur, nisi quod habet unam quidditatem; sed æquivocũ unam non habet: ergo. Aliter: Definitio data æquè convenit omnibus æquivocis: ergo per eam non definitur æquivocum, ut æquivocum est, sic enim non habet unam rationem æquè omnibus convenientem, sed ut est univocum. Resp. missis aliorum solutionibus, quòd æquivocum æquivocans, seu potiùs æquivocum signatè acceptum dicit unam rationem communem æquè omnibus æquivocis convenientem, & hæc definitur, estque æquivocum signaté, exercité verò univocum; quòd autem non habeat quidditatem, convenit æquivoco exercitè accepto, ut significatur per illam rationem.

11 Arguitur secundò contra eamdem definitionem: Aut æquivocum plura significat sub copulatione, aut sub disjunctione; sed

neutro modo potest plura significare: ergo nullum est æquivocum. Maj. nota est, non enim est medium inter illa duo. Min. quantùm ad primum sic patet; nam tùnc sensus istius: *Canis movetur*, esset, quòd sydus movetur, & piscis movetur, & latrabile animal movetur, ita quòd aliquo quiescente absolutè falsa est propositio: similitèr quantum ad secundum; quia tùnc sensus esset, quòd hic, aut ille movetur, ita quòd quolibet moto vera est, omnibus immotis absolutè falsa est; at propositio, in qua ponitur terminus æquivocus, non est absolutè vera, aut absolutè falsa, sed distinguenda: ergo.

12 Ad hoc argumentum aliqui respondent, inter quos Aversa q. 15. quòd nomen æquivocum absolutè prolatum neutrum significat, neque omnia sub copulatione, neque aliquod sub disiunctione, sed ex vi sua suspensum relinquit audientis animum, ut pro hoc, aut illo accipiat. Sed hæc solutio primò deficit, quia in tantum est nomen, in quantum significat: si ergo absolutè prolatum non significat, absolutè prolatum non est nomen. Secundò, pro eo potest accipi, quod significat; sed neque copulativè, neque disiunctivè significat: ergo neque pro omnibus, neque pro aliquo potest accipi: implicat ergo ponere ex una parte, quòd potest accipi, & ex alia, quòd non significat.

13 B. D. 1. Elench. cap. 3. ad illa verba: *Verum sanabatur quidem, & laborans*, ubi multa de æquivocis disputat, distinguendum docet; potest enim nomen referri ad impositionem, aut ad comparationem, quam facit sive audiens, sive enuntians ad suum significatum: priori modo omnia significat sub copulatione, quia simùl habet impositionem ad omnia significanda; posteriori modo aliquod significat sub disiunctione, quia nequit simùl ad omnia comparari. Quare autem simùl habet impositionem ad omni, non autem habere potest comparationem, cùm tàm comparatio, quàm impositio dicat relationem rationis. Respondet B. D. ibi, quòd impositionem importat de præterito, quare potuit pluribus actibus fieri, & nomen simùl habet, quo ex pluribus actibus relinquitur, & quo fundat plures relationes rationis; at comparatio fit de præsenti, & sicut non potest pluribus simùl actibus comparari, ita nec plures habere relationes.

14 Contra hanc solutionem est una difficultas, quam ibi tangit B. D. quòd nempè Philosophus in 1. Perh. ait, quòd si hoc nomen *tunica* esset impositum ad significandum hominè, & equom, dicere, quòd tunica est alba, esset dicere, quòd homo est albus, & equus est albus: ergo si hoc nomen *canis* v. g. impositum est ad significandum animal, sydus, & pis-

piscem, dicere, quòd canis latrat, est dicere, quòd sydus latrat, & quòd pisces latrat, quod est importare omnia sub copulatione. Ad hoc ex B. D. ibidem potest duobus modis responderi: primò quidem, quòd nomen impositum esse ad significandum plura, potest duobus modis esse; aut unâ impositione, sicut nomen univocum; aut pluribus: quod priori modo impositum est, ita plura significat, quòd facit propositionẽ multiplicem, ut dicere, quòd *Homo est animal*, facit sensum, quòd Petrus est animal, & Paulus est animal, & hoc sensu loquitur Philosophus; at verò quod non unâ, sed multiplici impositione habet plura significare, ita simùl importat impositionem ad multa, quòd non facit propositionem multiplicem, & ita est de æquivoco, quare *canis latrat*, non facit illum multiplicem sensum, ly enim *latrat* cui convenit ex impositione, qua habet significare animal, non autem, qua habet significare sydus.

Aliter potest dici, quòd aliquid voci convenit præcisè ex impositione, aliquid verò non nisi ex comparatione ad tale significatum; quod voci convenit præcisè ex impositione, si ad multa impositionem habet, ad illa multa convenit; quod verò non nisi ex comparatione ad significatum, et si ad multa habeat impositionem, non ad illa multa convenit, sed ad unum, cui comparatur: Philosophus ergo de eo loquitur, quod voci convenit præcisè ex impositione; & sic si tunica imponeretur ad significandum utrumque, dicere, quòd tunica est alba, esset dicere, quòd utrumque est album; at verò in proposito ly *latrat* non ex impositione ut sic, & præcisè convenit cani, sed ex comparatione ad hoc significatum.

15 Arguitur tertiò contra eamdem æquivoci definitionem: Quod ex ea sequitur, æquivocum non esse nomen, cùm tamen in definitione ponatur, quòd nomen est commune. Prob. sequela: Per idem habet unumquodque esse, & unum esse ex 1. Metaph. sed æquivocum non est unum nomen: ergo. Prob. min. Habet esse nomen à significatione; sed non habet unam significationem, sicut neque unam impositionem: ergo. Resp. quòd nomen æquivocum multiplicem habet significationem, sicut & multiplicem impositionem, sed non proinde est multiplex nomen absolutè, licèt posset dici multiplex in aliquo sensu, quo nempè Philosophus loc. sup. cit. Perh. dicit terminum multiplicem, qui facit multiplicem propositionem.

Pro intelligentia itaque notandum, quòd concretum accidentale, quidquid sit, an significet formam in subjecto, vel subjectum sub forma, certum est, supponere pro subjecto, non secundùm se, & ut est res talis, sed ut

habet

habet esse tale à tali forma; quare absolute multiplicatur tale concretum multiplicatione subjecti, à quo forma habet substentari, & individuari, multiplicatione autem formæ, tantùm secundùm *quid*, & in ordine ad ea, quæ ipsi formæ conveniunt, quia esse, quod talis forma tribuit, est esse secundùm *quid*: v. g. casu quo duplex albedo in eâdem superficie poneretur, non esset duplex album, sed unum, quod haberet duplex dealbari; ê contra autem, casu, quo una albedo in duplici subjecto poneretur, esset duplex album: in proposito ergo nomen est concretum accidentale ex voce, & significatione ad placitum; quare si una vox duas habet significationes ad placitum, est absolutè unum nomen, & tantùm duplex secundùm *quid*, & cum addito, quatenùs ratione duplicis significationis potest facere enuntiationem duplicem; ê contra verò, si duplex vox eamdem habeat significationem, ut idem significant ensis, & gladius, est duplex nomen absolutè: notandum verò, quòd sermo est de significatione ad placitum, quæ est forma nominis, non autem de significatione naturali conceptûs de ipsa voce, hæc enim est quidditas vocis, ut à sono differt, & non multiplicatur nisi multiplicata voce.

16 Arguitur quartò contra definitionem univoci: Ea convenit denominativis, nam ratio significata per nomen *album* v. g. omnibus albis convenit, & eadem in illis est; ea siquidem ratio nihil est aliud nisi subjectum albedine perfici, quod æquè nivi, & lacti convenit, & si in illis reperitur diversitas, non est in eo, quod per nomen *album* significatur. Respondent Complutenses, quòd ratio denominativi sumitur ex ordine ad formam denominantem, ratio verò univoci ex ordine ad subjectum, de quo dicitur æqualitèr, & secundùm unam rationem: quare sunt rationes disparatæ, quæ eidem secundùm diversa possunt convenire. Sed contra: Denominativum in ordine ad subjectum, de quo dicitur, denominativum est, nempè adjectivè, & *in quale* dicitur; at ei sic convenit definitio univoci, nempè æqualitèr dicitur, & secundùm eamdem rationem: ergo.

17 Resp. itaque ex doctrina, quam habet B. D. q. 20. sup. univers. quòd univocum sic dicitur æqualitèr de univocatis, quòd in eis dicit rationem unam, seu *quidditatem*; denominativum verò sic dicitur æqualitèr de subjectis denominatis, quòd in eis non quidditatem, sed denominationem dicit eamdem, & hoc significat utriusque definitio; quare diversa est, & una non convenit alteri: in proposito ergo *album*, aut dicitur de lacte, & nive specificativè sumptis, & sic denominativè dicitur, nec in eis significat unam quidditatem

tatem, sed unam tantùm affectionem, seu denominationem à forma albedinis, non enim est quidditas lactis specificativè, quòd alba sit; aut dicitur de illis reduplicativé, ut alba sunt, & sic dicit unam quidditatem, non tamen denominativum est, sed univocum; album enim ad plura alba non denominativè, sed *in quid* comparatur ut species.

18 Arguitur quintò contra definitionem denominativi: Homo ab humanitate denominationem sumit, & animal ab animalitate, à quibus casu differunt, seu terminatione nominis; sed non sunt denominativa: ergo male assignatur definitio. Confirmatur: *Studiosus* denominativum est: aut ergo denominatur à studio, & sic non solo casu, sed re item significata differt; aut denominatur á virtute, & sic item non casu, hoc est terminatione nominis, sed toto nomine differt: ergo.

19 Resp. ad argumentum quidem, quòd *studiosus*, ut à studio dicitur, solo differt casu, significat enim ipsum studium ut adjacens, & supponit pro subjecto, ut determinatur à studio. Ad confirmationem verò dicitur, quòd, ut jam suprà patuit, differre casu non debet accipi præcisè quantum ad terminationem vocis, hæc enim est in nomine materia, & subjectum, sed quantum ad significationem, quæ est forma nominis, quòd nempe denominans ipsam formam significat, denominativum verò adjacentiam ejus: jam ergo studiosus, ut à virtute dicitur, significat, subjectum habere quamdam officiositatem, seu virtuositatem; quare quantum ad modum significandi casu differt à denominante, nempè virtutem ipsam significat adjacere, seu subjectum afficere.

ARTICVLVS II.

Quid sit, & quotuplex analogia?

20 NOn parum habet controversiæ præsens difficultas, quam tamen pro dignitate expendere, non est hujus loci, disp. 1. Metaph. ea recurrit, dum de conceptu entis quæritur, & ibi probatur ex instituto, quod nùnc brevitèr, quantum ad præsens attinet, explicatur. De analogia determinat B. D. in disputatis de esse, & essentia q. 1. 4. Metaph. q. 3. & 4. 7. Physic. lect. 8. & sæpe alibi, ex quo analogiæ quidditatem deducemus; & quia, ut cit. loco 4. Metaph. observat B. D. analogia medium quid tenet inter univocationem, & æquivocationem, ex comparatione ad utramque ejus notiam venabimur.

21 Definiuntur communiter analoga: *Quorum nomen est commune, ratio verò per nomen significata partim eadem, & partim diversa.* Quo patet illud ipsum, quod

quod observandum jubet B. D. nempè partim univocis convenit, quatenùs habet rationem eamdem; partim vero cum æquivocis, quatenùs habet diversam. Itaque q. 1. de esse, & essentia notat B. D. quòd unitas, quam habet analogum in suis analogatis, non est unitas communitatis, & prædicationis, quo differt ab univoco, nempè si fortè in aliquibus communitatem habet, ita ut ratio significata in omnibus reperiatur, ea est de materiali; & exemplificat primùm de *sano*, quod de homine dicitur, de pulsu, & cibo; non tamen ita quòd sanitas in cibo, aut in pulsu reperiatur, vel de illis prædicetur, sed tantùm reperitur in homine, & ex ista hominis sanitate dicitur pulsus sanus, quia illam indicat; dicitur item cibus sanus, quia illam causat: exemplificat secundò de *ente*, quod dicitur de substantia, & accidente, ita tamen, quòd accidens, etsi in se ipso entitatem habeat, & esse, non tamen ens dicitur propter illud esse, & illam entitatem in se acceptam, sed tantùm ut substantiæ attributam, nempè, ut sæpè habet Philosophus, non dicitur ens, nisi quia entis.

22 Patet itaque diversitas analogi ab univoco, quòd univocum unam significat rationem, & quidditatem in multis, per communitatem unam in illis, ita nempè quòd eorum quodlibet rationem illam habet in se, & propter illam in se, & secundùm se tale dicitur; at verò analogum rationem unam in multis significat, non tamen unam per communitatem, sed per attributionem aut unius ad alterum, aut utriusque ad tertium, ita quòd unum tantùm, quod dicitur analogans, sive principale analogatum, dicatur tale propter rationem illam, ut in se illam habet; cætera autem aut illam rationem in se non habeant, aut si illam in se habent, non dicantur talia propter rationem illam, ut in se illam habent; si enim in se, & secundùm se talia dicuntur, quòd minùs perfectè dicantur, erit ex differentia, qua à magis perfecto differunt; quare hac differentiâ præcisâ, relinquitur ratio omninò una non hujus, aut illius, & sic univoca.

23 Hinc qualitèr importat analogum, quòd ratio sit partim diversa, quo ad æquivocum comparatur, potest patere: quia enim ratio per nomen significata non habet unitatem communitatis, v. prædicationis, diversitatem quamdam quidditatum sub uno nomine importat: v. g. *sanum* in homine, & pulsu, ut per illam vocem significantur, non unam quidditatem importat, quæ est humorum attemperatio, sed in homine id importat, in pulsu verò non attemperationem illam, sed arteriæ motum, qui illam indicat: similiter ens in substantia, & accidente non id significat, quod potest existere,

stere, quæ est entis quidditas, sed in substantia, quod potest existere; in accidente verò non absolutè, quod potest existere, sed illius, quod potest existere affectionem, seu perfectionem quandam: patet ergo, quòd analogum quodammodò multa importat.

Non autem sicut æquivocum, hoc enim multa importat ut multa, hoc est sine ordine, dependentia, aut attributione, qua unum dici possint; analogum verò sic multa, quod ut unum, sive quatenùs ex dependentia, & attributione ad unum analogans, unâ ratione dicuntur; quare multa, quæ uno modo dicuntur æquivocè, alio modo analogicè dici possunt, v.g. *homo* de vero, & picto, aut etiam de vivo, & mortuo; si picturam, ut cadaver secundùm se accipias, æquivocè dicitur, neutrum enim homo dicitur, nisi cum addito distrahente; at verò, si dicantur ex attributione ad naturam humanam, quam alterum habuit, alterum repræsentat, utrumque dicetur homo analogicè: hoc fortè sensu Philosophus ea, quæ sunt analoga, aliquando æquivoca dicit, ut ens est sanum.

24 Relinquitur ergo, quòd quidditas analogi in illa attributione consistit ad unum principale analogans de materiali se habente, quòd ratio significata reperiatur in omnibus; quare B. D. loco cit. 4. Metaph. docet, quòd analoga dicuntur per attributionem ad unum numero, quia communitas rationis, secundùm quam dicuntur, omninò non requiritur, & si in aliquibus datur ut in ente, ea est de materiali; quod item habet q. 1. de esse, & essentia, ubi addit, quòd nunquam analoga dicuntur, nisi prout unum attribuitur alteri, aut ambo attribuuntur tertio, & *qui hoc nescit, naturam analogiæ ignorat.*

Quod primò patet ex ipsa voce, Analogum enim dicitur ab *Ana* præpositione, & *Logos*, quod est ratio, nempè sicut ratio, aut consimilis ratio; quare sensus est, quòd hoc dicitur analogicè, quatenùs est sicut illud, aut aliquid illius, cui attribuitur. Deinde, quia tàm Philosophus, quàm P. Augustinus analoga dicunt, aut ad unum sicut *sanum*, aut ab uno sicut *medicinale*, quo utroque denotatur attributio, quod oportet valdè notare; ex hoc enim analogia confunditur aut cum univocatione, aut cum æquivocatione, quia non attenditur attributio, in qua quidditas ejus consistit.

25 Circa secundum, quod quærit articulus, N. Manso contendit, quatuor esse analogorum species, quas assignat S. P. de decem Categ. cap. 2. explicans homonyma à voluntate, hoc est, æquivoca á consilio, nempè similitudinem, proportionem, ab uno, ad unum; quas tamen aliter assignat Noster Manso, nempè similitudinem, proportionem,

proportionalitatem, & attributionem; nam S. P. non distinguit proportionalitatem à proportione, & quidem meritò; ad præsens enim nihil refert, si fiat comparatio rei ad rem, quæ est proportio, aut habitudinis ad habitudinem, quæ est proportionalitas: deinde distinguit S. P. attributionem in *ad unum*, & *ab uno*, quæ non distinguit N. Manso, magis autem debuit distinguere; magis enim diversificatur attributio, in qua analogia consistit, ex eo quòd sit ad unum, aut ab uno, quàm ex eo quòd sit proportionis, aut proportionalitatis. Easdem quatuor species assignat N. Villanova.

Communis Thomistarum sententia duas ponit species, nempè *proportionem*, & *attributionem*; quia similitudo, ut est analogia, est similitudo deficiens, quæ tantùm est proportio unius ad alterum; proportionalitas à proportione tantùm differt ratione materiæ, non autem convenientiæ, in qua attenditur analogia, nempè est proportio illa eadem convenientia rei ad rem, quæ habitudinis ad habitudinem est proportionalitas; tandem, quòd attributio sit ab uno, aut ad unum, non diversificat convenientiam: tantùm ergo relinquuntur attributio, & proportio. Cajetanus contendit, solam proportionem esse propriè analogiam, alias autem tantùm abusivè, & improprie. Alii ad duas sententias Thomistarum adduntur inæqualitatem. Arriag. contendit, solam attributionem esse propriè analogiam.

26 Nobis dicendum primò, quòd analogia non est nisi attributio. Hæc colligitur ex Philosopho 5. Metaph. cap. 6. quo explicans, quot modis multa dicuntur unum, nempè aut numero, aut specie, aut genere, aut analogia, sub finem ita habet: *Numero quidem, quorum materia una: specie verò, quorum ratio una: genere autem, quorum eadem prædicationis figura: secundùm analogiam verò, quæcumque se habent ut ad illud.* Ubi vides tantùm assignare analogiam ex attributione. Deinde colligitur ex B. D. præsertim q. 1. de esse, & essentia, ubi docet, quòd nunquam aliqua dicuntur analogicè, nisi secundùm quod unum attribuitur alteri, aut ambo attribuuntur tertio, & qui hoc nescit, naturam analogiæ ignorat.

27 Deinde patet ratione: Secluſa enim attributione, neque similitudo, neque proportio, neque inæqualitas facit analogiam; at præcisè ex attributione, quovis alio secluso, analogia intelligitur: ergo. Patet min. *sanum* enim in pulsu, & homine, nec proportionem, nec similitudinem, aut inæqualitatem habet. Maj. ostenditur primò quidem de similitudine, & proportione; quia sine attributione unius ad alterum, si ea est æqualis, facit univocationem, si autem inæqualis, & deficiens, æqui-

æquivocationem : quantum ad inæqualitatem deinde ; quia ea, secluſa attributione, cauſatur à differentiis hujus,& illius; quare præciſis per intellectum differentiis, relinquitur ratio univoca.

28 Dicendum ſecundò, quòd licèt non in plures ſpecies, ſaltim in plures modos attributionis poteſt analogia quodammodò dividi in illa quatuor, quæ aſsignat S. P. illa autem non eſſe ſpecies, eo patet, quia non contrahunt, & per aliquam differentiam diverſificant ipſam attributionem, ſed tantùm deſignant diverſum motivum, ſeu fundamentum, quare unum alteri attribuatur, nempè aut ex proportione attribuitur, ſive ſimilitudine, quam habet, aut præciſè, & tantùm ex dependentia; ex hoc autem diverſificatur quodammodo ipſa attributio; quo patet ad motiva Thomiſtarum.

29 N. Manſo q. 3. §. 4. varias aſsignat conditiones pro ſingulis analogorum ſpeciebus, quas tamen non aſsignare ad mentem B. D. poterit de facili patere legenti textum ejus, ut requirit ipſe pro analogis proportionis, & proportionalitatis, quòd ratio ſignificata ſit intrinſecè in omnibus, quòd non ſit una numero, quòd poſsit abſtrahi communis conceptus, & harum contrarias pro analogis attributionis; at B. D. q. 1. de eſſe, & eſſentia, & 4. Metaph. q. 3. & 4. docet abſolutè, quòd analogum dicitur per attributionem ad unum numero, quòd unitas analogi non eſt communitatis, & prædicationis, quòd analogatum minùs principale non dicitur tale per rationem, quæ eſt in ipſo, aut quia illam in ſe non habet, aut quia de materiali hoc eſt; non enim tale dicetur propter rationem illam in ſe acceptam, ſed alteri attributam: deinde, conceptus communis, aut abſtrahitur logicè, & præciſsione ex parte actûs, & hoc non ſolùm omnibus analogis, ſed æquivocis etiam convenit, prout communi nomine ſignificantur; aut abſtrahitur ex parte objecti, & ſic ſoli convenit rationi univocæ, perfectè enim excluſis differentiis relinquitur ratio metaphyſicè una : ſolùm ergo pro analogis quibuslibet attendi debet attributio. De hoc latiùs in Metaphyſica.

ARTICULUS III.

Explicantur diviſiones, & regulæ Anteprædicamentales.

30 POſtquàm Philoſophus explicuit æquivoca, univoca, & denominativa, ut nempè à prædicamentali ſerie, quæ excludenda ſunt, excludat, ſcilicèt æquivoca, deinceps duobus cap. duas facit diviſiones, & duas aſsignat regulas, quæ ad hoc ipſum ordinantur, ut nempé oſtendat, quæ ad Prædicamenta perti-

nent, & quæ excludenda sunt, de quibus nihil fere difficultatis est, quare utrumque hoc articulo expendemus. Supponit itaque rerum divisionem penes *esse*, & *dici*, & ait, quòd eorum, quæ dicuntur aliqua sine complexione, aliqua cum complexione dicuntur, & hæc est prima divisio, quæ eo tendit, ut quæ cum complexione dicuntur, a Prædicamento excludantur, quia scilicet non important unam quidditatem: patet ergo, qualiter accipienda complexio, & incomplexio, ipse quidē exemplificat de complexione judicii, ut *homo currit*; non solùm autē hæc, sed ipsius etiam apprehensionis complexio ad præsens attinet, quæ tamen non voce tantùm, sed re etiam complexionem importat: dicuntur itaque sine complexione quæcumque unam quidditatem important, etiamsi vox sit multiplex, ut *color albus*; complexionem autem habent, quæ duo important, ut *homo albus*, *homo currit*.

31 Secunda divisio est eorum, quæ sunt: aliqua in subjecto sunt, sed de subjecto non dicuntur, ut individua accidentis, eo quòd accidentia in subjecto esse habent, eo autem quòd singularia non habent prædicari; alia in subjecto sunt, & de subjecto dicuntur, ut accidentia in universali, scientia v. g. est in anima tanquam in subjecto, & prædicatur de Philosophia: rursus, alia nec in subjecto sunt, nec de subjecto dicuntur, ut individua substantiæ, quę eo quòd substantiæ non habent in subjecto esse, eo autem quòd individua de nullo habent prædicari: tandem alia in subjecto quidem non sunt, sed possunt de subjecto prædicari, ut universalia substantiæ; eo enim quòd substantiæ non sunt in subjecto, eo autem quòd universalia de suis inferioribus prædicantur. Hæc divisio, quam Philosophus compendio usus facit quadrimembrem, facilè ad bimembrem reducitur, nempè quæ sunt, alia in subjecto sunt, alia non sunt, & utrumque extremum subdividitur in ea, quæ dicuntur, & quæ non dicuntur.

32 Ut autem aliquas removeret difficultates, explicat, quid sit in subjecto esse: nam in subjecto esse ad præsens intelligit, quod in altero quidem est, non autem est pars illius, neque esse potest sine illo; nam posset quis dicere, ait M. P. cap. 6. de decem Categ. quòd pes, aut manus in corpore sunt, non tamen ut in subjecto, & hoc excludit per primam, quia pes, & manus partes sunt corporis; similiter posset quis dicere, quòd vinum est in vase, & non in subjecto, & hoc excludit per secundam, vinum enim sine vase, in quo est, esse potest. Quòd si quis objiciat de forma substantiali, quę in materia est, & neque est pars illius, neque esse sine illa potest; & tamen non est in subjecto, prout hic accipitur, nempe ut acci-

dens

dens illius. Resp. B. D. hîc, quòd esse in subjecto debet accipi de eo, quod est in altero habente esse simpliciter, & in actu; quia autem materia de se non habet esse in actu, neque est alterum simpliciter, ut in præsenti accipitur, nec forma dicitur in altero esse tanquam subjecto.

33 Notandum autem, non eodem modo accipi subjectum, quando dicitur aliquid in subjecto esse, & quando dicitur de subjecto prædicari; nam scientia v. g. ut in subjecto est in intellectu, non verò dicitur de ipso, sed de inferioribus suis: subjectum ergo quantum ad esse accipitur de subjecto inhæsionis, & sustentationis; quantum verò ad dici, de subjecto prædicationis quidditativè, & per se. Ratio est: Quia dici de altero, ut de subjecto, distinguitur propter ordinem eorum, quæ sunt in eodem prædicamento, juxta primam regulam statim dandam; ad subjectum verò, in quo est, non comparatur accidens per se tanquam ad aliquid sui prædicamenti; solùm enim habent esse in subjecto novem Prædicamenta accidentium, & per se, & simpliciter solùm est subjectum, in quo sunt prædicamentum substantiæ.

34 Prima ergo regula est, quòd quando aliquid dicitur de altero ut subjecto, quæcumque dicuntur de prædicato, dici debent de subjecto, ut si dicitur *Petrus est homo*, quæcumque de homine dicuntur, dici debent de Petro, nempè sicut dicitur, quòd homo est vivens, corpus, animatum, ita hæc omnia de Petro dici debent: patet ergo, quòd subjectum, de quo dicitur, debet accipi contra subjectum, in quo est, quod nempe ita sit subjectum quantum ad dici, quòd non sit subjectum quantum ad esse; patet enim, quòd si esse album, aut Musicum dicitur de Petro, non quæcumque albedini competunt, aut Musicæ, debent Petro convenire, quia nempè Petrus est subjectum, in quo sunt albedo, aut Musica; subjectum autem, de quo dicuntur, est hæc albedo, aut hæc Musica, de quibus dicuntur quidditativè, & per se.

35 Secunda regula est: Diversorum generum, & non subalternatim positorum diversæ sunt differentiæ, & species; si autem subalterna sint, nihil prohibet eadem differentias habere. Hanc ut duas proponit Philosophus, quia tamen eumdem facit sensum utraque pars, ut una communiter proponitur: itaque quia animal, & scientia v. g. diversa sunt genera, & quæ non subalternantur, ut sunt differentiæ animalis, ut gressibile, bipes, pennatum, non possunt scientiæ convenire; quia verò vivens, & animal, licèt diversa sint genera, sunt tamen subalterna, quæ sunt differentiæ unius, alteri adaptantur, ut homo, & leo sunt species vivētis paritér, & animalis.

Cir-

36 Circa hanc regulam nonnihil est controversiæ; ut enim cætera mittam, *continuum*, & *discretum* diversa sunt genera, & quæ non subalternatim ponuntur, cùm ex æquo dividant *quantum*; at successivum, quod est differentia continui, convenit item discreto, oratio namque successionem habet. Missis dicendi modis, B. D. in expositione hujus loci docet, quòd subalternatim posita dicuntur, non solùm quæ ad se invicem subalternantur, sed etiam quæ alteri, sive quæ sub eodem genere sunt, ut non solùm subalterna dicuntur animal, & vivens, quorum unum est sub alio, sed etiam animal, & planta; licèt enim unum sub altero non sit, ambo tamen sunt sub vivente: quare sensus regulæ est, quòd nihil prohibet easdem differentias diversis generibus convenire, quando nempè aut unum sub altero ponitur, aut ambo sub tertio, tùnc nempè differentiæ, quæ illi tertio secundùm se conveniunt, possunt in utroque reperiri, quod est sub ipso; & ita est in proposito, successivum enim, & permanens *quanto* conveniunt, quare possunt *continuo*, & *discreto* convenire, quæ sub ipso sunt *quanto*.

37 Quòd autem iste sit sensus, patet primò ex intento hujus regulæ; eo enim adducitur, ut eâ constet, Prædicamenta debere esse impermixta, & quæ unius sunt, non possent alteri attribui; eo quòd sunt genera suprema; at ad hoc intentum æquè refert, quòd unum sub altero, & quòd ambo sub tertio genere ponantur: ergo. Patet min. utroque enim modo genera suprema manent impermixta. Patet deinde maj. solùm enim istæ regulæ ordinari possunt ad considerationem Prædicamentorum, aut ad se invicem, & prout unum cum altero confertur, aut uniuscujusq; in se, & secundùm ordinem superiorum, & inferiorum sub eodem genere; sed ad hoc secundum datur prima regula: ergo hæc secunda ad illud primum ordinatur, nempè ut Prædicamenta serventur impermixta.

38 Secundò potest constare principale intentum, quòd nempe iste sit sensus hujus regulæ, ex ipso Philosopho, qui 6. Top. cap. 3. hanc eamdem regulam ponit, ait namque: *Nam non videtur eadem differentia esse duorum generum non continentium se invicem.* Contra hoc arguit, quo item argumento hic utuntur nonnulli, quòd si eadem esse potest differentia duorum generum se continentium, sequeretur, quòd una species, nempè constituta ex tali differentia, duplex genus haberet. Ad hoc ut respondeat, sensum explicat illius regulæ, & ait: *An non impossibile eamdem differentiam duorum generum esse non continentium se invicem, sed addendum neque utroque sub eodem existente*; & exemplificat de grossibili,

li, & volatili, quæ genera sunt non sibi invicem subalterna; quia tamen utrumque est sub animali, utrique convenit bipes: patet ergo sensus illius regulæ; nec alicujus sunt momenti, quæ in contrarium objiciuntur.

ARTICVLVS IV.

Quid sit Prædicamentum, & quotuplex?

39 TAndem in fine hujus primæ partis determinat Philosophus, quòd ea, quæ sine complexione dicuntur, ad decem suprema capita revocantur, quæ dicuntur Prædicamenta, ea sunt *substantia*, *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *actio*, *passio*, *quando*, *ubi*, *situs*, & *habere*. Quo circa de his, quæ communia sunt ad omnia Prædicamenta, hæc explicanda restant: Quid nomine Prædicamenti significetur, quæ requiruntur conditiones, ut aliquid in Prædicamento ponatur, & an illa divisio sufficiens sit, & adæquata?

40 Circa primum duobus modis accipitur Prædicamentum: uno modo pro capite, seu supremo genere, quod totam seriem denominat, & hoc sensu decem Prædicamenta sunt decem suprema genera, sub quibus ordine collocantur, quocumque habent prædicari, hoc sensu definitum est disp. præced. nempè genus supremum; alio modo sumitur Prædicamentum pro ipsa coordinatione prædicatorum sub uno supremo genere, & definitur: *Recta series Prædicabilium secundùm sub, & supra*; hoc est, ordinatio Prædicatorum secundùm superioritatem, & inferioritatem, ut supremum genus cum altera ex differentiis, quibus dividitur, speciem constituit subalternam, quæ sub ipso ponitur; hęc deinde ut genus comparatur ad inferiora sua, & cum altera differentia alteram constituit speciem sibi inferiorem, quæ eodem modo ad inferiora sua comparatur usque ad individuum, quod est totius Prædicamenti fundamentum: hæc ergo series Prædicamentum dicitur.

41 Pro cujus intelligentia notandum primò, quòd prædicata ipsa, ut sic ordinentur, possunt accipi secundùm se, ut dicunt hanc quidditatem; aut secundò intentionaliter in eo, quòd talem ordinem habent sub tali supremo genere: priori modo accipiuntur metaphysice, posteriori verò logicè: ad præsens ergo non pro quidditate ipsa primò intentionaliter, sed ut tali subest ordini, accipitur. Quod ex ipso patet Philosophi contextu; factâ enim divisione eorum, quæ sunt, & eorum, quæ dicuntur, deinde eorum, quæ dicuntur cum complexione, & sine complexione, concludit: *Unumquodque eorum, quæ nulla complexione dicuntur, aut substantia, aut quantum, aut quale &c.* Patet ergo,

ergo, quòd ista divisio non est eorum, quæ sunt, sive ipsarum quidditatum, ut sunt, & primò intentionalitér, sed eorum, quæ dicuntur, & prout dici habent, quod ipsa vox græca indicat, *Categoria* enim prædicatio vertitur.

42 Notandum secundò, quòd ad seriem Prædicamenti, ut hìc sumitur, duobus tantùm modis potest aliquid pertinere; aut *directè*, & *per se*, aut *indirectè*, & ratione alterius: *directè* pertinent, quæ in recta linea ponuntur, nempè genera, & species; *indirectè* cætera, quæ non per se, & ratione sui, sed quatenùs generis, aut speciei aliquid sunt. Ratio autem est, quia Prædicamentum, ut jam patuit, est divisio, & coordinatio eorum, quæ dicuntur de subjecto sine complexione; at dici de subjecto, ut hìc accipitur, nempe *in quid*, & per se, seu contra esse in subjecto, tantùm generi, & speciei convenit: ista ergo tantùm *directè*, & per se in Prædicamento ponuntur, cætera *indirectè*, & per aliud, nempe ratione formę. Non itaque benè aliqui distinguunt, quòd aliud est poni *indirectè*, aliud *reductivè*, ut nempe *indirectè* ponantur, quæ è latere, scilicet differentiæ, *reductivè* verò, quæ nullo modo, sed tantùm reduci habent, ut partes physicæ, atque etiam existentia.

Non, inquam, benè ad propositum hæc distinctio datur; licèt enim ad quidditatem metaphysicè acceptam ea congruat, ad propositum autem sic habet unumquodque ad Prædicamentum pertinere, sicut habet de subjecto dici; est enim divisio, & coordinatio prædicamentalis eorum, quæ nulla complexione dicuntur; at eodem modo non habent *dici*, prout hìc accipitur *dici*, nempè per se, & *in quid*, differentia, & cætera omnia: ergo eodem modo non per se ponuntur, sed reductivè, & per aliud. Patet min. æquè enim differentia non dicitur per se, & substantivè, sed adjectivè, & tanquàm affectio quædam generis, aut speciei; æquè enim non rationalitas, sed rationale dicitur, ac non dicitur materia, sed materiale: utrumque ergo ad seriem Prædicamenti pertinet tanquam aliquid hominis, cujus est per se dici, & sic *reductivè*, & ratione alterius.

43 Dices: Eo quòd adjectivè, & denominative dicitur de homine v. g. rationalitas, tanquàm aliquid ipsius, aut ipsi adjacens, reductivè pertinet ad Prædicamentum ipsius hominis, cui adjacet; sed eodem modo de homine dicuntur adjectivè novem Prædicamenta accidentium, ut quòd est quantus, albus, & similis: ergo omnia reducuntur ad Prædicamentum substantię. Resp. quòd ad hoc Philosophus denominativa explicat, quo nempè pateat, quòd, quia denominativum ab altero appellationem sumit cum

differentia in modo significādi, quod dicitur denominativè, non ad prædicamentum illius, de quo dicitur, & cui formam adjacere significat, sed ad prædicamentum reducitur formæ ipsius, unde appellationem sumit, & quam adjacere significat: eodem ergo modo de homine dicitur rationalis, intellectivus, risibilis, sed rationalis ad prædicamentum rationalitatis pertinet; intellectivus, & risibilis ad prædicamenta intellectûs, & risibilitatis; & quia rationalitas quidditas est hominis, alia autem duo accidentia ejus, primum ad prædicamentum hominis reducitur, alia ad prædicamenta accidentium.

44 Conditiones requisitæ, ut aliquid in prædicamento ponatur, assignantur communiter: prima, quòd sit incomplexum; secunda, quòd sit ens reale positivum; tertia, quòd sit completum; quarta, quòd sit per se; quinta, quòd sit univocum; sexta, quòd sit finitum, & nos ex B. D. addimus septimam, quod sit ens corporeum. Omnes ex præmissis de facili constant: primò quidem, quòd sit incomplexum, ex ipso patet textu, ait enim Philosophus, talem divisionem fieri de his, quæ nulla complexione dicuntur, & ratio est manifesta; quæ enim complexionem habent, sicut non unam quidditatem, ita neque unam seriem prædicatorum, aut unum prædicamentum, sed multiplex. Quòd deinde debet esse ens reale positivum, patet item, quia ens rationis, aut negatio, sicut non importat veram quidditatem, & perfectionem, ita neque est eorum, quę dicuntur, neque in eo potest accipi verè, & propriè series Prædicatorum *secundùm sub*, & *supra*. Quòd tertiò dicitur debere esse completum, item patet, quia incompleta non nisi *in quale*, & adjectivè dicuntur.

De quarta nonnihil est controversiæ, de qua nempè perfectate accipi debeat? De hoc art. seq. ubi de singulis conditionibus, quæ occurrunt, dubitanda, expendunturinterim dicendum accipi de perfectate quantum *ad dici*, nempè quòd dicatur per se; jam enim patuit, quòd ista divisio eorum est, quæ dicuntur: intendit ergo ista conditio, quòd quæ non dicuntur per se, & *in quid*, non constituunt Prædicamentum. Quòd quinta dicitur debere esse univocum, ex hoc ipso patet, quia tantùm univocum per se, & *in quid* dicitur. Insuper, quòd debet esse finitum, quia, ut q. seq. probabitur, infinitum, quod tantùm Deus est, non ponitur in prædicamento, quia non habet compositionem ex genere, & differentia, in quibus accipiatur ordo *secundùm sub*, & *supra*. Eâdem ratione patet ultima; in spiritualibus enim non accipitur compositio metaphysice, & ex parte objecti, sed tantùm logicè, & penes conceptus explicitos.

45 Circa secundum de numero Prædicamentorum multipliciter veteres Philosophi senserunt: fertur Plato in Parm. & Soph. hoc est, in Dialog. de ente, & uno, omnia revocasse ad unum Prædicamentum, nempè generalissimum entis; & ita tenere debent, qui ens dicunt genus esse ad substantiam, & accidens. Alii, ut Xenocrat. & Andron. referente Simplicio, duo tantùm ponebant, substantiam, & accidens; & quidem si per se esse genus est ad omnes substantias, non est, cur in alio esse non dicatur genus ad omnia accidentia, quare duo erunt suprema genera per se, & in alio; & ita tenere coguntur, qui ponunt per se esse, sive conceptum substantiæ. Alii apud Plotinum quatuor tantùm ponebant, substantiam, qualitatem, relationem, & modum rei, nempè quantitatem à substantia non distinguebant, & alia sub modo rei volebant comprehendi. Sed certè qua ratione sub modo rei comprehendebant sex ultima, eâdem deberent alia duo comprehendere, & ponere tantùm rem, & modum ejus.

46 His missis, communis Peripateticorum sententia tenet, suprema genera, seu Prædicamenta decem esse, quæ assignat Philosophus. Hanc tamen non demonstratione teneri, sed authoritate tantùm Philosophi, & rationabili conjectura. Rationem ergo illius divisionis latè tradit B. D. q. 4. de mensura Ang. ea sic formatur: Prædicamentum dicit modum essendi generalem, & primum, quo quidquid dicitur, univocè, & *in quid* accipitur; sed tales modi sunt tantùm decem: ergo. Patet maj. quia Prædicamenta sunt genera suprema; quidquid enim superius est ad primum, & supremum genus, non univocè, sed analogicè tantùm unam rationem dicit, quare non prædicatur *in quid*, & per se: si ergo prædicamentalis divisio est eorum, quæ dicuntur per se, & simpliciter, tantùm accipit genera, & quidem suprema; inferiora enim, sive intermedia in prædicamento ponuntur sui supremi.

Min. principalis, quòd talia sint tantùm decem, sic patet: Quidquid ita dicitur, aut importat *rem*, aut *ordinem*, aut *rem sub ordine*; sed tria tantùm dicunt rem, unum tantùm dicit ordinem, & rem sub ordine tantùm sex: ergo decem sunt. Patet maj. genus enim importat quidditatem ipsam, quæ dicitur non in eo, quòd est quidditas talis, vel talis, sed in eo, quod sic dicitur; jam autem esse, quod est generalissimus, & primus conceptus, analogicè dicitur, & non univocè, ut probabitur in Metaphysica; similiter esse per se, aut in alio, quod deinde accipitur, ut patebit de substantia quidem q. seq. de accidente verò in Metaphysica; relinquitur ergo talis determinata quidditas, quæ est per se,

se, aut in alio, & hæc illis tantùm tribus modis accipi potest, præter illos enim nihil est, quod possit accipi.

Minorem ergo sic ostendit B. D. quantum ad primum quidem, quòd dicit rem, aut talem, quæ est nata subsistere, & perfici, aut talem, quæ est nata perficere, & in alio esse; priori modo est *substantia*; posteriori, aut perficit secundùm partem materialē, & sic est *quantitas*; aut secundùm formam, & sic est *qualitas*; & sicut illæ duæ tantùm sunt partes substantiæ, ita duæ tantùm sunt res, quibus perficitur. Deinde quantum ad secundum patet, quòd ad alterum se habere, seu ordinem dicere, unum generalem modum dicit: restat ergo ostendere tertium, quod sic patet: Res in ordine ad aliud, aut accipitur secundùm aliquid, quod ab ipsa procedit, & sic est *actio*; aut secundùm aliquid, quod in ipsa recipitur, & sic est *passio*; aut ad mensuram durationis, & sic est *quando*; aut ad locum; & hoc duobus modis; aut secluſa dispositione, & proportione partium rei ad partes loci, & sic est *ubi*; aut attenta tali dispositione, & proportione, & sic est *situs*; aut tandem habitudo illa accipitur ad id, quod extrinsecè afficit, & denominat, & sic est *habere*. Videatur ibi B. Doctor.

47 Pro majori intelligentia arguitur incontrarium, & primò contra rationem: Ultra id, quod dicit rem, & ordinem, & rem sub ordine est modus rei: ergo divisio non est sufficiens. Rursus: Divisio illa non est bimembris: ergo non benè assignatur. Præterea: Quod dicit rem sub ordine, complexum est ex re, & ordine; sed ut nos ipsi diximus, complexum, eo quòd non importat unam quidditatem, non constituit Prædicamentum: ergo.

48 Resp. ad primum, quòd modus rei aut facit prædicationem generalem non reductam in aliam; aut non, sed in aliam priorem reducitur: primo modo constituit Prædicamentū, sed non ultra illa assignata; posteriori modo ultra illa accipitur, sed non constituit Prædicamentum. Itaque modus est determinatio rei proveniens ab altera: aut ergo ista determinatio eamdem facit prædicationem, ac res ipsa, à qua provenit, ut *quantum esse*, *album esse*, & sic reducitur ad prædicamentum ipsius formæ, à qua tribuitur; aut talis determinatio facit prædicationē diversam, ut *simile* esse, *æquale*, *sedens*; æquale enim, & sedens determinationes sunt ab ipsa quantitate, & simile ab albedine; & istæ quidem modum important diversum, & non reductum in ipsam formam, tales tamen modi septem tantùm sunt generales, qui in divisione illa assignantur.

Ad secundum, nulla lege cogitur divisio bimembris esse, debet

enim adæquare membra divisi; poterit autem divisum plura habere extrema, ut occurrit sæpissime. Deinde, illa facilè reducetur ad bimembrem, nempè aut dicit rem, aut ordinem; & quod dicit rem, ulteriùs dividitur; aut dicit rem secundùm se, & absolutè; aut rem in eo quòd est sub aliquo ordine, & primo modo tria prima, posteriori autem sex ultima comprehendit. Quo patet ad tertium, aliud est res, & ordo, aliud verò res in eo quod est sub ordine: primum complexionem importat, & non constituit Prædicamentum; secundum sex ultima Prædicamenta constituit, sed nullam complexionem importat, sed rem ipsam alitèr acceptam.

49 Arguit secundò contra conclusionem Arriaga: Quòd multa sunt, quæ ad illa decem capita non pertinent: ergo divisio est insufficiens. Prob. antec. Primò pro corporalibus assignatur *ubi*, & *quando*; sed spiritualia locum habent, & mensuram durationis diversam à corporalibus: ergo pro eis debuit assignari aliud *ubi*, & *quando*. Secundò, calor per ordinem ad agens, á quo fit, constituit actionem, & per ordinem ad passum, passionem, atque secundùm se qualitatem; at habere medium quid est inter vestes, & subjectum habens illas: ergo paritèr debuit assignari triplex Prædicamentum, pro vestibus, pro habente, & pro ipso habere. Tertiò, habere uxorem molestam genus est passionis grave satis; sed neque est habitus, neque passio: ergo. Paritèr gestare trabem, armatum esse, saltim penes arma offensiva, ornatum esse in parietibus, Musicum esse, sanum, ebrium &c.

50 Resp. ad primum, quòd spiritualia ad Prædicamenta non pertinent, quia in eis non accipitur propriè genus, & differentia, ut jam patuit disp. 3. & patebit amplius q. seq. quia ergo proprium habent modum essendi in loco, & durationem, aliud pro eis assignatur *ubi*, & *quando*, nempè *ævum*, & præsentia definitiva, quæ tamen inter Prædicamenta non computantur. Ad secundum, in calore respectus ad agens, & ad passum modum facit generalem, & primum, quare constituit Prædicamentū; at verò in vestibus respectus activè vestiendi ad modum actionis reducitur, & in subjecto passivè vestiri reducitur ad passionem, quare non constituunt nova Prædicamenta. Ad tertium, & alia, illa computat Philosophus in Postprædicamentis, quæ nempè, ut ibi dicetur, modum habent alicujus prædicamenti, & ad illud reducuntur, ut habere uxorem, servum, aut quid aliud, pertinet ad *habere*, quòd autem uxor sit molesta, modus est passionis; similitèr armatum esse, sicut ornatum in parietibus, pertinet ad *habere*, sicut esse vestitum, & quòd arma sint offensiva addit modum actio-

fectionis, quo patet ad reliqua.

51 Arguit tertiò idem: Ea divisio non est immediata: debuit namque fieri entis per creatum, & increatum; deinde creati per corporeum, & spirituale; & rursus cujuslibet in substantiam, & accidens. Secundò, substantia perfectissimum est ens, accidens verò imperfectius: non ergo benè accidenti novem genera tribuit, substantiæ verò unum; quare sicut accidens dividit in situm, habitum, ubi, & similia, ita debuit substantiam dividere in rationalem, sensitivam, & similes, quo dedisset species considerationi digniores, quàm sint *situs*, & *habitus*. Tertiò, distinguit, quæ non sunt distincta; nam *ubi*, & *situs* non distinguuntur; similiter *habitus* est *ubi* vestium; *quantitas*, & *qualitas* sunt unum Prædicamentum entis absoluti. Quartò, est diminuta pro ipsis accidentibus, non enim comprehendit loqui, tacere, vigilare, dormire, & similia concludit ergo, quòd vix sit aperiri divisionem, quæ toties peccet, ferè enim habet septem peccata capitalia.

52 Resp. ad primũ, quòd divisio prædicamentalis, ut jam patuit, suprema genera debuit accipere; illa autem, quę ipse assignat, non genera sunt. Ad secundum, sensus dici posset, quòd divisio prædicamentalis non est Majoratus, ut proinde queratur substantia nobilitate, & primitate sua si-

bi unum dari, cùm accienti dentur novem; sed his missis insalsis salibus, dicitur, quòd substantiæ unum assignatur prædicamentum, quia ex ipso capite perfectionis suæ, omnes substantiæ prædicamentales conveniunt in uno generali conceptu generico; accidens verò, quia aliter, & aliter habet perficere, & denominare, alium, & alium habet conceptum genericum supremum, & impermixtum; quæ autem ipse assignat, non genera sunt, sed species; quare non diversa Prædicamenta constituunt, sed prædicata sunt sub eodem genere supremo, & prædicamento substantiæ contenta, perfectiora quidem, quia in genere substantiæ, sed non proinde prædicamenta.

Ad tertium, neg. assumptum, & ad rationem ejus dicitur, quòd quidquid sit de distinctione quantum ad *esse*, quantum ad *dici*, ex quo accipitur Prædicamentum, patet, quòd aliter dicitur hic esse, aut ibi, ac sedere, aut stare; pariter aliter dicitur vestes in corpore esse, ac corpus esse vestitum; rursus ens absolutum analogicè dicitur de substantia, quantitate, & qualitate, quare non est Prædicamentum. Ad quartum, neg. item assumptum; illa enim, quæ assignat, ad Prædicamenta non pertinent, aut enim puram privationem, aut actum intentionalem significant, intentionalia autem ad Prædicamentum revocantur cuius

rea-

realis, cujus sunt intentiones. Ex his poterit ad reliqua patere.

ARTICULUS V.

Dubitationes nonnullæ circa conditiones Anteprædicamentales.

53 Minoris notæ sunt, quæ circa singulas conditiones rei ponibilis in Prædicamento ponuntur, quare omnia hoc articulo comprehendimus. Dubitatur ergo primò de prima conditione: An complexa ponantur per se in Prædicamento? Ratio dubitandi est, quia definitio complexum quid est ex genere, & differentia; at definitio ipsam significat speciem, quæ directè, & per se in Prædicamento ponitur: ergo. Resp. quòd complexa, ut complexa sunt, sive eo sensu, quo duas quidditates important, non ponuntur in Prædicamento; illud autem complexum, quod materialitér tantùm complexionem importat, seu cujus complexio non obstat, quominùs unam quidditatem importet, benè ponitur in Prædicamento. Quo patet ad rationem dubitandi, definitio enim unam importat quidditatem speciei.

54 Dubitatur secundò de secunda conditione: An ratio Prædicamenti sit realis, vel rationis? Et facit rationem dubitandi primò, quòd de Prædicamentis agunt Logicus, & Metaphysicus; at Metaphysicus non nisi de ente reali agit: ergo debet esse ens reale; Logicus verò non nisi de ente rationis agit: ergo debet esse ens rationis. Secundò: Ens rationis sicut nec verè est, ita nec verè dicitur; at prædicamentalis divisio est eorum, quæ dicuntur: ergo. Tertiò: Discurrendo per singula Prædicamenta, patet omnia esse entia realia; tùnc autem unum ab altero deberet realitèr distingui; at non ita est, nam actio, passio, & qualitas unam rem dicunt, item relatio non distinguitur à fundamento suo realitèr: ergo.

55 Ad hoc variè dicitur, missis aliorum dicendi modis, nobis dicendum, quòd res ipsa, quæ in Prædicamento ponitur, debet esse ens reale, & de hac procedit illa conditio; ut autem in Prædicamento ponitur, intentionem dicit, quæ est relatio rationis. Quo patet ad motiva dubitandi: ad primum, Metaphysicus agit de re ipsa, seu quidditate secundùm se, quare Prædicamenta apud Metaphysicũ sunt realia; Logicus verò agit de quidditate illa non secundùm se, ut est talis quidditas, sed ut habet talem intentionem, nempé ut est genus supremum, vel sub eo species, aut differentia: ad secundum patet, quòd dicitur res ipsa, quæ in Prædicamento reponitur, non autem intentio: ad tertium, Prædicamenta pro materiali rei, quę est in Prædicamento, rea-

talia sunt, non verò pro formali, ut est Prædicamentum; quare ut constituantur plura Prædicamenta, non requiritur multiplex realitas, & sic nec distinctio realis, sed sufficit, quòd eadem habeat aliter, & aliter dici, seu alium, & alium constituat modum prædicandi generalem, & primum.

56 Dubitatur ulteriùs de tertia conditione: An partes per se pertineant ad Prædicamentum? Aliqui distinguendum putant de partibus physicis, & metaphysicis: & de metaphysicis per se pertinere docent, sive in recta linea, ut genus, sive ad latus, ut differentia. Deinde de physicis distinguunt item; nam essentiales ut materia, & forma, & etiam integrales heterogeneæ, ut pes, manus, caput, non nisi reductivè pertinent; at verò integrales homogeneæ directè pertinent, nam pars aquæ aqua est, & in Prædicamento ponitur.

57 Nihilominùs absolutè dicendum, quòd nulla pars ut talis in Prædicamento ponitur per se, sed tantùm reductivè tanquàm aliquid illius, quod in Prædicamento est. Ratio est, quia divisio prædicamentalis, ut jam patuit, est eorum, quæ dicuntur, nempè generum, & specierum, quare unumquodque sicut habet dici, sic habet ad Prædicamentum pertinere; sed pars ut talis non dicitur nisi adjectivè aliquid sui totius: ergo sic tantùm ad Prædicamentum pertinet. Quo patet ad motiva in contrarium: Genus quidem in Prædicamento per se ponitur; non autem, ut est, sed ut dicitur; dicitur autem ut totum, ut suprà probatum est: differentia deinde, sicut non nisi adjectivè dicitur, ita non nisi reductivè, & ratione alterius ponitur; Prædicamentum enim est series prædicabilium secundùm *sub*, & *supra*; quare quæ non in recta linea, sed è latere ponuntur, non secundùm *sub*, & *supra*, & sic tantùm reductivè ponuntur. Partes homogeneæ & habent rationem totius, nempè in se acceptæ, & habent rationem partis ad totum comparatæ: hoc secundo modo, quo de illis dubitatur, in Prædicamento non ponuntur.

58 De individuo nonnulli dubitant: Qualiter ad Prædicamentum pertineat, quippè id in recta linea ponitur, & non è latere? Dicendum, individuum non pertinere ad Prædicamentum nisi extrinsecè, & veluti fundamentum totius lineæ. Ratio est, quia, ut sæpe dictum est, divisio prædicamentalis est eorum, quæ dicuntur; individuum autem non dicitur, sed est, de quo cætera dicuntur: licèt ergo in recta linea ponatur, non ad illam pertinet per se, & intrinsecè, ea enim est series prædicabilium.

59 Dubitatur ulteriùs: An concreta, vel potiùs abstracta ponantur per se in Prædicamento? Dubitatur potissimè de Prædica-

men-

mentis accidentium ; nam in genere substantiæ abstracta non dicuntur, non enim dicitur : *Homo est animalitas* ; at verò in generibus accidentium æquè per se, & *in quid* dicitur : *Album est coloratum*, atque *albedo est color*. Neque ex textu Philosophi potest deduci alterutrum, aliquando enim concreta accipit, ut cùm ait : *Ad aliquid talia dicuntur, & quantum est divisibile*; aliquando autem accipit in abstracto, ut cùm ait: *Quantitatis aliquid est continuum, aliud discretum, & qualitatem voco, secundùm quam quales dicimur* ; quare utroque modo posse accipi videtur.

60 Cajetanus cap. 7. de esse, & essentia docet, in Prædicamentis, prout à Metaphysico considerantur, tàm concreta, quàm abstracta poni ; prout verò considerantur à Logico, solùm poni abstracta. Ratio primi est, quia concretum, & abstractum solùm differunt penes modum significandi, utrumque enim significat formam, sed concretum formam ut adjacentem, abstractum verò ut per se stantem significat; at Metaphysicus non attendit modum significandi, sed quidditatem rei significatæ: ergo. Ratio secundi est, quia Logicus attingit quidditates, ut significantur ; sed ex modo significandi concretum non importat unam quidditatem : ergo neque unam potest fundare intentionem, aut in uno prædicamento poni.

61 Hæc opinio communiter rejicitur, quamquàm immeritò rejici querantur Complutenses : in primis enim eamdem quidditatem, quam secundùm se, in eo quòd est quidditas, considerat Metaphysicus, Logicus considerat, ut intentionem fundat : aut ergo quidditas concreti potest, aut non potest unam intentionem fundare; si potest, sicut illam secundùm se considerat Metaphysicus, ita illam, ut fundat intentionem, considerat Logicus; si autem non potest, sicut illam non considerat Logicus, ita neque Metaphysicus. Deinde, falsum est, quòd ex parte rei significatæ non differant concretum, & abstractum; abstractum namq; solã formam significat, concretum verò illam, & subjectum; & solùm est controversia : An formam in subjecto, quod volunt Thomistæ, an subjectum sub forma significet, quod intendit B. D. si ergo utrumque significat concretum, aut Metaphysico non erit una quidditas, aut Logico poterit esse unum genus.

62 Rursus hìc q. 2. distinguit de ipso concreto ; nam sicut natura substantialis terminati habet per proprium modum essendi, qui est substantia, ita natura accidentalis habet proprium esse, quod est substantiæ inesse : aut ergo forma accidentalis sumitur in concretione ad subjectum, & sic non est in prædicamento ; aut sumitur in concretione ad proprium esse

esse, & sic concretum in Prædicamento reponitur. Ratio autem est, quia priori modo subjectum importat, & sic non unam quidditatem; at posteriori modo non importat subjectum, licèt illud connotet; quare importat unam quidditatem æquè, ac abstractum.

63 Sed in primis commentitia est illa duplex acceptio, & deinde eâ datâ, non habet propositum: primò patet, non enim *album* v. g. significat ipsum inhærere, ita ut excludat subjectum, sed subjectum ipsum significat albedine perfici. Deinde: Datâ illâ acceptione, esse participiale existendi non est de quidditate accidentis, aut substantiæ, sed sibi contingentèr convenit; sed Prædicamentum dicit ipsam quidditatem, quæ *in quid*, & per se de his, quæ sunt sub ipsa, dicitur: in concretione ergo ad proprium esse, quia de nullo dicetur per se, & *in quid*, non est in Prædicamento.

64 Tertia sententia, pro qua ipse refert Tolet. in Postprædicament. q. 2. Niph. 5. Metaph. q. 7. & nonnullos alios, docet, quòd sola concreta per se in Prædicamento sunt; neque levibus ea potest suaderi rationibus: primò, multò perfectior est accidente quidditas substantiæ; sed in ista excluduntur á Prædicamento abstracta, eo quòd quidditatem significant ad modum incompleti: ergo potiùs eodem titulo excludi debent abstracta accidentium. Secundò, eo excluderentur concreta accidentium, quia non habent per se unitatem; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. quia ex Philosopho 2. de Anim. text. 2. *Ex actu, & potentia fit per se unum*; sed forma accidentalis, & subjectum ejus se habent ut actus, & potentia: ergo. Quòd autem Philosophus aliquando dicit, esse ens per accidens, loquitur de unitate prædicationis, quam facit copula; quia enim forma accidentalis contingentèr convenit subjecto, non per se de illo dicitur.

Tertia ratio est: Quia ubi possunt accipi genera, & species verè, & propriè talia, quæque *in quid*, & univocè ad se invicem comparantur secundùm *sub*, & *supra*, ibi est accipere simpliciter, & per se Prædicamentum; sed ita est in concretis accidentium: ergo. Maj. nota est ex ipsa quidditate Prædicamenti. Min. ostenditur: Quia *quale*, *coloratum*, & *album* ad se invicem comparantur ut superius, & inferius *in quid*, & univocè; *in quid* enim, & univocè dicitur, quòd coloratum est *quale*, & quòd album est coloratum.

65 His non obstantibus, quarta, eaque communis, & vera sententia docet, solùm abstracta per se in Prædicamento poni. Hanc docet expresè B. D. q. 13. sup. Prædicam. ubi, cùm objiceretur, quòd esset Prædicamentum, aut relatio, aut relativum; sed neutrum potest: ergo. Resp. B. D.

Dico, quòd non relativum, nam illud est in concretione, & nullum concretum per se cadit in genere nisi per reductionem, loquitur de concretis accidentium, quæ verè concreta sunt; subſtantialia enim in linea nominali, & essentiæ tantùm voce tenus concreta sunt, non enim ex parte rei significatæ duas, sed unam quidditatem important. Ratio autem sufficiens hæc ipsa est, quód concretum verè tale non unam quidditatem importat, quare neque est unum genus, neque unum Prædicamentum per se. Ampliùs autem patebit solutione eorum, quæ objiciuntur in contrarium pro tertia sententia.

66 Ad primum ergo dicitur, quód abstracta subſtantiæ non pronuntur in Prædicamento, quia, ut abstracta non habent dici, pronuntur autem concreta, quia ex perfectione sua non habent concretionem ex parte rei significatæ, quia non ad alterum; quare non important duas quidditates, nec denominativè dicuntur, sed *in quid*: ex eodem capite imperfectionis suæ utrumque habet accidens contrario modo, nempé abstractum, ad subjectum quidem comparatur modo incompleti, ad suum verò inferius comparatur *in quid*, & ut totum potestativum, ut *color est qualitas, albedo est color*; concretum verò simplicitèr, & ex parte rei significatæ duas quidditates importat, quia forma, eo quód accidentalis, & imperfecta; non constituit quidditatem patet ergo ad formam, quòd neganda est consequentia.

Ad secundum dicitur primò, quòd id, quod concedit arguens, sufficit, ut concretum accidentis per se in Prædicamento non ponatur, quòd nempè non habet perfeitatem prædicationis, sic enim ponitur, sicut habet dici. Dicitur deinde, quòd ex actu, & potentia fit per se unum, ita tamen, sicut sunt actus, & potentiæ, nempé ex actu primo, & simplicitèr, & potentiâ suâ fit unum per se primum, hoc est, una quidditas; ex actu verò secundo, & potentiâ suâ fit quidem unum per se, non tamen primo, sed secundo, aut tertio modo perfeitatis: sensus ergo est, quòd se ipsis, & non aliquo nexu uniuntur, & faciunt unum, non tamen sic unum, quòd unam quidditatem; at Prædicamentum sic unum est, quòd una quidditas: ergo licèt forma accidentalis, & subjectum ejus sint actus, & potentia, quia tamen actus secundus concretum ex utroque non est per se in Prædicamento. Ad tertium, concretum accidentale dicitur *in quid*, non autem absolutè, & simplicitèr, seu specificativè, sed secundùm *quid*, & reduplicative; quare in concretis poterit quidem series Prædicamenti formari, non autem per se, sed ratione formæ, supra quam cadit reduplicatio; ex quo sequitur, quòd concretum reduplicati-

vé

vè acceptum, sit reductivè in Prædicamento ipsius formæ.

67 Tandem dubitatur: Quomodò distingui debeant ipsa Prædicamenta inter se? Hæc tamen dubitatio congruentiùs in consequentibus determinatur, dùm agatur de singulis; cùm enim Prædicamentum non significet ipsam realitatem, quæ est, absolutè, & ut est, sed ut habet dici, diversa Prædicamenta non oportet, quòd diversam realitatem dicant, sed aliquando diversam, ut substantia, & quantitas, aliquando verò eamdem, quæ secundùm aliam, & aliam acceptionem, alium, & alium habet conceptum quidditativum generalem, & supremum, ut albedo, & similitudo, & ferè omnia septem postrema; quare de singulis suo loco determinabitur.

QUÆSTIO SECUNDA
DE SUBSTANTIA.

ARTICULUS. I.

Quid sit, & quotuplex Substantia?

§. I.

Expenditur conceptus Substantiæ.

68 IN hoc cap. incipit Philosophus determinare de Prædicamentis in particulari, & in primis determinat de Substantia; tùm, quòd inter omnia nobilissimum est; tùm, quòd cætera omnia sustentat: mittit illius definitionem, quia, ut ait S.P.c.9. definiri non potest, quippè quæ non habet genus, & differentiam, solùm enim habet supra se rationem entis, quæ neque est genus, neque per differentiam ipsi superadditam determinatur, sed tantùm per modos essendi; quare per species, vel quasi species substantiæ ipsius conceptum explicat.

69 Multiplicitèr ergo conceptum Substantiæ explicant RR. sententias tamen, & dicendi modos latiùs expendere non multum habet utilitatis; quare brevitèr quantum ad communis sententiæ explicationem confert, aliquas attingemus. Arriaga vult, substantiam esse, *quod constituit primam rem, sive rem, quam vocamus absolutè rem.* Sed hoc opus, hic labor est, de hoc nempè quæritur, quid est prima res? Deinde, prima res, sive res simplicitèr ex eo

dicitur, quòd habet primum esse, sive esse simpliciter; quare, ut explicet conceptum substantiæ, ad communem sententiam, & expressionem oportet recurrere: imò siquidem prima dicitur relativè ad secundam, substantia habet conceptum primum rei per ordinem ad accidentia, & ex quo ipsa substentat, quare magis ad substare accidentibus pertinet hæc expressio, quàm ad subsistere, de quo infra.

70 Alii per *negationem essendi in alio* substantiam explicant; tùm, quia per hoc ab accidente distinguitur; tùm, quia per hoc illam explicat Philosophus, ut dicetur inferiùs. Sed hoc benè communiter rejicitur; tùm, quia id non explicat quid est, sed quid non est substantia; tùm, quia *negatio* debet reduci in aliquod positivum, à quo fluit, & in quo fundatur, ut alicui determinatè intelligatur convenire. Præterea: *negatio* aut infinitanter sumitur, & sic non significat determinatè, sed tantùm interimit alicujus determinatè significationem; quare reddit sensum, quòd substantia est quidquid non est accidens, aut quod relinquitur præter accidens, quod nihil dicit; aut *negatio* sumitur negantèr, & sic non significat esse, & quidditatem alicujus, sed purè non esse.

71 Alii communem explicationem tenent, quòd nempè *substantia est ens per se existens*, quam tamen variè explicant. Primò Hurtado disp. 10. Metaph. sect. 2. ait, *substantiam esse ens per se*, hoc est, conceptus rei, quo durante, res durat, etsi cætera pereant, & quo pereunte, perit res, etsi cætera durent. Sed hæc explicatio primò ad accidens valdè remotum, nempé ad durationem, recurrit: deinde substantiam explicat in latissima acceptione, prout idem est, ac essentia; *ens* enim explicatio de cujuscumque rei prædicatis quidditativis tenet, siquidem ea quandiu intelliguntur esse, res ipsa esse intelligitur, cùm sint illius plena entitas; si autem aliquod illorum non esse intelligitur, non poterit intelligi res ipsa esse: non ergo substantiam, sed essentiam explicat Hurtado.

72 Oviedo eamdem communem expressionem sic explicat, quòd *substantia est ens per se*, hoc est, quod per se intenditur à natura; accidens enim non per se, sed propter ornandam, & perficiendam substantiam intenditur. Hæc autem explicatio primam substantiam excludit, quæ juxta Philosophum potissimè substantia est, non enim singularem substantiam per se intendit natura. Spin. aliis rejectis, sic explicat, quòd *substantia est ens per se*, hoc est, vel quod enti non advenit, vel si advenit, non tamen enti completo, & constituto, quod addit propter substantialem formam. Sed existentia enti completo, & constitu-

to, toti nempè ex materia, & forma advenit, nec tamen est accidens. Deinde, alteri non advenire est negatio: aut ergo non explicat quid est, sed quid non est substantia, aut ad positivum, in quo illa negatio radicatur, oportet recurrere.

73 Communis ergo sententia ponit, quòd *substantia est ens per se existens*, hoc est, talem habens quidditatem, cui competit per se, & in se esse; quare non per existentiam, sed per exigentiam constituitur talis existentiæ. Hæc est ferè omnium sententia, nec ulteriori indiget probatione; substantia enim ab eo, quod est substans, sive subsistens dicitur; subsistere autem idem est, quod in se, & per se esse. Quia tamen citatur B. D. pro sententia asserente, quòd conceptus substantiæ non in per se esse, sed in aliis substare, seu alia substentare constitit, pro qua item multi de Antiquis citantur, & ex parte verum est; pro intelligentia notandum, quód *Substantia* dicitur, aut ab eo, quod est *substare*, aut ab eo, quod est *subsistere*: primum significat sub aliis stare, seu alia substentare; secundum verò significat in se stare, sive per se esse. Notandum deinde, quòd aliud est loqui de substantia metaphysicè, ut dicit conceptum communem ad omnem substantiam corporalem, & spiritualem, creatam, & increatam; aliud verò est loqui de substantia logicè, ut est primum Prædicamentum: priori modo conceptus substantiæ consistit in eo, quod est per se, & in se esse, ut ponit communis sententia; posteriori autem in eo, quod est natum esse aliis substare, seu substentare accidentia.

74 Hæc sententia in ultimo articulo probanda est, ubi patebit, quòd substantia, quæ est Prædicamentum, non dicit conceptum communem ad spiritualem, & corpoream, sed determinatè corpoream, cui proprium est physica accidentia substentare: interim probatur primò ex Philosopho, tùm, quia ipse conceptum substantiæ prædicamentalis communem ad primam, & secundam explicat per hoc, quod est in subjecto non esse; at in subjecto non esse magis dicit pro radice, & fundamento hujus negationis cæteris substare, quàm in se subsistere: ergo. Ostenditur min. quia in subjecto esse, ad cujus oppositionem dicitur de substantia, quod in subjecto non est, dicit ab altero substentari: ergo in subjecto non esse per oppositum dicit tanquam fundamentum, & positivam perfectionem alia substentare. Tùm deinde, quia cùm dixisset, primam substantiam maximè, & principaliter substantiam esse, hoc probat, non quia magis subsistit, aut in se habet esse, sed quia magis substat, substat nempè prima substantia non solùm accidentibus, sed ipsis etiam secundis substantiis: ergo

con-

conceptus substantiæ prædicamentalis in eo, quod est subsistere, consistit. Patet conseq. si enim magis substantia ex eo, quod magis subsistat, dicitur, patet, quòd substantia dicitur ex eo, quod subsistat. Qualitèr autem hoc stat cum eo, quod, ait, proprietatem esse substantiæ, non suscipere magis, & minus, infrà explicabitur.

75 Prob. secundò ratione: Quia divisio in decem Prædicamenta non est eorum, quæ sunt, sed eorum, quæ dicuntur; sed in se esse magis pertinet ad considerationem eorum, quæ sunt; ad considerationem verò eorum, quę dicuntur, magis pertinet subsistere, vel alio subsistentari: ergo conceptus substantiæ, ut est Prædicamentum, magis debet exprimi per subsistere aliis novem, quàm per esse in se. Confirmatur primò, quia substantia, ut est Prædicamentum, est, de qua denominativè dicuntur cætera novem; sed talis consistit in eo, quod est subsistere: ergo. Patet min. quia denominativè dici est alteri adjacere, seu significari per modum adjacentis, & subsistentati; quare conceptus illius, de quo sic dicuntur, est subsistentantis. Secundò: Conceptus substantiæ, ut sic, latiùs patet, quàm substantia prædicamentalis; sed substantia ut sic, & communitèr in hoc consistit, quòd est in se, & per se esse: ergo talis determinata substantia, quæ est Prædicamentum, in eo, quòd talitèr est, quòd aliis subsistat. Patet maj. quia non quævis substantia, sed corporea tantùm in Prædicamento ponitur, ut patebit in sequentibus. Patet item conseq. quia talis substantię conceptus sufficienter determinatur per hoc, quòd physicè notabilis est, & physicis accidentibus subsistat.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

76 ARguitur primò specialiter contra hanc B.D. sententiam ex communi fundamento: Id est in unoquoque conceptus quidditativus, quod primum intelligitur in ipso; sed in substantia prædicamentali prius intelligitur in se esse, quàm alia substentare: ergo. Patet min. tùm, quia prius est in unoquoque, quod sibi convenit in se, quàm quod convenit in ordine ad alterum tùm deinde, quia eo habet alia substentare, quia in se subsistit. Confirmatur: Quia dato, quòd aliis subsistare sit specialis conceptus prædicamentalis substantiæ, non tamen quidditativus: ergo non benè per hoc explicatur quidditas ejus.

77 Resp. disting. consequens: Substantia enim prædicamentalis potest accipi aut in eo, quod est substantia, & sic, quod primum intelligitur in ipsa, est in se, & per se esse; aut potest accipi in eo, quod

quòd est talis determinatè substantia, & sic in se esse non primò sibi convenit, sed secundò communitèr, & quasi genericè; primò autem, & per se in eo, quòd talis sibi convenit ita esse, quòd alia substentat. Quo patet ad utramque rationem: ad primam quidem substantia prędicamentalis utrumque habet in se, & subsistere, & ita subsistere, quòd nata est alia substinare; sed secundò, & cõmunitèr habet subsistere, primò, & specialitèr ita subsistere: ad secundam, non quia in se est, quòd omni substantiæ convenit, sed quia talitèr est, sed talis est substantia, habet alia substentare; tale autem speciale esse, quia non alitèr innotescit, per ipsum substare explicatur.

Ad confirmationem primam dicitur, quòd illa expresio non est propriè definitio, talem enim substantia non habet; quare non oportet accipere differentiã quidditativam, sed sufficit, si per aliquid sibi proprium eam circumloquatur. Dicitur secundò, quòd aliis substare explicat tale speciale esse, quod huic substantiæ convenit, quo ab aliis differt, quæ ad Prædicamentum non pertinent; qui tamẽ hæc talitas, sive specialis diversitas nobis in se ipsa ignota est, per illam quasi proprietatem explicatur. Dicitur tertiò, quòd hæc talis substantia prædicamentalis potest accipi metaphysicè, & in eo quod est, aut logicè, & in eo quod dicitur, seu alia de ipsa dicuntur; & priori quidem modo ejus quidditas in ipso consistit per se esse specialitèr, ut ab aliis substantiis differt; ex quo sequitur, quòd nata sit accidentibus substare; posteriori autem modo congruentiùs explicatur per ipsum substare propter rationem superiùs adductam.

78 Arguitur secundò ex P. August. 7. de Trinit. cap. 5. ubi ait: *Corpus namque subsistit, & ideo substantia est*: si ergo ideo substantia est, quia subsistit, patet, quòd ratio substantiæ non in substare aliis, sed in subsistere in se consistit. Quòd autem de substantia prædicamentali loquatur S. P. ex eo patet, quòd ibidem ait, Deum abusivè tantùm substantiam dici, communitèr namque acceptâ substantiâ, non abusivè, sed propriissimè Deus est substantia, nempè est primum analogans.

79 Hoc argumentum in ipsa S. P. litera apertam habet solutionem, & magis pro nobis, quàm contra nos est; patet enim legenti textum, quòd S.P. pro eodem accipit subsistere, ac subjici, seu substare; sic enim terminat cap. 4. *Si tamen dignum est, ut Deus dicatur subsistere*; at in se, & per se esse dignissimum est, ut dicatur; non ergo subsistere accipit pro eo quod est in se esse. Deinde, clarius id ipsum in hoc cap. habet; postquam enim ait, corpus, quòd colorem,

lorem habeat, substantiam esse, quia colori subsistit, colorem verò non esse substantiam, quia in subjecto corpore est, subjungit: *Res verò mutabiles, neque simplices, propriè dicuntur substantiæ, Deus autem, si subsistit, ut substantia propriè dici possit, ineſt in eo aliquid tanquàm in subjecto.* En subsistere est subjici tanquàm subjectum alicui perfectioni, & Deus in tantum diceretur subsistere, in quantum alicui subjiceretur; concludit itaque: *Nefas est autem dicere, ut subsistat, & subsit Deus bonitati suæ: unde manifestum est, Deum abusivè substantiam vocari.* Clariora hæc sunt, quàm quòd aliquâ expositione indigeant.

80 Arguitur tertiò duplici ratione, quam adducit Mastrius: Prima: Si substantia per substare accidentibus definitur, sequitur, quòd substantia non est prior definitione accidentibus; sed hoc est contra Philosophum 7. Metaph. cap. 1. ergo. Secunda: Definiretur substantia per additamentum; sed hoc est contra rationem substantiæ: ergo. Patet min. primò, quia is est modus proprius definiendi accidentia, quæ quia non sunt entia, nisi quia entis, per ens definiūtur, cujus entia sunt, nempè subjectum. Secundò, quia substantia independens est á quocumque extrinseco.

81 Resp. quòd quidditas substantiæ sicut accidentibus, ita existentiâ prior est; & tamen per ordinem ad existentiam definitur, non alio, nisi quia non existentia ipsa, sed aptitudo, & exigentia talis existentiæ, nempè in se, & per se, ponitur in ejus quidditate: pariter ergo cùm explicatur quidditas substantiæ prædicamentalis per substare accidentibus, non ipsa substentatio debet accipi, sed aptitudo, & exigentia, quæ prior est accidentibus. Quo patet ad secundum; ipsa enim existentia in se, & per se est extra quidditatem substantiæ, & tamen ea non definitur per additamentū, quia non per existentiam, sed per aptitudinem, quæ quidditativa est, definiri intelligitur: ergo pariter.

82 Arguitur quartò contra communem substantiæ explicationem: Partes compositi physici, nempè forma, & materia, per se existere non possunt; at sunt substantiæ in entitate sua: ergo non benè explicatur conceptus substantiæ per existere in se, & per se. Idem arguitur de existentia, actione creativa, unione, & multis aliis, quæ siquidem accidentia non sunt, substantiæ dici debent, & tamen non habent in se, & per se existere: ergo.

83 Resp. de facili, quòd eo sensu, quo substantia dicuntur materia, & forma, habent in se, & per se existere, nempè non dicuntur substantia simpliciter, & absolutè, sed secundùm quid, & cum addito, scilicèt substantia incompleta,

pletâ, hoc est, completæ substantiæ pars; & hoc sensu habet subsistere, sive in se esse, nempè non absolutè, & seorsim, sed in toto, cujus sunt partes. Ad alterum dicitur, quòd illa non dicuntur substantiæ substantive, sed adjectivè, & denominativè substantialia; quare non oportet, quòd illis conveniat in se esse, sed sicut sunt aliquid ipsius substantiæ, ita illis debet convenire esse aliquid illius, cui competit in se esse. Nec sequitur, quòd si non est accidens, sit nominalitèr, & substantivè substantia; datur enim medium, nempè substantiale, sive substantia adjectivè: quando ergo dicitur, quòd substantia, & accidens adæquatè dividunt ens, accipi debet proportionalitèr, videlicèt ens nominalitèr, & substantivè tale, aut erit substantia, aut accidens; tùnc autem actio, unio, & existentia, ipsa non sunt ens, sed entis affectiones, non enim illis competit esse, aut inesse, & perficere.

§. III.

Non repugnat Subſtantiam inhærere.

84 PRo pleniori intelligentia quidditatis substantiæ dubitatur hìc: An sit possibilis substantia inhærens? Non est sensus, an sit possibilis aliqua substantia, cui connaturale sit inhærere; hæc enim apertam implicat contradictionem, siquidem per connaturalem inhærendi exigentiam esset quidditativè accidens: sensus ergo est: An sit possibile, quòd substantia, cui connaturalitèr competit in se esse, possit poni inhærens, & ab alio in esse substentata? Ratio dubitandi est, quia sicut substantia constituitur per esse in se, ita accidens per esse in alio; sed non obstante, quòd est quidditas accidentis esse in alio, supernaturalitèr potest poni in se existens, ut patet in Eucharistia: ergo.

85 Pro parte affirmativa nonnulli adducunt, quòd Humanitas Christi Domini ita Personæ Verbi unitur, ut per illius esse existat, & ab ea substentetur. Sed hoc ad propositum non sufficit; tùm, quia non nisi impropriè Humanitas in Christo Domino dicetur Verbo inhærere, verè enim subsistit, licèt non propriâ subsistentiâ; tùm deinde, quia inhærere duo dicit, & in alio esse, seu per esse illius existere, & insuper alterum perficere, & veluti perfectionem propriam ab eo substentari; at in Christo Domino Humanitas non sic unitur Personæ Verbi, quòd perficiat, & veluti propria perfectio substentetur.

86 N. Manso pro parte negativa, quòd nempè licèt possit accidens in se esse, non tamen substantia inhærere, multiplicem adducit rationem disparitatis: prima, quòd ad perfectius potest ali-

quid elevari, non autem ad imperfectius deprimi; at verò in accidente perfectius est in se esse, in substantia verò imperfectius est inhærere: ergo. Secunda: Accidens non elevatur ad perfectatem positivam, sed purè negativam, hoc est, non ipsi communicatur positivus modus per se existendi, sed tantùm non habere subjectum; at verò inhærentia in substantia non esset negativa, sed positiva: ergo.

Tertia: Ex quo accidens non inhæreat, nulla sequitur repugnantia; sequitur autem ex quo inhæreat substantia: ergo. Probatur minor: Quod partibus repugnat, proculdubio repugnat toti; sed partibus substantiæ repugnat inhærere: ergo. Prob. min. primò de materia: Siquidem inhærere est aliud perficere; at materiæ perficere repugnat, si enim perficeret, jam non esset primum perfectibile, & potentia purè passiva, nempè aliud supponeret perfectibile, quod ipsa perficeret, & virtutem haberet activè perficiendi. Deinde ostenditur etiam de forma: Aut enim toti inhæreret, aut soli materiæ? Si hoc secundum, id non esset inhærere, sed proprium informare subjectum: si autem primum dicatur, id penitùs repugnat; forma enim substantialis ad differentiam accidentalis formæ, est actus materiæ, non compositi. Rursus: Ex pluribus in actu non fit unum per se; forma autem, & compositum, cui inhæreret, sunt plura in actu. Præterea: Estò forma toti composito adveniret, non tamen in toto formaliter reciperetur, nempé non in materia reduplicativè ut habente aliam formam, sed in materia secundùm se; quare non inhæreret.

87 Sed hæc omnia non ostendunt repugnantiam: ad primum dicitur, maj. liberé supponi; si enim Deus est omnium Dominus, & in quolibet oportet ponere obedientialem potentiam ad id, quod contradictionem non involvit, aut ostendatur, oportet, contradictio in eo, quòd aliquid deprimatur ad id, quod est sibi inferius, quod hucusque non ostenditur; aut fateamur, necesse est, Deum aquè posse, aut ad superius elevare, aut ad inferius deprimere. Præterea: Igni perfectius est comburere, quàm non comburere; elevavit tamen Deus, seu in sensu ejus depressit ignem Babylonicum, ne combureret. Quòd si dicatur, exercitium comburendi esse perfectionem accidentalem, eodem modo dicetur, quòd exercitium existendi in se, & per se est perfectio accidentalis; exigentia autem talis existentiæ non auferretur à substantia, per hoc quòd inhæreret, sicut neque ab igne Babylonico exigentia combustionis.

Ad secundum dicitur, primò, quòd si perfectas negativa in accidente est, quòd talis modus essendi non sibi connaturalis est, eodem

dem modo dicetur, quod substantia non haberet inhærentiam positivam, sed negativam. Dicitur deinde, quòd quantitas in Eucharistia non solùm habet carentiam subjecti, quod perficiat, & à quo substentetur, quod est perfectas negativa, nempe non inhærere, sed habet insuper existere in se ipso, & per existentiam sibi immediatè communicatam, quod est perfectas positiva, quam tamen ipsa non exigit: pariter ergo posset substantia non solùm habere carentiam exercitii in se essendi, quod esset inhærentia negativa, sed insuper haberet positivè esse in alio, quod est inhærentia positiva; quia tamen per se esse exigit, substantia esset.

Ad tertium neg. min. & ad prob. ejus primò dicitur, quòd posset quis assertum tenere de substantia simplici, de qua non procedit probatio; licèt enim Angelus sit substantia completa irreceptibilis in subjecto, per hoc tamen, quòd exigat sic esse, salvatur ejus quidditas; cum quo stat, quòd exercitè ponatur in subjecto. Dicitur secundò, quòd maj. posset negari, non enim toti repugnat, quod repugnat partibus, cùm alia sit totius, & partium quidditas. Dicitur tertiò ad probat. min. de materia, quòd casu, quo ipsa poneretur in subjecto, relinqueretur sibi ratio primi subjecti per exigentiam ad oppositum; quia tamen materia est purum perfectibile, nec potest intelligi aliquid ipsâ imperfectius, quod eâ perficiatur, aut quod ipsa perficiat; ideo hoc misso de materia, neg. de forma.

Ad primam probat. dicitur primò, quòd forma posset soli materiæ inhærere; & ad rationem in contrarium, quòd forma substantialis est actus materiæ secundùm se, quatenùs cum illa constituit unam quidditatem, cui primò competit existere; posset autem forma materiæ communicari ut præexistenti, nempè non ut faceret unam quidditatem, sed ut ab ea, & in ea haberet existere, & sic illi inhæreret, & ab ea substentaretur. Secundò dici posset, quòd uniretur forma toti composito subsistenti, eo sensu, quo Scotistæ dicunt, de facto uniri animam rationalem toti ex materia, & forma corporeitatis, & tùnc esset substantialis, quia exigit soli materiæ communicari, & totum constituere, cui primò competat esse; inhæreret autem, quia toti subsistenti communicaretur, ut ipsum perficeret, & ab eo haberet esse, & substentari. Quo patet ad rationem in contrarium, nempè quia forma est actus materiæ, non compositi, exigit soli materiæ communicari, quod non tollit, quin possit communicari toti, sicut est accidens actus compositi, potest tamen soli materiæ ~~communicari~~ supernaturaliter existenti sine forma.

Ad secundam probat. dicitur, quòd casu quo forma substantialis inhæreret, exigeret quidem unam per se quidditatem constituere, quia substantialis est; exercitè tamen se haberet modo formæ accidentalis, nempè extra essentiam, & substentata ab eo, quod perficeret. Ad tertiam dicitur, quòd non probatur repugnantia in eo, quòd forma uniretur materiæ reduplicativè ut informatæ, de hoc enim procedit dubitatio: etsi ergo forma de se exigat materiam perficere secundùm se, & immediatè, licet eam inveniat aliâ formâ informatam, contendit tamen sententia asserens, nullam esse repugnantiam in eo, quòd de posse absoluto totum perficiat, & exercitè illi uniatur modo accidentalis formæ, ab eo substentata, & illi inhærens.

88 Aliunde alii repugnantiam probant, nempe ex incompatibilitate duplicis formæ substantialis in eodem susceptivo: expulsio alterius formæ quidditativa est cuilibet formæ substantiali: ergo cuilibet repugnat inhærere. Patet conseq. in tantum enim inhæreret, in quantum toti communicaretur, & ab eo substentaretur in esse; si autem quidditativè habet aliam formam expellere, quidditativè sibi convenit soli materiæ communicari, & consequentèr repugnat inhærere, seu totum subsistens perficere. Antec. ostenditur, primò, quia expulsio alterius, seu incompatibilitas cum altero est effectus negativus, qui proinde nequit suspendi. Secundò, quia in tantum sibi competit aliam expellere, in quantum habet quidditatem constituere; sed hoc habet quidditativè, ex quo nempè substantialis est: ergo. Patet hæc maj. quæ enim præcedentem formam non expellit, quidditati advenit tali formâ constitutæ; quare non ipsa constituit quidditatem, sed extra essentiam est.

89 Sed neque hæc ratio probat repugnantiam: ad illam dicitur, quòd quidditativè convenit substantiali formæ exigentia expellendi alteram, sicut sibi convenit exigentia perficiendi nudam materiam, & constituendi quidditatem, cum quo stat, quòd exercitè non expellat, neque quidditatem constituat. Quo patet ad utramque probationem: ad primam quidem, quòd exigere expulsionem sibi convenit essentialitèr, quare non potest divinitùs hoc impediri, potest autem exercitè expellere: ad secundam, similitèr non exercitè constituere quidditatem, sed id exigere, sive ad hoc aptam esse, est essentia substantialis formæ. Posset secundò dici, quòd non sequitur conseq. etsi enim essentialitèr habeat aliam expellere, posset nudæ materiæ inhærere, si nempè ipsi communicaretur, non secundùm se, & ut constitueret quidditatem, cujus esset existere, sed reduplicativè ut subsisten-

sistenti, & ut ab ea substentare-tur.

90. Insuper alii repugnantiam ostendunt ex ipsa paritate accidentalis formæ: Formæ accidentali repugnat alteri uniri ad constituendum totum substantiale: ergo formæ substantiali repugnat uniri ad constituendum totum accidentale; sic autem uniretur, si inhæreret. Patet conseq. Eo enim primum repugnat, quia quidditas accidentalis formæ est totum accidentale constituere; sed paritèr quidditas formæ substantialis est constituere totum substantiale: ergo. Patet item subsumpta: Si enim inhæret, perficit extra essentiam, & sic accidentaliter.

91. Sed neque ista ratio probat repugnantiam: Resp. neg. conseq. ratio disparitatis est, quia in forma accidentali constituere totum substantiale est tribuere perfectionem, quam nullo modo habet, quod omninò repugnat, præsertim in genere causæ formalis; at verò in forma substantiali constituere totum accidentale est non tribuere totam perfectionem, quam continet, seu non perficere modo, quo nata est perficere; nulla autem est repugnantia in eo, quòd forma per accidens ex aliquo impedimento non tribuat totam perfectionem suam, seu non perficiat modo, quo nata est perficere. Quo patet ad rationem consequentiæ; etsi enim sit quidditas utriusque formæ natam esse constituere totum respectivè substantiale, aut accidentale, aliter tamen comparantur ad oppositum, nempè forma accidentalis ad totum substantiale, & forma substantialis ad totum accidentale.

92. Dicendum ergo, quòd nulla est repugnantia in eo, quòd Deus de posse absoluto faciat substantiam inhærere. Quod sufficientèr patet ex jam dictis: *Plus enim potest Deus facere, quàm nos intelligere; & cùm de potentia Dei quæritur, semper tenendum est, quòd Deus potest, nisi manifesta appareat contradictio*, quod utrumque ex P. Augustino desumitur: si ergo quæ adducta sunt, non ostendunt contradictionem, id sufficit, ut dicatur absolutè possibile. Ostenditur nihilominùs directè ex ipsa quidditate inhærentiæ: duo namque inhærentia dicit, & in altero esse, nempè non per esse proprium, seu per esse alterius existere; & insuper perfectionem communicare secundariam, sive extra essentiam: primum quidem ex eo patet, quòd si immediatè sibi ipsi communicatur existentia, etsi in altero, subsistit, & in se existit, sicut contingit in Humanitate Christi Domini, quæ existit quidem in Persona Verbi; quia tamen non mediante alia natura, sed immediatè sibi communicatur existentia, subsistit, atque in se existit, licèt non propriâ subsistentiâ; quare probabimus in

Meta-

Metaphysica, quòd accidens non habet propriam existentiam aliam ab existentia substantiæ

Alterum deinde, quod importat inhærentia, patet item de facili: Quod enim non perficit, adhæret quidem, & alteri unitum est, ut vestis corpori, vel aurum ligno deaurato, non tamen inhæret; quòd deinde primum esse nominale, seu primariam perfectionem tribuit, constituit substantiam, nempè primum ens, sive ens, cui primò, & per se competit esse. Jam autem, quòd hoc utrumque substantiali formæ non repugnet, facilè est ostendere: Non enim aliquod est inconveniens, aut repugnantia contradictionis in eo, quòd forma, cui competit sive in se esse, sive subjecto communicare primariam perfectionem, cohibeatur, & à Deo ponatur in esse non secundùm propriam exigentiam, sed in altero, & illi tribuens secundariam aliquam perfectionem; videmus namque, quòd natura humana exigit in se esse, & per proprium esse existere, & tamen non secundùm hanc exigentiam est in suppositio Verbi; similitèr accidentia in Eucharistia non secundùm propriam exigentiam sunt; & quòd forma non tribuat subjecto eam perfectionem, quam ipsa potest, & exigit tribuere, potest divinitùs contingere, si ponatur in subjecto incapaci, ut intellectio in lapide, atque etiam si à Deo prohibeatur, ut quantitas corpori glorioso non tribuit impenetrabilitatem: poterit ergo substantialis forma à Deo proliberi, ne tribuat primarium, & substantialem effectum.

93 Dices: Tùnc non erit substantialis, quod est contradictio. Resp. de facili, quòd erit substantialis quidditativè, & in actu primo, hoc est, quantum ad aptitudinem quidditatis, exercitè tamen habebit modum formæ accidentalis, sicut quantitas materiæ divinitùs existenti sine substantiali forma tribueret esse, quod exercitè esset primum, nempè nullum aliud haberet materia; quia tamen tàm materia, quàm ipsa quantitas aliud præexigit, quidditativè, & quantum ad exigentiam essentiæ suæ, illud esse esset secundarium, & accidentale: relinquitur ergo ex his, quòd quidditas substantiæ est ens per se existens, non quidem exercitè, aut ita quòd sibi repugnet non per se esse, sed ita tantùm, quòd aptum sit per se esse.

§. IV.

Dividitur Substantia.

94 HOc alterum est, de quo quærit articulus: Quotuplex sit substantia? Si in communissima acceptione sumatur, dividenda erit in creatam, & increatam; & deinde creata in corpoream, & spiritualem; insuper corporea in completam, & incom-

completam; & tandem incompletam in actum, & potentiam, sive in formam, & materiam: has tamen divisiones misit Philosophus, quia tantùm dividit substantiam prædicamentalem; ad prædicamentum autem non pertinet increata, aut spiritualis, aut incompleta, ut in sequentibus dicetur: imò hinc posset deduci, quòd Deus, & Angeli in Prædicamento non ponuntur, quia Philosophus substantiam prædicamentalem non dividit in corpoream, & spiritualem.

95 Quia ergo de substantia tantùm prædicamentali sibi sermo est, eam dividit Philosophus in primam, & secundam: Prima substantia est, *quæ neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur*, ea est substantia individua, ut *Sortes, aliquis leo*. Secunda est, *quæ in subjecto quidem non est, de subjecto tamen dicitur*, & tales sunt substantiæ universales, prædicata nempè generica, & specifica, ut *homo, animal*, quæ de subjecto dicuntur, nempè de ipsa prima substantia habent prædicari, non tamen in ipsa sunt tanquam in subjecto: ratio est, quia quæ in subjecto sunt, denominativè tantùm de ipso dicuntur; si enim quidditativè, tùnc sunt ipsum subjectum; quo patet aliter accipi subjectum, quando dicitur in subjecto esse, aut non esse; aliter verò, cùm dicitur de subjecto dici, ut suprà notatum est; jam autem secundæ substantiæ *in quid* dicuntur, seu ut ait Philosophus; *Nomine, & ratione prædicantur*; non ergo sunt in subjecto.

Factâ deinde comparatione ad invicem, ait, primam substantiam maximè, & principaliter substantiam dici, & eo prima vocatur, quippè quę nullum habet subjectum, neque in quo sit, neque de quo dicatur; quare magis habet substare, substat namque, & his, quæ sunt, nempè accidentibus, & his, quæ dicuntur, nempè secundis substantiis: Secunda autem substantia, licèt simpliciter substantia sit, quippè quæ substat accidentibus, de ipsa namque denominativè dicuntur, ut *homo est albus*, minùs tamen, quàm prima; tùm, quia ratione primæ his substat; eo enim homo est albus, quia Sortes habet albedinem; tum deinde, quia sic habet aliorum subjectum esse, ut ipsa etiam subjectum habeat, licèt non in quo sit, saltim de quo dicatur: hinc inter ipsas secundas substantias facta comparatione, magis substantia est species specialissima, quàm genera superiora, nempè his etiam substat, & minùs habet subjectum, de quo dicatur, species namque de solo individuo dicitur, genus autem de individuo, atque etiam de specie.

96 Quæritur circa hanc divisionem: Qualis ea sit, & quodnam in illa divisum? Quo circa, missis aliorum placitis, in quo non nihil est confusionis, patet in primis, quòd

quòd non est divisio substantiæ penes universalem, & particularem; tùm, quia universale, & particulare non sunt differentiæ substantiæ, sed communia substantiæ, & accidenti; hìc autem dividitur substantia, ut accipitur contra accidens; tùm deinde, quia universale, & particulare dicuntur per ordinem ad inferiora, quibus contrahitur, non verò contrahitur ratio; hìc autem accipitur substantia, quæ dividitur penes ipsum substare, & dicitur magis, aut minùs substantia, quę magis, aut minùs substat: licèt ergo universalitatem importet secunda substantia, & prima particularitatem, non tamen formalitèr, ut sunt prima, & secunda, sed quasi identicè, & pro implicito.

97 Dicendum ergo, quòd divisum hujus divisionis est substantia prædicamentalis, non quidem primò intentionalitèr, sic enim non est prima, aut secunda; nec item reduplicativè, ut est Prædicamentum, sic enim magis est secunda substantia, quàm prima, nempè secunda substantia per se, & formalitèr, est Prædicamentum, prima autem non nisi extrinsecé, & veluti fundamentum, non enim formalitèr pertinet ad seriem Prædicabilium secundùm *sub*, & *supra*: est ergo substantia, ut habet substare, qua ratione comparatur ad novem Prædicamenta accidentium, quæ de illa dicuntur denominative, & determinatur substantia prædicamentalis contrà substantiam communitèr acceptam; & quia magis habet substare prima, quàm secunda substantia magis substantia dicitur.

98 Dicendum deinde, quòd divisio est analogi in analogatum, quod ex ipsa patet Philosophi littera: *Magis enim primæ, quàm secundæ convenire*, ait, *rationem, secundùm quam fit divisio*; at ratio univoca non magis uni convenit, quàm alteri: sive ergo divisum accipiatur reduplicative, ut est Prædicamentum, sive ut habet substare, ratio est analogi ad primam, & secundam substantiam, alitèr tamen; nam, ut est Prædicamentum, magis convenit secundæ, quàm primæ, nempè secunda substantia propriè est Prædicamentum, non autem prima; ut autem habet substare, magis convenit primæ substantiæ, nempè ipsa magis substat, ut jam patuit,

§. V.

Proprietates utriusque Substantiæ.

99 S. P. Augustinus hìc cap. 9. observat, quòd quia substantia per definitionem explicari non potuit, cùm genus non habeat, per quod definiatur, ejus quidditatem notificat Philosophus per suas quasi passiones, & proprietates, per ea nempè, quæ sibi conveniunt, aut soli,

soli, & omni, aut omni, licèt non soli; patet enim, quòd ista aliquomodo indicant quidditatem ejus, cui conveniunt. Assignat sex, de quibus nonnulla dubitantur, quæ tamen nullius fere sunt difficultatis, aut controversiæ; quare singulas percurremus brevitèr.

100 Prima proprietas est in subjecto non esse: hanc ostendit Philosophus inductione, de prima nempè substantia constat, quòd neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur; secunda autem de subjecto quidem dicitur, ut homo de Petro, non tamen in Petro est tanquam in subjecto, & hæc omni, & soli competit substantiæ; nihilominùs accipiendo substantiâ, ut est Prædicamentum, non soli convenit, seu non dicitur ad convertentiam; ut enim ipse Philosophus in textu habet, differentia non est in subjecto, & tamen non est substantia, prout substantia est Prædicamentum, nempè non directè, & per se, sed reductivè in Prædicamento ponitur. Quare non benè N. Manso ait, quòd fortè hæc est quidditas substantiæ; non enim differentiæ convenit quidditas substantiæ, ut ea hic accipitur, cui tamen convenit non esse in subjecto: quidditas ergo substantiæ ex ipso substare accipitur, cujus est veluti proprietas non esse in subjecto.

Neque te moveat, subjungit Philosophus ipse, quòd partes substantiæ substantia sunt; non enim substantia ex non substantiis constat, & tamen in subjecto esse videntur, partes enim in suo toto sunt. Hoc, ait, non te moveat, jam enim dictum est suprà, quòd in subjecto esse hic accipitur pro eo, quod est in altero esse, & non ut pars.

101 Secundam proprietatem dicit, quòd substantia univocè prædicatur, hoc est, nomine, & ratione. Hanc dicit neque omni, neque soli convenire; non quidem omni convenit, quia prima substantia non prædicatur; non deinde soli, quia differentia, quæ, ut dictum est, non est substantia, nomine, & ratione prædicatur, seu quod idem est, univocè: est nihilominùs proprietas substantiæ, quæ quodammodò substantiam notificat, quia illi convenit, ut accipitur contra accidens; hoc enim tantùm denominativè dicitur, ut *album, simile*. De hac proprietate primò facit difficultatem, quòd ait, differentiæ convenire prædicari enim univocè est prædicari *in quid*; at differentia tantùm *in quale* dicitur, sicut accidens, nempè *rationale*, *rugibile*: ergo. Secundò facit difficultatem, quòd etiam accidens univocè dicitur, seu ut ipse ait, nomine, & ratione; valet enim *albedo est color*, *similitudo est relatio*, in quibus accidens prædicatur univocè, & *in quid*.

102 Ad hæc autem respondetur de facili: ad primum quidem,

quòd differentia ex modo significandi dicitur *in quale*; at ex parte rei significatæ est ipsa quidditas rei, cujus est differentia, quare dicitur nomine, & ratione. Ad secundum accipit Philosophus, dici de eo, quod est, sive de ipsa prima substantia, quæ cæterorum omnium est subjectum; de hac autem non nisi denominativè dicuntur novem Prædicamenta accidentium, & tantùm secunda substantia dicitur univocè, seu nomine, & ratione etiam quidditativa. Nota, quòd S. P. ait, hanc soli, licèt non omni substantiæ convenire; quo videtur innuere, quòd non convenit differentiæ, quod contra Philosophum est. Patet autem de facili sensus, accipit nempè S. P. differentiam ex modo significandi, & sic illi non convenit dici univocè.

103 Tertia proprietas est, quòd illi convenit significare hoc aliquid. Hanc explicans Rub. hìc supponit intendere Philosophum, quòd ea tantùm primæ substantiæ convenit, secundæ verò substantias *quale quid* significare, & ita tenere, ait, communitèr Philosophi Interpretes; tùnc autem multus est in explicãdo; quomodò *quale quid* significant secundæ substantiæ, cùm tamen univocè, & *in quid* dicantur. Hoc autem apertissimè esse contra mentem Philosophi, patebit legenti textum; probaturus enim hanc proprietatem, ait, quòd in primis substantiis indubitabile id, verumqúe est, hoc aliquid ipsas significare; de secundis verò substantiis subjungit, quòd videntur quidem hoc aliquid significare, magis tamen quale quid: *Verùm non quale quid absolutè significat, perinde ac album, nihil enim aliud album, quàm quale significat*: intendit ergo utrique convenire hoc aliquid significare, alioquì non de utraque ostenderet, magis tamen primæ, quàm secundæ, quia ipsa secundò quodammodò *quale quid* significat, eo nempè sensu, quo propter universalitatem est aliquid ipsius primæ substantiæ, nempè prædicatum in ipsa repertum.

104 De hac tantùm dubitatur, quòd ea non videtur substantiæ proprietas; licèt enim *album* non hoc aliquid, sed adjacentiam formæ, seu formam adjacere significet, tamen albedo formam ipsam, & hoc aliquid significat. Respond. quòd accidens eo modo, quo est hoc aliquid, induit modum substantiæ, nempè significat substantivè, & ad modum per se stantis: vel alitèr, quòd accidens habet in subjecto esse, & ad ipsam primam substantiam comparari, sic autem non albedo, sed album dicitur.

105 Quarta proprietas est, quòd substantiæ nihil est contrarium. Hanc ut per se notam supponit Philosophus; patet enim, quòd tám Sorti, quám homini, aut animali nihil contrariatur: sub-

subjungit autem Philosophus, quòd hæc non soli substantiæ convenit, sed etiam quantitati. Contra quod arguit, quod multum pauco contrarium videtur; ad quod tamen respondetur, quòd multum, & paucum non sunt definitæ quantitatis; quare in his, quæ habent quantitatem determinatam, non est reperiri contrarietatem. Hæc solutio non videtur sufficiens; quòd enim quantitas sit indeterminata, non tollit, quin sit quantitas: si ergo in quantitate indeterminata est accipere contrarietatem, jam quantitas habet contrarium.

Pro intelligentia ergo solutionis notandum, quòd quantitas indeterminata nulla est in re, sed quæ in re de necessitate terminum habet, à nobis accipitur præcisivè, & indeterminatè: intendit ergo Philosophus, quòd quantitati, ut in re est, nihil est contrarium; quare si in aliqua acceptione contrarietatem habet, illa non accipit quantitatem formalitèr, ut est quantitas: ad propositum itaque multum, & paucum relativè dicuntur, multum enim non in se, & absolutè, sed ad alterum dicitur, quod minus est; quare non contrariè, & intra genus quantitatis opponuntur, sed relativè; quare relinquitur, quòd quantitati formalitèr, ut quantitas est, nihil est contrarium.

106 Nihilominùs contra hanc substantiæ proprietatem nonnulla objiciuntur: Primò: Substantia generatur; at generatio est ex contrariis, ut dicitur in 1. Physic. ergo, Secundò: Substantia differentias habet; at differentiæ contrariæ sunt, ut corporeum, & incorporeum: ergo idem. Tertiò: Elementa contraria sunt; at sunt substantiæ: ergo. Quartò: Contraria sunt, *quæ sub eodem genere summè distant, & ab eodem subjecto mutuò se expellunt*; at substantiales formæ ab eodem communi subjecto mutuò se expellunt, & sub eodem genere summè distant: ergo. Quòd si dicatur, substantiæ proprium esse non esse in subjecto: Resp. quòd latè accipiendo subjectum, non pro subjecto inhæsionis, sed cujuscumque informationis, substantialis forma est in subjecto, nempè in prima materia.

107 Ad hæc omnia de levi patet solutio: ad primum quidem disting. min. Generatio est ex contrariis, formalitèr ratione sui, neg. min. ratione motûs adjuncti, conced. min. & tùnc neg. conseq. contrarietas enim est in ipsis dispositionibus, ad quas motus ille terminatur. Ad secundum, primò neg. maj. differentiæ enim non sunt substantia, ut ad præsens substantia accipitur, nempè prima, aut secunda, quæ est Prædicamentum. Secundò, neg. min. differentiæ enim non sunt contrariæ, sed latam habent oppositionem, seu incompatibilitatem, non enim

generi comparantur tanquâ communi subjecto ; deinde incorporeum non est differentia, non enim genus privatione contrahitur, sed positiva perfectione ; insuper non contrariè, sed privativè opponuntur. Ad quartum, neg. maj. non enim elementa, sed eorum qualitates contrarietatem habent. Quòd si dicas, unumquodque elementum proprias exigit qualitates, quare oppositio, quæ est inter qualitates ipsas, erit inter exigentias, & sic in substantia ipsa elementi. Ad hoc dicitur, quód illa exigentia non fundat formalem contrarietatem, sed illam exigit in qualitatibus ; quare elementa tantùm radicalitèr, & exactivè, non verò formalitèr contrarietatem habent in substantia sua.

Ad quartum respondet Rubio, quòd *se mutuò expellere* dicit agere, & pati; hoc autem non reperitur in substantialibus formis per se, quippé substantia non est immediatè operativa, sed per qualitates suas : in his ergo erit contrarietas. Sed hæc solutio in primis assumit doctrinam multùm controversam, quòd nempè substantia sit immediatè operativa, tenent Scotistæ, & multi alii. Deinde falsa est maj. quòd *se expellere* sit agere, & pati, non enim effectivâ influentiâ, quam formæ non habent, sed formali incompatibilitate se expellunt, quare in genere causæ formalis: insuper patet, quòd se ipsis, & præcisivè à contrariis qualitatibus incompatibiles sunt duæ substantiales formæ, saltim non subordinatæ, in eâdem materia ; quare se ipsis habent se expellere.

Dicendum ergo primò, sicut dictum est, quòd substantia, ut ad præsens accipitur, nempé quæ est Prædicamentum, non est in subjecto, quare sibi repugnat incompatibilitas in subjecto, & sic contrarietas. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd forma substantialis non est substantia, ut ad præsens substantia accipitur, ut de differentia docet ipse Philosophus. Dicendum secundò, quòd neque ipsi substantiali formæ competit contrarietas formalitér, & propriè, sive ratione sui, sed per se habet latam oppositionem, contrarietatem autem solùm radicaliter, & exactivè, quatenùs exigit qualitates alteri contrarias. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd incompatibilitas in formis accidentalibus est ex pugna ipsarum ad se invicem, & hæc est contrarietas ; in formis autem substantialibus est aut ex incapacitate subjecti, quod habens ab una esse quidditativum, nequit aliam suscipere ; aut ex qualitatibus, quas secum affert unaquæque

108 Quinta proprietas est, quòd substantia *non suscipit magis, & minus*, nempè nec Sortes est magis prima substantia, quàm Plato, nec unus homo magis est homo, quàm alius. Contra hanc

occur-

occurrit statim, quod ipse Philosophus posuit, quòd nempè prima substantia magis est substantia, quàm secunda, & in ipsis secundis magis est substantia species specialissima, quàm genus: ergo suscipit magis, & minus tám prima, quàm secunda substantia. Ad hoc respondet Mastrius, quòd substantia aut accipitur quoad subsistere, aut quoad substare: & priori modo non suscipit magis, & minus, benè autem posteriori; jam autem, quia subsistere est quidditas substantiæ, substare autem ratio accidentalis, benè dicitur absolutè, quòd substantia non suscipit magis, & minus, nempè secundùm rationem suæ quidditatis.

109 Sed contra, primò: Si substare est ratio accidentalis, ex quo magis habeat substare, non erit magis substantia, sicut quia doctum esse est ratio accidentalis in homine, magis esse doctum non sufficit, ut dicatur magis homo; ergo dixit Philosophus, quòd una substantia magis est substantia, quàm alia, & quòd prima substantia maximè, & principaliter substantia est: ergo. Secundò: Si subsistere est ratio quidditativa substantiæ prædicamentalis, cui competit subsistere, competit esse Prædicamentum; sed Deo propriissimè competit subsistere: ergo. Tertiò. Ipsum subsistere magis competit primæ substantiæ, imò soli competit ipsi, homo enim non subsistit, sed Petrus: ergo. Quartò: Philosophus ipse replicam contra se objicit; sed aliâ respondet viâ: ergo solutio illa non est ad mentem Philosophi.

110 Philosophus ergo ad replicam respondet per hæc verba: *Atque non dico, substantiam substantiâ non magis substantiam esse, hoc enim jam diximus ita esse; sed quamquàm substantia, id ipsum, quod est, non dici magis, aut minus esse: veluti si substantia eadem homo sit, non est magis, aut minus, aut se ipso, aut alio, homo.* Sensus itaque est, quòd substantia in eâdem ratione, sive uniformitèr comparata non suscipit magis, & minus, quo sensu magis, & minus suscipit qualitas: benè autem si difformitèr comparetur: itaque eatenùs qualitas magis, & minus suscipit, quatenùs aut unum album magis alio album est, aut etiam se ipso magis nùnc, quàm priùs; hoc sensu substantiæ negatur magis, aut minus, nempè quòd una prima substantia magis habeat, quàm alia rationem primæ substantiæ, aut una secunda magis, quàm alia paritér secunda, puta, unus homo magis, quàm alius homo, aut unum animal, quàm aliud animal; cum quo stat, quòd prima ad secundam comparata, aut genus ad speciem, habeat magis.

111 N. B. D. 1. Metaph. q. 27. de hoc ipso quærit: *An substantia habeat magis, & minus?* &

aliâ

aliâ viâ, quæ tamen in idem recidit, resolutionem affirmativam probat: præmisit itaque, quòd species sunt sicut numeri, nempè sicut numeri ab unitate recidunt, ita quòd impossibile est, duos numeros diversos esse, & æqualitèr ab unitate distare, ita species perfectionem Dei participant, ita quòd impossibile est quidditativè differre, & æqualitèr distare, sed de necessitate altera minùs distat, & gradum perfectionis habet, quem non habet altera, de quo ex instituto agitur in Metaph. Tùnc ergo ad quæstionem ait B. D. quòd quantum ad gradum perfectionis suæ per comparationem ad alteram, substantia suscipit magis, & minus, ut una perfectior est alterâ, & minus distat á prima, non autem habet gradus, secundùm quos se ipsa, aut alia ejusdem rationis magis, minusvè dicatur, ut homo alio homine, aut leo alio leone, quod ipsa indicant verba Philosophi; ait nempé, quòd substantia non suscipit gradus, quibus magis, minusvè dicatur; quòd enim una substantia est perfectior alterâ, aut prima magis substantia, quám secunda, non significat in ipsa substantia latitudinem gradualem.

112 Ultima proprietas, quam ait Philosophus maximè substantiæ propriam esse, est, quòd *eadem manens contraria suscipit*, ut homo idem manens numero nùnc calidus est, nùnc frigidus. Hanc ait, nulli alteri, quám substantiæ convenire; color enim non poterit idem manens nùnc albus esse, nùnc niger; & insuper omni convenit substantiæ, æquè enim Sortes, ac homo calidus est, & frigidus. Contra hanc ipse objicit: Quòd eadem oratio nùnc vera est, núnc falsa, ut si quis dicat, Sortem sedere, eadem manens oratio, eo sedente, vera est, eo surgente, falsa. Ad hoc autem duas adhibet solutiones: prima, quòd substantia contraria suscipit in se, quare sui mutatione utrumque habet successivè eadem manens; at verò oratio nihil suscipit, quare transit de vera in falsam non sui, sed objecti mutatione. Altera solutio est, quòd veritas, & falsitas non sunt aliquid in ipsa oratione susceptum; quare non sunt contraria, sed aut relativè, aut privativé opposita.

113 Ulteriùs nonnulla communitèr objiciuntur contra hanc proprietatem: primùm ait Philosophus, hanc substantiæ convenire, quæ est una numero; sed esse unum numero soli convenit primæ substantiæ: ergo. Patet min. est enim secunda substantia, quæ de subjecto dicitur, cùm in subjecto non sit; at per hoc, quòd individuetur, puta hoc animal, non dicitur de subjecto: etsi ergo non sit idem hoc animal, quod Sortes, quare non bene hîc arguit Rubio; patet tamen, quòd hoc animal non secunda, sed prima substantia

tia est, quæ nempè neque in subjecto est, neque de subjecto aliquo dicitur: si ergo illa proprietas soli convenit substantiæ, quæ est una numero, non convenit secundæ substantiæ, & sic non erit maximè proprium, sive proprium quarto modo. Secundò: Neque omni convenire primæ substantię, ex eo probatur, quòd supercœlestia corpora non possunt contrariis qualitates suscipere; at substantiæ sunt prædicamentales: ergo. Patet maj. si enim contrarias qualitates susciperent, alterabilia essent, & corruptibilia. Nec sufficit motus habere contrarios, aut ubicationes; loquitur enim Philosophus, ut jam patuit, de contrariis strictè talibus, & quæ per mutationem ipsius substantiæ adveniunt.

114 De prima difficultate nonnihil est controversiæ: volunt enim nonnulli, ut Canter. & alii, quòd ly *unum numero* debet accipi á parte subjecti, ut sensus sit, quòd substantiæ, quæ est una numero, maximé proprium est, quòd eadem manens suscipit contraria, & tùnc id est proprium quarto modo, non substantiæ ut sic, sed primæ substantiæ. Alii per oppositum, ut Cajetanus, & alii apud Oña, volunt, quód accipi debet ex parte prædicati, ut sensus sit, quòd maximè proprium est substantiæ, ut contraria suscipiat manens eadem numero; & isti ad argumentum dicunt, quòd non solùm Sorti, sed etiam homini, aut animali, quod est in Sorte, convenit contraria suscipere idem manens, licèt prout individuatur, & accipitur unum numero, non sit secunda substantia, sed prima; ut autem non omni substantiæ conveniret, sed soli primæ, opus erat, ut secundæ non conveniret, nempè quòd ex susceptione contrarii non maneret eadem, quod tamen in nulla contingit.

Iste secundus modus magis est ad mentem Philosophi: primò quidem, quia ipse non substantiæ primæ, sed substantiæ ut sic, ut communis est ad primam, & secundam, proprietates assignat, illius nempè, quam in primam, & secundam dividit. Secundò, quia ostendit id accidenti non convenire, quare substantiam accipit, ut accidenti opponitur: & tertiò, quia verba ipsa secundæ sententiæ sensum apertè indicant, ait enim: *Maximè verò substantiæ proprium hoc esse videtur, idem, inquam, unumque numero permanens contrariorum esse susceptivum*: quibus apertè patet, quòd non de substantia loquitur, quæ est una numero, sed de substantia qualibet ait, quòd eadem numero manens contraria suscipit.

115 Major est difficultas de secunda; neque enim possumus admittere communem solutionem, neque de latè oppositis accipi potest Philosophus, ut patet ex solutione, quam ipse adhibet ad replicam

plicam contra se inductam. Aberroes tenuit hac ratione cœlos, & incorruptibilia corpora non poni in Prædicamento; quoniam *subsistare*, quod est ratio quidditativa substantiæ prædicamentalis, illis non convenit, siquidem non suscipiunt accidentia: deinde proprietates, quas assignat Philosophus substantiæ prædicamentalis, in illis non reperiuntur, ut patet in ista, quæ potissima est; at ut observat S. P. proprietates assignat Philosophus, ut illis notificet substantiam, de qua intendit, quoniam ea definiri non potuit: non ergo prædicamentalis est illa substantia, cui tales proprietates non conveniunt.

116 Sed in Prædicamento reponi cœlestia corpora negare non possumus, siquidem habent commune genus cum istis sublunaribus, nempè conceptum substantiæ corporeæ: nec prima ratio Commentatoris quid urget, habent enim propria accidentia, quibus subsistent cœlestia corpora, licèt non sint alterabilia. Ad secundum dicamus oportet, quòd omnes proprietates, quas substantiæ assignat Philosophus, illis conveniunt, & tantùm potest esse difficultas de hac ultima: pro cujus intelligentia notandum, quòd cœleste corpus possumus considerare, aut secundùm quod est talis determinatè substantia ex speciali, & propria ratione suæ formæ; aut secundùm quod est substantia corporea univocè conveniens cum sublunaribus: sub priori quidem conceptu sibi non convenit illa proprietas, quia ex speciali ratione suæ formæ est inalterabile; at verò sufficit, quòd ex communi conceptu substantiæ corporeæ id sibi non repugnet, ut dicatur substantiæ id proprium esse. Ad argumentum ergo cùm dicitur, quòd non omni substantiæ prædicamentali convenit illa proprietas, distinguatur assumptum: Non omni convenit ex conceptu, quo est substantia prædicamentalis, neg. ex conceptu speciali talis substantiæ, conc.

117 Dices: Hac solutione evertitur doctrina à nobis danda duobus sequentibus articulis; dicemus enim, quòd Deus, & Angeli non ponuntur in Prædicamento, quia in illis non reperiuntur conditiones prædicamentalis substantiæ; tùnc autem dicetur, sicut nos in præsenti dicimus, quòd non secundùm communem conceptum substantiæ, sed secundùm specialem talis substantiæ illis repugnant. Resp. quòd conceptus substantiæ corporeæ communis ad corruptibilem, & incorruptibilem præscinditur ex parte objecti; quare genus est, & utraque substantia sub eodem genere continetur, quare in eodem Prædicamento ponitur, nempé significat ille conceptus materiam sub communi gradu formæ, quo habet radicare quantitatem; at verò conceptus sub-

substantiæ communis ad creatam, & increatam, atque etiam corpoream, & spiritualem non significat unam rationem quidditativam ex parte objecti præcisam, ut in prosequendo patebit; quare ea non est genus.

ARTICULUS II.

An Deus ponatur in Prædicamento Substantiæ?

§. I.

Quibusdam præmissis, probatur communis sententia.

118 NOtandum, quòd non debet esse controversia: An Deus reductivè ponatur in Prædicamento? Neque enim desunt, qui mordicùs adeo partem negativam tenent, ut ne reductivè quidem Deum in Prædicamento poni concedant: reductivè ergo in Prædicamento poni nihil est aliud, nisi quòd id, quod in suis prædicatis non est substantia prædicamentalis, aut quia aliquid ejus est, aut quia aliquem habet modum, quo illi assimilatur, ad illud dicatur reduci Prædicamentum, quia magis huic, quàm alteri assimilatur; & ita ad Prædicamentum substantiæ reducuntur existentia, & unio, quæ substantialis dicitur, ad Prædicamentum actionis actio creativa, & hujusmodi multa, quæ per suam quidditatem nullius sunt Prædicamenti: jam autem Deus modum quendam substantiæ habet, quia in se, & à se subsistit, & nostro modo concipiendi attributis substare intelligitur, sicut attributa ipsa modum quendam qualitatis habent: non ergo dubium esse debet, quin Deus ad Prædicamentum substantiæ reducatur; & solùm est controversia, an propriè, & formaliter ad Prædicamentum pertineat.

119 Notandum deinde, non debere in hac controversia attendi authoritati Philosophi, aut etiam Porphyrii, quantum ad id, quod directè quæritur; nam ipsi neque unum Deum ponunt, neque illius perfectionem assecuti sunt lumine Fidei destituti; quare non de Deo, sed de figmento cæcitatis suæ philosophantur: unde Porphyrius Deum non solùm in Prædicamento sub communi genere substantiæ, sed sub animati corporis subalterno Deum collocat, quem á nobis differre, ait, per immortale, cum quibus docet in cæteris convenire. Neque obstat, quòd Philosophus unum primum Principium agnovit Motorem omnium omninò immotum, quia de hoc multiplicitèr erravit; quare cùm neque omnimodam simplicitatem, neque absolutam infinitatem suæ perfectionis fuerit assecutus, alitèr, ac ipse, de Deo debemus loqui.

120 Prima ergo sententia asserit, Deum in Prædicamento re-

poni. Ita Nominales, & nonnulli antiqui Theologi, in quibus latè, & acutè N. Arim. in 1. dist. 8. q. 3. & ibi Gavard. Mair. Rubion, Marsˢ. Bonet, Joan. de Bac. quem sequuntur discipuli, Elisˢ. Blasˢ. Zagagl. apud quos alii; imò isti asserunt, non solùm in Prædicamento substantiæ Deum poni, sed quantitatis etiam, qualitatis, relationis, actionis, & passionis, quod ex P. Augustino probare non dubitant, non obstante, quòd asserit S. Parens, Deum esse sine quantitate magnum, sine qualitate bonum &c. Secunda sententia negat omninò, Deum ad seriem prædicamentalem pertinere. Ita præter citatos cæteri omnes, & hanc tenet expressè B.D. tùm sup. Prædicam. q. 3. tùm in 1. dist. 8. p. 2. q. 1. art. 3.

121 Dicendum ergo, quòd Deus non est directè in Prædicamento substantiæ. Hæc conclusio probatur á NN. ex P. Augustino in de Cogn. veræ vitæ cap. 3. dicente: *Nomine, & verbo cuncta exprimuntur, quæ sub decem Prædicamentis humano corde concipiuntur, sed quòd ex eis nullum propriè Deo conveniat, manifesta ratio convincit*; & pergit rationem adducere per singula Prædicamenta. Sed quia dubiæ authoritatis est hic liber, ut notat N. Villan. & ex censura ipsi præfixa constat; ex aliis, quæ proculdubio P. Augustini sunt, probanda est; & quidem, ut cætera mittamus, satis apertè illam habet S. P. 4. Confess. cap. 16. ubi Deo incipit confiteri, quòd librum Prædicamentorum, cùm in manus suas venisset, nullo explicante, percepit; sed dolet nihil sibi id profuisse, imò damnum intulisse, quando quidem Deum in illis putavit comprehendi; ait ergo: *Quid hoc mihi proderat, quando & oberat; cùm te etiam, Deus meus, mirabilitèr simplicem, atque incommutabilem, illis decem Prædicamentis putans, quidquid esset omninò comprehensum, sic intelligere conarer, quasi & tu subjectus esses magnitudini tuæ.*

Ex quo primò habemus, quòd ficubi S. P. Deum asserit ad Prædicamenta pertinere, hoc ad errorem pertinet, quem hìc deflet; dolet enim sic se aliquando tenuisse. Secundò, quòd illud idem tanquàm errorem in se Deo confitetur, quod contraria sententia propugnat, nempè quidquid est, ad illa decem pertinere. Tertiò, tutionem pro conclusione, quæ talis est: Substantia prædicamentalis ea est, quæ accidentibus subsstat; sed Deus nulli subsstat accidenti: ergo. Major constat ex verbis S. P. eo enim tùnc putabat, Deum esse substantiam hujus Prædicamenti, quia putabat, ipsum subesse magnitudini suæ, & eo nùnc compertum habet, ad Prædicamentum non pertinere, quia sibi notum est, quòd non ita subest; quod item repetit in lib. de Trinit. ut

paruit;

tuit art. præced. eo enim dicit, Deum abusivè substantiam dici, quia Deus non substat perfectionibus suis, sicut corpus colori. Minor nota est, & de illa non dubitant DD. contrariæ sententiæ.

122 Prob. secundò ex B. D. loco cit. 1. sent. ubi tria, ait, esse de ratione generis, ex quibus triplex formatur ratio: prima sic: De ratione generis est, quòd habeat differentiam verè talem, quæ nempè sine nugatione ipsi superaddatur, & cum eo faciat compositionem metaphysicam; sed Deo repugnat tale genus habere: ergo & esse in Prædicamento. Patet conseq. Prædicamentum enim est genus supremum, & quidquid in Prædicamento est, tale genus contrahit per differentiam aliquam. Ostenditur ergo primò maj. authoritate Philosophi 3. Metaph. cap. 3. quo probat, nec ens, nec unum genus esse, eo quòd differentiam non habent, quæ possit ipsis superaddi sine nugatione, quia necesse est, differentiã quamlibet, *& esse, & unam esse*; & quia ens non potest sine nugatione addi enti, ipsum enim ens in se habet; quia verò una est, non potest addi uni: patet ergo, de ratione generis esse, quòd differentiam habeat sibi superadditam sine nugatione, & in cujus conceptu quidditativè, & metaphysicè non includatur; si enim ita includitur, addendo talem differentiam generi fit nugatio, sicut addendo homini animali, ut si dicatur *animal homo*.

Ostenditur deinde min. Differentia, quæ concipiatur determinativa substantiæ ad Deum, includit in conceptu suo quidditative, & metaphysicè perfectionem substantiæ; sed quod ita includit, non additur sine nugatione: ergo Deo repugnat differentiam habere verè generi superadditam. Ostenditur maj. Talis enim differentia est quidditativè, & pro implicito omne esse; hoc enim primò Deus á non Deo differt, quòd perfectio quælibet creata talis est, & determinatæ lineæ; increata verò est perfectio abyssalis, & omnimoda: ergo quidquid est perfectionis in conceptu substantiæ, includitur in differentia, qua determinatur ad Deum. Nùnc patet minor, quod enim sic includit objectivè, & metaphysicè alterum, tantùm differt, & potest addi quantum ad conceptum explicitum; sicut homo non explicat quidem animalitatem, illam tamen importat objectivè, & metaphysicè; quare homo animali non additur sine nugatione.

123 Secunda ratio B. D. sic formatur: De ratione generis est, quòd potentialitatem importet objectivè, & metaphysicè determinabilem per differentiam; sed Deo repugnat conceptus ita potentialis: ergo & genus. Major ex præcedenti sequitur: Quo enim sensu sibi superadditur differen-

tia; eo potentialis est conceptus generis, & determinabilis per ipsam: si ergo metaphysicè, & ex parte objecti ea superadditur, metaphysicè, & objectivè potentialitatem habet. Minor nota esse debet; tùm, quia Deo, quippè est purissimus actus, omnis potentialitas repugnat, etiam à nobis concepta cum fundamento in re, potiùs enim fundamentū præbet, ut sine omni potentialitate concipiatur; tùm deinde, quia potentialitas metaphysica, sive in ipso objecto, & ex parte perfectionis conceptæ dicit in re ipsa carentiam privativam, seu non habere perfectionem sibi debitam, & ad quam est in potentia; sed conceptum hujusmodi in Deo formare non possumus: solùm ergo ex parte actûs, & quantum ad conceptum explicitum possumus accipere conceptum substantiæ ut sic, & consequenter non genus vere tale.

124 Tertia ratio: Quidquid sub genere continetur, debet esse finitæ, & limitatæ perfectionis; sed ita non est Deus: ergo. Major ex præcedentibus sequitur, potentialitas enim, & perfectibilitas infinito repugnat; infinitum namque est, *cujus nihil est extra*, nempe extra quod nihil potest accipi, qua ratione infinitum est, quare ei non potest additio fieri; sed genus de necessitate patitur additionem differentiæ, quæ sit extra conceptum ejus: ergo. Ulteriùs potest conclusio probari multis aliis, sed siquidem ea à pauciſsimis negatur, hæc sufficiant.

125 Ad hanc rationem respondetur primò N. Arim. quòd maj. libere assumitur, & licèt non possit instari, quia solus Deus est infinitæ perfectionis; ratione autem ostenditur ejus falsitas: Quia quod non tollit ab aliquo rationem, per quam in genere reponitur, non tollit ab eo, quòd sit in genere; sed infinitas perfectionis non tollit à Deo per se esse, quod est tio, quare in genere substantiæ ponitur: ergo. Sed contra, primò: Per se esse non est ratio, quare aliquid in Prædicamento substantiæ reponitur, sed subsistere, nempè substantia, quæ est Prædicamentum, talis est, de qua dicuntur denominativè cætera novem, & cui conveniunt proprietates, quas substantiæ assignat Philosophus. Contra, secundò: Dato, quòd per se esse sit ratio substantiæ prædicamentalis, id tollit ab aliquo, quòd sit in genere, quod tollit ab eo habere differentiam metaphysicè, & ex parte objecti generi superadditam; sed infinitas perfectionis, licèt relinquat per se esse, tale tamen, cui repugnat differentia conceptui generis superadditæ: ergo.

126 Respondet secundò ad eamdem rationem Eliseus instando: Nam linea infinita, si daretur, esset in Prædicamento quantitatis, quippè de illa quidditativè prædicaretur quantitas, quæ est

Præ-

prædicamentum: ergo non est de ratione generis, quòd sit infinitæ perfectionis. Quòd si dicatur, limitá in genere fore, quia infinitatē habet in determinata linea, inde autem non inferri idem de infinito simpliciter. Contra ipse arguit primò: Ideo linea infinita esset in genere, quia de illa prædicaretur quidditativè quantitas, quæ est genus; sed etiam de Deo, non obstante sua infinitate, dicitur *in* quid substantia, quæ est genus: ergo Secundò: Substantia, quæ est genus, abstrahitur à corporeo, & incorporeo: ergo etiam à finito, & infinito. Prob. conseq. Ideo abstrahitur á corporeo v. g. quia latiùs patet, cùm sit communis etiam ad incorporeum; sed pariter latiùs patet, quàm infinitum, cum etiam finitè conveniat: ergo etiam abstrahitur ab infinitate, & sic substantia infinita sub genere substantiæ continetur.

127 Sed contra, primò: Eo negatur posibilis linea infinita, quia ea involvit contradictionem, nempè esse sub genere, quia spectat est quantitatis, quæ est genus, & non esse sub genere, quia, eo quòd infinita est, non potest compositionem habere ex genere, & differentia, nempè quòd talem compositionem habet, metaphysicè, & ex parte objecti, seu rei conceptæ additionem patitur perfectionis, quam importat differentia ad perfectionem, quam importat genus; at verò infinito nulla fit additio. Secundò: Bona est data solutio, nempè infinitum in determinata linea infinitatē habet tantū in conceptu specifico, quare additionem non patitur tantùm in tali conceptu; cum quo stat, quòd in aliis conceptibus infinitatem non habeat, quibus proinde additio fiat differentiæ; quare linea infinita secundùm conceptum lineæ additionem non patitur, nec potest in ea accipi compositio metaphysica ex conceptu lineæ, & talis lineæ, quia conceptus lineæ, eo quòd infinitus, omnem perfectionem, & taleitatem lineæ importat; quare solùm additio fiet secundùm conceptum explicitum; non verò infinitatem importat secundùm conceptum quantitatis, quare secundùm talem conceptum additionem patitur differentiæ: infinitum autem simpliciter, & in omni linea in quocumque conceptu infinitatem habet; si enim in aliquo non habet, in lineæ illius non erit infinitum, quare non in omni linea: nullus ergo potest in tali accipi conceptus generieus, sive cui possit differentiæ superaddi.

Si itaque Deus simpliciter, seu in omni linea perfectionem habet, quicumque accipiatur conceptus, infinitatem perfectionis importat objectivè, & metaphysicè, & solùm poterit addi differentia logicè, & quantum ad conceptum explicitum; quod non sufficere ad rationem generis, jam pa-

tuit

tuit ex Philosopho; alioqui conceptus entis genus erit, non enim explicat per se, aut in alio: si ergo in Deo accipimus conceptum substantiæ, talem debemus accipere metaphysicè, & ex parte objecti infinitum in ratione substantiæ, & consequenter qui in se importet omnem perfectionem, & talitatem substantiæ: nulla ergo concipi poterit, quæ sit differentia illius conceptûs metaphysicè, & ex parte perfectionis conceptæ, sed tantùm logicè, & secundùm conceptum explicitum; quare conceptus ille non est genericus.

128 Ad rationes ergo in contrarium respondetur, & ad primam, aut juxta priorem solutionem neg. suppositum maj. Quòd de linea infinita prædicetur quantitas, quæ est genus, tantùm enim prædicabitur conceptus explicitus; aut juxta posteriorem, datâ majori, neg. min. ratio disparitatis jam patet: Linea infinita neque in conceptu, quo est quantitas, neque in conceptu, quo est continua, habet infinitatem, sed tantùm in conceptu, quo est linea; quare potest ex parte objecti præscindi conceptus quantitatis continuæ, cui addatur differentia, & qui proinde sit genus; at verò Deus infinitatem habet in ipso conceptu substantiæ; quare talis conceptus non potest sic præscindi, quòd ex parte objecti aliqua addatur differentia; tunc enim talem non haberet, & sic non omnem perfectionem, seu infinitatem de linea substantiæ: non ergo ille conceptus abstrahitur ut genus, sed tantùm pro explicito.

Ad secundam, neg. antec. ut enim sequenti articulo patebit, à corporeo, & incorporeo non abstrahitur substantia, quæ est genus, sed tantùm ratio analoga. Rursus probatum est disp. 2. q. 2. ar. 1. quòd talis ratio non abstrahitur ex parte objecti, sed tantùm penes conceptum explicitum: quo patet ad rationem subinductam, quòd ratio substantiæ tantùm pro explicito latiùs patet, quàm incorporeum, aut infinitum; pro implicito enim, & ex parte objecti non est aliqua ratio utrique communis, sed altera de necessitate erit.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

129 QUÆ ex authoritate Philosophi desumuntur argumenta, mittimus, quia, ut prænotatum est, quod ipse de Deo concipit, non potest in argumentum adduci. Mittenda item, quæ ex authoritate P. Augustini desumuntur, quia patet ex adducto loco Confessionum, quòd errorem retractat, quo aliquando tenuit, Deum in Prædicamento poni; quod autem ait in de Trinit. cætera transire in Divinam substan-

tantiam, & quòd sola relatio maneat secundùm genus suum, aut similiter, quòd Deus est sine quantitate magnus, non autem sine relatione Pater, non intendit in Deo ponere Prædicamentum relationis; absolutè enim errorem retractat, quòd Deum ad illa decem pertinere cogitabat, quare ad nullum pertinere tenet: sensus ergo est, quòd Deus magnus dicitur, ita quòd ejus magnitudo ipsa est essentia, sive substantia Dei, similiter Justus, Misericors, Sapiens; Pater verò ita dicitur, quòd Paternitas vera est relatio, quæ tamen non in Prædicamento ponitur, sicut nec ipsa substantia.

130 Arguitur itaque primò authoritate Damasc. quam multùm urget Elisæus in Metaph. dist. 1. q. 1. a. 2. ubi de hoc disputat. Damas. itaque lib. 1. Instit. cap. 7. eo modo Deum ponit sub genere substantiæ, quo Angelos, & corpora; ait enim: *Genere autem summo continentur hæc, corporis superis essentia, ut Deus, ut Angelus, ut animus, ut Dæmon: aut corpus animo carens, ut ignis, aer, aqua, terra: aut corpus, quod viget, ut vitis, palma, olea.* Sed ante solutionem potest Damas. ipse contra arguentem adduci: nam primùm in eodem cap. sub initium, Angelos sub animali collocat; sed ipsum in hoc non sequitur arguens: ergo quod ad hoc ipse respondeat, sibi dictum ponit accipere. Secundò, in præsenti divisione eodem modo ponit sub genere Deum, ac animam nostram; sed animam non nisi indirectè, seu reductivè ponit arguens, quippè ea est pars physica: ergo. Tertiò, in Dialectica cap. 46. sic incipit: *Ens in substantiam, & accidens dividitur, non ut genus in species, verùm ut vox æquivoca, aut ut ea, quæ ab uno ad unum,* sed ipse entis univocationem propugnat: ergo quandoquidem Damascenum ipse non sequitur, non est, cur alios ejus authoritate cogat.

131 Directè ergo respondetur, quòd Damas. ibidem verbis immediatè præcedentibus se explicat; ait enim: *Essentia modo quodam superiore, quàm sit essentia, Divinitatem, quæ increata est, complectitur*; vocat autem essentiam, ut Græcis familiare est, substantiam, & ait, quòd substantia, ut Divinitatem comprehendat, debet accipi modo quodam superiore, quàm sit substantia creata: non ergo intendit, quòd in rigore Scholastico unum commune genus æquè comprehendat Deum, & creaturam, alioqui non modo quodam superiori deberet accipi: quo ergo sensu ens sub se complectitur substantiam, & accidens, eodem substantia complectitur creatam, & increatam, nempè non ut genus, sed ut conceptus explicitus.

132 Arguitur secundò ratione: Id ponitur directè in Prædicamen-

camento, in quo potest fieri coordinatio Prædicabilium *secundùm sub, & supra*; sed talis fieri potest in Deo: ergo. Maj. est definitio Prædicamenti, min. autem patet faciendo coordinationem, nam Deus est Substantia, Spiritus, Vivens, Intellectualis, à se Existens. Sed contra, sub eâdem maj. subsumo: Sed in ente rationis, etiam chimærico, potest fieri talis coordinatio: ergo. Patet min. nam est ens rationis, sine fundamento, negatio ad modum entis concepta, & hæc talis negatio.

133 Directè disting. maj. In quo potest fieri coordinatio Prædicabilium, metaphysicè, & secundùm gradus perfectionis ipsius rei conceptæ, conc. maj. tantùm logicè, & secundùm conceptus explicitos, neg. maj. hoc enim nec sufficit ad rationem generis verè talis, nec facit coordinationem Prædicabilium, sed actuum tantùm, quibus noster intellectus alitèr, & alitèr eamdem perfectionem explicat; jam autem in Deo non possumus accipere coordinationem perfectionum ex parte objecti, & metaphysicè, sed logicè tantùm, & ex parte actûs, quia ex parte objecti accipit noster intellectus simplicissimam, omninò indivisibilem, atque infinitam Deitatis perfectionem, in qua proinde videt, nullam esse perfectionum seriem, seu Prædicabilium coordinationem.

134 Arguitur tertiò: Non repugnat simplicitati Dei compositio ex genere, & differentia; sed hæc sufficit, ut Deus ponatur in Prædicamento: ergo. Prob. maj. Non minùs opponitur distinctio unitati, quàm compositio simplicitati; sed unitati Dei non repugnat distinctio rationis cum fundamento: ergo nec simplicitati compositio metaphysica. Maj. patet ex terminis, & min. à Nostris admittitur; magis enim in Deo distinguitur justitia, & misericordia, quàm ensis, & gladius; in his distinctio est rationis ratiocinantis, & sine fundamento: ergo in illis distinctio est rationis ratiocinatæ, & cum fundamento.

135 Resp. neg. maj. & ad probat. disting. min. Unitati Dei non repugnat distinctio major, sive excludentis ab excluso, neg. min. non repugnat distinctio minor, sive penes implicitum, & explicitum, conc. min. Ad probat. disting. maj. Magis distinguitur in eâdem linea distinctionis minoris, conc. maj. magis distinguitur, hoc est, distinctione majori, sive excludentis ab excluso, neg. maj. Itaque distinctio, quæ est inter illas voces *ensis*, & *gladius*, est tantùm distinctio vocum, nulla autem rei significatæ; quare si talem faciat intellectus, ea erit rationis ratiocinantis, & sine ullo omninò fundamento; quæ verò est inter justitiam, & misericordiam, est rei significatæ per voces, non quidem quæ in ipsa re sit, sed quam

dcit intellectus, cum fundamento tamen; licèt non tali, quòd sufficiat ad multiplicitatem objectivam, sive in ipsis perfectionibus conceptis.

Alia est ergo distinctio rationis major, nempè, ad quam res ipsa tale præbet fundamentum, quod sufficit ad formandum diversos conceptus mutuò se excludentes ex parte objecti; & hæc requiritur ad compositionem metaphysicam, nempè multiplicitas quidditativa, & ex parte perfectionis conceptæ; hæc autem Deo repugnat, quia quælibet ejus perfectio concipitur ut infinita simpliciter, sive in omni linea, alioqui non concipitur Divina; quæ concipitur involvens objectivè quamlibet aliam: alia est distinctio minor, sed hæc latitudinem habet, aliquando enim nullum habet intellectus fundamentum, sed tantùm ex potentialitate sua conceptus multiplicat, & ita distinguit inter ensem, & gladium, definitionem, & definitum, in quibus addendo unum alteri fit relatio; aliquando verò fundamentum habet ad multiplicandum conceptus explicitos, & ita distinguit inter ens, & unum; & hæc distinctio major est præcedente, in eâdem tamen linea distinctionis minoris, & quæ non sufficit ad compositionem metaphysicam: hoc ergo sensu tantùm ponimus in Deo distinctionem rationis cum fundamento.

136 Arguitur quartò: Ratio substantiæ, quæ est genus supremum in hoc Prædicamento, dicitur de Deo *in quid*: ergo Deus est in hoc Prædicamento. Prob. antec. Ratio substantiæ est esse per se; sed hoc de Deo dicitur *in quid*: ergo. Patet min. quia esse per se est perfectio simplex, seu quæ nullam dicit imperfectionem. Quòd si dicatur, quòd ratio hujus Prædicamenti est esse per se, non ut sic, sed finitum. Contra, primò: Finitum, & infinitum sunt res Prædicamenti, seu species sub eo contentæ: ergo. Anteced. probatum supponit, primò, quia ratio substantiæ ab utroque præscindit. Secundò, quia Divina substantia res est hujus Prædicamenti, ut patuit per authoritatem Damasceni superiùs adductam. Sed authoritatem illam loco citato non invenio, & dato, quòd alibi sit, jam explicata est.

137 Resp. itaque neg. maj. primò, quia ratio Prædicamenti non à per se esse, sed à subsistere dicitur, ut jam patuit. Secundò, dato enim, quòd sit per se esse, non quodlibet, sed tale, cui conveniant proprietates, quibus Philosophus substantiam prædicamentalem notificat; tales autem Deo non convenire patet. Rursus: Substantia, quæ est genus, debet talis esse, cui possit superaddi differentia metaphysica, & quæ sit talitas extra conceptum ejus; at substantia Divina talis est, quæ in

suo, conceptu omnem perfectionem includit: non ergo quæ est genus.

138 Arguitur quintò ratione, quam multùm urget N. Arim. Si quid obstat, ut Deus in Prædicamento ponatur, maximè ejus simplicitas; sed hæc non obstat: ergo. Prob. min. Accidentia sunt formæ simplices; sed in eis salvamus genus, & differentiam: ergo. Resp. neg. min. & ad probat. ejus neg. maj. dicitur enim forma simplex, quæ neque in se compositionem habet, neque cum altero illam facit, & talis utiquè non habet genus, & differentiam; quæ verò in subjecto recipitur, hoc sufficit, ut secundùm quod alitèr, & alitér perficit, seu secundùm alium, & alium gradum accipiatur in ea ex ordine ad subjectum compositio metaphysica, & ita accipitur in forma accidentali.

ARTICVLVS III.

An Angeli ponantur in Prædicamento?

EST quærere: An genus supremum in Prædicamento sit substantia communis ad corpoream, & incorpoream, vel potiùs corpus, sive substantia corporea? De quo non est opus sententias Authorum referre, omnes uno ore tenent, quòd genus supremum est substantia *ut sic*, exceptis duntaxat Boëtio, Alberto Mag. & B. D. & quidem de hoc expressè ipse quærit q. 3. sup. Prædicam. & illam sententiam ex instituto probat, nempè quòd genus supremum est substantia composita ex materia, & forma, seu quod idem est, substantia corporea. Nihilominùs N. Villanova citans pro hac sententia B. D. asserit, in lib. Sent. oppositam tenere; quare cogimur mentem ejus latiùs expendere; & quidem parùm ipse procedit consequenter, quem in hoc sequitur Manso: tenent quippe cum B. D. quòd genus in Angelo nequit à differentia præscindi ex parte objecti, sed tantùm ex parte actûs; cum hoc autem non benè cohæret, etiam in eorum principiis, quòd tale genus, nempe ratio substantiæ ut sic propriè sit genus, ut esse debet substantia prædicamentalis, nempé involvit quidditativè in conceptu suo differentiam: ut ergo mens patuit B. Doctoris.

§. I.

Expenditur mens Nostri Ægidii.

139 B. D. loco cit. ad præsentem quæst. postquàm rationes adduxit in contrarium, tali conclusione respondet: *Oppositum patet per Boëtium, quia Aristoteles, relictis extremis, agit de medio, scilicèt de substantia composita, quæ est Prædicamentum.*

tum. Quia tamen hucusque videtur dubium versare in utramque partem, sequitur ibi: *De ista quæstione sunt opiniones: quidam enim volunt, quòd Intelligentiæ, & anima cadant in genere; sed tamen alii meliores volunt cum Boëtio, quòd sola substantia, quæ est composita ex materia, & forma, sit in Prædicamento.* Hanc resolutionem probat rationibus infrà adhibendis, & deinde solvit argumenta facta in contrarium, & ad 3. ita respondet: *Ad tertium, cùm dicitur, quòd substantia dividitur &c. dico, quòd ista divisio substantia per corporeum, & incorporeum non est bona capiendo substantiam, ut est Prædicamentum: imò dico, quòd illa substantia, quæ est genus generalissimum, convertitur cum corpore: & ideo dicendum, quòd Porphyrius posuit istam divisionem secundùm opinionem Platonis, qui ponebat substantias simplices in Prædicamento substantiæ, quod non est verum secundùm intentionem Philosophi.*

140 Quis ad hæc ambigat de mente B. Doctoris? Nihilominùs ait N. Villan. B. D. se explicare, & oppositam sententiam tenere, quæ communis est, in 2. dist. 3. p. 1. q. 2. a. 3. præsertim §. *Declaratum est*, & in 1. dist. 8. p. 2. q. 1. a. 3. motivum autem est, quia hoc utroque loco intendit B. D. quòd in Angelo, non autem in Deo, possumus accipere compositionem ex genere, & differentia; at in quocumque talis compositio accipitur, id est, sub genere, & ponitur in Prædicamento: non ergo Deus, benè autem Angelus habet in Prædicamento poni juxta B. D. Sed in ipsis locis patet apertissimè mens ejus, & solutio hujus difficultatis; intendit enim, quòd genus, & differentia in Angelis non habent propriè rationem generis, & differentiæ, nempè non partem quidditatis, sed totam quidditatem dicunt; quare genus in Angelis non dicit totum potestativè, cui superaddatur differentia, sed metaphysicè, & ex parte objecti dicit totum in actu, quod proinde non est propriè genus, neque ibi potest accipi coordinatio Prædicabilium, nisi tantùm logicè, & secundùm conceptus explicitos.

Ostendit ergo B. D. quòd compositio metaphysica fundatur super compositionem physicam, & quòd in tantum noster intellectus potest accipere gradus, & compositionem metaphysicam ex genere, & differentia, in quantum in entitate est compositio ex actu, & potentia, & secundùm quod actus aliter, & aliter potentiam perficit, alium, & alium format intellectus conceptum, & gradum perfectionis accipit: jam autem in Deo nulla est omninò compositio ex actu, & potentia; quare in Deo omninò non possumus accipere compositionem ex genere, & differentia; at verò in Angelo est

aliquo modo talis compositio, nempè ex essentia, & esse; quare in Angelo possumus accipere compositionem ex genere, & differentia magis, quàm in Deo, non tamen ita proprié, sicut in corporalibus; in his enim compositio physica est in ipsa quidditate, quare compositio metaphysica importat alium, & alium gradum quidditatis; in Angelis verò non est compositio in ipsa quidditate, quare gradus metaphysici totam quidditatem important, secundùm quod aliter, & aliter comparatur ad esse; quare genus non dicit partem quidditatis metaphysicé contrahibilem, & sic non est proprié genus.

141 Quod ut ampliùs pateat, verba ejus expendamus: itaque loco citato in 2. quærit: An Angeli sint compositi ex genere, & differentia? Resolutio est: *Angeli sunt compositi ex genere, & differentia; differentia tamen non habet omnem rationem differentiæ, sicut in corporalibus.* Ex priori parte resolutionis deceptus est N. Villanova, potuit autem mentem Doctoris habere ex posteriori. Postquàm ergo priorem partem probavit ex eo, quòd in Angelis est compositio ex potentia, & actu, nempè ex essentia, & esse, quæ non est in Deo; quare possumus in Angelis, non autem in Deo, compositionem accipere ex genere, & differentia, pergit ostendere secundam partem, quare §. *Advertendum tamen*, quinque assignat, in quibus genus, & differentia hìc, & ibi differunt; concludit itaque: *In istis ergo corporalibus de eo, quod significat differentia, non prædicatur genus, quia anima non est animal; de eo autem, quod implicat differentia, benè prædicatur, quia benè dictum est, quòd animatum est animal; sed in illis substantiis spiritualibus etiam de eo, quod significat differentiam, potest prædicari genus, cùm ratio differentiæ ibi non possit sumi à parte naturæ, sed nec similiter sumatur à tota natura, sicut & genus.*

Rursus §. *Declaratum est*, quo nos provocat Villanov. ita habet: *Ad quæstionem ergo, cùm quæritur: An in Angelo sit compositio ex genere, & differentia, dici debet, quòd sic; tamen ibi differentia non habet omnem rationem differentiæ, sicut habet in istis corporalibus: nam ratio differentiæ est, non solùm, quòd differentia sumatur ab actu, & genus à potentia, sed conjuncta generi congruam definitionem constituat; ibi autem licèt salvemus rationem generis, & differentiæ secundùm potentialitatem, & actualitatem: tamen ibi non poterimus salvare rationem generis, & differentiæ, prout unum conjunctum alteri facit congruam definitionem, quia ex hoc non constituetur congrua definitio, sed committetur ibi nugatio.* Intendit itaque, quòd genus proprie tale significat materiam sub communi gradu for-

formæ, quare totum potestativè; differentia verò significat, seu importat ex parte rei significatæ formam ipsam secundùm ultimam ejus actualitatem; quare genus non prædicatur de differentia secundùm id, quod significat; item differentia addita generi non facit nugationem, sed congruam definitionem: quia ergo in Angelis tam genus, quàm differentia totam quidditatem dicit aliter, & aliter ad esse comparatam, & genus ibi prædicatur de abstracto differentiæ, & differentia addita generi facit nugationem; quare non est proprie genus, & differentia.

142 Ex quo sic formatur ratio: Genus, & differentia sic requiritur, ut aliquid ponatur in Prædicamento, quòd differentia addita generi non faciat nugationem; sed ita non est in Angelo: ergo. Min. habetur expressè in verbis B. D. ait namque, quòd differentia addita generi non facit congruam definitionem, sed committitur ibi nugatio. Major ostenditur: Genus ita requiritur ad Prædicamentum, ut cum differentia constituat speciem, quæ sit sub ipso genere, aliter enim non habetur ordo secundùm *sub*, & *supra*; jam autem, si talis differentia facit nugationem cum genere, non illi addit perfectionem quidditativam, sed tantùm conceptum explicitum, neque proinde constituit speciem, quæ verè, & metaphysicè sit sub ipso genere: ergo. Confirmatur: Si in Angelo datur genus sufficienter, ut sit in Prædicamento, tale univocè, & æqualiter prædicatur de Angelo, & substantiâ corporali; sed hoc ex instituto negat ibi B.D. ergo. Patet maj. siquidem genus prædicamentale univocè, & æqualiter dicitur de omnibus sub ipso contentis. Patet item minor, quia intendit Doctor, quòd genus in Angelis multipliciter deficit á ratione generis, prout in istis corporalibus.

143 Sed ne videamur difficultatem fugere, citato §. *Declaratum est*, ita concludit Doctor: *Concedendum est, quòd in Angelo sit compositio ex genere, & differentia, quia verè sumitur ibi genus, & verè differentia, licèt genus in istis corporalibus aliquid habeat, quod debet congruere generi, & differentia, quod debet congruere differentiæ, quæ in Intell gentiis genus, & differentia habere non possunt; hujusmodi autem congruitates non adimunt, neque tollunt rationem generis, & differentiæ simpliciter.* En ait Doctor, quod in Angelo est genus verè, & propriè, & quòd id, quod deficit, quædam est congruitas, quæ non tollit rationem generis simpliciter talis; sed genus verè, & propriè tale est propriè in Prædicamento: ergo.

144 Sed quandoquidem mens Doctoris aperta est, non est, cur illa

ista nos moveant quantumcumque apparentium; mens enim ejus potissimè ex loco accipi debet, ubi de præsenti difficultate quærit ex instituto, nempè super Prædicamenta; quare alia ejus loca ad sensum, quem ibi habet, exponi debent, maximè, cùm hoc eodē loco satis se explicet. Itaque non ait, quòd in Angelis est genus verè, & propriè tale, sed quod veré sumitur ibi genus; quòd tamen tale genus deficiat à ratione generis, & sit impropriè, & latè genus, dixerat priùs in eodem §. similitér non ait, quòd illæ congruitates non tollunt rationem generis simplicitèr talis, sed quòd non tollunt simplicitèr: intendit ergo, quòd in Deo non potest accipi genus, & quòd ejus simplicitas propriè, & simplicitèr, hoc est, omninò tollit, quin possit accipi genus; in Angelo autem ejus simplicitas non omninò tollit; quare verè potest in eo accipi genus, non tamen quòd propriè, & simplicitèr sit genus: ly ergo *verè*, & *propriè* aut potest appellari supra genus, aut potest appellari supra *est*, aut accipitur, & priori modo requiritur, ut sit in Prædicamento, non autem hoc, sed posteriori appellat B. D. alioqui sibi contradiceret ibidem.

145 Alter locus, quem adducit Villanova ex 1. Sentent. quem item citat N. Bonher. eumdem habet sensum, ac præcedens: in eo quærit Doctor: An in Deo sit compositio ex genere, & differentia? Et ostensurus, quòd non, postquàm explicuit, quæ sunt de ratione generis, distinguit quatuor gradus substantiæ; ad primum pertinent partes substantiæ corporeæ; ad secundum ipsa substantia corporea totalis, & completa; ad tertium substantia spiritualis completa, ut Angelus; & ad quartum Deus: subdit deinde, quòd quæ sunt in primo gradu, nullo modo directè, & secundum rectam lineam, sed reductivè tantùm pertinent ad Prædicamentum; quæ ad secundum gradum, in recta linea pertinent, simplicitèr, seu, ut ipse loquitur, per omnem modum; quæ ad tertium, in recta quidem linea, non tamen per omnem modum; quæ tandem ad quartum, nullo modo, neque reductivè quidem pertinent; quare ait: *Intelligentiæ, & si secundùm rectam lineam sunt in genere, non tamen per omnem modum.*

En apertè Angelum ponit directè, & in recta linea in Prædicamento; quod verò ait *non per omnem modum*, sic explicat Villanova, quòd Angelus tantùm pertinet ad seriem Prædicamenti in prima illius divisione, qua substantia dividitur in corpoream, & incorpoream, postea verò relinquitur extra. Sed hæc explicatio inepta est; tùnc enim dici deberet, quòd lapis v. g. non est in Prædicamento per omnem modum, cùm tamen sit in secundo gra-

gradu, de quo dicit B.D. per omnem modum pertinere. Patet sequela maj. lapis enim ad seriem Prædicamenti tantùm pertinet in secunda divisione, qua corpus dividitur in animatum, & inanimatum, postea verò relinquitur extra: illa ergo series non est Prædicamentum substantiæ, ad quam proinde pertinere debeat quælibet substantia prædicamentalis, sed illa Prædicamentum hominis; quare directè per omnem modum esse in Prædicamento substantiæ est directè per omnem modum contineri sub genere supremo hujus Prædicamenti: si ergo ait Doctor, quòd Angelus non est per omnem modum in Prædicamento, intendit, quòd non simpliciter, & per omnem modum continetur sub tali genere.

146 Genus ergo, seu Prædicamentum potest accipi aut latè, quo sensu tenet Doctor, in Angelis reperiri genus; aut strictè, & propriè, quo sensu tenet, quòd genus supremum in Prædicamento substantiæ est corpus, sive substantia corporea, & quòd genus in Angelis deficit à ratione generis: intendit ergo, quòd in Deo nullo modo accipimus genus, nempè neque hoc, neque illud, quare Deus nullo modo est sub genere; in Angelis verò accipimus genus, quare ipse est sub tali genere in recta linea, & veluti species ex eo constituta; quia tamen tale genus deficit à ratione generis, ait, quòd non simpliciter, & per omnem modum est sub genere; in substantia corporea completa accipimus genus, & ea est sub genere directè, & ut species ejus; & quia tale genus simpliciter, & propriè genus est, ea dicitur sub genere esse simpliciter, & per omnem modum; quia tandem partes substantiæ non ut species, sed ut aliquid speciei sub genere sunt, dicuntur pertinere reductivè.

Quo patet in primis ad difficultatem, quæ hinc oritur: diximus enim præcedenti articulo, non esse dubium, quin Deus reductivè, & improprié ad Prædicamentum pertineat; hìc autem docet Doctor, quòd ne reductivè quidem pertinet. Patet, inquam, ad hoc, quòd alio sensu id ibi asseritur, ac hìc negat Doctor, nempè Doctor negat, reductivè pertinere eo sensu, quo partes substantiæ reductivè pertinent, scilicèt tanquàm aliquid ejus, quod pertinet directè, & hoc utique verum est; ibi autem asseritur, reductivè pertinere, tanquam quatenùs habet aliquem modum, seu similitudinem cum substantia prædicamentali; & quòd iste sit sensus Doctoris, ex eo patet, quod intèdit ibi, nempè quòd in Deo non possumus accipere genus etiam latè, & impropriè tale; cùm autem de re constat, ineptum est de verbis contendere.

Patet deinde, quòd locus iste nihil habet, quod sit contra nos;

si enim in sensu velimus accipere, quem intendit Villanova, quòd nempe Angelus sit directè, & propriè sub eodem genere, ac substantia corporea, scilicèt sub communi ratione substantiæ ut sic, sequitur in primis, quòd Doctor sibi ipsi contrarius est; tùm, quia docet super Prædicam. quòd substantia, quæ est genus, non est substantia ut sic, sed substantia corporea; tùm deinde, quia docet in 2. atque etiam hîc, quòd talis ratio substantiæ ut sic non est propriè genus, nempe genus in Angelo deficit à ratione generis; est autem genus in Angelo ratio substantiæ ut sic. Insuper in tali sensu non salvantur verba Doctoris; tùnc enim directè, & per omnem modum Angelus est sub genere; patet enim, quòd sub tali ratione substantiæ ut sic eodem modo continetur corporea, & incorporea, & sicut fit divisio, & accipitur series Prædicabilium in substantia corporea usque ad individuum, ita posset in substantia incorporea: cùm ergo sensus pateat, & benè cohæreat, quem suprà dedimus, illum intendere dicendus est Doctor.

147 Neque refert, quod sæpè alibi, præsertim q. 5. de Mens. Ang. §. *Secundò autem*, docet, quòd de materia, & forma non prædicatur substantia, quæ est genus, sed substantia, quæ est ratio analoga; hìc autem concedit, quòd de Angelo prædicatur substantia, quæ est genus; tùnc autem eo deducit, quòd substantia composita ex materia, & forma est Prædicamentum, quia de ea prædicatur substantia, quæ est genus. Hoc, inquam, non refert: quia ratio substantiæ aut accipitur, ut est communis ad corpoream, & incorpoream; aut ut est communis ad completam, & incompletam; utroque modo est ratio analoga, alitèr tamen, nempe substantia incompleta dicitur analogicè substantia per attributionem ad completam; substantia verò corporea non per attributionem ad incorpoream, sed utriusque ad substantiam primam; accipitur enim analogia ex D.q.1. *de Esse, & Essent.* aut secundùm quod unum attribuitur alteri, aut secundùm quod ambo attribuuntur tertio: aliquem ergo habet modum generis substantia communis ad corpoream, & incorpoream, & ideo ait, quòd de Angelo prædicatur substantia, quæ est genus, non tamen propriè; quo sensu ait, quòd genus est substantia composita ex materia, & forma. Alia possent loca adduci, ex his tamen sufficientèr constat mens Doctoris.

§. II.

§. II.

Rationibus probatur Conclusio Ægidiana.

148 PAtet ex jam dictis, quòd Conclusio B.D. est, Angelos non poni in Prædicamento. Quæ primò probatur ratione, quæ in præcedentibus adducta est, & est prima, quam ibi habet B. D. nempè q. 3. sup. Prædicament. Illa solùm substantia in Prædicamento ponitur, cui convenit substare cæteris novem, & ita qua illa dicuntur denominativè; sed hoc non convenit Angelo: ergo. Major in præcedentibus ostensa est, & iterùm probatur: Illa substantia est Prædicamentum, cui proprietates conveniunt, quibus Philosophus substantiam prædicamentalem notificat; sed ita tantùm conveniunt substantiæ, quæ novem Prædicamentis habet substare: ergo. Patet hæc maj. ut enim ait S. P. quia substantia definiri non potuit, eam notificat Philosophus per proprietates suas: illa ergo est substantia prædicamentalis, de qua ipse loquitur, & quam intendit notificare, cui proprietates conveniunt, quas assignat. Patet item minor; tùm, quia hac ratione de denominativis agit in Anteprædicamentis; tùm deinde, quia *contraria suscipere*, quod maximè illius proprium dicit, tantùm corporeæ substantiæ convenit, quæ est physicæ alterationis subjectum. Quo patet principalis minor.

149 Ad hanc rationem respondet Mastrius, quòd substantiæ Angelicæ convenit accidentibus substare, & subinde ratio substantiæ prædicamentalis; quia intellectus, & voluntas accidentia sunt, quibus substat Angeli substantia. Sed contra: His substare non sufficit ad rationem substantiæ prædicamentalis: primò, quia tale substare esse debet, cui cætera novem conveniant, multa tamen Angelo repugnant, imò cætera omnia præter qualitatem: secundò, quia accidentibus substare eatenùs substantiæ prædicamentali convenit, quatenùs eam reddit contrariorum susceptivam; hoc enim maximè proprium illius esse, ait Philosophus; patet autem, quòd sic substare non convenit Angelo.

150 Sed iterùm respondet idem Mastrius, quòd Angelus contraria suscipit, nam odium, & amorem suscipit, quæ proculdubio contraria sunt. Sed contra: Sic enim contraria dici possunt amor, & odium, sicut veritas, & falsitas respectu ejusdem propositionis; sed hoc cùm contra se objecisset Philosophus, respondet, quòd non hoc sensu contraria suscipit substantia prædicamentalis, sed sui mutatione: patet ergo, quòd non de quibuscumque oppositis, sed de physicè, & propriè con-

contrariis loquitur. Amor itaque, & odium non substantiæ, sed voluntatis affectiones sunt; deinde, magis in objecto, quam in actu oppositionem significat; quare ex his dici non poterit substantia ipsa, quòd eadem manens sit contrariorum susceptiva eo sensu, quem Philosophus intendit: tenet ergo facta ratio.

151 Prob. secundò alterâ B. D. ratione: Corruptibile, & incorruptibile formaliter, ut talia sunt, nullo genere conveniunt; sed Angelus in quocumque sui cõceptu est omninò incorruptibilis: ergo in nullo sui coceptu potest cõvenire genere prædicamẽtali cum substantia corporea. Major desumitur ex Philosopho 1. Metaph. cap. ult. & minor patet de facili; si enim Angelus est forma simplex, quilibet ejus conceptus totam quidditatem importat, & solùm diversificantur ex eo, quòd eadem quidditas aliter, & aliter comparatur ad esse; sed quidditati Angeli corruptibilitas repugnat; est enim radix, & principium ejus materia, & ejus potentialitas ad aliam formam: ergo.

152 Hæc ratio, sicut etiam præcedens, apertam patitur instantiam in cœlesti corpore; quare, ut magis explicentur, dices: Cœlum, & supercœlestia corpora nec contraria suscipiunt, nec corruptibilia sunt; sed in Prædicamento ponuntur: ergo neutra ratio tenet. Ad hoc, quantum ad primum, jam suprà dictum est, quòd natura Cœli per se ex conceptu substantiæ corporeæ nata est contraria suscipere; habet enim conceptum substantiæ quantæ, quæ est commune subjectum cujuslibet contrarietatis, & solum sibi repugnat ex conceptu speciali talis substantiæ, seu ex speciali gradu formæ suæ; quare & sibi conveniunt sub aliquo conceptu generico omnes substantiæ proprietates, & habet commune genus cum aliis transmutabilibus substantiis.

Quantum ad alterum variè explicatur illud principium Philosophicum: *Corruptibile, & incorruptibile differunt genere*; ut sensus ejus pateat, oportet locum expendere, unde desumitur: itaque Philosophus 10. Metaph. cap. 12. difficultatem proponit: Cur mulier à viro non differat secundùm speciem, cùm mas, & fœmina contraria sint? Subjungit autem, quòd hoc idem est, ac dubitare: Cur hæc contrarietas diversa specie facit, puta *gressibile*, & *volatile*; hæc verò non facit *album*, & *nigrum*? Resp. autem, quòd diversitas maris, & fœminæ non ex forma est, sed ex diversa dispositione materiæ, & siquidem species ex forma desumitur, illa contrarietas non facit diversa specie, & idem de albo, & nigro; quare concludit, quòd illa solùm contrarietas facit diversa specie, quæ ex forma oritur, & talis est inter gressibile, & volatile.

His

His consequenter seq. cap. subjungit dubium de corruptibili, & incorruptibili; proculdubio enim ista contraria sunt, imò magis, quam quævis alia, magis enim opponuntur *esse*, & *non esse*. quam duplex esse; se autem habent corruptibile, & incorruptibile, velut *esse*, & *non esse*; quare concludit, quòd major est diversitas inter corruptibile, & incorruptibile, quam inter quævis alia contraria, nempe alia possunt specie tantùm differre; hæc autem *necesse est genere diversa esse*, & major est diversitas generica, quam specifica.

Hæc est utriusque illius capitis summa. Ex qua colligitur primò, quòd non est ad mentem Philosophi communis Thomistarum expositio, qua dicitur, quòd corruptibile, & incorruptibile differunt genere physico, nempe materia; & hinc deducitur, quòd diversa est materia cœlestium, & sublunarium. Hoc, inquam, non est ad mentem Philosophi; præterquamquòd enim non differre secundùm se utriusque corporis materiam, probabitur suo loco; patet, quòd differre genere accipit Philosophus, ut contraponitur ad differre specie, quare de genere loquitur metaphysico, & prædicabili. Et hinc item patet, quòd non est ad propositum expositio N. Manso, quòd nempe corruptibile, & incorruptibile genere differre accipi debet de materia secunda, hoc est, sigillatâ, & determinatâ ad formam. Præterquamquòd enim non de genere physico, quod est materia, loquitur Philosophus: dato, quòd de genere physico loqueretur, si quidem absolutè loquitur, deberet absolutè accipi, & sic de materia prima, sive secundùm se. Patet item, quòd sensus Philosophi est, corruptibile, & incorruptibile genere differre, nempe plusquam specie, ex quo non sequitur, quòd nullo genere conveniant, seu toto genere differant, imò oppositum; ait namque in principio capitis, quòd differunt secundùm privationem in potentia; quare debent habere commune esse in materia, & sic est commune genus.

153 Hinc autem aperte relinquitur, quòd nullius roboris est facta ratio, cujus occasione hæc dicta sunt; potiùs enim oppositum, quam propositum probat: si enim corruptibile, & incorruptibile sic genere differunt, quòd non toto genere, sed habent commune genus, ex quo Angelus sit incorruptibilis substantia, potiùs sequitur, quòd sit sub eodem communi genere cum substantia corporea, & sic in eodem Prædicamento.

154 Notandum itaque, quòd illam rationem non adducit B. D. ex propria mente; ait enim: *Secundò hoc declarant per aliam rationem*; quo satis innuit, aliorum se rationem proponere, quare non

eam penitùs declarat, sed simpliciter proponit, ut à suis Authoribus adducitur; nullo modo quia illam approbat, quatenus pro propria conclusione est, cogimur sensum expendere, quo ipsa tenet: itaque ly *incorruptibile* poterit accipi privativè, & hoc sensu significat id, quod, quia materiam habet, radicalem habet corruptibilitatem, quia tamen illam habet sub forma non habente contrarium, non habet privationem, & sic est incorruptibile; quare carentia corruptibilitatis in isto est privativa, sive in subjecto habente radicalem capacitatem; alio modo sumitur ly *incorruptibile* negativè pro eo, quòd nullam habet corruptibilitatem, seu capacitatem, aut principium corruptionis, eo quòd non habet materiam: priori ergo sensu loquitur Philosophus, & sic corruptibile, & incorruptibile, eo quòd habent commune esse in materia, habent commune genus, sic Cœlum est incorruptibile; posteriori autem sensu procedit argumentum, sic corruptibile, & incorruptibile nullo genere conveniunt, cùm differant penes habere, & non habere materiam, quæ est prima potentialitas physica, ex qua sumitur genus, & sic Angelus est substantia incorruptibilis.

155 Prob. tertiò ratione, quæ ex aliis B. D. locis suprà datis colligitur: Quod ponitur in Prædicamento, constat genere, & differentia propriè talibus, sive ita quòd differentia addat generi perfectionem, quæ sit extra conceptum ejus; sed Angelus ità non constat genere, & differentia: ergo. Patet maj. tùm, quia quatenus differentia solùm pro explicito differt à genere, etiam in Deo potest accipi genus, & differentia: tùm deinde, quia eo per Philosophum suprà adductum, ens, & unum non habent rationem generis, quia non habent differentiam sibi metaphysicè superadditam, sed tantùm secundùm conceptum explicitum. Patet item min. quia expressè asserit B. D. quòd in Angelo sic est genus, & differentia, quòd differentia addita generi non facit congruam definitionem, sed est ibi nugatio; & ratione ostenditur: In tantum potest accipi differentia generi superaddita, in quantum potest accipi potentialitas in ipsa quidditate ad perfectionem item quidditativam, quia genus, & differentia quidditatem constituunt; sed in Angelo non sic potest accipi, quia tantùm accipitur potentialitas ad esse, & si autem est extra quidditatem cujuslibet rei creatæ: ergo.

156 Prob. quartò ratione, quæ item ex superioribus colligitur: Ubi conceptus generis à differentia non præscindit ex parte objecti, non est accipere genus proprie, & ut requiritur ad seriem prædicamentalem; sed in Angelo genus à differentia non præscindit

ex

ex parte objecti, sed tantùm ex parte actûs, & præcisione formali: ergo. Hæc minor probata est disp. 2. q. 3. art. 1. §. 5. & illam admittunt NN. Manso, & Villanova, qui hic à sententia B. D. recedunt. Major autem de facili ostenditur; tùm, quia præcisione formali ens, & unum à differentiis suis abstrahi possunt, & similiter perfectiones in Deo; id autem non per ipsos non sufficit ad rationem generis; tùm deinde, quia ratio, quæ tantùm ex parte actûs præscindit, analoga est, cùm includat ex parte objecti differentias, à quibus non præscindit; tùm eadem, quia in Prædicamento accipiuntur gradus secundùm *sub*, & *supra* metaphysicè, & in ipsa quidditate; si autem tantùm est præcisè secundùm conceptus explicitos, non in ipsa quidditate, sed in actu tantùm, seu conceptu formali est superioritas, & inferioritas.

157 Prob. quintò ad hominem ex doctrina N. Villan. Quod est in Prædicamento, est propriè definibile per genus, sub quo est, & differentiam, qua à cæteris differt; sed Angelus non est propriè definibilis: ergo. Majorem docet ipse dub. 6. cap. 2. num. 97. & eâ probat, Deum non esse in Prædicamento. Min. ostenditur: Quod est propriè definibile, habet differentiam, quæ generi superaddita non facit nugationem, sed congruam definitionem; sed in Angelo differentia generi superaddita non facit congruam definitionem, sed est ibi nugatio: ergo. Minorem his verbis docet B. D. in 2. loco suprà ab ipso Villanova adducto; quare mirum est, eam non vidisse; & major nota est, illam tradit Philosophus 1. Elench. *de facere nugari*, & eam ibi latè probat B. Doctor.

158 Prob. sextò ex alia ipsius doctrina in eodem cap. Genus debet dicere partem quidditatis potentialem, & perfectibilem per suam differentiam; sed in Angelo non potest dicere partem quidditatis: ergo. Majorem ipse docet n. 104. & probat primò per verba Philosophi 7. Metaph. text. 33. ubi ait: *Cùm autem definitio ratio sit, omnis autem definitio partes habeat, sicut ratio ad rem, ita pars rationis ad partem rei se habet.* Ubi expressè docere, ait, Philosoph. partes definitionis ad partes rei comparari; quare manifestum est, quòd ubi non est pars, aut gradus in ipsa quidditate, non potest accipi vera definitio; sic esse in Deo intendit ipse, sed ita esse in Angelo patet per jam dicta; neque ipse in Angelo genus, & differentiam accipit secundùm gradus in ipsa quidditate, sed secundùm quod tota quidditas alitér, & alitér comparatur ad esse. Rursus, eamdem majorem probat ex Philosopho 8. Metaph. text. 9. & insuper ratione N. Francisci à Christo: Nempè si genus, & diffe-

differentia non sumuntur à partibus quidditatis, tunc conceptus definitionis essent inanes, quia dividerent, quod in se non est divisum.

Neque potest dicere, quòd hæc sua doctrina procedit de eo, quod est definibile simpliciter. Hanc enim solutionem ipse adducit ex N. Arim. & eam impugnat num. 110. ex verbis Philosophi text. seq. quare concludit, quòd etiam in accidentibus, quæ constat non definiri proprie; genus, ut tale sit, debet dicere partem quidditatis: qua ergo ratione ipse negat in Deo genus proprie tale, ut requiritur ad rationem Prædicamenti, eâdem negare debet in Angelo; quare patet, quòd inconsequenter ad sua principia à sententia recedit B. Doctoris.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

159 ARguitur primò fundamento N. Villanovæ: Substantia, quæ constat genere, & differentia, ponitur in Prædicamento; sed Angelus constat genere, & differentia: ergo. Major nota est, & minorem ita probat: In Angelo potest concipi natura per ordinem ad esse, & sic concipitur ratio universalissima substantiæ; deinde potest concipi in ordine ad tale esse, & sic accipitur conceptus substantiæ spiritualis; ac insuper ad esse magis specialiter, & sic accipitur ratio specifica talis substantiæ spiritualis, & ita accipit B. D. suprà adductus. Hoc fundamentum late urget Rubio hîc q. 3. Ex quo

Confirmatur primò: Compositio realis ex actu, & potentiâ fundat compositionem rationis ex genere, & differentia; sed in Angelo est compositio realis ex actu, & potentia, nempe ex essentia, & esse: ergo. Min. nota supponitur, & maj. sic potest ostendi: primo, quia compositio rationis non est pure logica, & rationis ratiocinantis, sed metaphysica, & cum fundamento in re; sed ubi datur realis compositio ex actu, & potentia, datur fundamentum in re ipsa ad compositionem rationis: ergo. Secundò, quia ubi datur compositio ex actu, & potentia, potest cum fundamento in re ipsa concipi essentia ut perfectibilis, & approximabilis ad esse, & ut magis proxima, & sic accipiuntur in ipsa gradus superior, & inferior.

Ulteriùs potest confirmari ex doctrina à nobis data in præcedentibus: Eo in substantia composita ex materia, & forma accipiuntur gradus, quia potest accipi materia ut perfecta per formam secundùm gradum communem, & secundùm gradum magis, & magis specialem usque ad ultimam actualitatem; sed pariter ubi est compositio ex essentia, & esse, potest

test accipi ipsa essentia ut perfectibilis per esse ut sic, & communiter, & ut perfectibilis magis, & magis specialiter usque ad ultimam actualitatem ipsius: ergo pariter possumus gradus concipere in tali essentia.

160 Resp. ad argumentum distling. maj. Ponitur in Prædicamento proportione servatâ, hoc est, eo sensu, quo habet genus, & differentiam, conc. maj. ponitur in Prædicamento, propriè, neg. maj. & tùnc distling. min. Sed Angelus constat genere, & differentiâ propriè talibus, neg. min. impropriè, & tantùm secundùm aliquam acceptionem, conc. min. Et quo sequitur, quòd Angelus sit in Prædicamento impropriè, & reductivè secundùm aliquam similitudinem cum substantia prædicamentali, quatenùs ratio substantiæ in eo concepta habet aliquo modo rationem generis; & quia magis in Angelo, quàm in Deo potest accipi genus, magis Angelus, quàm Deus accedit ad modum substantiæ prædicamentalis; quia tamen utrobique genus impropriè sumitur, licèt magis impropriè in Deo, neque Angelus, neque Deus est propriè in Prædicamento.

Ad prob. min. quatenùs ea refunditur in authoritate B. D. dicitur, quòd, ut jam patuit, B. D. expressè asserit, quòd genus, & differentia in Angelo accipiuntur impropriè, & latè, & in multis deficiunt à ratione generis, & differentiæ. Ad rationem autem dicitur primo, quòd essentia, ut comparatur ad esse ut sic, & communiter, & ut comparatur ad esse magis specialiter, totam essentiam importat; quare gradus ex hoc accepti non sunt in ipsa quidditate, sed quilibet totam quidditatem importat. Dicitur secundò, quòd in ipso esse, sive existentia non est accipere alium, & alium gradum perfectionis metaphysicè, & objectivè, sed tantum penes conceptum explicitum, in quolibet enim importatur existere, & nihil ampliùs: gradus ergo, qui accipiuntur penes aliter, & aliter comparari ad esse, accipiuntur tantùm secundùm conceptus explicitos. Dicitur tertiò, quòd esse est extra rationem quidditatis; quare gradus ex eo, quod aliter, & aliter comparatur ad esse, non sunt in ipsa quidditate.

Ad hoc potest dici, quòd esse quidem est extra rationem quidditatis, ordo autem, sive exigentia, aut aptitudo ad esse est in ipsa quidditate: aliter ergo, & aliter ad esse comparari potest significare gradus in ipsa quidditate, quatenùs significat alium, & alium ordinem, sive aliam, & aliam exigentiam. Sed contra: mitto enim, quòd in ipso esse non sunt gradus, quare non potest concipi metaphysicè, & objectivè alius, & alius ordo, ly *aliter*, & *aliter* exigere non alium, & alium quidditatis gra-

gradum potest significare, sed tota quidditas sic, vel sic concipitur exigere. Rursus: Non aliter exigit esse substantia, ac substantia spiritualis, seu talis spiritualis substantia, nempè quilibet conceptus exigit per se, & in se existere: ergo illa diversa comparatio est tantùm secundùm conceptus explicitos, non verò facit gradus in ipsa quidditate.

Quo patet ad utramque confirmationem; ad primam disting. maj. Ubi est compositio ex actu, & potentia in ipsa quidditate, fundat compositionem metaphysicam ex genere, & differentia, conc. maj. ubi est compositio in entitate, ita quòd actus sit extra rationem quidditatis, neg. maj. & eodem sensu min. esse enim est extra rationem quidditatis, quo patet ad utramque rationem maj. Itaque compositio ex genere, & differentia in ipsa est quidditate, quia differentia est ratio quidditatis; quare actus, ex quo differentia sumitur, non est ipsa existentia. Eodem modo dicitur ad secundam confirmationem, quia enim forma est de ratione essentiæ, alitér, & alitèr perficere facit alium, & alium quidditatis gradum, non autem alitér, & alitèr comparari ad esse, cùm esse non pertineat ad quidditatem.

161 Arguit secundò Mastrius: Si Angeli excluduntur á Prædicamento, maximè ratione spiritualitatis; sed hac ratione excludi non debent: ergo. Ostenditur min. nor: Si ratione spiritualitatis excluduntur, nihil spirituale potest poni; at ponuntur in Prædicamento accidentia spiritualia: ergo. Patet min. quia ponuntur scientiæ, quæ spirituales qualitates sunt. Aliæ ejus rationes jam suprà solutæ sunt. Quòd si dicatur, quòd non quævis spiritualitas, sed substantiæ tantùm ratio est, quare excludantur à Prædicamento: Contra est; tùm, quòd libere id dicitur; tùm, quòd anima nostra non excluditur, cùm ponatur ipse homo, est tamen anima substantia spiritualis.

162 Resp. neg. min. & ad probat. ejus dicitur, quodlibet spirituale spiritualitate completa, quòd nempè est irreceptibile in subjecto, debet excludi, in tali enim non possunt accipi gradus in ipsa quidditate, cùm sit quidditas omninò simplex; quòd autem, licèt sit spirituale, est forma perfectiva subjecti, secundùm quod alitèr, & alitèr subjectum perficit, fundamentum præbet, ut accipiantur gradus in ipsa quidditate sua. Quo patet ad id utrumque, quod in argumento adducitur: accidens spirituale forma est subjecti perfectiva, loquendo de accidente permanente; transiens enim, ut ipse actus sciendi, non est propriè in Prædicamento, nec formam aliquam dicit, aut essentiam, sed motum intentionalem animæ: anima item nostra corpus perfi-

perficit aliter, & aliter, ex quo in ea accipimus metaphysicè, & quidditativè gradus.

163 Arguitur tertiò: Substantia, quæ est genus supremum, dividitur in corpoream, & incorpoream, & utramque sub se habet; sed ly *incorporea* non potest aliam significare, nisi Angelum: ergo. Patet min. quia nulla est alia substantia incorporea, nisi aut Angelus, aut Deus, aut anima nostra; at Deus non significatur, ut art. præced. diximus, & si Deus ibi significatur, multò magis Angelus; deinde neque anima nostra, tùm, quia est pars physica; tùm, quia homo ipse, cujus est pars, sub alio extremo comprehenditur, nempè substantiæ corporeæ: relinquitur ergo, quòd substantia incorporea sub genere supremo intenta solus sit Angelus.

164 Hoc argumentum contra se objicit N. Manso, & respondet neg. min. quia Porphyrius per ly *incorporea* non Angelos, sed quasdam substantias lineales, & punctuales accipit, quas ipse admittit ad mentem Platonis, quæ eo dicuntur substantiæ incorporeæ, quia non habent trinam dimensionem, quæ est de ratione corporis. Sed hæc solutio multiplicitèr deficit: & primò ipse arguit N. Villanovam, quòd literam B. D. apertè deserit; ipse tamen eam in hac solutione deserere convincitur, siquidem B. D. cujus verba dedimus n. 139. contra se objicit hoc argumentum, & maj. negat, quia substantia, quæ est Prædicamentum, non dividitur per corpoream, & incorpoream, sed est substantia corporea. Secundò Porphyrius substantias spirituales in Prædicamento ponit secundùm mentem Platonis; quare per ly *incorporea* substantiam spiritualem accipit. Tertiò, quia substantia punctualis, aut linealis, dato, quòd talis aliqua esset, non esset quidem corpus de Prædicamento quantitatis, esset tamen corpus de Prædicamento substantiæ; quare non posset dici substantia incorporea, quippè esset substantia materialis, & quanta.

Rursus: Aut ipse tenet sententiam Porphyrii, aut non? Si primum, neque tenet sententiam B. D. neque benè excludit Angelos à Prædicamento; Porphyrius enim, ut patet cap. de Specie, Angelos in Prædicamento ponit, & Deum ipsum; si autem secundum, nec benè respondet ad argumentum solutione ad mentem Porphyrii, quam ipse non approbat, nec benè ponit genus supremum hujus Prædicamenti substantiam ut sic communem ad corpoream, & incorpoream. Ad argumentum ergo cum B. D. neg. maj. quia substantia, quæ est genus supremum, convertitur cum corporeo, & est corpus, sive substantia corporea; quare ea immediatè, & primò dividitur per viventem, & non viventem.

QUÆSTIO TERTIA
DE QUANTITATE.

ARTICULUS. I.

An Quantitas distinguatur à re quanta?

§. I.

Species, & proprietates quantitatis.

165 UT ea, quæ de Quantitate disputantur, clariùs possimus expendere, præmittamus oportet textûs hujus capitis explicationem. Quantitatem itaque non definit Philosophus, sed per suas species, & proprietates describit, sicut substantiam; aut quia ea genus non habet, per quod posset definiri; aut certè magis, quia eam definiri non est hujus loci, illam namque utcumque definit in Metaphysica, ut infrà videbimus. Quantitas ergo est id, quo in re qualibet accipitur magnitudo, aut parvitas, quoq̃ res ipsa tanta dicitur; hoc autem aut accipitur in ipsa quidditate, quatenùs nempè tantæ perfectionis res dicitur, aut alterâ perfectior; aut extra quidditatem, & missâ rei perfectione, accipitur ejus tantitas: priori modo latè, & per similitudinem dicitur *quantitas*, & consuevit appellari *quantitas virtutis*, hac Deus Magnus dicitur, de quo ait S. P. quòd *est* sine quantitate magnus; posteriori modo propriè accipitur quantitas, & dicitur *quantitas molis*, de qua ibidem, nempè 5. de Trinit. ait S. P. *Quòd in rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, non hoc est esse, quòd magnas esse.*

166 De hac ergo hìc agitur; eam primò dividit Philosophus *in continuam*, & *discretam*: continua *est, cujus partes copulantur termino communi*; discreta verò, *cujus partes termino communi non copulantur*: v. g. numerus plurium hominum, præter quidditatem, qua homo est unusquisque, tantitatem habet, qua ipse numerus in se magnus dicitur, vel parvus, & alteri comparatur, major, minor, aut æqualis; & quia hujus partes, nempè unitates non uniuntur inter se communi termino, hæc est quantitas discreta: deinde unusquisque homo molem sui corporis habet, qua alteri comparatus est major, aut minor, cùm tamen eamdem habeat quidditatem; qua-

magnitudinem habet, quæ est accidens à quidditate distinctum, & quia partes hujus magnitudinis communi termino copulantur, hæc dicitur quantitas continua; videmus nempè, quòd digitus manui sic unitur, quòd id, quo terminatur, digitus est, quo incipit manus: illud ergo, quo communicat utraque pars, dicitur punctum, seu indivisibile continuativum, & communis terminus utriusque partis.

167 Hujus species quinque assignat Philosophus, *lineam, superficiem, corpus, locum, & tempus*: mittit autem divisionem quantitatis continuę *in permanentem*, & *successivam*, quia ea est materialis; permanentia enim, & successio, non quantitatis, sed durationis differentiæ sunt, nempè dicitur permanens, cujus partes sunt simùl ut superficies; successivum verò, cujus partes non sint simùl ut tempus: quòd autem permanentia, & successio non sint differentiæ quantitatis, ex eo patet, quòd in aliis à quantitate reperiuntur, ut successio motui convenit, & actioni, permanentia verò cuilibet formæ, quæ totum esse suum simùl habeat.

Linea ergo *est extensio penes longitudinem tantùm*; superficies *est extensio penes longitudinem, & latitudinem*; corpus *est extensio penes longitudinem, latitudinem, & profunditatem*: hæc dicitur corpus de Prædicamento quantitatis; aliud enim est substantia, quæ nata est sic extendi, aliud verò extensio ejus, seu forma, qua sic extenditur; primum est corpus de genere substantiæ, alterum verò corpus de genere quantitatis: notandum verò, quòd in re extra non est longitudo sine latitudine, aut latitudo sine profunditate; quia tamen aliud est, & alio modo extenditur substantia penes longitudinem, aut penes latitudinem item, aut etiam penes profunditatem, triplex inde accipitur species quantitatis, quarum quælibet diversam significat magnitudinem, & extensionem.

Tempus, ut in Physica dicetur, *est numerus motus secundùm prius, & posterius*; nempè in motu primi mobilis accipimus substantiam ipsam mobilis sic successivè de una ad alteram loci partem transire, ut ea stet inter duas partes motûs; unam, quæ transiit, alteram, quæ sequitur: ista ergo successio partium motûs secundùm prius, & posterius dicitur tempus, in quo pars, quæ præcessit, dicitur præteritum, quę sequitur, dicitur futurum, & ipsa substantia mobilis stans inter utramque, & utramque copulam facit *nùnc, præsens, sive instans indivisibile* copulativum, & continuativum partium corporis; quare vides hujus partes communi termino copulari, quare est quantitas continua.

Quærit B.D. hîc q. 10. Utrùm

motus sit quantitas per se? Arguit, quòd sic, quia motus continuitatem habet, & divisibilitatem, quæ soli quantitati conveniunt. Resp. quòd motus non est quantitas; & ratio est, quia partes habet, & divisibilitatem, non ratione sui, sed aut ratione subjecti, quod movetur, aut ratione termini, qui acquiritur; est enim accipere successionem, & partes in motu, secundùm quod terminus ejus partim acquiritur, seu una pars post aliam, aut subjectum priùs in una parte, quàm in alia acquirit; si autem terminus sit omninò indivisibilis, & subjectum indivisibilitèr acquirat, non est accipere successionem, & divisibilitatem in motu: motus ergo reducetur quidem ad Prædicamentum quantitatis; proprié tamen non est quantitas per se, & ratione sui.

Locus item in Physica definitur, *ultima superficies corporis continentis immobilis*; ut si aqua est in vase, locus aquæ est superficies vasis eam continentis: quòd hæc sit quantitas, patet de se; quòd autem sit species distincta à superficie suprà enumerata, ostendit Philosophus ex eo, quòd talis superficies aut consideratur in se, & sic est tantùm superficies; aut consideratur in eo, quòd continens corpus locatum, & sic est alia species, nempé locus; & quia eodem modo partes habet, ac corpus contentum, nempè ei commensuratur, est quantitas continua. Triplex ergo, imò quadruplex accipitur Prædicamentum ibi, nam si consideretur superficies sive vasis, sive aquæ secundùm se, & absolutè, est quantitas de hac specie, quæ dicitur *superficies*: si deinde accipiatur continètia vasis ad aquam, dicitur *locus*, quæ etiam est quantitas, sed de alia specie; si insuper habitudo aquæ ad superficiem continentem, est *ubi*: si tamen talis determinata habitudo, secundùm adæquationem, nempè partis ad partem, est aliud Prædicamentum, scilicèt *situs*.

168 Quantitatem discretam assignat Philosophus *orationem*, & *numerum*, de quibus probat quantitates esse; de quo tamen agendum erit sequenti artic. Oratio ergo, ut est species quantitatis, est ipsa vocalis prolatio, secundùm quod syllabas habet longas, & breves, in quibus tempus insumitur, quæ, ut patet, partes habet, penes quas est accipere magnum, & parvum in ipsa; istæ autem partes non inter se uniuntur, aut aliquo communi termino unum sunt illæ syllabæ; si enim continuè profertur oratio, non ipsius, sed temporis est, quo durat prolatio, hæc continuitas; quare patet, quòd est quantitas discreta. Numerus *est multitudo mensurata per unum*, de quo patet, & partes habere, quibus magnus est, aut parvus, ipsas nempè unitates, & quòd istæ partes non inter se uniuntur, aut termino aliquo com-

communi sunt unum; quare est quantitas discreta.

169 Aliam divisionem quantitatis ponit Philosophus, quòd nempè alia habet positionem in partibus; alia non habet: habere positionem sic explicat, quòd ita habeat partes, ut possit designari, ubi sit quælibet, ut in homine potest designari, ubi est crus, ubi brachium; at in tempore, aut in numero non potest designari: quæ habere positionem non significat, ut aliqui volunt, habere extensionem neque penes se, neque penes locum; quia tempus extensionem habet penes se, neque tamen est ex habentibus positionem; locus item est ex habentibus positionem, non tamen habet extensionem penes locum. Hæc divisio non est quantitatis continuæ, sed quantitatis ut sic, cuiquè enim, eo quòd quantitas est, immediatè convenit habere, aut non habere; & paritèr tempus, quod est quantitas continua, & numerus, qui est discreta, non habent positionem.

Proprietates deinde quantitatis tres assignat; Prima est, quòd quantitati convenit non habere contrarium. Hæc non soli quantitati, sed substantiæ etiam convenit; quare quæ hìc iterùm contra hanc proprietatem objicit, & solvit, soluta sunt quæst. præc. quòd nempè magnum, & parvum, superum, & inferum contraria videntur. De his dictum est, quòd magis relationis modum, quàm quantitatis important; non enim in se, & absolutè superius quid dicitur, aut magnum, sed parvum, aut inferius; quare relativè opponuntur, non autem contraria sunt. Secunda proprietas est non suscipere magis, & minus; non enim bicubitum bicubito, aut ternarium ternario magis dicitur. Tertia demùm, eaque potissima quantitatis proprietas est, quòd secundùm eam accipitur æqualitas, aut inæqualitas, & hæc omni, & soli quantitati convenit; æquè enim numerus numero æqualis est, aut inæqualis, & linea lineæ, aut corpus corpori; similitèr, si quando ex perfectione, & quidditate accipitur æqualitas, aut inæqualitas, ut nempè unum altero perfectius dicitur, ipsa quidditas subit modum quantitatis, & dicitur quantitas virtutis.

§. II.

Resolvitur Articulus.

170 DE distinctione quantitatis à re quanta controversia est, aut cum Nominalibus, aut cum Modernis Atomistis, alio tamen sensu: isti quidem, quia ponunt, nullam formam realitatem esse subjecto superadditam, sed modum, affectionem, seu denominationem ex configuratione, & dispositione partium materiæ consecuta: tenent, quan-

tita-

titatem non esse formam substantiæ superadditam, & sic à substantia non distinguit: de hoc sensu in Physica agitur, ubi probandum est, formam esse realitatem á materia distinctam. Alio sensu Nominales, etsi admittant formas reales, tenent tamen, quantitatem non esse accidens aliquod substantiæ superadditum, sed rem quamlibet sibi propriam, & indistinctam quantitatem habere, ut non solùm substantia, sed albedo etiam se ipsa tanta dicitur, vel tanta.

171 Contra hanc sententiam communis conclusio est, quòd quantitas realiter distinguitur à re quanta. Prob. Si enim res quælibet se ipsa, & non ab accidente superaddito tanta est, non esset accipere in duobus ejusdem quidditatis, & essentiæ majus, & minus; sed hoc ad sensum patet falsum esse: ergo. De min. non est, quòd aliquis ambigat, videmus enim hominem homine quantitate majorem, & albedinem albedine magis extensam; patet autem, quòd eadem est quidditas per definitionem significata hujus, & illius sive hominis, sive albedinis. Ostenditur ergo maj. Si enim à re non distinguitur quantitas, quidditas se ipsa tanta est, & quæ habent eamdem quidditatem, eamdem haberent tantitatem; sed tùnc non est unum altero majus: ergo.

Confirmatur: Si quantitas non distinguitur á re quanta, non est speciale Prædicamentum; sed ipsi, cum quibus agimus, speciale Prædicamentum ponunt: ergo. Ostenditur maj. Tùnc enim non significat specialem perfectionem unam, & univocè de inferioribus prædicabilem, atque denominativè de substantia, sed conceptus quantitatis immediatè se ipso significat substantiam, albedinem, relationem, & alia omnia, quorum singula se ipsis tanta sunt. Explicatur: Tùnc enim se habet quantitas, sicut concipimus unitatem, nempè sicut res quælibet propriam habet unitatem, quæ tamen non est forma aliqua, sed ipsa rei entitas, eodem modo res quælibet propriam haberet quantitatem, & se ipsa intransitivè tanta esset; sed unitatem non possumus concipere ut speciale genus, sed ut conceptum omnia transcendentem: ergo pariter dicendum de quantitate, si ea non distinguitur à re qualibet, quæ quanta dicitur.

Ulteriùs: Si albedo v. g. suam habet quantitatem ab ipsa indistinctam, ea ad aliquam speciem pertinet quantitatis; sed ad nullam poterit reduci: ergo nullam habet. Minor patet considerando singulas species suprá assignatas. Sed ad corpus videntur ipsi reducere, quandoquidem propriam impenetrabilitatem, & ubicationem ipsi concedunt. Sed contra: Corpus, ut est species quantitatis, non intelligitur sine trina dimensione, albedo autem secundùm se

non

non habet dimensiones. Rursus: Si accidentibus impenetrabilitas conceditur, non substantiam, sed superficiem tantùm perficiunt. Insuper: Formæ in subjecto non sunt ut in loco, non enim locus à locato perficitur. Quoniam itaque illa sententia jam ferè à Scholis exulat, pro pleniori ejus probatione sufficiet, quæ in contrarium adducuntur, solvere.

172 Arguitur itaque primò: Si talem quantitatem non habent accidentia materialia, & ipsa item substantia sibi propriam, & indistinctam, non est, quo entitatem materialem à spirituali distinguamus, sive in substantia, sive in accidentibus; sed hoc est absurdum: ergo. Ostenditur sequela majoris: Spiritualitas enim non in alio potest concipi consistere, quàm in indivisibilitate, qua tota entitas ita simùl, & veluti in puncto concipiatur, ut repugnet partes habere, & per spatia distendi; at ita concipiatur, oportet, res quælibet secundùm se, & in proprio conceptu, si quantitas est accidens à cæteris omnibus distinctum: ergo. Patet hæc min. quia secundùm se nulla habet quantitatem, sine quantitate autem quælibet est indivisibiliter, & modo spirituali.

173 Resp. neg. maj. & ad prob. ejus dicitur, quòd conceptus, quem formamus de spiritualitate, in illa indivisibilitate consistit, sed indivisibilitas duplex est: altera negativa, quæ nempè consistit in eo, quòd non solùm divisionem, & partes non habet, sed repugnat altero perfici, à quo habeat; altera est privativa, quæ nempè licèt in se partes, & divisionem non habeat, habet tamen capacitatem, ut forma perficiatur à qua habeat dividi: indivisibilitas priori modo est conceptus spiritualitatis; posteriori autem convenit substantiæ materiali secundùm se, & secluſa quantitate. Notandum autem, quòd alitèr dicitur spiritualis, aut corporea substantia, alitèr accidens, nempè substantia dicitur *in quid*, & substantivè, ita quòd corpus est, aut spirirus; accidens verò non ita, sed adjectivè tantùm dicitur corporis, aut spiritus perfectior; quare accidens spirituale est, non quòd spiritualitatem in se habet, sed quòd spiritualis substantiæ perfectivum est, sicut corporeum non ex corporeitate, quam in se habet, sed quia corporis perfectivum est.

174 Arguitur secundò: In quocumque accipitur majus, & minus, æquale, & inæquale, in eo accipitur quantitas; sed in calore, colore, & cæteris omnibus præcisè ex entitate sua accipitur majoritas, & minoritas, æqualitas, & inæqualitas: ergo quodlibet habet propriam quantitatem sibi identificatam. Maj. nota est, quia id assignat Philosophus quantitati maximè proprium. Patet item min. quia comparando entitatem entitati,

tati, unum alio majorem, dicimus, habere calorem, aut albedinem.

175 Resp. primò instando: Quia in accidentibus spiritualibus accipitur majoritas, nempè dicitur in Evangelio: *Majorem charitatem nemo habet &c.* quare ibi oporteret quantitatem ponere, cùm tamen quantitas soli conveniat corporali substantiæ, utpotè passio materiæ. Deinde directè neg. min. cum sua probatione, non enim in ipsa entitate accipitur æqualitas, aut inæqualitas, cùm forma sit in indivisibili consistens, ut definitur in de sex Principiis, & probabimus in de Generatione: ait ergo Philosophus, quòd albedo multa est, quia superficies multa est, nempè non ex se ipsa, sed ex subjecto habet, quòd tanta sit, quia de se non habet partes, quibus accipiatur majoritas, sed tantùm quatenús ad plures se extendit partes subjecti. Notandum autem, quòd aliter accipitur augmentum ejus, quatenùs ad aliam se extendit partem subjecti; aliter verò quatenùs in eâdem parte magis perficit: priori modo est augmentum quantitativum, & ex eo accipitur majoritas; posteriori modo non est quantitativum, sed proprium qualitatis, & ex eo non major ipsa forma, sed magis tale dicitur subjectum: utrumque tamen non ex se, sed ex subjecto habet.

176 Arguitur tertiò: In quocumque est accipere partes, quibus integretur ipsa entitas, non compositione actûs, & potentiæ, sed additione unius ad alteram, in eo est quantitas; sed in substantia materiali, in colore item, calore, & similibus, secluso quovis accidente superaddito, est accipere tales partes: ergo quantitas non est accidens á re quanta distinctum. Majorem nos infra probabimus artic. 3. quòd nempè conceptus quantitatis in hoc consistit, quod est habere partes integrantes, sive ejusdem rationis, interim ex ipsa patet quantitatis notione; in tantum enim accipitur majoritas, aut æqualitas, in quantum accipitur, quòd totidem, aut plures habet partes. Min. autem ostenditur: Substantia enim materialis per hoc à spirituali differt, quòd illa, & non ista divisibilitatem habet, & partes; qualitas item gradus habet, penes quos accipitur intensio, & remissio.

177 Resp. neg. min. & ad prob. ejus dicitur, de primo quidem, quod jam patuit in solutione ad 1. quòd conceptus spiritualitatis ex indivisibilitate accipitur negativa, qua nempe repugnat quantitatem suscipere, & eâ dividi; quare substantia materialis talis est, quia de se indivisibilitatem habet tantùm privativam, nempè apta est quantitatem suscipere, qua dividatur; quòd autem partes secundùm se non habeat, probatur ex instituto in Metaphysica.

Ad

Ad alterum; gradus, secundùm quos accipitur intensio, & remissio, non in ipsa entitate, sed in effectu accipiuntur, seu modo se habendi, quem subjecto communicat, neque ipsa forma secundùm se, & abstracta à subjecto magis, & minus patitur, ut probabitur suo loco.

178 Arguitur quartò: Si quantitas esset aceidens á re quanta distinctum, posset Deus rem sine quantitate conservare; sed hoc est impossibile: ergo. Patet minor, tum, quia impossibile est rem esse, quin intelligatur tanta esse; tùm deinde, quia nos ipsi probabimus in Physica, impossibile esse rem alibi existere, est autem alicubi per quantitatem. Patet item maj. quia quodlibet absolutum prius altero potest Deus sine posteriori conservare, cùm prius á posterio-ri non dependeat; sed si quantitas sit accidens superadditum, res quanta prior est, & absolutum quid: ergo.

179 Resp. primo, quòd principium illud, quo nititur major, à multis negatur, quia prius potest habere, & habet sæpe connexionem ad suum posterius; tùnc autem est absolutè, & simpliciter prius, posterius autem secundùm quid, non enim absolutè repugnat mutua prioritas. Resp. secundò, hoc misso, neg. min. & ad prob. ejus dicitur, quòd sublata quantitate, relinquitur in re quanta modus se habendi, qui est effectus ejus; talis enim non est realitas superaddita, sed substantia ipsa sic se habens: ab illo ergo modo divinitùs conservato sine quantitate, à qua tribuitur, haberet tùnc substantia quidquid nùnc à quantitate habet.

ARTICULUS II.

Quodnam sit Genus supremum in hoc Prædicamento?

§. I.

Sensus difficultatis, & sententiæ.

180 ESt quærere: An quantitas ut sic, & in communi ad continuam, & diseretam, an potiùs quantitas continua, sit genus supremum in hoc Prædicamento? Facit difficultatem utraque species quantitatis discretæ, neutra enim videtur vera quantitas, potissimè tamen numerus. De quo nonnulli ponunt, non solùm numerum esse veram quantitatis speciem, sed insuper quemcumque numerum, sive in accidentibus, sive in substantiis, etiam spiritualibus, etiam in ipsa substantia increata, esse quantitatem; quare Trinitatem Personarum in Deo numerum dicunt de Prædicamento quantitatis. Ita tenet expressè R. Doctor, de cujus mente Elisæus in Metaph. dist. 2. q. 1. art. 3. §. 4. & alii apud ipsum; quare in hac sententia genus su-

premum non solùm erit quantitas communis ad continuam, & discretam, sed item ad substantiam, & accidens, corporeum, & incorporeum, creatum, & increatum; in his enim omnibus reperitur numerus.

181 Alii per oppositum ponunt, numerum non esse verum ens per se unum, sed multorum entium collectionem; quare nec est species quantitatis, quæ per se ad hoc Prædicamentum pertineat, quippè exploratum omnibus est, debere esse per se unum, quod in Prædicamento ponitur; quare in hac sententia genus supremum est quantitas continua, & numerus dicitur quantitas impropriè, & ex quadam analogia. Ita Nominales, & alii apud Mastrium hìc q. 2. a. 1. qui mordicùs adeo hanc tenet, ut asserat, quamquam in oppositum sint expressè Philosophus, & Subtilis Doctor, tenendam sibi hanc esse propter evidentiam rationis; malè autem pro ea citat Suarez disp. 41. Metaph. sect. 1. solùm enim, docet, numerum, ut in re est, non esse peculiare accidens; subjungit autem, nihilominùs, prout à nobis concipitur per modum unius, potest habere aliquam unitatem sufficientem, ut de illo tanquam de una specie entis loquamur, & sub tali denominatione in Prædicamento quantitatis collocetur: quo satis innuit, numerum se in Prædicamento quantitatis ponere.

182 Tertiò alii tàm numerum, quàm orationē veram quantitatem dicunt, & subinde, quòd genus supremum in hoc Prædicamento quantitas est univocè communis ad continuam, & discretam. Hæc procùl dubio est sententia Philosophi, ut patet legenti textum hujus cap. quantitatem enim, quæ est Prædicamentum, & de qua ipse agere incipit, dividit in continuam, & discretam, & sic incipit: *Quantitatis aliud continuum, aliud discretum*, & numerum, atque orationem ut species quantitatis explicat; eamdem tenet P. Augustinus de decem Categ. cap. 10. & latè B. D. tùm in 1. dist. 24. q. 1. per totam, tùm 4. Metaph. à q. 5. usque ad 12. In hac sententia non levis est difficultas in assignando formam numeri constitutivam, & unitatem ejus; quare ista per ordinem explicanda sunt, quòd numerus est vera species quantitatis; deinde, quænam est ejus forma constitutiva; tertiò, quòd numerus, qui est quantitas, tantùm reperitur in substantia materiali; & quartò, quòd oratio est vera species quantitatis; quo relinquetur, quòd quantitas, quæ est genus, est ratio communis ad continuam, & discretam.

183 Pro intelligentia tamen dicendorum nota, quod sæpe in præcedentibus observandum justimus, quòd nempè divisio Prædicamentorum non est eorum, quæ sunt,

sunt, sed eorum, quæ dicuntur; sic enim expresse ipse Philosophus ad divisionem prædicamentalem præmittit; quare aliud, & aliud Prædicamentum non aliam, & aliam rem de necessitate significat, sed poterit ex diversa ejusdem rei acceptione diversum constitui Prædicamentum, ex diversa nempé generali, & non reducta in aliam, ex qua ratio quidditativa, seu definibilis accipitur, quæ de *inferioribus suis in quid*, & ut verum genus dicatur: ut v. g. realitas albedinis secundùm se accepta, & ut subjecto tribuit album esse, est in Prædicamento qualitatis; ut autem accipitur in comparatione ad alteram, & prout subjecto tribuit simile esse, est in Prædicamento relationis; relatio enim, ut suo loco probabitur, solam rationem quidditativam addit supra fundamentum.

Ipsa deinde albedo, ut accipitur, secundùm quod alteratione inducitur ab agente, est in Prædicamento actionis; actio enim est fieri rei, sive ipse terminus, prout ab agente inducitur; prout tandem alteratione inducitur in hoc passo, est passio, nempè fieri rei prout in passo: patet ergo, quòd Prædicamentum non est res ipsa, prout est, sed prout accipitur, nempè ratio quidditativa, & definibilis, quam in tali acceptione habet, & secundùm quam habet sic dici. Non itaque numerus, ut est Prædicamentum, dicit realitatem, quæ est, ut in re est, sed ut accipitur, nempè realitatem illam, quæ in re est, ut illam accipit intellectus, & talem formal rationem quidditativam, quam dicit numerum hunc, vel illum, & quam denominativé de substantia prædicat; verè enim ut substantiæ ipsi adjacens prædicatur de multitudine hominum numerus talis, vel talis.

184 Notandum deinde; quod infrá ex Philosopho probabitur, numerum non esse multitudinem ut sic, sive ut est in re; patet enim, quòd multitudo hominum v. g. indifferens est, ut accipiatur acervus unitatum, communitas, sive exercitus, aut numerus: ut enim accipitur ipsa multitudo sine ullo ordine, acervus est; ut autem accipitur multitudo sub uno, communitas est, aut exercitus, secundum quod alitèr, & alitèr sub uno ordinatur; est autem *numerus multitudo uno mensurabilis*, ut definit Philosophus 10. Metaph. text. 21. quare ibidem ait, quòd multitudo est genus in numero: qui ergo multitudinem accipit ut sic, & ut est in re, non numerum accipit, sed tantùm id, quod est in eo materiale, & in hoc est tota deceptio contrariæ sententiæ; multitudinem enim unitatum ut sic, & secundùm se tantùm accipiunt illius Authores. Nec ex hoc numerus est ens rationis, aut per actum rationis constituitur, ipsa enim multitudo, quæ in re est, nu-

merus est, licèt non absolutè, ut in re est, sive ex quo est multitudo, sed sub tali ratione, nempè ut est uno mensurabilis.

§. II.

Numerus est vera species Quantitatis.

185 HÆc Conclusio probatur primò authoritate Philosophi, tùm hoc cap. tùm 5. Metaph. cap. 13. quibus de quantitate agens, eam dividit in continuam, & discretam, & discretæ speciei assignat numerum, & orationem. Deinde authoritate P. Augustini de decem Categ. cap. 10. ubi item quantitatem veluti in duas species dividit in continuam, & discretam; ait nempè: *Ipsius autem quanti aliud est cohærens, aliud separatum*, & discretæ species assignans ait: *Separata verò sunt numerus, & oratio.* Deinde ex B. D. hîc q. 5. qua quærit de speciebus quantitatis, & primùm de numero: Utrùm sit unus? In quo potissimè est difficultas contrariæ sententiæ, & respondet affirmativè; idem habet q. seq. qua statuit, quòd numerus, & oratio quantitates sunt ad se invicem distinctæ secundùm species; item 4. Metaph. q. 5. & sequentibus; item in 1. dist. 24. q. 1.

186 Ad hanc probationem respondet Mastrius, quòd Philosophus non dividit quantitatem in continuam, & discretam tanquam in duas species, sed quantitatem continuam in duplici statu accipit unionis, & separationis, nempè fit numerus divisione continui. Sed contra, primò, ipsa verba non duas acceptiones, seu duos status ejusdem quantitatis, sed duas quantitates indicant; una enim quantitas in alio, & alio statu non facit aliud, & aliud quantum, seu aliam, & aliam quantitatem; tàm autem ipse, quàm S. P. ait, quòd continuum, & discretum sunt alia, & alia quantitas. Secundò, in alia divisione tàm Philosophus, quàm S. P. quantitatem, quæ non habet positionem in partibus, æquè accipiunt tempus, & numerum; at tempus propriè est quantitas accepta contra continuam, quæ habet positionem: ergo est numerus. Rursus: Si numerus non speciem quantitatis, sed statum ipsius continuæ dicit, non benè accipitur in divisione quantitatis in eodem extremo cum continua; sed *ita* accipit Philosophus, & S. Parens, nempè cum tempore: ergo. Præterea: Non posset accipi ut genus in definitione alicujus speciei; accipitur autem in definitione temporis. Tandem: Si numerus non est species quantitatis, nullo modo est quantitas, nequidèm analogicè; sed hoc dici nequit: ergo. Patet min. Philosophus enim quantitatem dicit, & ipse fatetur Mastrius,

trius, statum esse, sive acceptionem quantitatis. Ostenditur maj. Tùnc enim ratio quantitatis est continuitas, siquidem tantum est quantitas continua; sed numerus destruit, & omninò tollit continuitatem: oportet ergo quantitatem esse alia ratione distincta, & oppositа, & sic vera species.

187 Respondent alii, quòd Philosophus dividit quidem rationem quantitatis in continuam, & discretam, non autem tanquam genus in species, sed sicut ratio analoga; quo sensu nos diceremus, quòd ens aliud est creatum, aliud increatum; & creatum aliud substantia, aliud accidens: principale ergo analogatum, & propriè quantitas continua est, discreta verò solùm impropriè, & analogicè, & sic numerus non est vera species. Sed nec ista solutio subsistit, primò quidem, quia Philosophus eo præmittit considerationem de univocis, æquivocis, & denominativis, quo deducat, tantùm univoca ad seriem prædicamentalem pertinere. Deinde dividit quantitatem, quæ est Prædicamentum; sed hæc non est ratio analoga, cùm debeat esse genus supremum: ergo. Insuper: In nullo alio Prædicamento accipit rationem analogam, debuisset enim ab ipso ente considerationem orditi: ergo nec in isto dicendus est analogam rationem dividere. Præterea: Postquàm latè explicuit, quæ propriè, & per se quanta dicuntur, ea accipit, quæ per accidens, impropriè, & ex quadam analogia quanta dicuntur, ut motum: ergo quę priùs acceperat, non improprie, & analogicè, sed propriè habent rationem quantitatis; inter illa autem ponit numerum.

188 Prob. secundò ratione: Quod significat gradum specialem formæ, quam significat genus, non potest non esse species sub eodem genere contenta; sed numerus significat gradum specialem formæ, quam physicè, & in re significat quantitas: ergo. Ostenditur maj. Quia, ut ex præcedentibus patet, genus, & differētia, quibus species constituitur, eamdem formam secundùm alium, & alium gradum significant, ut animal, & rationale eamdem animam secundùm gradus sentiendi, & discurrendi: sicut ergo homo, & equus duæ sunt species animalis, quia ejusdem formæ, quam significat animal, nempè animæ, alium, & alium gradum significant, scilicèt equus virtutem hinniendi, homo ratiocinandi, ita universalitér, quòd specialitèr importat gradum formæ, quam significat genus, species est sub tali genere contenta, & ex tali gradu tanquam differentiâ, & ipso genere constituta, & quæ alium, & alium important gradum, aliam, & aliam constituunt speciem.

Ostenditur deinde principalis minor: Forma physica, quam significat quantitas, est illud accidens,

dens, quo substantia extenditur continuè secundùm trinam dimensionem; sed hujus specialem gradum significat numerus: ergo. Hæc minor prob. considerando perfectiones, quas illud accidens substantiæ tribuit: Primò namque ex eo habet substantia partes, quas dicunt integrantes, de se enim nullas tamen habet, ut probabitur in Metaphysica; deinde, quòd tales partes sic uniantur, quòd una sit extra aliam, seu quòd extremitatibus, & non se totis uniantur; deinde, quòd secundùm tales partes possit dividi ipsa substantia; insuper, quòd in eis accipiatur mensurabilitas, qua certificetur intellectus de tantitate rei; & alia, quæ ad præsens non referunt; jam autem, quòd ex his aliquem gradum importet numerus, ex ipsa patet ejus definitione: est enim multitudo mensurabilis unitate; at in ipsa substantia, & accidentibus ejus accipitur multitudo, ita mensurabilis ex perfectione continui ipsa quantitas: ergo. Hæc minor §. 4. probanda est ex Instituto, ad præsens sufficiat, quòd loquimur de numero prædicamentali, qui tantùm est propriè talis; quòd autem hìc differat à transcendentali, qui causatur ex unitate, prout convertitur cum ente, ibi ostendetur; numerus autem prædicamẽtalis resultat ex divisione continui: talis ergo significat gradũ perfectionis illius formę, à qua substantia habet sic dividi.

189 Ad hanc rationẽm respondent aliqui apud Rubium q. 8. n. 3. quòd numerus non significat gradum perfectionis, sed potiùs imperfectionem, quæ destruit, & removet perfectionem, quam dicit quantitas. Hoc assumptum duobus modis ostenditur: primò quidem, quia ratio quidditativa, quam significat quantitas ut sic, & in conceptu communi, est divisibilitas in partes ejusdem rationis, ut habet Philosophus 5. Metaph. cap. 13. & nos probabimus sequenti artic. sed numerus non significat gradum hujus perfectivum, imò removet divisibilitatem, divisibile enim est, quod unum est, & indivisum; importat autem numerus multiplicitatem: ergo. Secundò idem ostenditur: Quia multiplicitas, quam importat numerus, carentiam significat unionis, quare magis remotionem, & privationem, quàm perfectionem significat; at privatio non constituit speciem: ergo.

190 Resp. neg. assumptum, & ad utramque prob. dicitur multiplicitèr; ad primam: Actus non destruit potentiam, sed perficit: ipsa ergo divisio non removet divisibilitatem. Rursus: Conceptus quantitatis est divisibilitas transcendentalis, & metaphysica, nempè habere partes ut sic, & communitèr ad habere illas unitas, aut separaras; at divisio, & multiplicitas, quam importat numerus, non tollit, quin habeat partes: ergo,

go. Rursus: Ipse numerus, non obstante, quòd ex divisione continui resultat, & pro materiali importat ipsam divisionem, & multiplicitatem, divisibilis est in ea, quæ insunt, quorum unumquodque unumquid, & hoc aliquid aptum est esse, quæ est definitio quanti à Philosopho tradita loco citato Metaph. patet enim, quòd senarius in duos ternarios dividi potest, similitèr quinarius in binarium, & ternarium, & quilibet numerus in unitates, quibus constat: non ergo ratio, quam significat numerus, destruit, sed perficit divisibilitatem, quam significat quantitas.

Ad secundam probat. dicitur primò, quòd irrationale privationem significat rationalitatis, nihilominùs rationale, & irrationale duæ species assignantur, in quas dividitur animal, & universalitèr quodlibet genus bimembri divisione in tale, & non tale dividitur: sicut ergo ly *non tale* non privationem generi superaddit, sed speciem, vel species alias ab illa assignata, ita numerus non privationem unionis, sive continuitatis, sed positivam speciem significat. Rursus: Aliud est comparare unam speciem alteri, aliud verò utramque generi; & quod comparativè ad aliam speciem carentiam importat perfectionis, quam ea dicit, comparativè ad genus positivam perfectionem illi superaddit; sic equus comparativé ad hominem carentiam rationalitatis importat; cum quo stat, quòd sit species animalis, & illi perfectionem addat hinnibilitatis: sic ergo est in proposito, quòd numerus comparative ad quantitatem continuam carentiam importat unionis, sive continuitatis, cum hoc tamen comparativè ad rationem genericam quantitatis perfectionem illi addit positivam. Præterea, quod est ratio præcedentis: Quando privatio, quam dicit comparativè ad alteram, non est differentia hujus, sed illam de materiali importat, ea non tollit, quin hæc sit vera species positivâ differentiâ constituta; & ita est in proposito, quòd numerus carentiam illam continuitatis pro materiali importat, in quantum est multitudo; pro formali verò addit, quòd sit mensurabilis unitate.

191 Prob. tertiò alia ratione, quæ ex præcedenti deducitur: Id est propriè quantitas, & veræ quantitatis species, cui propriè, & in rigore convenit tùm definitio quantitatis, tùm ejus proprietates, & ea maximè, quæ magis propria dicitur, sive quæ omni, & soli convenit; sed ita se habet numerus: ergo. Maj. nota est; non enim aliunde venari possumus: An aliquid sit propriè tale, nisi ex definitione, & proprietatibus, quibus notificatur ejus quidditas. Minor ostenditur, quia *quantum* definit Philosophus 5. Metaph. cap. 13. divi-

divisibile in ea, quæ insunt &c. patuit autem, & de se est manifestum, quòd numerus est ita divisibilis: similitèr per singulas discurrendo proprietates quantitatis, cuique patet, quòd omnes numero conveniunt; maximè autem proprium ejus dicitur, quòd secundùm eam accipitur æquale, & inæquale; at non minùs numerus numero, quàm linea lineæ æqualis est, aut inæqualis: ergo. Ponitur verò cui convenit *propriè*, *& in rigore*, propter numerum transcendentalem, cui non nisi latè, & impropriè id convenit, ut suo loco dicetur; quare is est quantitas secundùm dici.

192 Probat. quartò ratione communi: Ita numerus habet rationem quantitatis, sicut facultas, quæ agit de numero, habet rationem Mathematicæ; sed Arithmetica, quæ per se de numero considerat, propriè est species Mathematicæ: ergo numerus propriè est species quantitatis. De min. nullus dubitat, maj. autem eo patet, quia Mathematica est de quantitate, & sic se habet Mathematica ad quantitatem, sicut species Mathematicæ ad species quantitatis, & paritèr species quantitatis ad quantitatem, sicut species Mathematicæ ad Mathematicam.

193 Ad hanc rationem multipliciter respondetur: primò N. Villanova hanc rationem dicit parùm efficacem, quia Arithmetica non est Scientia, sed Ars. Sed hoc nihil est ad propositum: sive enim Scientia sit, sive Ars, de eo non ambigitur, quòd Mathematicæ subalternatur, & quædam est ejus species, de eodem agens subjecto sub ratione minùs universali; sed de Mathematica non dubitatur, quòd ejus subjectum quantitas est: ergo. Deinde: Arithmetica non est activa, vel factiva, sed contemplativa numeri, de quo passiones probat per veram demonstrationem: non ergo Ars, sed Scientia est.

194 Resp. secundò Fons. 5. Metaph. cap. 13. q. 4. quam solutionem alii amplexantur, quòd numerus poterit considerari, aut secundùm quod est in re, sic non est unum ens, sed multitudo unitatum, sic de illo non agit Arithmetica; aut poterit considerari, secundùm quod ab intellectu nostro accipitur ad modum unius entis, sic de illo agit Arithmetica; sic autem, sicut non est unum ens, sed accipitur ad modum unius entis, sic non est vera species quantitatis. Sed hæc solutio, quamvis plausibilis communiter videatur, in multis deficit: primò Arithmetica non agit de eo, quod est in intellectu, non enim rationalis, sed realis facultas est. Secundò, numerus in ratione talis non constituitur per actum intellectûs; verè enim in re, nullo cogitante intellectu, numerus est: non ergo, ut accipitur ab intellectu, sed ut est in re, habet rationem numeri.

Ter-

Tertiò : Quod unâ definitione definitur, unam habet quidditatem, & unum est ens, atque una species ; sed numerus, ut est in re, unâ definitione explicatur, nempè multitudo unitate mensurabilis, non enim quia mensuratur, sed quia mensurabilis est ab intellectu, habet rationem numeri : ergo. Tandem : Hoc missо, ratio non solvitur, si enim relinquitur, & quòd Arithmetica de numero agit, & quòd ea species est Mathematicæ, inde ratio deducit, quòd numerus est species quantitatis.

195 Resp. tertiò Mastrius, quòd nos ipsi argumentum solvere tenemur, quia Arithmetica non alligatur numero quantitativo, cùm proportiones numerorum què benè consideret in numero transcendenti ; at numerus transcendens neque distinguitur à rebus numeratis, neque est una species entis : ergo. Resp. secundò, idem dicendum de Arithmetica, quod de Politica, & Militari, quòd nimirùm, cùm proportiones numerorum in rebus numerabilibus inveniãtur, non ut fundant unitatem, sed potiùs discretionẽ, & multitudinem, habet Arithmetica pro objecto non unitatem numeri, sed materiale ejus, quare non erit unus habitus, sed plures ordine aliquo congregati. Resp. tertiò, quòd si aliqua ei unitas concedenda est ex parte objecti, tùnc dicetur considerare numerum in actu signato, ut habet unum conceptum in intellectu ; sed quia talis conceptus est omninò rationis, non poterit ex hoc capite Arithmetica dici Scientia realis, & consequenter neq; ejus objectum erit ens reale, & species quantitatis.

196 Sed nihilo melior hæc solutio est præcedentibus : & primò argumentum, ut à nobis factum est, relinquitur in suo robore; omnia enim, quæ in solutione adducuntur, nec tollunt, quòd Arithmetica sit species Mathematicæ, nec quòd objectum Mathematicæ sit quantitas : erit ergo objectum Arithmeticæ species quantitatis, quod intendimus. Deinde falsæ sunt ea omnia, quæ assumit solutio: ad primum, si numerus transcendens non est species entis, nec erit proprie numerus, sed analogicè tantùm, & ex quadam similitudine, neque de eo agit Arithmetica; sed quæ ipsa de numero considerat, ex illa similitudine applicari possunt numero transcendenti, sicut applicatur ratio numeri ; patet item, quòd Mathematica, ut comprehendit omnes suas species, non est facultas communis, & de omni ente, sed specialis, & de tali determinato, nempè de *quantò* : si ergo Arithmetica est species ejus, oportet, quòd objectum Arithmeticæ sit sub objecto Mathematicæ, & ita non quòd vagatur per omnia genera, sed quòd est determinatè in genere quantitatis.

197 Ad secundum, non in-

congruit, quòd multiplex habitus sit una facultas, ut disp. Proœm. probatum est, imò quælibet facultas est multiplex habitus, quia quælibet considerat de subjecto, & partibus ejus; sicut autem multiplex habitus ex ordine ad unum una est facultas, nempè unam habet quidditatem, quæ unâ definitione explicatur, ita multiplicitas partium in subjecto non obstat, quominùs unum sit ens, & unam habeat quidditatem. Nec acquiescendum Mastrio dicenti, quòd unitates in numero non se habent ut partes, non enim uniuntur ad constituendum unum totum. Non, inquam, huic doctrinæ acquiescendum; quærit enim ipse unionem continuitatis, aut compositionis, quam utiquè non habent; habent tamen unius mensurabilitatis ab unitate, quæ sufficit, ut sint una quidditas, sicut plures humores sunt una sanitas, & plurium partium proportio una pulchritudo, & ita in multis aliis.

Deinde, falsum est, quòd de numero pro materiali, ut dicit ipsam multitudinem, agat Arithmeticus; tùm, quia sic nullam habet numerus unitatem, nequidem ordinis, quæ saltim debet facultati concedi, imò neque numerus est, de quo proculdubio agit Arithmetica; tùm, quia sic non differret objectum ejus ab objecto Politicæ, & Militaris; omnes enim de multitudine agunt, sub alia tamen, & alia ratione quidditativa: multitudo ergo hominum v. g. est Respublica, Exercitus, & numerus, aliam tamen habet rationem, ut est Respublica, de qua Politicus, aliam, ut est Exercitus, de quo Militaris, & aliam, ut est numerus, de quo Arithmeticus, nempe aliam, & aliam acceptibilitatem: patet ergo, quòd non solùm Arithmetica, sed Politica etiam, & Militaris de uno quodam ente sunt proprias habente passiones, quas unaquæque considerat, non quidem una simplicitate, continuitate, aut compositione physica, sed unitate rationis quidditativæ, & propriæ differentiæ, cui una competit definitio; quod sufficit, ut sit una species sub genere constituta.

198 Ad tertium, magis est incapibile, quod ipse de hac nostra ratione ait, dicere, quòd Arithmetica sit Scientia rationis, aut rationalis; tùm, quia rationalis tantùm assignatur Logica; tùm, quia Arithmetica species est Mathematicæ, nullus autem dubitat, quin Mathematica sit realis: agit ergo Arithmetica de numero, ut habet unum conceptum, & unam rationem quidditativam, non autem de conceptu ipso, sed de re concepta, ut conceptui respondet; conceptus ipse quid rationis est; at verò res concepta, ut tali conceptui respondet, realis est quidditas; quæ propriâ definitione explicatur, propriam habet differentiam in tali ratione constitutivam,

tivam, & consequentèr species est sub proprio genere constituta.

199 Tandem probatur conclusio ratione, quæ ex his deducitur, quaquè evertitur contrariæ sententiæ fundamentum; ea desumitur ex Philosopho 10. Metaph. cap. 1. quo determinare incipit de *uno*, & ait, quòd quatuor modis unum dicitur, nempè continuum, totum, universale, & singulare; ait itaque: *Quædam itaque sic unum, aut continuum, aut totum sunt. Quædam autem, quorum una ratio est. Talia verò, quorum intellectio una. Talia autem, quorum indivisibilis.* Intendit itaquè, quòd ultimo modo unum est ens, nempè singulare, cujus conceptus est omninò indivisibilis; tertio modo unum est, nempè universale, quod unum habet conceptum, scilicèt multis commune; secundo modo unum est, quod unam habet rationem, nempè quidditatem definibilem; & primo tandem, quod continuum est. Ex quo sic: Unum est sufficientèr ut sic una species sub genere constituta, quod unam habet quidditatè definitione explicabilem; sed ita est numerus: ergo. Patet min. quia unam numeri definitionem tradit Philosophus, & omnes admittunt, nempè *multitudo uno mensurabilis.* Major est in textu Philosophi, & ratione patet: Si enim unam habet definitionem, propriam habet differentiam generis determinativam, & ea constituit speciem, quæ sub tali genere est.

200 Ex hoc patet ad fundamentum contrariæ sententiæ, quod Mastrius dicit evidentissimam rationem, quòdquè unicum adducit. Arguit itaque sic: Quinque tantùm assignantur gradus unitatis, nempè aggregationis, ordinis, per accidens, compositionis, & simplicitatis; sed nullo ex his numerus est unum ens in re sufficientèr, ut sit vera species quantitatis: ergo. Ostenditur minor: Tantum enim sibi potest attribui prima unitas, vel ad summum secunda, quatenùs unitates in re aliquem habent ordinem, quantum ad locum, tempus, dignitatem, vel causalitatem; sed neuter ex his unitatis gradus sufficit, ut ponatur in Prædicamento, alioqui cumulus lapidum, in quo est prima unitas, & Respublica, aut Exercitus, in quibus est secunda, species essent alicujus Prædicamenti: concludit ergo, quòd numerus non est aliquod accidens rebus numeratis superadditum, quod possit esse vera species quantitatis; & addit, quòd tantùm ab intellectu habet unitatem, quod ait manifestè significare Philosophum 4. Physic. text. 131. dùm ait, quòd ablatâ animâ, tollitur & numerus.

Hoc est evidentissimum argumentum, quo ait, etsi Philosophus, atque etiam Scotus oppositum dicant, cogi se tenere, quòd

numerus non est unum ens, & vera species quantitatis. Sed in primis, quantum ex hoc ultimo conjicitur, intendit ipse, quòd numerus non est physicum accidens realitèr distinctum a rebus numeratis, & hoc nullus negat, neque id requiritur, ut sit vera species quantitatis, sed sufficit, si res ipsæ, ex quo numerum constituunt, novam habeant rationem quidditativam, quæ sit vera species sub genere quantitatis constituta; sicut, ut sæpe dictum est, eadem realitas alitèr, & alitèr accepta, sive acceptibilis, aliam, & aliam habet quidditatem, & definitionem, atque in alio, & alio est Prædicamento.

Deinde evidentissima illa ratio facillimè resolvitur ex jam dictis; non enim gradus unitatis benè ipse numerat: primò, quia unitas continuitatis, atque etiam singularitatis propriæ sunt unitates; & tamen ad illos quinque gradus neutra pertinet: de tribus primis per se notum est, de quarto patet de facili; non enim actus, & potentia sunt partes continui, quare non faciunt compositione unum; item singularitas non est formalitèr compositio, sed ultima terminatio. Patet item de quinto gradu; continuum enim partes habet, quare non simplicitate unum est; singulare autem potest æquè esse simplex, aut compositum. Secundò unitates non benè assignantur; quæ enim tertia ponitur, aut à prima non differt, aut à quarta: per accidens namque unum dicitur, aut quia partes non per se, ut actus, & potentia, uniuntur, & sic est primus modus; aut quia partes sunt quidem actus, & potentia, actus tamen non est quidditativus, sed accidentalis subjecto, & sic est quartus modus, nempè album unum est unitate compositionis ex subjecto, & forma; & priori modo dicitur per accidens formalitèr in ratione unius, posteriori autem dicitur per accidens in ratione entis, per se autem in ratione unius; apertissimè enim ait Philosoph. quòd per se unum sunt quæcumque ut actus, & potentia se habent: & ratione patet, quòd actus quilibet potentiæ suæ per se unitur, quare per se unum facit cum illa.

Tertiò, deficit illa enumeratio unitatum: Quia quidquid unam definitionem habet, unitatem habet quidditatis, non enim multiplex quidditas formalitèr ut multiplex unâ potest definitione explicari; sed multa est reperire, quæ unam habent definitionem, nec tamen ad ullum ex illis quinque modis pertinent: ergo. Min. missò numero, de quo agimus, & de quo ipse concedit nullum ex illis quinque modis unitatem habere, habet tamen unam definitionem, potest ostendi de sanitate, imò de ipsis Republica, & Exercitu, quæ proculdubio unam definitionem habent, nec tamen omnia

nia aut aggregatione, aut ordine unum sunt.

201 Resp. ergo neg. maj. quia gradus unitatis quatuor sunt, quos assignat Philosophus ubi suprà, & ex illis in 2. gradu unum quid est numerus, nempè unitate rationis quidditativæ. Quare autem unitas quidditatis per definitionem significatæ in numero constituit unam speciem sub genere quantitatis; in aliis autem non constituit speciem alicujus Prædicamenti, puta Republica, Exercitu, & similibus, facile est ostendere: & quidem de acervo non est, cur dubitetur, non enim unam quidditatem significat; de cæteris autem considerabimus differentiam, qua unumquodque constituitur; & siquidem ea generi suo per se convenit, speciem cum eo constituit, quæ sit sub tali genere, & de qua genus prædicetur *in quid*; quare ad seriem pertinet prædicamentalem; sin autem talis differentia per accidens generi conveniat, poterit quidem cum eo constituere quidditatem unâ definitione explicabilem, de qua tamen genus non dicatur *in quid*, & subinde quæ non pertineat ad seriem prædicamentalem.

Itaque in proposito quantitas per se habet dividi, & multitudinem constituere; multitudo item per se est unitate mensurabilis, quo facit numerum, quare is *in quid* est quantitas, & talis quantitas, nempè multitudo, seu quantitas discreta, talis item multitudo, nempè mensurabilis; at verò Exercitus non quævis multitudo, sed multitudo est hominum; quare sub uno ordinari belli causâ, quod poterit esse differentia Exercitûs, non multitudinem determinat, ut multitudo est, sed ut multitudo est hominum; & quia hominibus per accidens omninò convenit sic ordinari, quidditas, quæ ex tali differentia constituitur, non aliquam speciem constituit sub aliquo genere prædicamentali, idem poterit in reliquis patere; quare alitér unam quidditatem facit multitudo, ut est numerus, & ut est Exercitus, sive Respublica, nempè numerus per se unam metaphysicè, non autem Respublica, sive Exercitus; quare ille, non ista, ad Prædicamentum pertinent. Quod addit, numerum ab anima habere unitatem, falsum est; in re enim, secluso actu animæ mensurante, multitudo ipsa non solùm multitudo est, sed item ita, vel ita unitate mensurabilis, puta quinquies, aut sexies, quo senarium constituit, aut quinarium. Philosophus loco cit. de Tempore loquitur; & quia tempus est numerus numeratus, qui non nisi ab anima numeratur, sublatâ animâ, non nisi in potentia relinquitur tempus, nempè numerus numerabilis, qui tamen est actu numerus, per hoc quòd est multitudo uno mensurabilis; de hoc autem in Physica.

§. III.

§. III.

Explicatur, quæ sit forma numeri constitutiva.

202 CItatur, Philosophum 5. Metaph. docere, quòd forma numeri constitutiva est ultima unitas, pro quo item adducuntur verba Commentatoris ibi text. 5. sic habere: *Cùm dixerimus in definitione animalis, quòd est corpus nutribile sensibile, si diminuerimus aliquam differentiam, manebit definitio vegetabilium; si additur alia differentia, puta rationale, fiet definitio hominis: similitèr quatuor, cùm eis additur unum, fient quinque; & cùm ab eis diminuitur ultimum, fient tria*; hinc commune axioma, quod *essentiæ rerum sunt sicut numeri*, nempè sicut numerus, additâ, vel detractâ unitate, diversificatur essentialitèr, ita essentia rei cujuslibet, addito, vel detracto gradu perfectionis, fit alia.

Adducitur item in eodem 5. text. 19. quo ait, quòd bis tria non sunt sex, sed quinque, & unum, quod sic explicat N. Manso q. 6. §. 1. n. 4. quòd in senario v. g. quinque priores unitates se habent ut materia, & ultima unitas habet rationem formæ, in quantum præcedentibus addita determinat ad rationem senarii. Quod docere videtur B. D. cit. q. 7. sup. Prædicam. in solut. ad 2. ubi ita ait: *Dico, quòd unitates omnes in numero habent se ratione materiæ, & in potentia, excepta ultima unitate, quæ habet se ratione formæ.* Idem docet S. Thomas 8. Metaph. lect. 3. quare hæc est communis explicatio apud Thomistas, & Nostros.

203 Contra eam tamen multa objiciuntur, & primùm, quòd Philosophus ipse 13. Metaph. cap. 7. expressè ait, quòd duplex quinarius denarium constituit, quare non est ejus forma ultima unitas. Secundò: Numerus coalescit ex omnibus unitatibus, quare omnes æquè sunt materia numeri, & partes integrantes ipsum: non ergo ultima unitas est forma, & actus determinans præcedentes. Tertiò objicit Mastrius, quòd per ultimam unitatem præcedentes nullam acquirunt unionem: non ergo per ultimam determinantur ad unum quid constituendum. Rursus: Ultima unitas non informat præcedentes: ergo non est forma. Præterea: Per accidens ratione loci, temporis, aut dignitatis poterit ultima assignari, per se autem nullus est ordo inter unitates, & sic nulla est ultima. Ulteriùs: Quinarius v. g. ita destruitur tollendo ultimam unitatem, sicut primam, aut secundam: ergo non magis una, quàm altera erit forma.

204 Quare Elisens dist. 2. q. 4. art. 6. §. 2. communi rejecta sententia, docet de mente Resoluti,

luti, formam numeri esse unitatem semeleitatis, talem autem dicit, qua numerus semel est id, quod est; & hæc resultat, positâ ultimâ unitate, & omnes afficit, ac denominat. Hæc potest colligi ex Philosopho 5. Metaph. text. sup. cit. ait enim: *Quòd sex, non qui bis ter, sed qui semèl, sex enim semèl sex sunt.* Sed ab hoc ultimo incipientes, hanc unitatem semeleitatis agnovit quidem ante Resolutum B. D. ut patet cit. q. ponit item Philosophus cit. text. sed neque ea specialis est numeri, neque difficultatem determinat: primum quidem in ipso patet textu; ait enim Philosophus: *Substantia namque cujusque est quod semèl, ut puta ipsorum sex &c.* Loquitur autem de differentia cujuslibet rei, quæ de ea dicitur *in quale*; & patet apertè, quòd res quælibet semèl est id, quod est. Secundum item patet, de hoc enim quæritur: Per quid habet numerus, quòd semèl sit id, quod est, etsi quærenti quid est homo? resp. id, quo semèl est, quod est, nihil diceretur.

205 Deinde: Quæ adducuntur sive ex Philosopho, sive ex Commentatore, ubi citantur, non invenio; quod autem secundò adducitur ex text. 19. jam patuit sensus, non enim ait, quòd sex sunt quinque, & unum, sed quòd semèl sex. Nihilominùs, quia B. D. atque etiam S. Thomas sic accipiunt mentem Philosophi, quòd ultima unitas est forma numeri: quo sensu id teneat, oportet expendere. Pro quo notandum, quòd non ait B. D. nec intendit S. Thomas absolutè, quòd aliqua unitas est forma numeri, sed quòd se habet in ratione formæ, seu quòd tenet modũ formæ; pro quo non oportet, quòd sit actus acceptus contra reliquas unitates, sed sufficit, quòd aliquo modo determinet, quod habet modum actûs, & formæ. Notandum insuper, quòd ultima unitas poterit accipi materialitèr, aut formalitèr: materialitèr est ultima, quæ positione, & sic non nisi per accidens est ultima unitas in numero, ut benè arguitur in contrarium; numerus enim est de non habentibus positionem in partibus suis; formalitèr verò est ultima unitas, quæ accipitur contra reliquas, hæc enim intelligitur reliquis addi; & quia quælibet potest sic accipi, quælibet est hoc sensu ultima.

206 Dicendum itaque, quòd accipiendo numerum physicè, habet modum formæ ultima unitas formalitèr accepta; accipiendo autem metaphysicè, forma constitutiva ejus est mensurabilitas à tali unitate. Hoc utrumque patet ex definitione numeri, & quidditate ejus: ut enim ex præcedentibus patet, & Philosophus habet 10. Metaph. cap. 9. numerus non est multitudo unitatum ut sic, & præcisè ut est multitudo, sic enim est quasi genus, & materia numeri; sed illa multitudo numerum facit,

cit, ut est unitate mensurabilis; jam autem mensuratur unumquodque, quatenùs mensura toties replicatur, ut ulnâ toties replicatâ mensuramus pannum, & certificamur de quantitate ejus; est autem in unoquoque genere mensura, quod accipitur in eo indivisibile: unitas ergo in numero est indivisibile, seu indivisibilitas ipsa; quare ea est principium, & mensura numeri, & secundùm quod toties replicatur unitas, fit talis numerus, puta unitas quinquies replicata facit quinarium, sexies senarium, & ita de reliquis.

Patet itaque, quòd multitudo quælibet numerus est, in quantum in ea est accipere unitatè toties replicabilem, seu quod idem est, tot unitates; quare licèt realitas physica numeri nihil sit nisi ipsa collectio unitatum, metaphysica tamen ejus quidditas duos conceptus habet, genericum, quo nempe est multitudo, & differentialem, quo ita acceptabilis, nempé unitate mensurabilis; quare hæc mensurabilitas est forma metaphysica, & differentia constitutiva. Quia tamen physicè tota realitas, quæ huic quidditati respondet, est unitatum collectio, in ea accipitur unitas mensurans, quæ quodammodo reliquas determinat, ut in senario, accipiendo unam quamlibet unitatem, quinque relinquuntur, quæ quamdam habent indifferentiam, ut sic relictæ faciant quinarium, alterâ additâ, senarium; quare illa hoc sensu determinat, & habet modum actûs.

207 Adducta autem in contrarium non est difficile solvere: ad primum Philosophus illo loco 13. Metaph. numerum accipit, & partes ejus non formaliter, & veluti constitutivè, sed materialiter, & integralitér, quod expendendo intentum ejus patet: agit in eo loco contra Pythagoræ sententiam, qui ponebat numerum mathematicum esse sensibilis substantiæ elementum, sive principium; & arguit ibi, quod unitates in quolibet numero non sic differunt, quòd una sit potentia aliam continens, seu quæ transmutatione possit in actu fieri, ut totum generetur, qualiter oportet elementa comparari sensibilis substantiæ: in priori ergo parte hoc ostendens ait, quòd senarius v. g. uno modo posset accipi quinarius, unitate additâ; & hoc sensu ostendit, quòd multa sequuntur inconvenientia, si ponantur hæ partes actus, & potentia; deinde in alia parte ostendit, quòd item multa sequuntur difficilia, si ponantur partes aut sex unitates, aut triplex binarius, aut duplex ternarius; verba sunt: *Componitur autem denarius, tùm ex his* (nempè decem unitatibus) *tùm ex duobus quinariis*: patet ergo, tùm, quòd arguendo procedit, tùm, quòd partes integrantes accipit.

Ad secundum jam patet, quo sen-

sensu ultima unitas dicitur forma, nempè non propriè, & ut actus acceptus contra reliquas unitates, sed latè, & quodammodò; quod non tollit, quin simùl cum reliquis sit propriè materia, ex qua coalescit numerus. Ad tertium, eo probatur, quòd est forma physica, seu quæ in materia supponat unitatem continuitatis: non ergo hac unitate unum quid est numerus, sed unitate rationis quiddicativæ; & hanc habet ab ultima unitate, non materialitèr, seu in eo quòd est unitas, sed formalitèr in eo quòd est nata mensurare; eâ enim hoc sensu constituitur tota collectio unum quid ita mensurabile. Quo patet ad quartum, non utiquè est ultima unitas forma informans; hoc autem non tollit, quin determinet, & habeat quodammodo rationem actûs, & quemdam modum formæ. Ad quintum, id probat, quòd nulla unitas est ultima materialitèr, & quantum ad positionem, & idem probat ultimum: quælibet ergo ultima est formalitèr, quatenùs quælibet reliquis superaddita talem numerum determinat, seu multitudinem constituit unitate toties replicatè constituta.

§. IV.

In sola quantitate, & rebus quantis salvatur numerus prædicamentalis.

208 HÆc Conclusio statuitur contra sententiam, quam de mente Resoluti docet Eliseus, quòd nempè numerus, qui accipitur in substantiis spiritualibus, & etiam in Deo ipso, ut Trinitas Personarum, ad hoc Prædicamentum pertinet; eam docet B. D. loco cit. nempè in 1. dist. 24. & 4. Metaph. à q. 5. latè agit de distinctione unius, quod est principium numeri ab uno, quod convertitur cum ente, & q. 10. de hoc quærit ex instituto: An unum, quod est principium numeri, reperiatur in substantiis separatis? Et ait, sententiam affirmativam Platonem tenuisse, & Platonicos, qui non distinguebant unum, quod est principium numeri, ab uno, quod convertitur cum ente. Sed oppositum tenendum esse ait secundùm mentem Philosophi, & latè ibi probat.

209 Prob. de facili Conclusio satis manifestâ ratione, quæ nempè pro præcedenti: Conceptus genericus, & differentialis debent significare eamdem formam; sed non ita potest accipi, si numerus transcendens, aut in substantiis spiritualibus acceptus pertinet ad Prædicamentum: ergo. Pa-

tet maj. tùm, quia genus, & differentia ex alio, & alio gradu ejusdem formæ accipiuntur, ut in præcedentibus ostensum est; tùm, quia constituunt unam quidditatem; tùm, quia genus prædicatur *in quid* de specie; non autem poterit ita prædicari, si non significat eamdem formam physicam speciei constitutivam. Min. ostenditur: Forma enim, quam significat multitudo, sive numerus, sive transcendens, sive acceptus in substantiis spiritualibus nequit esse quantitas, quam significat conceptus genericus numeri prædicamentalis.

Confirmatur primò: Numerus prædicamentalis est in determinato genere entitatis; sed numerus, qui reperitur in substantiis spiritualibus, vagatur per omnia genera: ergo iste non est prædicamentalis. Patet min. quia talis fit ex uno, quod convertitur cum ente; quare in quolibet genere potest accipi. Confirmatur secundò: Numerus prædicamentalis est, de quo agit Arithmetica; sed non agit de numero, qui est in substantiis spiritualibus: ergo.

211 Difficultas tota in eo versatur, quod est explicare distinctionem utriusque numeri, quod sanè difficultate non caret; & quia unitas est numeri principium, ex eo potissimè id poterit constare, si explicetur, quo differt unitas quantitativa, quæ est principium numeri, ab unitate transcendente, quæ cum ente convertitur; quod ex instituto explicat B. D. tùm loco cit. 4. Metaph. tùm in 1. dist. 24. q. 1. art. 3. in resolut. dub. later. Ibi itaque supponit, quòd unum, quod est passio entis, & cum ente convertitur, formaliter significat privationem, seu remotionem, nempè ipsum esse quidditativum uniuscujusque, secundùm quod indivisionem habet; unum verò quantitativum, quod est principium numeri, significat quid positivum.

212 Pro cujus explicatione loco citat. primum notandum jubet, quòd forma quælibet dat subjecto, sive supposito suo esse positivum, & negativum; & ratione negativi dicitur unitas, ratione positivi dicitur entitas: v. g. Sapientia dat subjecto, quòd sit sapiens, & quòd distinguatur à non sapiente, seu quod idem est, dat ei esse indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio; tùm autem, si prout dat esse positivum, puta, quòd sit sapiens, diceretur unitas, sapiens in eo, quod tale esset unum: unitas ergo accipitur non ex perfectione positiva, qua dat esse hoc aliquid, sed ex negativa, qua dat non esse aliud, sive esse indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio; & quia ita dat qualibet forma sive substantialis, sive accidentalis, sive physica, sive metaphysica, quia qualibet est id, quod est, & non aliud, talis unitas dicitur cum ente converti; quia quid-

quid

quid est, hoc ipso, quòd est, ita unum est.

Sed quantitas hoc speciale habet, quòd non solùm positivè, & negativè esse tribuit, puta quantum esse, & distinctum ab omni non quanto, sed ulteriùs specialiter habet separationem causare, & divisionem unius ab altero, quia divisibilitas est propria ratio quantitatis, & quidquid habet ab altero dividi, & separari, ex quantitate habet: duplici ergò modo in quantitate accipitur unum esse, secundùm quod duobus modis accipitur, *indivisum in se, & divisum à quolibet alio*; & priori modo, ex eo nempè, quòd est id, quod est, accipitur unitas transcendens communis omni enti; ex posteriori autem, quo tali modo esse tribuit, accipitur unitas, quæ individualis dicitur, & specialis ut quantitatis, atque cæteris convenit per quamdam participationem, & ratione quantitatis; & hæc est unitas, quæ est principium numeri.

213 Quid autem est illud positivum, in quo hujusmodi unitas consistit, non uno modo explicatur: volunt multi, ut ibi refert B. D. quòd sit ratio mensuræ; si enim numerus est multitudo unitate mensurabilis, hoc habet speciale unitas, quæ est numeri principium, quòd sit nata mensurare, & sic rationem mensuræ. Sed hoc stare non posse, ait B. D. etsi enim id specialiter habeat talis unitas, non tamen ratio unitatis in ratione mensuræ consistit, quia mensura relationem significat, unitas verò est quid absolutum. Concludit itaque B. D. quòd illud positivum, in quo consistit talis unitas, est talis specialis modus essendi, quem tribuit quantitas, & ratione cujus nata est mensurare; & quia ratio mensuræ propriè, & per se in quantitate reperitur, in aliis autem per analogiam ad quantitatem, & secundùm quod habent quemdam modum ejus, relinquitur, quòd unitas, quæ est principium numeri, & numerus, qui ex talibus unitatibus consurgit, propriè reperitur in quantitate, in aliis autem impropriè, & analogicè; ideo dicitur, quòd numerus resultat ex divisione continui.

214 Ex his, quæ in contrarium objiciuntur, non est difficile solvere. Arguit primò Eliseus: Genus supremum quantitatis immediatè dividitur in continuam, & discretam, & ab utraque præscindit: ergo ratio quantitatis, quę est Prædicamentum, non descendit ad discretam mediante continuo: ergo numerus, qui est quantitas, non est tantùm, qui resultat ex divisione continui: ergo numerus, qui reperitur in his, quibus repugnat quantitas continua, ut in substantiis spiritualibus, est species quantitatis, & verè contrahit genus hujus Prædicamenti. Prima conseq. eo patet, quia genus commune ad duas species non descen-

dit ad unum, mediante alia. Secunda item patet, si enim non mediante continua, independenter ab illa, & sic in his etiam, quibus illa repugnat.

215 Ante solutionem verba subjicio, quæ ipse Eliseus q. 4. ar. 6. §. 4. adducit ex Resoluto in 2. dist. 2. q. 1. a. 1. hæc sunt: *Unum, quod convertitur cum ente, non dicit dispositionem additam enti secundum essentiam entis, sed unum, quod est principium numeri, est accidens additum cuilibet enti; accidit enim cuilibet rei numerari, vel mensurari.* Quibus aperte habet, quòd unum transcendens, quod convertitur cum ente, aliud est ab uno numerari: ergo multiplicitas primæ unitatis non facit numerum, qui sit quantitas, sed numerum transcendentem impropriè, & latè talem, alioqui unitas, quæ est passio entis, esset principium numeri; sed in substantiis spiritualibus, & aliis independenter à quantitate tantùm reperitur unum, quod cum ente convertitur: ergo non numerus, qui est quantitas. Prob. hæc min. ex verbis Resoluti: In tantum rebus contingit dispositio accidentalis, quam dicit unitas, quæ est principium numeri, in quantum illis contingit numerari, vel mensurari; sed mensurari independenter à quantitate nulli contingit, quia ratio mensuræ propria est quantitatis, & in aliis reperitur impropriè, & per analogiam ad quantitatem: ergo.

216 Directè neg. secunda conseq. & ad rationem ejus dicitur, quod aliud est loqui de gradu metaphysico, qui per intellectum præscinditur; aliud verò de forma physica, quæ sibi respondet. Itaque quantitas discreta rationem metaphysicam quantitatis contrahit abstrahentem omninò à continuitate, & non mediante illa, sed illa ratio metaphysica formam physicam significat, sive gradum ejus communem, & primum; quare in quocumque non reperitur forma physica, cujus gradum significat conceptus ille quantitatis ut sic, reperiri nequit ratio quantitatis discretæ: quia ergo in substantiis spiritualibus repetiri repugnat forma physica, ex qua sumatur conceptus quantitatis ut sic, numerus in illis non est quantitas discreta, neque propriè numerus, sed tantùm multiplicitas, quæ resultat ex unitate, quæ est passio entis, & hæc sicut impropriè, & per analogiam est mensurabilis, ita tantùm impropriè habet rationem numeri, & quantitatis.

217 Arguit secundò idem: Substantia, quæ est Prædicamentum, dividitur per corpoream, & incorpoream, item qualitas, relatio, actio, & alia: ergo paritèr quantitas, & sic aliqua quantitas reperitur in spiritualibus, quæ cùm non possit esse quantitas molis, quæ est continua, erit quanti-

tas

tas discreta. Resp. neg. antec. de substantia quidem jam patuit q. præced. de reliquis autem propriis respective locis patebit: implicat ergo quantitas metaphysica, sive conceptus quantitatis, cui non respondeat re quantitas physica; at verò physica quantitas spirituali substantiæ repugnat, cùm ea sit passio materiæ.

218 Arguit tertiò idem: Omnes relationes sunt de genere relationis, sive id, quod refertur, sit substantia, sive accidens: ergo pariter quilibet numerus est de genere quantitatis, sive res numerata sit substantia, sive accidens. Patet antec. nam identitas, æqualitas, & similitudo sunt in genere relationis; at identitas est in substantia, æqualitas in quantitate, similitudo in qualitate: ergo. Conclud. itaque, quòd sicut rationale v. g. secundùm rem est in genere substantiæ, secundùm rationem verò est in genere qualitatis, ut habet Philosophus 5. Metaph. & numerus Angelorum, & Personarum in Divinis materialiter, & secundùm rem est in genere substantiæ; formaliter verò, & secundùm rationem est in genere quantitatis, & est quantitas discreta.

219 Hæc ultima conseq. ut licet, & sonat, nobiscum tenet, nempè quòd iste numerus est quantitas discreta eo sensu, quo rationale est qualitas; at rationale non est qualitas propriè, & secundùm esse, sed tantùm improprie, & secundùm *dici* habet nempè quendā modu qualitatis: ergo pariter. Præterea: Cui repugnat genus, repugnat differentia, tùm, quia differentia præsupponit genus, cum quo facit unam quidditatem; tùm, quia prius est esse, quàm tale esse, & repugnat, quòd sit talis quantitas id, quod non est quantitas; sed pariter implicat, quòd rationale sit verè, & secundùm quidditatem suam qualitas, sive accidens de Prædicamento qualitatis, & quòd in Deo sit verè, & propriè quantitas: ergo & implicat, quòd ibi accipiatur propriè talis quantitas, & sic quòd numerus ibi sit propriè numerus, & quantitas discreta.

220 Ad argumentum itaque neg. antec. cùm sua probat. tàm enim in substantia, quàm in accidentibus reperiuntur relationes secundùm *dici*, quæ proinde propriè, & secundùm quidditatem suam sunt ipsa perfectio absoluta, quæ se ipsa intransitive habet modum relativi, ut de tertio modo relativorum, nempè mensuræ, & mensurati, ipse docet Philosophus, quòd relationem habeat tantùm in uno extremo: alterum ergo propriè, & secundùm esse non est in genere relationis, sed per similitudinem tantùm, & secundùm *dici*; & ita est in proposito, quòd in spiritualibus, & in cæteris secundùm unitatem transcendentem accipitur numerus secundùm *dici*, & ex quadam analogia; non enim propriè in his accipitur mensura-

bili-

bilitas ab unitate, neque talis unitas habet rationem mensuræ nisi late, & improprie.

221 Arguit quartò ex his, quæ contra se objicit Suarez, & post ipsum Rubius: Definitio numeri à Philosopho assignata propriè convenit numero, qui reperitur in substantiis spiritualibus: ergo talis proprié habet rationem numeri, & hic quantitatis. Prob. antec. Verè enim numeramus decem Angelos, & ibi accipimus unitatem decies replicatam, seu multitudinem uno mensuratam. Confirmatur: Proprietas maximè quantitati conveniens est, quòd secundùm eam accipitur æquale, & inæquale, majus, & minus; sed numerus decem Angelorum major est, & inæqualis numero novem hominum: ergo. Rursus: Contra se objicit B. D. 4. Metaph. q. 9. quòd ea solùm quantitas repugnat in substantiis spiritualibus reperiri, cujus est differentia, aut proprietas habere positionem; sed talis non est numerus: ergo.

222 Resp. neg. antec. & ad probat. ejus dicitur, quòd accipimus decem Angelos per similitudinem ad numerum, quem videmus in rebus quantis, propriè autem in re significata non respondet mensurabilitas, quia ibi non est unum secundùm rationem mensuræ, nempè secundùm divisionem, & indivisionem in se, & à quovis alio; tantùm enim ibi reperitur divisio, & indivisio transcendens, & metaphysica, secundùm quod unum est id, quod est, & non aliud; ratio autem mensuræ, propriè loquendo, ampliùs requirit talem modum essendi, qui ex quantitate sumitur, cui propriè convenit ratio mensuræ: analogicè ergo, & secundùm *dici* ibi accipitur mensurabilitas, & sic numerus. Quo patet ad confirmationem; si enim tantùm ex quadam similitudine ibi accipitur numerus, eodem modo accipitur inæqualitas, & majoritas. Ad alterum, neg. maj. quantitas enim secundùm conceptum communem, quo præscindit ab habente, & non habente positionem, dicit gradum communem quantitatis physicæ; & cuicumque hæc repugnat, repugnat item conceptus ille communis.

§. V.

Quantitatis species propriè est Oratio.

223 PRæter difficultatem de unitate per se, quæ orationi cum numero communis est, specialiter est de oratione; vix enim capitur, quid id sit, in quo rationem quantitatis habet, vt vera species esse possit hujus Prædicamenti: pro cujus intelligentia notandum, quòd *oratio*, ut hic sumitur, est vox quælibet prolata, secundùm quod mensurari habet syllabâ longâ, & brevi; in voce accipi-

cipitur aër in se verberatus, quo sonus efficitur; deinde motus, quo verberatur, & sonus, qui inde resultat, & nihil horum est quantitas: patet namque, quòd aër est substantia, verberatio autem aut est actio, aut aër ipse fluens; sonus item qualitas est: ut ergo quantitatem accipiamus discretam, quæ dicitur *oratio*, oportet considerare, quòd sonus ipse potest accipi aut absolute, ut est verberati aëris affectio quædam, & sic est qualitas; aut poterit accipi, secundùm quod articulatur, & successivè transit; sic enim per moras quasdam, & imperceptibiles quietes dividitur, sic per se habet partes, mensuratur per longum, & breve, & est quædam magnitudo, sive tantitas.

223 De hac ergo ostendit Philosophus in hoc cap. quòd verè, & per se quantitas est, & quòd talis est, nempè discreta, & cujus partes non uniuntur communi termino: primò quidem, quòd sit quantitas, ex eo patet, quòd illi veniunt per se, & propriè tùm quidditas, tùm passiones, & affectiones quantitatis; quidditas enim, ut sequenti artic. patebit, est divisibilitas in partes ejusdem rationis, passio maximè propria, & quæ omni, & soli convenit, est, quòd secundùm eam accipitur æquale, & inæquale; item, quòd in ea est accipere proprie, & in rigore mensurabilitatem; sed hæc omnia per te reperiuntur in illa articulatione, qua sonus successivè transit, quæque ad præsens *oratio* dicitur: ergo. Patet min. in illa enim partes sunt ipsæ syllabæ, quibus articulatur; deinde in his est accipere proportionem hujus vocis ad alteram, & in ea æqualitatem, aut inæqualitatem; durat enim una amplius altera, aut tantundem; item per breve, & longum spatium, quo durat, habet mensurari.

Quòd deinde sit discreta quantitas, ex eo patet, quòd in sono non est accipere communem terminum, quo syllabæ uniantur, imò per interjectas, imperceptibiles licèt, quietes discontinuantur & ad nutum proferentis illæ morulæ majores fiunt, vel minores; si autem aliqua accipitur continuitas, non vocis est, sed temporis, quo mensuratur. Notandum autem, quòd comparatio accipitur unius vocis ad alteram penes magis, & minus acutum, aut sonorum, sive altum; hæc autem non ad quantitatem pertinent discretam, quantitas enim non suscipit magis, & minus: sonus itaque, ut diximus, qualitas est; quare secundùm se, & præcisivè ab articulatione, quæ successivè profertur, intensionem, & remissionem patitur, & secundùm hanc accipitur magis, & minus acutum, aut sonorum; partes autem, & ratio quantitatis in eo, quòd articulatim, & successivè profertur.

225 Ad authoritatem Philosophi

sophi nonnulli hîc respondent, quòd Philosophus hîc ad vulgi opinionem loquitur, qua communiter oratio ut quantitas accipitur; at in 5. Metaph. ubi ex propria mente loquitur, orationem non enumerat. Hæc autem solutio rejicitur de facili: primò quidem, quia ex ipso hujus capitis contextu patet apertè, quòd ex propria mente loquitur; non enim ait, quòd ita dicunt, aut ita communiter ponitur, sed quòd ita est; deinde ex instituto ostendit, quòd oratio non habet continuitatem in partibus; insuper de oratione, sicut de tempore, loco, & numero ostendit non habere positionem in partibus; quæ omnia indicant manifestè, æquè hanc, & illas in speciebus quantitatis computari. Deinde 5. Metaph. non species quantitatis assignat, sed tantùm ejus rationem explicat; quare nec de tempore, aut loco mentionem facit. Insuper, ex hac solutione posset ad hominem contra adducentes argui; ipsi enim eodem modo philosophantur de numero, & oratione; at numerum quantitatem ibi dicit; ait nempè, quòd multitudo est quantitas, si numerabilis est; magnitudo verò, si mensurabilis: si ergo ipsi intendunt, orationem non esse quantitatem, quia ibi de ea non fit mentio, numerum quantitatem ponant, quia ibi computatur.

226 Quæ in contrarium objiciuntur, non est difficile solvere; & primum, quòd dicitur non esse unum ens per se, eo quòd discreta est, jam patet ex dictis, quòd non est quærenda unitas physica, sive rei, ut existit, sed metaphysica, sive rationis quidditativæ, ut per definitionem significatur, & hanc habet oratio, ex genere, quo significatur syllabarum collectio, & propria differentia, qua significatur eas sic ordinatè proferri, ut de numero latè explicatum est in præcedentibus.

227 Arguit deinde Suar. disp. 41. sect. 3. Quantitas discreta constare debet ex partibus, quarum unaquæque sit quantitas continua in se ipsa; sed syllabæ, ex quibus tanquam ex partibus oratio constat, non habent in se ipsis continuitatem: ergo. Minor nota est, major autem eo patet, quia quantitas discreta fit ex divisione continui, & eo dicitur, quòd tantùm numerus, qui resultat ex divisione continui, est vera quantitas; patet autem, quòd divisio tollit à toto continuitatem, sive unius partis cum altera unione, eam tamen relinquit in partibus in se ipsis, continuũ enim in semper divisibilia viditur. Præterea: *Quantum* ex non quãtis constare, aperte implicat, ut nos ipsi dicemus de compositione continui, & inde deducitur, quòd continuum in semper divisibilia dividi habet, & consequentèr non constat ex solis indivisibilibus; jam autem si partes discretæ quantitatis non habent continui-

finitatem, *quantum* ex non quantis constat, nempè partes ipsæ non sunt quid quantum, sive quantitas, cùm non habeant divisibilitatem: ergo.

228 Hoc argumentum nonnihil habet apparentiæ, pro solutione notandum, quòd aliud est loqui de quantitate, ut est forma physica; aliud verò de conceptu metaphysico quantitatis ut sic: dixi in semper divisibilia quantiti convenit, quæ est forma physica; & de hac in Physicis agitur, dùm de compositione continui, non verò id convenit conceptui metaphysico quantitatis ut sic, de quo ad præsens agimus. Notandum deinde, quòd divisio aut accipitur physicè, aut accipitur mathematicè, & prout abstrahit à sensibili: hoc quidem posteriori modo impossibile est quantum ex non quantis constare, & continuum dividitur in semper divisibilia; physicé autem continuum resolvitur in indivisibilia, sive in minima, quæ physicè nec possunt videri, nec partes habent.

229 Ad argumentum ergo conc. maj. cum suis probationibus in sensu jam dato, nempè quælibet pars discretæ quantitatis quantitas est mathematicè, non autem physicè: quòd si dicitur, unitatem, quæ est principium, & pars numeri, non quantitatem esse, sed quantitatis principium, sicut punctum, id intelligitur in proprio genere, nempè sicut punctum se habet in quantitate continua, quòd scilicèt non nisi reductivè quantitas est, ita unitas se habet in quantitate discreta, nempè non est quantitas, scilicèt discreta, nisi reductivè; absolutè autem punctum non est quantitas, definitur enim, *cujus pars non est*; unitas verò, quæ est principium numeri, quantitas non est tantum secundùm quid, & in determinata linea, nempè discreta: considerabimus itaque unitatem pro formali; & quia sic importat indivisibilitatem, non quantitas, sed quantitatis discretæ principium est; aut pro materiali, & quia sic importat talem specialem entitatem, & modum essendi, qui resultat ex divisione continui; hoc enim addit unum, quod est principium numeri, supra unum, quod convertitur cum ente, sic quantitas est, nempè continua, saltim mathematicè.

Ex his, quæ de unitate dicta sunt, patet, quo sensu falsa est minor argumenti, quo item accipienda est probatio maj. Quantum ex non quanto non constare intelligitur de quantitate continua, non autem de concepta communi ad continuam, & discretam; istæ enim tantùm habent divisibilitatem in ea, quæ insunt: deinde syllaba indivisibile quid est, & partes non habet in proprio genere quantitatis discretæ, quod non tollit, quin propriam importet mortulam, quæ non instanti, sed

parte temporis mensuratur, & sic partes habet, & divisibilitatem, saltim mathematicé: absolutè ergo neg. min. argumenti.

230 Arguit secundò idem: Eo sensu, quo possent syllabæ facere quantitatem discretam, non facerent distinctam à numero: ergo dato, quòd oratio sit quantitas, non tamen distincta species. Prob. antec. Aut in voce accipitur, quòd tot habet syllabas, aut quòd talis est ordo in proferendo, puta, quòd altera longa, altera brevis est; sed illud primum non differt à numero, hoc secundum est ens rationis: ergo. Min. quantum ad primum patet, quantum ad secundum sic ostenditur: Quod pendet ab institutione libera hominum, est merum ens rationis; sed inde est, quòd ista syllaba sit longa, illa brevis: ergo. Addit Elisæus, quòd eo dicitur vocis significatione ad placitum esse, quia non eadem apud omnes est; sed paritèr syllabæ diversimode apud diversos proferuntur: ergo.

231 Resp. neg. antec. & ad prob. ejus neg. min. quantum ad secundum, ad ejus probat. dicitur, ex institutione hominum esse, quòd ista syllaba sit determinatè brevis, aut longa, sed quòd aliqua morula in prolatione insumatur, quæ habet tempore mensurari, est ex natura rei: istæ ergo morulæ faciunt quantitatem discretam, quæ dicitur oratio. Quo patet ad confirmationem Elisei, non apud omnes idem est, quòd ista syllaba longa sit, aut brevis, est tamen naturale, & idem apud omnes, quòd aliqua interveniat morula in prolatione, qua alterum habeat.

232 Arguit tertiò citat. Elis. Oratio est vox; sed vox non habet extensionem impenetrabilem: ergo non est quantitas. Min. ostendit ex eo, quòd si ex adverso proferatur duplex vox, simùl auditur; quare in eodem puncto medii utraque concurrit, & sic penetrantur. Hoc argumentum difficultatem tangit de modo, quo sonus multiplicatur per medium, de quo in lib. de Anim. aliqui volunt, intentionalitèr multiplicari; quare respondent, quòd non voces, sed intentiones vocum in puncto medii concurrunt, sicut dicitur de specie visibili; alii tenent, non intentionalitèr tantùm, sed realitèr etiam multiplicari in aëris verberati undulatione, quæ usque ad aurem defertur; & isti negant minoris probationem; non enim in eodem puncto, sed in diversis aëris partibus motus à verberatione causatus simùl usque ad aurem defertur. Quidquid de hoc sit, missa min. cum sua probat. neg. conseq. non enim est de ratione quantitatis ut sic, quòd habeat extensionem impenetrabilem; id enim alicui tantùm speciei convenit, illi nempe, cujus partes habent positionem in loco; hoc autem alterum extremum est secun-

dæ

æ divisionis; quam facit in textu Philosophi.

Ex his ad dubium in artic. intentum relinquitur, quòd genus supremum in hoc Prædicamento est quantitas *ut sic* communis ad continuam, & discretam; & discreta in numerum, & orationem dividitur; continua autem in eam, quæ habet, & quæ non habet positionem in partibus; seu quod idem est, in permanentem, & successivam: successiva, sive quæ non habet positionem in partibus, tantùm est tempus; permanens verò, sive quæ habet positionem, quatuor habet species, locus, corpus, superficies, & linea.

ARTICVLVS III.

In quonam consistat conceptus quantitatis?

§. I.

Quibusdam præmissis, referuntur sententiæ.

233 NOtandum primò idque valdè est præ oculis habendum, ex eo enim tota oritur difficultas, & varietas sententiarum, quòd aliud est quærere de quantitate, ut est forma physica perficiens, & extendens materialem substantiam; aliud autem de conceptu metaphysico quantitatis ut sic, ut est genus supremum in hoc Prædicamento: sicut si quæratur: Quid est anima? aliud erit quærere de ea, ut est forma hominis, aut equi; aliud verò de conceptu, quem intellectus format genericè communem vegetativæ, sensitivæ, & rationali: & priori quidem modo conceptus quidditativus animæ accipietur ex ultimo perfectionis gradu, quem subjecto tribuit, puta, anima equi constituitur per virtutem hinniendi, quæ est ultima ejus differentia; conceptus autem animæ ut sic constituitur per virtutem se movendi, quæ primum, & universaliorem gradum dicit omnibus communem.

Ita ergo in proposito, si quæratur de quantitate, ut est accidens physicum, & forma perfectiva materialis substantiæ, conceptus ejus debet accipi ex ultimo gradu perfectionis, quem tribuit subjecto, iste nempè differentialis est, & quo ab omni alia forma differt; si autem quæratur de conceptu communi, & generico ad omnes species quantitatis, non ex ultimo, & speciali gradu, sed ex primo, & magis universali accipi debet conceptus ejus. Non ergo in præsenti quæritur de quantitate, ut est forma physicè perfectiva, sed de conceptu metaphysico generis supremi in serie prædicamentali; patet enim, quòd sicut in substantia accipitur series, & ordo Prædicabilium, nempe substantiæ, & talis substantiæ usque ad individuum, ita in quantitate accipi

debet quantitas, & talis quantitas.

236 Notandum secundò, quòd quidditas accidentis non debet accipi ex eo, quòd in se est, sed ex eo, quòd substantiæ tribuit; non enim accidens est ens in se, sed dicitur entis ens, quia non habet aliud esse, quàm perficere; quare ejus quidditas est esse sic, vel sic substantiæ perfectivum. Hoc notaverim propter singularem Elisei sententiam; docet enim hìc q. 4. a. 1. quantitatis essentiam ex primario ejus effectu debere accipi; deinde, quòd esse substantiæ extensivam, non est primarius effectus, prius enim est talem in se ipsa esse, quam aliud reddere tale; quare concludit, quòd primarius effectus, ex quo quantitatis essentia accipi debeat, est, quòd sit in se ipsa extensa, seu exigentia propriæ extensionis.

In hoc dicendi modo est in primis, quód nihil sui ipsius causa dicitur, sed de necessitate alteri causa est essendi tale; accipitur enim realis prædicamentalis relatio secundùm causam, & causatum: non ergo esse in se tale effectus est; quare aut non ex primario effectu accipitur ejus quidditas, aut non ex eo, quòd est, sed ex eo, quòd nata est reddere subjectum tale. Deinde: Prius utiquè est rem in se accipi, quàm in ordine ad alterum, ita tamen, ut sibi in se esse competit; at accidenti non aliter in se esse competit, nisi ut substantiæ perfectivum; non enim est, nisi quia entis; quare albedo non dicitur alba, sed dealbativa, nec quantitas quanta, aut extensa, sed quantificativa, atque extensiva: non ergo ex eo, quòd in se est, sed ex eo, quòd nata est subjecto tribuere, accipi debet quidditas ejus.

237 Notandum tertiò, quòd non benè explicatur rei quidditas per hoc, quòd sit radicalitèr tale; habet utiquè essentia, quòd sit radix omnium proprietatum, ut essentia hominis verè est principium radicale risibilitatis, seu quod idem est, radicalitèr risibile; relinquitur autem dubitatio: Quænam sit positiva perfectio, vi cujus homo habet radicare, & exigere risibilitatem, & hæc est ejus quidditas: sæpè quidem contingit, quòd perfectio quidditativa est nobis ignota, quare illam explicamus per passiones suas, ut equum, & leonem per hinnibilitatem, & rugibilitatem, quæ sunt passiones; ubi autem perfectio ignoteſcit, in qua passiones radicantur, per hanc, non per illas explicari debet rei quidditas.

238 Quia ergo ex perfectione, quam substantiæ tribuit primæ, & generali, accipi debet conceptus generícus quantitatis, præmittamus oportet, quæ à quantite accipit substantia. Supponendum itaque ex probandis in Metaphysica, quòd substantia materialis ex se, & independentèr à quan-

quantitate non habet partes integrantes, sive ejusdem rationis: de hoc quidem multi hic late disputant, id tamen Metaphysicæ relictum jusimus; tùm, quòd Logicum institutum transgreditur, neque ad præsens pro dignitate tractari potest; tùm, quia ferè omnes, quibus nostra conclusio probanda est, illud suppositum admittunt; ut autem interim aliquam illius rationem adducamus,

Notandum, quòd substantia prior est quocumque accidente cognitione, & naturâ, & in ipsa substantia, ut ait S. Parens, informe præcedit formatum, & prior est natura materiæ: si ergo substantia independentèr à quantitate partes habet integrantes, sive ejusdem rationis, eas oportet in materia ponere secundùm se; tùnc autem in primis eas partes in substantia ante omne accidens, non accidentalitèr, sed substantialitèr, & quidditativè oportet differre, & sic non erunt integrantes, sive ejusdem rationis: deinde materia tales habens partes erit quanta ante quantitatem, ea nempè habebit de se, & secundùm quidditatem suam, quæ quantitatem notificant; tùnc enim una portio materiæ divisibilis erit ab altera; item totidem, aut plures habebit partes, quare erit æqualis, aut major; insuper penes plures, aut pauciores habere partes erit mensurabilis, quæ omnia quantitatis sunt: ne ergo in materia ante quantitatem cogamur tantitatem ponere, & magnitudinem quantitativam, fateri cogimur, quòd partes habere sibi cõvenit à quantitate, & ipsa secundùm se indivisibilis est; differt autem à spirituali substantia per hoc, quòd nata est suscipere quantitatem, & ab ea dividi; quod apertè innuit Philosophus 5. Metaph. cap. 13. ubi quantum definit per divisibilitatem: non ergo ea convenit non quanto; de hoc autem latiùs in Metaphysica.

239 Itaque primus effectus, quem substantia à quantitate habet, hìc est, quòd partes habeat ejusdem rationis, & in eas sit divisibilis; quia tamen partes habere indifferens est ad illas habere unitas, aut separatas; secundus effectus est, quòd partes sic uniantur, & ordinentur, quód una alteram tangat secundùm extremitates, quod est habere continuitatem; hoc autem duobus modis esse poterit, aut ita quòd partes non simùl consistant, sed influxu quodam, & ita est continuum successivum, sive non habens positionē in partibus, in tali enim non est assignare partem, & partem; aut ita quòd partes simùl consistant, & ita est continuum permanens, sive habens positionem in partibus: deinde ordo iste partium potest accipi aut secundùm se, aut in ordine ad locum, ita nempè quòd quæque pars proprium locum exigat; illud primum dicitur exten-

sio

sio in ordine ad se, hoc secundum extensio in ordine ad locum, sive impenetrabilitas; quia enim quælibet proprium locum exigit, habet aliam à loco expellere: tandem secùdùm quod partes habet, sibi competit, quòd habitâ mensurâ notificetur, quot habet partes, sive quanta est. Ex his ergo quæritur: Ex quo debeat accipi conceptus quidditativus quantitatis ut sic, sive ut est genus supremum?

240 Prima sententia docet, quòd ex ratione mensuræ. Ita Albertus Magn. & nonnulli alii. Neque leve habet fundamentum in textu Philosophi; siquidem hoc cap. ex eo probat, orationem esse quantitatem, quia mensuratur syllabâ longâ, & brevi; item citat. 5. Metaph. cap. 13. ait, quòd multitudo est quantitas, si numerabilis; magnitudo verò, si mensurabilis. Item S. Parens de decem Categ. cap. 10. non aliam assignat rationem quantitatis, nisi mensurabilitatem. Ratione item potest ostendi: Quantitas enim id est, ut nomen ipsum præsefert, quo habet accipi tantum esse, magnum, parvum, æquale, aut inæquale; hoc autem mensurabilitatem significat, ex quo enim mensuratur aliquid, habemus tantùm esse.

241 Non benè ab aliquibus hæc sententia rejicitur ex eo, quòd ratio mensuræ extensionem supponit: ratio enim mensuræ æqualiter reperitur in quantitate continua, & discreta; extensio autem non nisi continuæ convenit; imò magis in quantitate discreta reperitur ratio mensuræ, mensura enim est quid indivisibile; indivisibilitas autem principaliter unitati convenit. Melius ergo B. D. q. 4. de Mens. Aug. & 4. Metaph. loc. sup. citat. ex eo rejicit, quia ratio mensuræ, si sumitur activè pro mensura ipsa, magis convenit unitati, quæ tamen non nisi reductivè est quantitas; si autem ratio mensuræ sumitur passivè pro ipso mensurabili, supponit habere partes; eo enim mensuratur, quia per replicationem mensuræ certificamur de quantitate ejus; mensuram autem toties replicari est tot habere partes. Motiva in contrarium solvuntur de facili, tàm enim Philosophus, quàm S. Parens non quidditativè ibi, sed per passionem notissimam quantitatem explicant; & utiquè mensurabilitas tantitatem, & magnitudinem significat, non verò id est primus, & quidditativus conceptus ejus.

242 Secunda sententia ponit, essentiam quantitatis consistere in impenetrabilitate, seu exigentia proprii loci. Ita Hurtado, Arriaga, & ê Scotistis Mastrius, Merin. & nonnulli alii. Moventur ex eo, quòd partes, & earum extensionem supponamus oportet in ipsâ substantia materiali secundùm se, & ante quantitatem; aliter enim non poterit quantitatem recipere; materia enim indivisibilis, &

tota

tota simùl non potest intelligi partibus quantitatis subjici; nec ratio relinquitur, cur materia, non autem spiritualis substantia potest quantitatem recipere, si utraque secundùm se indivisibilis est, & tota simùl. Neque bené huic sententiæ opponitur, quòd Christus Dominus in Eucharistia quantitatem habet, non tamen localem extensionem: non enim ipsam extensionem localem, sed exigentiam ejus ponunt isti DD. quidditatem esse quantitatis; illam autem exigentiam habet Corpus Christi Domini in Eucharistia.

243 Hæc sententia solùm assignat conceptum quantitatis, quæ est forma physica materiam perficiens; quæritur autem de conceptu metaphysico genericè communi ad omnes species, ut in primo notato patuit. In primis itaque, quamvis ipsi ponant quantitatem discretam non esse veram quantitatem, oppositum præced. artic. ostendimus; quare quantitas, de qua quæritur, est conceptus communis ad continuam, & discretam. Deinde: Hoc misso, quantitas continua communis est ad permanentem, & successivam, seu ut Philosophus dividit, ad eam, quę habet, & quæ non habet positionem in partibus; sed quæ non habet positionem, non est locabilis: non ergo huic convenit impenetrabilitas, seu exigentia proprii loci. Patet min. tùm, quia locabilitas est positio in loco, quæ nequit convenire non habenti positionem in se; tùm deinde, quia locabilitas est commensurabilitas contenti ad continens, quæ soli competit corpori habenti superficiem, penes quam accipitur commensuratio.

Præterea: Quamvis de quantitate loqui velimus, ut est forma physica, non benè ponitur quidditas ejus impenetrabilitas, seu exigentia proprii loci; tùm, quia talis forma substantiam perficit priùs in se, & in ordine ad proprium esse, quàm in ordine ad extra; quare conceptus ejus in eo consistit, quod substantiæ tribuit in ordine ad se; tùm deinde, quia exigere proprium locum, in aliqua perfectione fundatur, quam in se habet substantia, non quidem secundùm se, quia sic non est locabilis, sed à quantitate; quare hanc tribuere est primus, & quidditativus conceptus ejus; tùm tandem, quia eo intelligimus substantiam exigere talem, & tantum locum, quia in se intelligimus tantam esse, & partes habere sic in se dispositas, ad talem nempè, vel talem figuram; sed ista substantiæ de se non competunt: ergo ea habet à quantitate, & sic quidditas ejus non est exigentia loci, sed sic disponere substantiam, ad quod talis exigentia sequitur.

244 Neque motivum, quod ipsi in contrarium urgent, cogit ponere partes in materia ante quantitatem, ut ipsam recipiat; sicut

cut enim forma caloris fit in substantia, quæ non erat calida, imò quæ erat frigida, & per formam caloris habet substantia esse calidum, quod non habebat priùs, seu in actu recipit per formam esse, ad quod erat in potentia; quare potest talem formam recipere illa tantùm substantia, quæ est in potentia, ut habeat esse calidum; ita in proposito: non oportet, quòd materia partes habeat, seu esse divisibile, ut quantitatem recipiat, sed per ipsam quantitatem fit in actu divisibilis, & partes habens, qualis erat priùs in potētia, & ideo ista, non illa substantia quantitatem suscipit, quia hæc, & non illa, nata est tale esse habere. Deinde: Hoc dato, quod argumentum assumit, non habent intentum; etsi enim detur, quòd substantia partes habet, non tamen extensionem in ordine ad se, & figuram talem: hoc autem prius est, ad hoc quippè sequitur exigentia loci.

245 Tertia sententia docet, conceptum quantitatis in extensione consistere penes se, seu in ordine ad totum. Hæc est communis inter Thomistas, & NN. Hæc item quantitatem accipit, quæ est forma physica: primùm itaque contra illam est, quòd extensio illa non omni quantitati convenit, sed soli continuæ; discreta enim non habet unionem in partibus, & sic nec extensionem; extensio enim ultra distinctionem dicit partes uniri extremitatibus, & non se totis; si enim se totis uniuntur, non faciunt extensionem, seu extra se tensionem. Nec refert, quod aliqui de NN. ex Villanova reponunt, quòd duplex est extensio; alia, quæ confusioni; alia, quæ identitati opponitur; & prima soli continuæ convenit; secunda est conceptus quantitatis in communi. Id, inquam, non refert, est enim verbis ludere: identitati distinctio opponitur, quare extensio opposita identitati non extensio est, sed distinctio partium.

Deinde: neque omni quantitati continuæ extensio convenit penes se, seu in ordine ad totum: ut enim apertissimè habet B. D. passim in Theor. de Sacram. Alta idem est extensio in ordine ad se, & in ordine ad locum, ac positio partium in toto, aut in loco; sed positio non omni convenit quantitati continuæ, non enim convenit successivè: ergo. Præterea: Prius est partes habere, quàm illas habere sic dispositas; sed extensio hoc secundum dicit, nempè partes uniri extremitatibus, & non se totis: ergo id non est primus, & quidditativus conceptus quantitatis. Ulteriùs: Id est uniuscujusque quidditas, ex quo intelligitur ea sequi, quæ sunt rei passiones; sed passiones quantitatis non ex illa extensione sequuntur: ergo. Ostenditur hæc minor, quia impenetrabilitas, seu exigentia loci non quantitatis ut sic, sed hu-

hujus quantitatis passio est, quantitatis autem ut sic passiones sunt mensurabilitas, æqualitas, majoritas, & hujusmodi, quæ omni quantitati conveniunt; sed ista non ex eo, quòd partes ita disponuntur, sed ex eo, quòd partes habet, intelliguntur oriri: ergo.

246 Quarta sententia docet, conceptū quantitatis, ut est genus supremum in hoc Prædicamento, esse divisibilitatem in partes ejusdem rationis. Hanc immeritò nonnulli in duas dividunt; citant enim Capreolum, & nonnullos alios asserere, essentiam quantitatis esse partibilitatem, seu prædimentalem, & physicam divisibilitatem; id tamen non intendit Capreolus, neque cæteri ejusdem sententiæ, sed tantùm divisibilitatem eo sensu, quo illam accipit Philosophus, nempe pro eo, quod est habere partes ejusdem rationis. Hæc ergo est sententia Philosophi, tùm hoc cap. tùm 5. Met. cap. 13. eam sequitur Scotus hic q. 17. eam esse mentem B. D. patebit inferiùs; eam ex MM. tenet Mon. & nonnulli alii Thomistæ.

§. II.

Probatur nostra Conclusio.

247 Dicendum ergo, quòd conceptus quantitatis, ut est genus supremum in hoc Prædicamento, est divisibilitas transcendentalis in partes ejusdem rationis, seu, quod idem est, habere partes distinctas, quarum unaquæque unum quid, & hoc aliquid apta sit esse. Prob. primò ex Philosopho cit. 5. Metaph. cap. 13. ubi totidem verbis illam habet; ait enim: *Quantum est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque vel unumquodq̃, unumquid, & hoc aliquid aptum est esse.* Patet namque, quòd quantitatem definiens, quidditatem ejus debuit accipere. Nec aliquem debet movere, quòd quantum in concreto definit, cùm sit Prædicamentum quantitas ipsa; idem enim est de quanto loqui formaliter, sive reduplicativè, ut quantum est, ac de quantitate ipsa; quare statim de multitudine, & magnitudine exemplificat, quę sunt quantitates; subjungit enim: *Multitudo igitur quātum quid est, si innumerabilis; magnitudo verò, si mensurabilis.*

248 Ad hunc Philosophi locum respondetur communiter, quòd ea non est definitio, sed descriptio per primam quantitatis passionem; quare ait Merin. quòd Scotus aperte sic tenet q. 9. sup. 5. Metaph. unde malè à nonnullis pro hac nostra sententia adducitur, nisi divisibilitas sumatur pro radice; tùnc autem radix divisibilitatis extensio est. Probat autem, primò, quia essentia non demonstratur à priori, cùm esse debeat primum, ex quo cætera demonstrantur; sed Philosophus 6. Physic. cap. 1. demonstrat à priori *de quanto continuo*, quod

est divisibile in semper divisibilia: ergo. Secundò, quia in quantitate hoc, quod est reddere subjectum divisibile, supponit habere partes extensas, nam eo est divisibile, quia habet partes extra partes; at essentia in unoquoque est, quod primum intelligitur: ergo.

249 Sed contra: Ut ea definitio descriptiva dicatur, nulla ratio convincit; aliunde autem, ut ea dicatur quidditativa, cogit in primis, quòd Metaphysicus, ubi directè ex instituto de aliquo incipit determinare, non passionem ejus, sed quidditatem debet accipere; ita autem se habet Philosophus in illo capite: deinde, quòd nullam aliam quantitatis definitionem Philosophus alicubi tradit, neque ipsi assignant contrarii; non autem dicendus est, aut quidditatem ignorasse, quam nos assignamus; aut semèl, & ex instituto definiens, non ex quidditate, sed ex passione definire. Præterea: Falsum est, quòd divisibilitas, de qua loquimur, nempè mathematica, & quæ tantùm dicit habere partes distinctas, sit passio secuta ad extensionem, imò per rationem ejus apertè patet oppositum; prius enim est partes habere, quàm illas habere extensas.

250 Ad motiva ejus respondetur: Ad primum dicitur primò ad maj. quòd essentia neque demonstratur á priori, neque est medium demonstrationis, sed subjectum, de quo passio probatur per medium distinctum, & quòd sit causa, quare passio sibi convenit; unde disp. seq. probabimus, quòd medium in demonstratione potissima non est definitio subjecti, sed passionis primæ, & per primam passionem demonstrantur aliæ; quare ait Philosophus, quòd de subjecto oportet præcognoscere, quia est, & quid est: solùm ergo à posteriori, & ex effectibus, aut passionibus suis probatur essentia. Ex quo ad min. posset primò dici, quòd Philosophus eo loco non à priori, sed á posteriori probat divisibilitatem. Secundò posset dici, quòd non divisibilitatem mathematicam, quæ consistit in habere partes, sed physicam probat, quæ passio est, & supponit unionem continuitatis. Clarius autem, & magis ad mentem Philosophi dicitur tertiò, quòd ibi non probat divisibilitatem, sed talem divisibilitatis modum, nempè dividi in semper divisibilia; talis autem modus utiquè non est quantitatis essentia, sed passio alicujus speciei, nempè continuæ.

Ad alterum motivum jam patet ex dictis, quòd reddere subjectum divisibile physicè, & pro partibilitate illius, quod unitum erat, passio est quantitatis continuæ, & supponit utiqué sicut conceptum quantitatis ut sic, ita habere partes; at verò reddere divisibile mathematicè, & prout idem est, quòd habens partes distinctas, in quas possit dividi, patet, quòd non

non supponit habere partes, & hoc sensu ponitur divisibilitas conceptus quantitatis. Cùm autem dicitur, quòd conceptus rei est, quod primũ intelligitur in ipsa, sensus est, quòd primum intelligitur formalitér in eo, quod talis est; patet enim, quod prius in homine intelligitur, quòd sit vivens, aut animal, quàm quòd sit rationalis; rationalitas autem est conceptus constitutivus hominis.

251 Ulteriùs probat. eadem Conclusio ex Philosopho in hoc cap. sic enim incipit: *Quantum autem partim est continuum, partim discretum*, & explicans utrumque, ait, continuum esse, cujus partes copulantur termino communi; discretum verò, cujus partes non copulantur: deinde secundam divisionem quanti sic proponit: *Partim ex habentibus positionem in partibus, partim ex non habentibus constat.* Ex quo sic formatur ratio: Id est conceptus quantitatis ut sic, quod per differentiam uniuscujusque speciei determinatur; sed ita determinatur per species quantitatis habere partes: ergo. Patet hæc min. quia species quantitatis sunt continuum, & discretum, differentia autem continui est partes uniri, discreti verò non uniri communi termino; patet autem, quòd uniri, & non uniri partes immediatè determinat ipsum habere partes.

Præterea: Quod est differentia alicujus speciei, nequit esse conceptus constitutivus generis; sed extensio sive in ordine ad se, sive in ordine ad locum differentia est alicujus speciei quantitatis: ergo. Prob. min. Habere positionem in partibus differentia est alicujus speciei, ut patet in textu; sed habere positionem est formalissimè habere extensionem, nempè positio in ordine ad se est extensio in ordine ad se, & positio partium in loco est extensio in ordine ad locum: ergo. Patet hæc min. positio enim nihil est aliud, nisi talis partium dispositio sive in se, sive in loco, quòd una sit extra alteram, & alteri ordinetur, sive uniatur penes extremitatem, aut in ordine ad totum, aut ad locum.

252 Prob. secundò Conclusio ex B. D. cujus mentem, quia communitèr pro extensione à Nostris adducitur, latiùs oportet expendere: Primò itaque hìc q. 9. quærit: An linea sit distincta quantitas à superficie? Resp. *Ad hoc dicendum, quòd linea est distincta quantitas à superficie; unde in substantia composita naturali est reperire partes, & ordinationem ipsarum, & etiam distinctionem earum: ex quo sunt ibi partes, est ibi quantitas, sed ex hoc, quòd partes ordinantur continuè, vel discretè, causatur continua, vel discreta.* En ex hoc venari dicit rationem quantitatis, quòd partes habeat, rationem autem talis, ex quo tali modo habeat, ut puta, si distinctas,

hoc est, separatas, erit quantitas discreta; si ordinatas, hoc est, unitas, erit quantitas continua: & quia diverso modo habet ordinem, & unionem partium linea, ac superficies, deducit, quòd est diversa species quantitatis.

Insuper, q. 10. quærit: An motus sit quantitas per se? Resp. *Ad hoc dicendum, quòd de ratione quantitatis est per se habere partes; ideo illud, quod per se habet partes, est quantitas per se, & quod non habet partes per se, non est quantitas per se; motus autem non habet partes per se nisi à subjecto.* Ulteriùs, q. 22. quærit: An asperum, & lene sint qualitates? Resp. *Ad hoc dicendum, quòd asperum, & lene, & consimilia à diversis rationibus possunt esse quantitates, qualitates, & positiones. Nam in eo, quòd habent partes, cùm de ratione quantitatis sit habere partem, & partem, sic talia sunt quantitates; in quantum autem significant quamdam ordinationem partium, sic dicuntur positiones, sive situs; sed prout inferunt tactùs passionem, & dicunt quamdam dispositionem causatam ex illa ordinatione, sic sunt qualitates.* En utrobique ratio quantitatis consistit in eo, quod est habere partes.

Deinde, q. 6. de Mens. Ang. §. *Propter quod*, incipit ostendere differentiam *nùnc ævi*, & *nùnc temporis*, ex eo quòd hoc in quantitate fundatur; ait ergo: *Quòd autem nùnc temporis in quantitate fundetur, ex hoc potest persuaderi, quòd non movetur nisi partibile: cùm ergo omne partibile secundùm quod hujusmodi sit quantum, si tempus fundatur in motu, & nùnc temporis in eo, quòd movetur, & id, quod movetur, est quantum, relinquitur nùnc temporis in quantitate fundari.* Partibile dicit partes habens, prout ad motum requiritur; nota verò ly *secundùm quod hujusmodi*, reduplicative enim significit sensum formalem.

Insuper, 4. Metaph. q. 9. quærit: An differat unum, quod est principium numeri, ab uno, quod convertitur cum ente? Concludit autem sic: *Tamen unitas, quæ est principium numeri, non meretur dici quantitas, sed principium quantitatis, quoniam de ratione quantitatis est habere partes.* Item, q. 11. quærit: An prædicetur quantitas de uno, quod est principium numeri? Resp. negativè, & sic concludit: *Sed quantitas non prædicatur de unitate, nec de puncto, nec etiam analogicè; quoniam oporteret tùnc, quòd unitas, & punctum convenirent in ratione, à qua accipitur nomen quantitatis; nùnc autem ita est, quòd nomen quantitatis videtur sumi ex divisione, nam de ratione quantitatis est habere partes; & ideo dico: Cùm unitas, & punctum nullo modo conveniant in ratione istâ, à qua accipitur nomen quantitatis, neque analogicè, neque sicut genus prædi-*

latur quantitas de principiis quantitatis.

Item, in 1. dist. 24. q. 1. ar. 2. quærit: An unitas in Divinis dicat positionem, vel privationem? Resolutio est, quòd unum, quod cum ente convertitur, magis accipitur secundùm privationem; unum verò, quod est principium numeri, magis dicit quid positivum; quare quærit ulteriùs: Quid sit hoc positivum? Et in resolutione hujus dubii explicat ea, quæ conveniunt uno, quod est principium numeri, quorum est ultimum, quod non est quantitas, sed quantitatis principium; hoc autem sic ostendit: *Rursus, quia non est quantum propriè, nisi quod est divisibile, cùm unum ratione, qua unum sit quid indivisibile, licèt dividatur quà continuum, unitas secundùm rectam lineam non erit in genere quantitatis.* Idem habet seq. art. resolvit enim, quòd numerus in Deo non est quantitas, quia unitates, ex quibus componitur, non sunt partes ejus; est autem de ratione quãtitatis habere partes. Ubicumq; ergo loquitur de conceptu quantitatis ut sic, accipi, ait, ex eo, quod est habere partes; quare patet, quòd hæc est ejus sententia; quæ autem adducuntur in contrarium, infrà expendemus.

253 Prob. tertiò Conclusio nostra rationibus, & quidem ex eisdem mediis, quibus contrarii utuntur. Prima sic formatur: Id est quantitatis essentia, quod primum intelligitur in illa; sed hoc est habere partes ejusdem rationis: ergo. Prob. min. Prius intelligitur partes habere, quàm illas habere sic, vel sic dispositas, unîtas, vel non unîtas; at ipsi contrarii ponunt, quantitatis essentiam habere partes unîtas extremitatibus, & non se totis: ergo debent pro priori accipere ipsum habere partes præcisivè ab unione, vel non unione. Patet min. ponunt enim extensionem, quæ, ut explicat N. Manso q. 3. §. 2. num. 10. consistit in eo, quòd partes uniuntur extremitatibus, & non se totis.

Confirmatur primò: Id primum intelligitur in quantitate, quod primum communicat substantiæ; sed juxta ferè omnes contrariæ sententiæ Doctores, primum communicat habere partes: ergo. Patet min. quia Nostri omnes, & multi alii docent, quòd substantia ante quantitatem non habet partes. Confirmatur secundò: Conceptus quantitatis, ut est genus supremum, debet reperiri in qualibet specie; sed ita reperitur habere partes, non autem extensio: ergo. Patet min. tàm enim continua, quàm discreta partes habet; unîtas autem, in quo consistit extensio, tantùm habet continua.

254 Ad hanc rationem, missa solutione N. Villanovæ jam superiùs attacta de extensione opposi-

posita identitati, respondent alii, quòd extensio, quæ ponitur quantitatis essentia, est partem esse extra partem, quod ex suo conceptu præscindit ab unione, & non unione, & sic à continua, & discreta, & hoc significat ipsa vox *extensio*, nempè extra alterum tensio, quod nihil est aliud, nisi partium extreitas, seu quòd una sit extra aliam. Sed contra: Hæc partium extreitas, aut est pura earum distinctio, aut est situalis positio; illud primum nos ponimus, hoc secundum passio est quantitatis continuæ. Vt pateat assumptum, imaginabimur Corpus Christi Domini in Eucharistia; quantum ad locum quidem una pars non est extra aliam, sed ubi est pes, ibi caput, quia in quavis particula totum est Corpus, ideo non habet extensionem in ordine ad locum; aut accipiemus Corpus secundùm se, & partes in ipso toto, & sic una est extra aliam, quia caput collo unitur, & quæque pars sibi correspondenti; & ideo penes se habet extensionem.

Aut ergo partes in quantitate accipimus eo sensu, quo in Corpore Christi Domini in ordine ad locum, nempè quòd una non ordinetur alteri, & sic non habet extreitatem, sed tantùm distinctionem, & quòd una non sit alia; aut accipiuntur eo sensu, quo in Corpore Christi Domini in Eucharistia penes se, sive in ordine ad totum, ita nempè quòd pars parti ordinetur, & sic habent utique extreitatem, sed quæ tantùm continuæ convenit. Præterea: Quidquid de hoc sit, aut illa extreitas est tantùm, & præcisè habere partes, ut partium distinctio; aut aliquid addit supra distinctionem? Si primum, hoc intendimus: si secundum, illud additum est extra essentiam quantitatis; patet enim ex jam dictis, quòd conceptus quantitatis ut sic adæquatè salvatur in eo, quod est habere partes ejusdem rationis, sive divisibilitatem in ea, quæ insunt.

255 Secunda ratio sic formatur: Id est conceptus quantitatis, ex quo intelliguntur sequi proprietates, seu passiones ejus; sed hoc est habere partes ejusdem rationis, non verò extensio: ergo. Ostenditur min. quia, quòd ex ea accipiatur magnitudo, mensurabilitas, æqualitas, & hujusmodi, ex eo intelligitur, quòd partes habeat; neque oportet illas intelligere unitas, aut separatas; ex quo enim partes habeat, accipitur, quòd multas habeat, & sic magnitudo; quòd tot habeat, & sic mensurabilitas; quòd totidem habeat, aut plures, aut alterum, & sic æqualitas, aut majoritas, & ita poterit patere de reliquis; quòd autem partes habeat extensas, requiritur, ut accipiatur magnitudo, & alia tali speciali modo, nempè magnitudo continua, seu ut specialiter dicitur contra multitudinem; sic autem non est quantitas,

tas, sed talis quantitas.

Confirmatur: Quod est propriſsimè paſsio alicujus, non intelligitur in aliquo non intellectâ eſſentiâ, cujus eſt paſsio; ſed quod eſt propriſsimè paſsio quantitatis, intelligitur non intellectâ extenſione, per hoc præciſsè, quòd intelligatur partes habere integrantes, ſive ejuſdem rationis: ergo non extenſio, ſed habere partes eſt eſſentia quantitatis. Patet maj. quia conceptus eſſentiæ prior eſt, & præintelligitur ut radix ad quancumque paſsionem. Probat. min. Propriſsimè eſt paſsio quantitatis, quòd ex ea ſumatur æquale, & inæquale; ſed non intellectâ extenſione, per hoc quòd intelligatur partes habere, accipitur æqualitas, aut inæqualitas: ergo. Majorem habet Philoſophus in textu in aſsignando tertiam proprietatem quantitatis. Patet min. quia præciſsivè ab eo, quòd partes habeat unitas, aut ſeparatas, per hoc, quòd eaſdem habeat, ac verum, eſt æquale; per hoc, quòd plures habeat, aut pauciores, eſt inæquale.

256 Tertia ratio ſic formatur: Conceptus quantitatis, ut eſt genus ſupremum, debet eſſe metaphyſice ſimplex; ſed ita eſt diviſibilitas, non autem extenſio: ergo. Patet maj. ſi enim eſt metaphyſicè compoſitus ex genere, & differentia; genus habet ſupra ſe, & ſic non eſt genus ſupremum. Oſtenditur min. quia habere partes extenſas addit ſupra habere partes extenſionem, quæ continuę convenit, non verò diſcretæ, quare eſt conceptus compoſitus ex genere, & differentia; diviſibilitas autem, ſive ipſum habere partes unum tantùm ſimplicem conceptum dicit. Confirmatur: Conceptus quantitatis id eſt, quod immediatè determinatur per differentiam quantitatis, qua una quantitas diverſificatur ab altera; ſed ita non determinatur extenſio, benè autem diviſibilitas, ſive habere partes: ergo. Maj. patet ex terminis, quia differentia conſtitutiva, & diſtinctiva ſpeciei genus determinat ipſi, & aliis commune. Patet item min. quia continua, & diſcreta non ſunt alia, & aliæ quantitas per hoc, quòd aliam, & aliam extenſionem habeant, nullam enim habet diſcreta, ſed per hoc, quòd aliam, & aliam habent diviſibilitatem, nempè continua, quia partes habet unitas, diviſibilitatem habet non ſolùm mathematicam, & per deſignationem intellectûs, ſed phyſicam etiam, & per ſeparationem; diſcreta verò, quia partes habet ſeparatas, tantùm habet diviſibilitatem mathematicam.

)o(

§. III.

Solvuntur Argumenta.

257 QUamvis á nullo adducitur textus Philosophi contra nostram Conclusionem; posset primò ex eo argui: Quia in hoc cap. probaturus, quòd oratio est vera species quantitatis, assumit, quòd syllabâ longâ, & brevi mensuratur: ergo in mensurabilitate ponit conceptum quantitatis. Patet conseq. ratio enim, quare aliquid est tale, ipsa est essentia, ut ratio, quare est homo, est, quòd habet rationalitatem. Confirmatur primò: Quia in eodem cap. locum ponit distinctam quantitatem à superficie; at non habet partes distinctas à partibus superficiei, benè autem distinctam mensurabilitatem. Secundò 5. Metaph. cap. 13. ostensurus, quòd multitudo, & magnitudo quantitates sunt, ad rationem mensuræ recurrit; ait enim: *Multitudo dicitur, quantum quid est, si numerabilis; magnitudo, si mensurabilis*: ergo. Et ratione patet, id enim significat tantum esse, quod esse mensurabile, seu adhibitâ mensurâ dignosci posse.

258 Resp. quòd ex passione propriè tali, seu quod idem est, convertibili, & quæ omni, & soli convenit, benè ostenditur à posteriori essentia, ut benè probatur, quòd aliquis sit homo, ex quo sit risibilis, quia risibilitas soli convenit homini: quia ergo mensurabile esse omni, & soli quanto convenit, benè ostenditur, quòd aliquid sit propriè quantitas, si propriè habet mensurabilitatem; non autem benè definietur quidditas ex passione: quia ergo Philosophus definitionem quantitatis per divisibilitatem tradit, benè inde colligitur, quòd divisibilitas non passio est, sed quidditas; ex quo autem probet, quòd aliquid est quantitas, quia habet mensurabilitatem, aut etiam quòd est distincta quantitas, quia distinctam habet mensurabilitatem, non sequitur, quòd ea sit essentia, poterit enim esse passio; benè enim homo est, quod habet rationalitatem, & distinctus homo, si distinctam habet; quare patet tùm ad utramque confirmationem, tùm ad rationem subinductam.

259 Arguitur secundò authoritate tùm P. Augustini, tùm B. D. nam S. P. 5. de Trinit. cap. 10. docet, quòd in his, quæ participatione magnitudinis magna sunt, non hoc est esse, quod magnas esse, & subdit: *Quæ magnitudo utiquè primitùs magna est, multòque excellentiùs, quàm ea, quæ participatione ejus magna sunt.* B. D. in Propositionib. de Sacr. Altar. theor. 6. 12. & 29. idem habet; ait enim: *Quantitas essentialiter est ipsa extensio, ideò non potest intelligi quantitas, si non intelligeretur extensio: unde si definiretur*

ntur quantitas non per additamentum, extensio pertineret ad quidditatem ejus; cætera autem præter quantitatem sunt extensa per participationem. Ex his arguit N. Manso: Quantitas est ens primitùs extensum: ergo est essentialitèr ipsa extensio, & sic essentia ejus in extensione consistit. Antecedens docet S. Parens, conseq. autem ex terminis patet; in eo vero consistit essentia quantitatis, quod est essentialitér, & primò ipsi quantitas; & clariùs ex verbis B. D. Si nempè definiretur quantitas quidditativè, & non per additamentum, per id definiretur, quod est quidditas ejus; sed definiretur per extensionem juxta B. Doctorem: ergo.

260 In hoc loco B. Doctoris multum se fundant Nostri, ut videre est apud Bonher. Villan. & alios, sed his, si attendatur intentum ejus, non est ad propositum. In primis itaque ad locum P. Augustini respondetur, quòd non solùm primò, & per se quantitati convenit extensio, & aliis per participationem, sed cætera omnia, quæ quantitatis passiones sunt, ipsi primò conveniunt, & aliis per participationem à quantitate, ut impenetrabilitas, mensurabilitas, & cætera hujusmodi; quare eodem modo poterit deduci, quodlibet ex his esse essentiam quantitatis. Instatur itaque sic argumentum: Quantitas est ens primitùs impenetrabile, locabile, mensurabile: ergo essentialitèr est ipsa impenetrabilitas, locabilitas, mensurabilitas, & sic in quolibet ex his consistit ejus essentia. Consequentia eodem modo sequitur, ac illa, quam deducit N. Manso, & antecedens per eamdem rationem ejus patet; per se enim, & ratione sui illa omnia habet quantitas, & quodlibet aliud à quantitate ab ipsa participat.

Pro solutione ergo notandum, quòd esse primum tale duobus modis potest accipi; altero, ita quòd sit primus, sive primarius rei conceptus; altero, ita quòd subjectum, quod tale est primum, sit, cui id convenit, ita quòd aliis hoc conveniat per participationem, aut analogiam ad ipsum: priori modo esse primò, sive primitùs tale dicit conceptum quidditativum, non autem posteriori. Nùnc itaque, quòd hoc secundo sensu loquatur S. Parens, ex eo patet, quòd non facit comparationem ad alios conceptus, qui in ipsa quantitate reperiuntur, sed ad alia subjecta, quæ talia dicuntur: cùm ergo ait, quòd primitùs quantitati convenit extensio, distinguatur assumptum: Primitùs ipsi convenit, hoc est, priùs ipsi, quàm aliis, conc. primitùs ipsi convenit, hoc est, perpriùs habet extensionem, quàm alios conceptus, neg. antec. & hoc tantùm sensu sequeretur consequentia.

261 Ad locum B. D. dicitur, quòd

quòd in illis Propositionibus loquitur de Corpore Christi Domini, & ejus quantitate; quare non de conceptu metaphysico, sive de genere supremo hujus Prædicamenti, sed de quantitate physica loquitur extendente materiam, & hæc utique non potest intelligi, si non intelligatur extensio, & in definitione ejus debet extensio poni; ex quo non sequitur, quòd conceptus metaphysicus quantitatis ut sic sit ipsa extensio, sicut si definiatur anima hominis, in ejus conceptu debet poni rationalitas, non tamen proinde ea est essentia animæ ut sic; & in hac æquivocatione fundatur N. Villanova, ut D. Doctorem, & ejus Discipulos pro extensione adducat; quæ enim de quantitate asserunt, ut est forma physica, ipse accipit de conceptu metaphysico quantitatis ut sic, quod patebit expendendo loca, quæ pro se adducit.

Adducit primò Gerardum in 1. dist. 17. q. 2. a. 7. §. *Et ideo*: in eo artic. quærit de augmento charitatis, & loco cit. respondet ad secundum argumentum, quod tale erat: Sicut se habet quantitas ad suum augmentum, ita qualitas; sed quantitas augetur additione secundùm essentiam suam: ergo & qualitas. Minorem per hæc verba probat: Ideo quantitas augetur in extensione, quia est divisibilis, & habet partes secundùm esse divisibile; & habere partes competit sibi secundùm essentiam suam, cùm cadat in ejus definitione, ut patet 5. Metaph. ergo. Ad hoc argumentum tres adducit solutiones: prima negat min. hanc rejicit, & adducit secundam, quæ negat maj. quia aliter philosophandum, ait, de qualitate, & quantitate: *Quia quantitas in essentia sua habet partes signabiles, & distinguibiles, in tantùm quòd habere cidit in ejus definitione*, verba sunt ipsius Gerardi ibidem, quibus vides, essentiam quantitatis, ut accipitur contra qualitatem, ponere, quòd habet partes.

Deinde loco, quem ipse adducit, tertiam habet solutionem, quæ item negat min. Ad probat. ejus, cùm dicitur, quòd eo quantitas augetur secundùm essentiam suam, quia divisibilis est, & habet partes, distinguit, & ait, quòd habere partes aut intelligitur uniformiter, & invariabiliter, hoc *est* partes ejusdem rationis, & hoc est essentia quantitatis; aut intelligitur difformiter, & variabiliter, & hoc non: in his quid pro sua extensione inveniat N. Villanova, ego penitùs non video.

Adducit deinde N. Argentinam in 4. dist. 10. q. 2. art. 1. ibi agit de modo, quo quantitas Corporis Christi Domini est in Eucharistia sub specie panis; adducit dictum B. Doctoris quodl. 1. quòd ibi quantitas est ratione substantiæ; quare indivisibiliter, & ad modum ipsius substantiæ; & quia contra hoc aliqua objecerat, subdit;

te: *Sed istis non obstantibus, adhuc potest substineri dictum F. Ægidii, ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd in corpore locato potest considerari duplex positio, altera intranea, quæ est ordo partium in toto; & alia extranea, quæ est ordo partium in loco: prima positio est de intranea ratione quantitatis continuæ.* In his patet idem, quòd extensionem in ordine ad se, seu, quod idem est, positionem in toto dicit essentiam quantitatis, sed patet item, quòd loquitur de quantitate continua, quæ est forma physicè perfectiva materiæ; quare non est ad propositum.

Adducit tertiò Toletan. in 2. dist. 17. q. 1. a. 3. in solut. ad 1. & 3. Gerard. Sed ibi Toletan. illùm intendit, quòd partibilitas, extensio, quam materia participat à quantitate, non est modus aliquis distinctus ab ipsa quantitate, ut ponit B.D. & cum eo Gerardus; licèt autem asserat, quòd hoc non est de intrinseca ratione materiæ, est autem de intrinseca ratione quantitatis; inde tamen nihil ad propositum, tùm, quia eodem modo de extensione loquitur, & de partibilitate, quare non magis unum, quàm alterum ponit essentiam quantitatis; tùm deinde, quia non de conceptu metaphysico loquitur, sed de quantitate, ut est forma physicè perfectiva materiæ. Hæc latiùs oportuit adduxisse, quo pateat, immeritò contra nos citari antiquos nostræ Scholæ DD.

262 Arguitur tertiò ratione: Habere partes demonstratur à priori ex extensione: ergo non habere partes, sed extensio est essentia quantitatis. Patet conseq. quia id est in unoquoque essentia, quod est ratio formalis, quare sibi cætera conveniant. Antec. ostenditur: Nam ideo quantitas habet partes distinctas, & ad modum partium, quia una pars est extra aliam, alioqui non haberet partes ad modum partium, sed ad modum totius. Sic contra Moned. arguit N. Villan. num. 178. Sed in primis contra mentem Ægidii ex illo antecedente deducitur conseq. quod enim est medium in demonstratione potissima, sive à priori, non essentia est, sed passio; nam quod per essentiam suam alicui convenit, facit propositionem immediatam, & proinde indemonstrabilem; quare quod à priori demonstratur, non ex essentia, sed ex passione aliqua demonstratur; & hinc docet B. D. quòd medium in demonstratione potissima non est definitio subjecti, sed passiones.

263 Resp. directè neg. antec. & ad prob. ejus jam supra dictum est satis de extreitate illa, nempè quòd una pars sit extra aliam; aut enim tantùm dicit, quòd una non sit alia, & hoc est ipsù habere partes distinctas, quod ex nullo priori conceptu probatur; & satis patet, quòd per hoc, quòd una pars non

sit alia, habentur partes ut partes, aut quòd una pars sit extra aliam, aliquid dicit præter distinctionem; & tunc patet, quòd hoc, quidquid sit, posterius est, & superadditum ad habere partes distinctas; quare nequit esse ratio á priori, ex qua probetur habere partes.

264 Arguitur quartò ratione N. Manso: Id est essentia quantitatis, quod primum ipsa communicat substantiæ; sed hoc est extensio in ordine ad se, sive positio partium in toto: ergo. Maj. nota supponitur ex præmissis. Minorem probat N. Manso: Nam quantitas substantiæ materiali communicat extensionem in ordine ad se; deinde, quòd extensionem habeat in ordine ad locum; insuper, quòd sit impenetrabilis; sed ex his, quod primum intelligitur, est extensio in ordine ad se: ergo. Hanc minorem probat ex B. D. Quia priùs forma perficit subjectum in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud; & priùs tribuit effectum positivum, quàm negativum; sed extensio in ordine ad se est effectus in se, & extensio localis est effectus in ordine ad aliud; deinde extensio est effectus positivus, impenetrabilitas est effectus negativus: ergo.

265 Hæc ratio multiplicitèr instatur, primò ex doctrina ipsius: Nam substantia materialis ante quantitatem non habet partes, ut ipse latè probat quæst. seq. sed prius est habere partes, quàm illas tali modo habere, nempè extensas: ergo quòd primum quantitas substantiæ communicat, non extensio est, sed habere partes. Secundò, pro priori, & præcisivè ab extensione, per hoc præcisè, quòd intelligatur habere partes, intelligitur mensurabilitas; sed hæc est effectus quantitatis: ergo extensio non est, quod primum ipsa communicat. Mitto, quòd impenetrabilitas non est effectus *negativus*, sed positiva exigentia proprii loci. Mitto item, quòd fundare æqualitatem, aut inæqualitatem pro priori intelligitur ad extensionem. Directè itaque neg. min. & ad prob. ejus dicitur, quòd ex illis tribus prior est extensio penes se; ultra illos autem alios præstat effectus ipsa quantitas, ut jam patuit.

266 Arguitur quintò: Essentia quantitatis soli debet quantitati convenire; sed habere partes aliis convenit: ergo. Prob. min. Nam habere partes in primis convenit substantiæ materiali, *in hoc* enim eo differt á spirituali, quòd hæc indivisibilis est, & tota in toto, atq; in qualibet ejus parte; materialis autè divisibilis est, & tota in toto, atq; pars in parte. Deinde totum quodlibet in ratione talis per habere partes instituitur. Tertiò, qualitas partes habet, sive gradus, quibus accipitur in ea magis, & minus, & saltim in effectu ejus hujusmodi divisibilitatem admittit nostra sententia: ergo.

Resp.

267 Resp. neg. min. & ad primam prob. neg. assumptum. Ad rationem ejus jam suprà dictum est, quòd substantia materialis à spirituali differt per divisibilitatem radicalem, & in potentia, quam non habet substantia spiritualis: quia ergo radicaliter, & in potentia divisibilis est materialis substantia, sub quantitate dividitur, & forma ejus est tota in toto, & pars in parte. Ad secundam prob. dicitur primò, quòd de ratione totius non est habere partes, nam spiritualis substantia tantùm est quoddam, nec tamen partes habet. Dicitur secundò, quòd totum, aliud est potestativum, ut genus ad species suas; aliud essentiale, sive metaphysicum, cujus partes sunt genus, & differentia; sive physicum, cujus partes sunt materia, & forma, sive subjectum, & forma, ut comprehendamus totum accidentale; & in his omnibus patet, quòd partes sunt diversæ rationis; aliud est totum integrale, & in hoc partes sunt ejusdem rationis; etsi enim aliquod dicatur heterogeneum, non quia partes sunt diversæ rationis, sed quia sunt diversæ figuræ.

Hoc ergo est totum quantitativum, & idem est, ac quantum; quare dictum est, quòd ratio quantitatis est divisibilitas, seu habere partes, non utcumque, sed integrantes, sive ejusdem rationis. Notandum autem, ut tacitè occurramus instantiæ, quòd non duo sunt habere partes, sive divisibilitas, & talis divisibilitas, seu partes ita habere; ipso enim conceptu, quo quantitas intelligitur substantiam reddere divisibilem, intelligitur ita, sive in tales partes divisibilem reddere; quare divisibilitas ut sic tantùm est conceptus explicitus. Ad tertiam prob. dicetur ex instituto in de Gener. dùm de intensione qualitatis; interim dicitur, quòd qualitas in abstracto neque suscipit magis, & minus, neque gradus habet, sed tantùm in perficiendo subjectum, quare illa latitudo in effectu accipitur; nec tamen effectus ille realitas aliqua est, in qua accipiatur partes habere; nec illa latitudo est partibilitas, sed affectio quædam indivisibilis quidem, secundùm quam tamen magis, & minus tale accipimus; & ideo secundùm ea non nisi impropriè accipitur majoritas, & minoritas.

268 Arguitur sextò: Si habere partes est, quod primum substantia habet à quantitate, sequitur, quòd sublatâ quantitate, sicut potest divinitùs tolli, substantia materialis fieret indivisa, & nullas habens partes, in quo tamen multa includuntur absurda; vix enim capitur, quomodò partes substantiæ ad indivisibile confluerent, & fierent indistinctæ, quæ priùs distinguebantur, & alia id generis: cogimur ergo fateri, quòd substantia ipsa de se habet partes, & consequenter non hoc est, quod

primum à quantitate accipit.

269 Hoc argumentum directè non est contra præsentem difficultatem, sed contra indivisibilitatem substantiæ materialis: deinde: Illud probat substantiam de se habere extensionem, etiam localem, si enim illam accipit a quantitate, difficultas relinquitur, quomodò in instanti, quo auferretur quantitas, tota substantia ad indivisibile extensionis confluereret? Directè dicitur, quòd, sublatâ quantitate, relinqueretur substantiæ modus se habendi, qui erat effectus quantitatis; hic enim indistinctus est, ipsa nempè substantia sic se habens: ab illo ergo modo divinitùs sine quantitate conservato haberet substantia, quod nùnc habet à quantitate.

Quòd si contendas, posse Deum materiam producere sine quantitate: dicendum primò, quòd id repugnat, quia quantitas passio est inseparabilis à materia, & sine illa esset nullibi, quod implicat. Dicendum secundò, quòd tùnc esset materialis substantia ad modum spiritualis, sicut est de facto substantia Corporis Christi Domini in Eucharistia sub speciebus panis; talis enim modus non præcisè substantiæ spirituali, sed substantiæ convenit secundùm se, & in eo, quòd substantia est, ut latè explicat B. Doctor in Propositionibus de Sacramento Altaris; differret autem à spirituali per hoc, quòd exigeret quantitate dividi, & loco cómensurari. Cætera, si quæ sunt, ex his poterunt solvi. Series autem hujus Prædicamenti sic poterit ordinari, quòd quantitas dividatur primò in continuam, & discretam, & hujus species sunt numerus, & oratio; deinde continua subdividatur in permanentem, & successivam, sive in eam, quæ habet, & quæ non habet positionem; deinde continua permanens, sive quæ habet positionem, in lineam, superficiem, & corpus, & hæ species sunt, quæ immediatè descendunt ad individua.

QVÆST.

QUÆSTIO QUARTA
DE RELATIONE.

ARTICULUS. I.

Quid sit Relatio, & quotuplex?

§. I.

Brevitèr explicatur litera hujus capitis.

270 QUantitati Relationem annectit Philosophus hìc; videtur autem ordo præposterus, prior enim est qualitas, tùm, quia perfectior est, & magis habens de esse, quam relatio; tùm, quia substantiam perficit in se, Relatio autem ad alterum; quare ipse Philosophus 5. Metaph. quo de Prædicamentis considerationem instituit, hunc tenet ordinem, quòd cap. 13. agit de Quantitate, 14. de Qualitate, & 15. de Relatione. Sed alia est Metaphysici, alia Logici consideratio de Prædicamentis; Metaphysicus quidditatem accipit in eo, quod est, & hac consideratione prior est qualitas; Logicus verò accipit quidditatem in eo, quod dicitur, & intentiones fundat generis, & differentiæ.

Itaque quantum ad dici de substantia prior est quodammodò Relatio; ex quo enim quanta est substantia, multæ consurgunt relationes; & ex eo, quòd quanta dicitur, habet immediatè ad aliquid dici; quare hìc consideratio de Relatione præmittitur: nos ergo textûs secuti methodum, Relationem Qualitati anteponimus: & priusquàm quæ convertuntur, aggrediamur, doctrina itèr definitionem, proprietates, & divisiones Relationis expendemus.

271 Definitionem itaque Relationis, ut communitèr ex Platone circumferebatur, sic proponit Philosophus: *Ad aliquid dicuntur quæcumque id, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet ad alterum*, ut servus domini servus dicitur, & scibile. Additur autè: *Vel quomodolibet ad alterum*, ait D. N. quia non semper relativum dicitur alterius in genitivo casu; licèt enim pater dicatur filii pater, & servus domini, sæpe autem in alio dicitur casu, ut magnum, simile, æquale.

272 Quòd autem hanc definitionem non ex propria mente, sed ut communitèr dicebatur, adducat, ex eo patet, quòd sub finem capitis, postquam proprieta-

tes assignavit relativi, dubitationem instituit: An substantia dicatur ad aliquid? Videtur autem, quòd sic, caput enim alicujus caput dicitur; patet autem, quòd caput est substantia: concludit ergo, quòd si data definitio sufficiens est, omninò est impossibile, aut difficile ostendere, quòd substantia non est ad aliquid; quare aliam ipse tradit: Quòd ea sunt ad aliquid, *quorum esse totum est ad alterum se habere*, & hæc in duobus differt à præcedente: primò, quia illa tantùm accipit dici, hæc autem esse ad alterum, quare hæc est relativi secundùm *esse*, seu propriè tale; illa verò relativi secundùm *dici*: secundò differt, quia prior cum hoc, quod est ad alterum dici, relinquit aliquid in se esse, ut caput, ad alterum quidem, nempè ad capitatum dicitur, cum hoc tamen significat hoc aliquid, nempè hanc corporis partem; hæc verò posterior significat, quòd præter ad alterum se habere nullam quidditatem significat, quod est de ratione relativi propriè talis, & secundùm *esse*, ut similè in eo, quòd tale, non dicit aliquid in se, sed tantùm, & præcisè ad alterum se habere.

Hanc differentiam dignosci ait, in eo quòd quæ priori definitione significantur, & quæ tantùm secundùm *dici* relativa sunt, ita habent ad alterum dici, quòd tamen in eorum quidditate illud alterum non includitur, sed potest hujus quidditas sine illo accipi, ut caput, dicitur quidem ad capitatum; quia tamen cum eo, quod est ad alterum dici, habet, quòd sit in se hoc aliquid, potest quidditas capitis cognosci sine corpore, cujus est caput; at verò quæ posteriori definitione significantur, & quæ secundùm esse relativa sunt, quia tota eorum quidditas est ad alterum se habere, non poterit accipi sine altero, ut simile, quia totum, quod est ad alterum se habere, est, non potest concipi sine eo, cui simile dicitur, & hoc circumscripto, non relinquitur simile, sed album.

273 Proprietates relativorum deinde assignat; & prima est, quòd relativa contrarietatem habent, ut vitium virtuti contrarium est, & scientia ignorantiæ. Sed notandum, quòd has proprietates consequentèr ad priorem definitionem assignat; quare eæ non ex propria mente, & de relativo secundùm esse assignantur, quare exemplificat de virtute, & vitio, scientia, & ignorantia, quæ qualitates sunt, & tantùm secundùm *dici* relativa. In primis itaque ista proprietas non relativo convenit formaliter, & ratione ipsius relationis, sed realitèr, sive identicè ratione fundamenti: deinde non omni relativo, multa enim contrarium non habent. Secunda proprietas est, quòd suscipit magis, & minus, ut simile magis, & minus simile dicitur. Hæc item eodem

dem sensu accipitur, ac præcedens; non enim omni relativo convenit, sed ei duntaxat, quod in qualitate fundatur, quæ talem habet latitudinem; patet enim, quòd pater, aut servus, & similes non habent magis, aut minus.

274 Tertia proprietas est, quòd dicuntur ad convertentiam, servus domini, & dominus servi. Hæc propriè, & formaliter relativo convenit; notat autem Philosophus, quòd opottet convenienter assignare, ut convertantur, si enim dicatur servus hominis, aut dominus equi, non convertuntur; non enim homo servi est, aut equus domini, sed tàm homo, quàm equus sunt quid absolutum; tùnc autem fiet convenienter assignatio, quando circumscriptis aliis, & eo relicto, ad quod assignatur, non est relativum; ut circumscripto ab homine, quòd sit dominus, & tantùm relicto, quòd sit homo, non ad illum dicitur servus; quare neque servus relinquitur, sed homo tantùm; è contra autem, relicto, quòd sit dominus, & aliis circumscriptis, servus ad illum dicitur; quare ait, quòd sæpe opus erit nomen fingere, ad quod dicatur relativum, ut caput, non corporis, sed capitati caput est, & tùnc convertitur, quòd capitatum capite capitatum est.

275 Quarta proprietas est, quòd sint simùl naturâ. Hanc, ait Philosophus, non omnibus convenire, nam scientia ad scibile dicitur, quòd tamen prius naturâ est; ex ipso enim scibili causatur actus sciendi, & per actus aggeneratur habitus: quo ulteriùs patet, hucusque non ex propria mente, sed ut communiter dicebatur, definitionem, & proprietates relativorum assignasse; ad sensum enim propriæ definitionis, sive de relativis secundùm *esse*, patet, quòd hæc proprietas omni convenit relativo: quia in sensu hujus definitionis neque aliam quidditatem habet relativum, quàm ad alterum se habere, neque potest quidditas unius sine altero accipi; quare talem habent connexionem, quòd simùl esse oportet, aut non esse; intellige autem formaliter, ut relativa sunt, aliter enim Plato accipitur absolutè in eo, quòd est homo, sive hic homo, aliter verò formaliter in eo, quòd est filius Cleonis; hoc posteriori modo neque esse, neque intelligi potest sine Cleone, benè autem priori; de hoc autem latiùs §. seq.

§. II.

Dividitur Relatio, & assignantur conditiones Relativorum.

276 PRæmittamus, oportet, divisiones Relationis, ut est extra Prædicamentum; & si enim de Relatione tantùm intenditur, quæ est Prædica-

mentum, frequentèr tamen de illis sermo est, quæ tantùm secundùm *quid*, & extra genus relationes sunt, nempè aut secundùm rationem, aut secundùm *dici*. Primò itaque dividitur Relatio in realem, & rationis; & hæc est divisio æquivoci in æquivocata, relatio enim rationis non est relatio, sed accipitur, ac si esset. Itaque relatio realis illa est, cujus fundamentum re ipsa ante opus intellectûs se habet ad alterum, ut ea, de quibus hucusque exemplificatum est; rationis verò, cujus fundamentum non se habet ad alterum, concipitur tamen in ordine ad alterum, sicut si relationem haberet, tales sunt intentiones logicæ, relationes temporales in Deo, & multæ aliæ: nam v. g. in Deo nihil in tempore intelligitur, quod posset novam relationem fundare, quare in se nullam talem habet; quia tamen creatura incipit ad Deum referri, ex quo creata est, Deum ut Creatorem concipimus relativè, & concipiendo relationem formamus, quam non habet; quare talis est rationis.

277 Relatio realis dividitur in secundùm *esse*, & secundùm *dici*; & hæc est analogi in analogata; nam relativum secundum *dici* ex quadam proportione, & analogia dicitur ad relativum secundùm *esse*. Itaque secundùm *esse* dicitur relativum, cujus tota quidditas est ad alterum se habere, ut simile nihil significat nisi unius ad alterum habitudinem proportionis, & convenientiæ in qualitate: secundùm *dici* dicitur, quod significat perfectionem aliquam absolutam, quæ tamen se ipsa modum habet relativi, ut scientia, secundùm quidditatem suam qualitas est perficiens intellectum, & in se constituens talem, nempè scientem; quia tamen non intelligitur scire, nisi intelligatur, quòd res aliqua scitur, scientia modum habet relativi, & dicitur relativa secundùm *dici*.

278 Hæc quidem divisio præmittitur à Philosopho in Metaph. quia relativum secundùm *dici* quantum ad quidditatem suam absolutum est; quare Metaphysicus, qui tantùm quidditatem in eo, quod est, attendit, de eo *non* curat; ea tamen apertè colligitur ex hoc capite, siquidem priorem definitionem, quæ relativum accipit secundùm *dici*, non omninò rejicit Philosophus, sed insufficientem esse ait; quare aliam tradit, quæ relativum secundùm *esse*, quod est propriè tale, explicet. Eam latè explicat B. D. quodl. 4. q. 8. pro cujus intelligentia observandum jubet, quòd, licet sit inconveniens rem unius Prædicamenti directè, & secundùm quidditatem suam in alio reponi, non tamen incongruit, quòd quidditas unius Prædicamenti habeat modum alterius, & sit tale secundùm *dici*, ut v. g. accidens in abstracto,

stracto, & ad modum per se stantis est quidem secundùm quidditatem suam in Prædicamento accidentis, habet tamen modum substantiæ, & est substantia secundùm *dici*.

Hoc quidem non est reperiri in re naturaliter, quia accidens non existit abstractum à subjecto; hoc autem non tollit, quin accipiendo metaphysicè quidditatem ejus, videamus in ea modum substantiæ; præterquamquod Fide tenemus, in Eucharistia accidentia manere sine substantia: ibi ergo, licèt qualitates non per se stantes, sed quantitatem afficientes sint, quare habent quidditatem, & modum accidentis; quantitas verò nullum afficit subjectum, quare habet modum substantiæ, & potest dici substantia secundùm *dici*. Quòd si de accidentibus alicui sit dubium, è converso, quòd substantia habeat modum accidentis, & sit accidens secundùm *dici*, nullus dubitat; substantialis enim, & quidditativa differentia, puta *rationale*, secundùm quidditatem suam substantia est; dicitur tamen *in quale*, quare habet modum qualitatis, & est qualitas secundùm *dici*, qualificat enim quodammodò ipsum genus, & facit tale: quo ergo sensu rationale est qualitas, relatio secundùm *dici* est relatio, nempè sicut rationale quidditas est substantialis, quæ tamen se ipsa modum habet qualitatis, ita relatio secundùm *dici* quidditas est absolutâ, quæ tamen se ipsa modum habet relativi, & est quodammodò ad alterum.

279 Subdividitur hæc in transcendentalem, & non transcendentalem: trancendentalis est, quando ille modus relativi impræscindibilis est; seu quando ipsa quidditas absoluta non potest sine illo modo concipi, qui proinde dicitur transcendere: v. g. distinctum esse ab altero ipsa est quidditas rei cujuslibet; unumquodque enim quidditate sua est id, quod est, & non aliud; quia tamen distinguî ab altero dicitur, habet modum relativi, & distinctio est relatio secundùm *dici*, talis autem, sine quæ non poterit concipi, non enim potest concipi sine eo, quòd sit id, quod est: non transcendentalis, quæ, quia non habet speciale nomen, retinuit sibi nomen commune, & dicitur absolutè relatio secundùm *dici*, ea est, quæ cùm sit modus quidam intransitivè conveniens quidditati absolutæ, sine illo tamen potest ea concipi, ut scientia secundùm quidditatem suam qualitas est intellectum perficiens; quia tamen ita perficit, nempè ut hoc, aut illud sciat, habet modum relativi, & est relativa secundùm *dici* ad scibile, quam tamen in se concipimus ut qualitatem intellectûs perfectivam sine ipso scibili: similiter caput alicujus corporis caput est, poterit tamen esse, & concipi sine corpore.

280 Relativum secundùm

esse, quod proprié relativum est, & genus supremum in hoc Prædicamento, dividit Philosophus in 5. Metaph. cap. 15. in tres modos, seu tria genera: primi generis sunt relativa modo numeri, seu ut communiter dicitur, quæ fundantur in unitate, & numero, ut similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas, & omnes convenientiæ, & disconvenientiæ; per unitatem enim convenientia intelligitur, & per numerum disconvenientia. Notandum autem, quòd hujusmodi relationes non fundantur in unitate, & numero, seu convenientia, & disconvenientia, ut aliqui malè imaginantur, sed sunt ipsa convenientia, aut disconvenientia; quare illas dicit Philosophus relationes modo unitatis, & modo numeri; similitudo enim non est relatio fundata supra convenientiam in qualitate, sed supra qualitatem ipsam, & est habitudo convenientiæ ad alteram.

281 Secundi generis sunt, quæ fundantur in actione, & passione, ut paternitas, filiatio, & generaliter causæ ad effectum, & effectus ad causam. De his est nonnihil controversiæ in assignando ejus fundamentum proximum; nam aliqui cum Suario volunt, paternitatem in substantia patris fundari, seu potentiâ radicali generandi; alii in potentia proxima; Thomistæ apud Complutenses hîc in actione ipsa generativa. De hoc latiùs disputare non est hujus loci: primum displicet, tùm, quia non ex quo quis sit homo, dicitur pater; habet autem potentiam generandi ex quo homo est; tùm deinde, quia potentia de se indifferens est, quare nisi aliquo determinetur, non fundat paternitatem. Quo rejicitur etiam secundum; ipsa enim potentia proxima generandi & homini convenit, ex quo homo est, & indifferenter de se se habet. Tertium item displicet, quia actio transit; manet autem relatio, & denominatio patris. Dicendum itaque, quòd fundantur hujusmodi relationes in potentia proxima, non secundùm se, sed ut determinata per actionem, aut passionem; etsi enim illæ transeant, manet tamen in potentia ipsa determinatio.

282 Tertii generis sunt *relationes modo mensuræ*. Notat autem Philosophus, quòd in *aliis* generibus mutua est relatio, ut in utroque simili vera est habitudo, in patre item respectu filii, atque in filio respectu patris; in isto autem tertio genere non est *mutua*, sed in altero tantùm extremo est vera relatio, in altero verò nó nisi secundùm rationē, nempè mensuratum quidem verè, & secundùm esse dependet, & habitudinem importat ad mensuram; mensura verò non dependet á mensurato, nisi in quantum ab intellectu refertur, seu, ut ait B. D. non quia ipsa refertur, sed quia alterum refer-

tur

tur ad ipsam. Notat N. Manso hìc, quòd hoc genus relativi non debet accipi de mensura strictè sumpta, quæ solùm reperitur in quantitate, sed latè accipiendo mensuram, prout principium notificans perfectionem alterius, analogicè, & per quamdam similitudinem mensura dicitur. Et videtur hoc fundamentum habere in ipso textu Philosophi; exemplificat enim pro hoc genere de scientia, & scibili, sensu, & sensibili; patet autem, quòd sensibile, & intelligibile non nisi latè, & per analogiam habent rationem mensuræ.

Nihilominùs minus id consequenter dicitur; tùm, quia ea, de quibus Philosophus exemplificat, non nisi secundùm *dici* relativa sunt, ut ipse fatetur Manso, & de se patet; sensus enim, & scientia, quæ à sensibili, & scibili mensurantur, absolutam quidditatem significant; tùm deinde, quia late accipiendo mensuram, mensuratur ipsa substantia, & habet relationem mensurati; ut autem ipse etiam Manso supponit, in substantia non fundatur relatio prædicamentalis, & secundùm *esse*. Dicendum itaque, quòd relatio tertii generis propriè, & secundùm *esse* accipitur, ubi propriè accipitur ratio mensuræ, nempè in genere quantitatis; ubi autem latè, & tantùm ex quadam analogia accipitur mensura, tantùm secundùm *dici* erit relatio.

283 Conditiones relativorum unusquisque assignat consequéter ad propria principia; quę communibus assignantur, proponemus, si quæ autem controversiâ habet, brevitèr probabitur, omnes tamen ex postea dicendis constare poterunt. Prima ergo conditio ad hoc, ut relatio sit secundùm *esse*, & de Prædicamento, est, quòd in aliquo accidente fundetur. Hanc habet B. D. quodl. 4. q. 8. qua quærit: An possit relatio immediatè fundari in substantia? Et negativè respondet. Colligitur apertè ex Philosopho hìc, eo enim priorem definitionem relativi insufficientem dicit, quia ea comprehendit relationes, quæ in substantia fundantur, ut capitis ad capitatum; istæ autem tantùm secundùm *dici* relationes sunt: tenet ergo, quòd vera relatio secundùm *esse*, & de Prædicamento non habet in substantia fundari.

Rationem hujus conditionis assignat B.D. quia relatio ex quidditate sua, & proprio Prædicamento non habet, quòd sit accidens, alioqui non posset in Deo poni vera relatio; ait autem S. P. 5. de Trinit. cap. 5. quòd *Cætera transeunt in Divinam substantiam, & sola relatio manet in Deo secundùm genus suum*: quæ ergo accidens est, & de Prædicamento accidentium, id habet de ratione fundamenti, quare debet in aliquo accidente fundari; & quæ fundatur in substantia, non erit de Prædica-

dicamento, sed tantùm secundùm *dici*: non ergo ad mentem B. D. aliqui de Nostris propugnant in relatione conceptum *in* communem omni accidenti; si enim ea de se non est accidens, nec inest, & perficit, sed tantùm ratione fundamenti, de se non habet conceptum *in*.

284 Secunda conditio est, quòd distinguantur realiter extrema relationis. Hæc de se est manifesta; est enim relatio ad alterum, quare si tantùm ratione est alterum id, ad quod refertur, tantùm ratione refertur. Tertia conditio est coexistentia utriusque extremi; quare non manente termino, tantùm manet relatio secundùm *dici*, ut mortuo filio, non nisi secundum *dici* relinquitur paternitas. Hanc aliqui negant, eam tamen expresse ponit P. Augustinus de decem Categ. cap. 11. imó ex ea quidditatem relativi propriè talis notificat; ait enim: *Tùnc ergo verè, & propriè ad aliquid dicitur, cùm sub uno ortu, & occasu id, quod jungitur, & id, cui jungitur, invenitur, ut puta, servus, & dominus, utrumque enim vel simùl est, vel simùl non est.* Signanter ait *verè, & propriè*, ut intelligas de relativis loqui secundum *esse*; quæ enim secundum *dici* relativa sunt, latè tantùm, & impropriè relativa dicuntur, quatenus habent modum quemdam relativi; quo patet ad ea, quæ in contrarium objiciunt N. Arimin. & Soncin. ea enim solum tenens de relativis secundum *dici*.

Ratio hujus conditionis ipsa est relationis quidditas; est enim *realis habitudo unius ad alterum*, seu, ut loquitur Philosophus, *ad alterum se habere*: quod ergo verè, & re ipsa refertur, veré, & re ipsa ad alterum se habet; quare relatio, ut ait S. Parens, conjungit unum alteri: si ergo alterum non est verè, & in re, non ad illud se habet verè, & secundum *esse* relativum. Hinc ortum ducit commune axioma, quòd *relativa sunt simùl natura, & conditione*: de quo difficultatem esse non parvam, ait hìc N. Manso; quia causa ex natura rei prior est effectu suo; at est relativa secundum *esse* de secundo modo relativorum: ergo. Ad hoc autem de facili dicitur, quòd causa non ad causatum dicitur, sed ad causabile, & sic *est* relativa secundum *dici*, de quibus non tenet conditio; patet enim, quòd causa hoc aliquid in se, & absolutam quidditatem significat: relatio ergo de secundo modo non est causæ, sed quæ ad exercitium ipsum causandi consequitur, nempè modo actionis, ut patris ad filium, & è contra.

285 Ex his colligitur primò, in quonam consistit relationis quidditas, nempè in illa habitudine, seu se habere ad alterum, quod non est forma, aut realitas aliqua, sed modus quidem. Hinc item colligitur, quod latè docet

B. D. quodl. 5. q. 13. quòd nempè relatio nec ponit in numerum cum fundamento suo, nec facit compositionem, aut mutationem inducit; sine ulla enim sui mutatione incipit aliquid relationem habere, puta album, per hoc solum, quòd in alio fiat mutatio, & ponatur albedo, incipit esse simile: ratio est, quia relatio ipsa non est forma, aut realitas aliqua, sed sit se habere ipsius fundamenti, nempè simile esse ipsam dicit albedinem ad alteram habere proportionem, & convenientiam; quare album, & simile non duo sunt, neque est quis compositior, ex quo fit albus, & similis, quam ex quo fit similis tantum, eamdem enim habet albedinem se habentem, aut non se habentem ad alterum.

Colligitur insuper, quod docet Philosophus 5. Physic. quòd nempè ad relationem non datur motus per se; si enim ipsa de se non est forma aliqua, neque mutationem causat, nequit esse terminus motûs, nec per eam inducitur mutatum esse; non potest autem motus intelligi, quin per illum cautetur aliquod mutatum esse. Tandem Nostri colligunt, quod passim habet B. D. nempè quòd relatio respectu fundamenti non est res, sed ratio, respectu termini est res: quod non benè aliqui de Nostris explicant, distinguentes enim realitèr relationem à fundamento, coguntur ponere, quod proprium habet conceptum, *in* quo est aliquid in fundamento suo; tunc autem vix potest fine contradictione salvari, quòd respectu fundamenti sit pura ratio, & sit aliquid in ipso, seu quomodolibet ipsi superadditum re ipsa.

Sensus itaque B. D. est, quòd relatio, quia de se formalitèr est sic se habere ipsius fundamenti, si ad fundamentum ipsa comparetur, est quædam ratio, & conceptibilitas ejus, nempè similitudo ratio est definibilis, non autem realitas aliqua supra albedinem; si autem ad terminum fiat compatio, sic est realitas, nempe ipsum fundamentum; quod amplius ex consequentibus patebit.

ARTICULCUS II.

An dentur in rebus Relationes reales prædicamentales?

§. I.

Relatis sententiis, probatur Conclusio affirmativa.

286 NON multum apud Modernos de hoc controvertitur, quia tamen de Antiquis aliqui negant, ut eorum fundamenta solvantur, dubium instituimus. Prima itaque sententia negat omninò dari in rebus relationes reales prædicamentales,

les, sed quæ tales censentur] esse, asserit perfectiones absolutas, quæ aliis comparantur per opus intellectûs. Ita tenent Gabriel, Ocham. Aur. qui præ cæteris latius eam probat in 1. dist. 30. ex quo cæteri fundamenta desumpsere, ut testatur N. Bas. Variar. disp. q. 8. Schol. ubi eamdem sententiam latè propugnat, pro eâdem refertur N. Ber. adducuntur item Suarez, Arriaga, Izquierd. & alii, qui tamen solum intendunt, quòd relatio non distinguitur realiter á fundamento, quod nos item art. seq. dicemus. Secunda sententia asserit dari in rebus relationes reales prædicamentales. Hæc est cæterorum communis. Mirum tamen, quod N. Basil. asserit, quòd hæc sententia, quamvis communis, duas tantum pro se habet rationes, easque valdè debiles, cum tamen Aureol. usque ad unde triginta ejus fundamenta contra se objiciat, & solvat.

287 Dicendum ergo, quòd in rebus, seclusa opere intellectûs, dantur relationes prædicamentales; hæc multis posset ex iis rationibus probari, quas solvit Aureolus; ut enim poterit patere legenti, multæ contra solutiones ejus restaurantur de facili. Prob. primò à paritate in Divinis: Paternitas in Deo non significat neque Deitatem ipsam, neque comparationem per opus intellectûs, sed veram relationem, quæ re ipsa est in Deo; ergo paritèr in creatis. Antec. eo patet, quia ex relationibus distinguuntur suppositа, non autem potest accipi realis distinctio neque ex ipsa Deitate, neque ex comparatione per opus intellectûs. Conseq. item patet, si enim *genuisse* sufficit, ut consequatur in Deo vera habitudo ad Filium, multò magis in creatis, ubi *genuisse* fundat realem dependentiam.

288 Ad hanc rationem respond. primò N. Basil. quòd Paternitas in Deo relatio est transcendentalis, eo quòd substantialis est Personæ; quare inde non probantur in creatis relationes prædicamentales, sed ad summum transcendentales. Resp. secundò, neque id probari: quia aut relatio transcendentalis petit ex natura sua duo extrema, & hoc ait dubium omninò; quare licèt in Divinis id, docente Fide, cogamur ponere, non tamen in creatis, quod ex instituto probat seq. cap. aut non petit ex natura sua duo extrema, & tales non posse dari, cap. 4. probat: summa ergo doctrinæ ejus est, quòd relativa debent esse simul naturâ; tunc autem duo esse simul naturâ tantum est, aut quia identificantur, aut quia à se invicem dependent: in Divinis ergo Personæ, licèt non dependeant, identificantur tamen; at in creatis nec identificantur extrema, nec á se dependent, quia, sospite patre, moritur filius, & è contra; quare licèt in Deo possimus

mus salvare veram relationem, non tamen in creatis.

289 Sed neutra solutio subsistit: prima falsum assumit, quòd relationes in Deo sint transcendentales, quod primò colligitur apertè ex P. Augustini verbis suprà datis, quòd nempè *cætera transeunt in Divinam substantiam, & sola relatio manet in Deo secundùm genus suum*; si enim secundùm genus suum manet, non transcendens est, sed de genere relationis. Secundò, quia conceptus Deitatis absolutus est omninò, & sine omni relatione accipitur; quare relatio ibi non transcendit. Tertiò, relatio transcendens non petit extremum coexistens; quia enim per suam quidditatem unumquodque non est aliud, & ab alio distinguitur, nullo alio existente, distinctionem habet ab omni non ipso, ideo relatio, in qua consistit distinctio, transcendentalis est; at per doctrinam ejus Paternitas ex quidditate sua, etiam in Divinis, petit extremum; patet enim, quòd, non intellecto Filio, non intelligitur Pater, sed Deus tantùm: ergo. Deinde, ratio, qua nititur, nulla est, quòd enim substantialis sit, sive essentialis Personæ, non probat, quòd sit transcendentalis, sed tantùm, quòd substantialis, sive essentialis esset Deitati: forma enim quælibet accidentalis, subjecto, cui advenit, accidentalis est, & extra essentiam, cum hoc tamen toti concreto essentialis est, quippe ipsum constituit.

Præterea: Eo dato, quod assumit solutio, non solùm non infringit argumentum, sed potiùs roborat, & confirmat, quod sic patet: Eo Paternitas in Divinis transcendentalis est, quia est substantialis ipsi Personæ; sed in creatis non est substantialis: ergo. Major est ratio solutionis. Min. eo patet, quia Sortes non est pater per substantiam suam.

Secunda solutio item de facili rejicitur: Quòd relatio transcendentalis non petit extremum coexistens, jam patet ex dictis, & quòd tales multæ dantur, probatione non indiget; ut enim cætera mittamus, hoc, quod est unum non esse alterum, seu ab altero distingui, & est ad alterum se habere, & datur in re ante opus intellectûs; quòd si dicatur, non esse aliquid entitati superadditum, hoc quidem probat, relationem non distingui à fundamento suo, de quo postea, non autem no dari in re: quod ergo concludit, dependentiam unius ab altero, quam relatio requirit, in creatis non dari, non ex eo deducitur, quòd unum manet, alio destructo; manet enim homo, ex quo sequitur, quòd in ratione hominis non dependet; non manet autem pater, ex quo sequitur, quòd dependet in ratione, qua pater est.

290 Probat. secundò eadem Conclusio directa ratione: Sortem esse

esse patrem, & sibi convenit á parte rei, & non substantiam ejus significat: ergo relationem realem de Prædicamento. Patet antec. in re enim, nullo cogitante intellectu, habet Sortes substantiam suam, qua homo est; habet insuper, quòd genuit, & præter hoc, quòd, ex quo genuit, habet denominationem patris; quòd enim genuit, transiit, dicitur autem pater permanenter, & de præsenti. Ostenditur conseq. esse enim in re quantum sufficit ad rationem Prædicamenti, nihil est aliud, nisi quod respondet intellectui prædicanti, & affirmanti, nempé esse quidditativum, & definibile, prædicamentalis enim divisio est eorum, quæ dicuntur; jam autem intellectui concipienti, & affirmanti, Sortem esse patrem, in re ipsa aliquid respondet; non enim fingit, quando ita affirmat; non respondet, quòd Sortes est in se ipso hæc talis substantia, nec præcisè, quòd genuit, sed quòd, ex quo genuit, se habet ad filium: & sic se habere quid est in ipso Sorte ad Prædicamentum pertinens relationis.

Confirmatur: Alitér intellectui respondet se habere ad alterum in re concepta, quando asserit, quòd Sortes distinguitur à Platone, ac quando asserit, quòd est illi aut in quantitate æqualis, aut in qualitate similis; sed utrique apprehensioni respondet in re se habere ad alterum: ergo in re ante opus intellectûs datur relatio realis transcendentalis, & prædicamentalis. Hæc ratio non solùm intentam Conclusionem probat, sed differentiam prædicamentalis, & transcendentalis relationis ante oculos ponit. Itaque minor ex terminis patet, in re enim habet Sortes & similem esse, & distinctum, neque fingit intellectus id apprehendens, atque affirmans. Major itaque ostenditur: Distinctum esse significat ejus quidditatem; ea enim est id, quod est, & non aliud, non autem absolutè, & omninò in se, sed quodammodò ad alterum, quod excludit, sive quod non est; at similem esse non significat quidditatem, aut præcisè qualitatē, sed convenientiam ejus; item distinctum esse perpetuò, & inseparabilitér convenit quidditati; similem esse, seu talem convenientiam habere contingentèr convenit qualitati: patet ergo non solùm, quòd utrumque se habere in re est, sed etiam utriusque diversitas.

291 Ad hanc rationem respondet Aureolus, quòd similitudo v. g. non est nisi apprehensio, qua intellectus accipit duas albedines ut indistinctas, non quidem apprehensio formalis, sive actus ipse concipiendi, sed objectiva, sive res ipsa apprehensa: hæc ergo indistinctio convenientia est, quam dicimus similitudinem; quare hæc non est in re nisi potentia propinqua ad talem apprehensionem, & uni-

niversaliter quælibet relatio nihil est nisi potentia, ut intellectus apprehendat, & alteri comparet.

292 Sed contra: Et in primis falsum est, quòd similitudo tantùm sit convenientia, quæ est indistinctio, imò distinctionem supponit, non enim nisi duorum similitudo intelligitur: aliud ergo est entitaté filii non esse entitatem Patris; aliud verò talem proportionem habere, quòd illi conveniens sit, aut disconveniens. Deinde, eo intellectus apprehendit sic convenire, aut non convenire, quia in re ita est, quòd conveniunt, aut disconveniunt: ergo ante apprehensionem intellectûs in re est ipsa convenientia, aut disconvenientia, quæ est similitudo, aut dissimilitudo. Explicatur: Objectum movens apprehensionem intellectûs præcedit in re, terminans verò sequitur; sed quando intellectus apprehendit proportionem, seu convenientiam, quæ est similitudo, ab ipsa re movetur: non ergo illa convenientia, quæ est similitudo, est tantùm in apprehensione objectiva, seu objecto terminativo, ut ipse putat, sed in re extra, ut est objectum motivum. Alia possent adduci, sed sufficienter ex his patet Conclusio, & patebit amplius solutione argumentorum.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

293 ARguit primò N. Basil. qui Aureoli fundamenta colligit, & exornat, authoritate Philosophi 6. Metaph. text. ultimo, ubi ita habet: *Est quoddam ens, quod cum alio copulatur, & cogitatio dividit illud:* loquitur de relatione, & vult apertè, quòd solâ cogitatione constituitur; quare Commentator hunc textum explicans, ait: *Quòd intendit Philosophus, quòd talia prædicamenta, quæ habent comparationem, non essent, si anima non esset.*

294 Sed in primis verba textûs, quamquam in antiquiori versione habeantur, in novioribus autem sensum habent longe alterum; quare Commentator non ait absolutè, quòd intendit, sed quòd *fortè intendit*, neque absolutè, quòd non essent, sed quòd *existimantur, quòd nisi anima esset, non essent.* Deinde, hoc misso, textus, ut jacet, non ipsum juvat, sed nostram confirmat sententiam; non enim ait, quòd cogitatio facit tale ens, sed quòd est; cogitatio autem dividit, seu distinguit, quod est asserere relationem quidem in re esse, non autem in re aliud esse à fundamento suo.

295 Adducit secundò verba Divi Anselmi in Monol. cap. 24.

ubi cùm statuisset Deo nihil posse accidere, objicit contra se: *Quomodò non est particeps accidentis, cùm hoc ipsum, quòd major est omnibus naturis, & quòd illis dissimilis est, illi videatur accidere?* Respondet autem: *Sed quid repugnat quorundam, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incommutabilitas, si ex eorum mutatione nulla substantiæ sequitur variabilitas?* Subdit autem, hujusmodi esse relationes, & exemplificat de creatis: *Nam ego neque major, vel minor, neque æqualis, vel similis sum homini post annum nascituro, omnes autem relationes has habere potero sine omni mei mutatione.*

Ex hoc D. Anselmi loco multipliciter arguit: Relationes, quibus Deus dicitur major, vel dissimilis creaturis, non possunt esse reales; sed ineptè argueret, nisi idem sentiret de creatis: ergo. Secundò: Si relationes in creatis sentiret esse reales, non assereret acquiri sine ulla omninò mutatione, quia, relatione ædveniente, quæ antea non erat, aliter se habet subjectum, quippè aliquid reale acquirit, scilicet ipsam relationem. Tertiò: Si sentiret, relationes esse reales, non assereret, non esse verè, & propriè accidentia. Quare concludit, quòd ejusdem rationis putavit relationes, quæ in Deo sunt, & quæ in creatis; & consequenter utrobique solùm secundùm rationem. His adjungit authoritatem P. Augustini 5. de Trinit. cap. 4. dicentis: *Accidens autem non solùm dicitur, nisi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti potest.*

296 Dicendum, quòd verba Divi Anselmi nihil ipsum juvant; tantùm enim intendit, quòd relatio de se, & ex propria quidditate non inducit mutationem; quod verum esse, jam diximus, non tamen inde sequitur, quòd tantùm sint secundùm rationem, & per comparationem intellectûs. Ad primum ergo, idem tenet de illis, de quibus loquitur, ac de creatis, quantum ad intentum suum, nempè quòd per se, & ex propria quidditate non inducit mutationem; quia enim sub dubio est, an relationes temporales sint reales in Deo? Hoc misso, recurrit ad quidditatem ipsius relationis, & asserit, quòd, quia relatio potest advenire sine mutatione ipsius relati, per solam mutationem factam in alio, non sequitur aliqua in Deo mutabilitas, ex quo incipiat habere denominationem relativam.

Ad secundum, jam suprà explicatum est, quomodò relatio, & si sit realis, & realiter referat, adveniat sine mutatione, nempè non est realitas aliqua subjecto superaddita, sed sic se habere ipsius, neque sic se habere in se quod etiam significat mutationem, sed se habere ad alterum, quod tantùm per alterius mutationem esse potest. Ad tertium, accidens est, quod alte-

alteri accidit, sive extra essentiam convenit; & quia, quod ita convenit, potest esse realitas aliqua physicè perficiens, aut tantùm affectio, sive modus se habendi tantùm conceptibiliter differens, accidens aut accipitur physicè, & quantum ad esse, aut metaphysicè, & quantum ad quidditatem, & prædicationem; illud primum propriè, & simpliciter accidens dicitur; hoc secundum tantùm latè, & cum addito: relatio ergo non est accidens nisi hoc secundo modo. Quo patet ad locum P. Augustini superadditum: Accidens simpliciter non dicitur, nisi quod mutatione advenit, aut amittitur, nempè quod est forma aliqua perfectiva; cum quo stat, quòd affectiones, quæ nullam realitatem addunt, conveniunt tantùm contingenter, accidentia dicantur metaphysicè, & quantum ad dici, & talia possunt sine mutatione incipere, & hujusmodi est relatio. Adde, quòd relatio ipsa est realitas fundamenti ad alterum se habens, puta, similitudo ipsa est albedo cum altera conveniens; quare realiter ratione fundamenti habet inesse, accidens est, & mutationem causat.

297 Adducit tertiò authoritatem Damasceni in Dialect. sua cap. 34. ubi ait: *Oportet autem cognoscere, quoniam, quando aliquid secundùm se ipsum consideratur, non est ad aliquid; quando autem habet habitudinem ad alterum, dicitur ad aliquid: quare hoc est esse eorum, quæ ad aliquid, & hæc ipsorum est hypostasis in eo, quod est ad alterum dici.* Et paucis interjectis: *Oportet ea, quæ ad aliquid dicuntur, prius ad aliud prædicamentum reduci tanquàm separatim considerata, & tunc demùm ut habitudinem, & affectionem ad aliud habentia, ad ea, quæ ad aliquid sunt, referri: quippè prius aliquid sine habitudine, & relatione esse necesse est, ac tùnc habitudinem in ipso considerari.* Quibus verbis relationem in ipso considerari ad alterum constituit.

298 Sed in utroque loco verba Damasceni clara sunt: intendit itaque, quòd relatio non est res aliqua fundamento suo superaddita, sed ipsa ejus realitas, quæ aut accipitur in eo, quod est in se hoc aliquid; aut in eo, quod ad alterum ita se habet; & quia prius est in se esse hoc aliquid, quàm ad alterum sic se habere, oportere, ait, prius esse in alio prædicamento; eam autem sic se habere non ipsa consideratio facit, imò ipse ait apertè, quòd habet habitudinem ad alterum: quia ergo se habere ad alterum est relatio, si id res ipsa habet, ut consideratio illam sic accipiat, profectò relatio in re ipsa est.

299 Arguitur secundò ratione: Si similitudo, & æqualitas essent re ipsa in qualitate, & quantitate, de posse absoluto Dei possent manere duæ qualitates sine simili-

militudine; sed hoc est omninò impossibile: ergo. Instatur primò: Si similitudo sola est comparatio intellectûs, intellectu non comparante, nulla est similitudo, quare siquidem naturalitèr, & sine ullo miraculo cessat intellectus ab actu comparandi, naturalitèr erunt duæ albedines sine similitudine; sed hoc per ipsum etiam de posse absoluto implicat: ergo. Secundò: Si sessio v. g. est aliquid re ipsa in sedente, poterit de posse absoluto sessio conservari sine sedente; sed hoc implicat: ergo. Aperté autem videmus sessionem in re extra esse: ergo argumentum non convincit.

300 Ad hanc instantiam respondet Aureolus, quòd ex natura rei prius potest conservari sine posteriori, non autem è contra; tùnc autem duplex albedo prior est similitudine, quæ ad utriusque positionem sequitur, sessio autem posterior est sedente: non ergo poterit sessio sine sedente conservari; benè autem duplex albedo sine similitudine. Si dicatur, quòd duplex albedo, etsi prior sit, ut autem fundamentum est similitudinis, ab ea dependet; quare nequit sine ea conservari. Contra insurgit ipse: Quòd hæc est aperta implicatio, quod enim ab altero dependet, eo sensu, quo dependet, illud respicit ut causam; causa autem prior est: aut ergo non dependet, si prior est; aut non est prior, si dependet.

301 Ad hanc instantiam dicitur, quòd ea quidem verum assumit; sed quo sensu relatio prior est, & causa respectu fundamenti, eodem sessio prior est sedente: itaque aut considerabitur sedens in eo, quòd homo est, aut in eo, quòd est sedens; priori modo prioritatem habet, & non dependet à sessione, poteritque sine illa conservari; at posteriori modo sessionem respicit ut causam formalem, & rationem constitutivam in esse talis; quare posterius est, dependet, & non potest sine sessione conservari: ita ergo albedo aut potest considerari in eo, quòd est hæc qualitas; aut in eo, quòd alteri proportionem habet: & priori modo non dependet á similitudine, posteriori autem ipsam dicit proportionem, quæ est similitudo, ut causam formalem, & rationem constitutivam, & sic ab ea tanquam á priori dependet.

Clarius ex doctrina ipsius instatur argumentum: Nam ipse ponit in re esse potentiam propinquam similitudinis, quatenùs in duplici albedine est potentia propinqua, ut ab intellectu fiat comparatio: de hac ergo fiat argumentum in eâdem forma: Si potentia propinqua ad similitudinem esset in re, posset Deus conservare duas albedines sine potentia propinqua ad similitudinem; sed hoc implicat: ergo talis potentia propinqua non est in re, sed tantùm per considerationem intellectûs. En

ipse

ipse tenetur argumentum suum solvere, & quod dicat de potentia propinqua, nos dicimus de relatione. Quòd si dicat, talem potentiam propinquam ipsam esse albedinis entitatem. Contra: Albedo secundùm se, & ex entitate sua est omninò absoluta, & tantùm potentia remota, ut ab intellectu comparetur: ut ergo est potentia propinqua, aliquid amplius dicit, seu ipsam entitatem aliter acceptam, saltim in consortio alterius, & secundùm proportionem, vi cujus intellectus unam alteri comparat; & hoc dicimus relationem.

302 Directé resp. neg. maj. tunc enim potest unum sine altero conservari, quando realitas est omninò prior; & hoc sensu se habet ad similitudinem quælibet albedo seorsim, & secundùm se; ex suppositione autem, quòd duplex ponatur, neque esse, neque intelligi potest sine proportione, & convenientia, quam in re habet, quippé hæc de necessitate metaphysica consequitur ad talem suppositionem, nempè quòd sit duplex, & quòd utraque habeat quidditatem albedinis; quare ad talem convenientiam non comparatur duplex albedo ut quid omninò, seu per omnem modum prius, nempè eam respicit ut causam formalem. Quo interim habes sensum illius principii, quod frequenter usurpant Scotistæ, nempè, quodlibet absolutum prius altero potest Deus sine posteriori conservare, id verum est, si sit omninò prius; essentia namque absolutum quid est, & prior existentiâ, neque tamen potest sine ea conservari, esset enim existens sine existentia: ratio est, quia conservari essentiam est ipsam in esse manere, quare respicit existentiam ut causam formalem, & sic ipsa essentia non est omninò prior; quare nequit sine existentia conservari, aut effectu ejus.

303 Arguit tertiò: Omnis res connectens duo extrema impeditur per distantiam, saltim ne ita fortiter agat; sed relatio nullâ distantiâ impeditur, connectit autem fundamentum cum termino: ergo non est res aliqua, sed tantùm apprehensio. Maj. patet inductione, min. autem etiam patet, siquidem albo hîc existente, æquè sequitur similitudo, si hic aliud album ponatur, ac si ponatur Romæ, æquè enim huic, & illi similis est. Mitto solutiones, quas ipse adducit, & impugnat, quia non sunt ad propositum.

304 Resp. disting. maj. Impeditur per distantiam, quæ est de formali, & secundùm quam connectit, conc. maj. impeditur per distantiam, quæ est de materiali, & secundùm quam non connectit, neg. maj. & acceptâ eodem sensu minore, patet ad rationem probativam. Itaque similitudo non connectit situaliter, quare non impeditur per distantiam localem; connectit

nectit tantùm secundùm proportionem, & convenientiam in albedine, & per hanc utiquè impeditur; si enim album, quod hìc fit, minùs sit album, quàm quod Romæ, minùs erit simile.

305 Arguitur quartò: Quod de novo acquiritur sine acquirentis mutatione, non est aliquid in re; sed relatio acquiritur sine acquirentis mutatione: ergo. Minor ab omnibus conceditur, & majorem ita ostendit: Mutari est alitèr se habere, quàm prius; sed acquisitio, eo quòd est aliquid in re, alitèr se habet, quàm priùs: ergo. Hanc rationem, ait N. Basil. coegisse S. Thomam asserere, quòd relatio quantum ad realitatem præexistit in fundamento suo. Resp. neg. maj. & ad prob. ejus distinguo. min. Acquisito eo, quod est aliquid in se perficiens, sive in ordine ad se denominans, conc. min. quod tantùm, & præcisè est ad alterum se habere, neg. min. hoc enim in se relinquit rem, ut priùs erat. Nec S. Thomas docet, quòd relatio præexistit, sed tantùm, quòd, quia nullam realitatem fundaméto superaddit, realitas, quam dicit, præexistebat, nempè ipsa realitas fundamenti, nam simile esse dicit in subjecto ipsum esse album, quod priùs habebat, & tantùm addit se habere ad alterum.

306 Arguitur quintò: Si aliqua datur relatio realis prædicamentalis, ea pendet ab existentia termini; sed in nullo genere causæ potest talis dependentia salvari: ergo. Ostenditur min. Ut enim in albo hìc existente fiat similitudo, album Romæ positum nullam omninò influentiam habet, aut causalitatem, ut patebit discurrendo per quatuor causas; non enim aut recipit, aut imformat, aut efficit, aut finis est. Resp. neg. min. & ad prob. ejus dicitur, quòd relatio, eo quòd est minimum inter omnia Prædicamenta, non terminat motum, aut causalitatem per se, ut docet Philosophus 5. Physic. quare illa dependentia non est in aliquo genere causæ propriè talis, talem enim non habet relatio, sed latè, & reductivè; reducitur autem illa dependentia ad genus causæ formalis, quatenùs relatio à termino specificatur.

307 Arguitur sextò: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est ponendi relationem in re: ergo. Prob. min. Quidquid enim facit relatio, per hoc salvatur, quòd entitatem absolutam intellectus noster cogitet alteri comparare. Confirmatur: Vbi majus, aut æquale saltim fundamentum adest ad ponendam relationem, eam salvamus per actum intellectûs comparantem: ergo ita dici debet absolutè in omnibus. Prob. antec. Non minùs, imò magis Deus est producens, quàm creatura; sed in Deo non ponimus relationem secundùm rem, sed tantùm secundùm actum intellectûs nostri: ergo.

Resp.

308 Resp. neg. min. & ad prob. ejus dicitur, quòd implicat intellectum nostrum cogi ad sic concipiendum, & in re nullam esse relationem; si enim cogitur albedinem concipere comparativè ad alteram, & illi similem, in re ipsa est proportio, & convenientia, vi cujus cogitur, & hæc est similitudo: quia ergo necesse est in re ponere talem convenientiam, non ex necessitate ponitur similitudo. Ad confirmationem, producere in creatura dicit in re ipsa actionem, qua potentia determinatur, & fit in actu, & ad hanc sequitur relatio secundi generis; in Deo autem producere non dicit actionem, sed velle æternum, quod est ipsa ejus essentia; & quia in tempore ponitur in esse res producta, illud velle concipimus ad modum actionis: quia ergo tantùm secundùm conceptionem nostrâ ponimus ibi productionẽ, quę est actio potentiam determinans, tantùm secundùm rationem est ibi relatio producentis.

309 Arguitur septimò: Quod fundatur super non ens, non est in re extra, sed tantùm in conceptione; sed relatio secundi generis fundatur super non ens: ergo. Patet major, quia non ens tantùm conceptione accipitur ut ens, & potens fundare. Prob. min. Talis relatio fundatur super egisse, manet enim, transactâ actione; sed egisse non est, ut patet: ergo. Resp. neg. min. & ad probat. neg. maj. non enim super egisse, sed supra potentiam activam, ut per actionem determinatur, fundatur illa relatio, ut jam supra explicatum est.

310 Arguitur octavò: Relationes domini ad servum, & ê contra non sunt ipsa potentia dominandi, aut obligatio obediendi, sed actus imperandi, & obsequendi, ut considerantur connectentes utrumq; in re enim transeunt ipsi actus; quare non aliud intelligitur dominium nisi directio, & regulatio permanenter, & per modum habitûs concepta; sed patet, quòd hujusmodi connexio non est in re: ergo.

311 Resp. quòd utraque præmissa falsa est: maj. quidem, quia relatio dominii non consistit in actu ipso imperandi; dominus enim talis est, quamvis nihil imperet, ex quo jus habet, & potestatem imperandi, & similiter servus, quamvis sibi nihil actu imperetur, talis est, ex quo tenetur obedire; non utique in ipsa potentia dominandi consistit relatio, sed non proinde in actu considerante, sed in habitudine, quæ consequitur ad talem potentiam; ex quo enim quis habet jus imperandi alteri, re ipsa, & secluso quacumque consideratione, habitudinem habet ad illum. Quo patet falsitas min. illa enim connexio, quæ est vi hujus habitudinis, in re ipsa est ante considerationem.

312 Arguitur nonò: Nihil est com-

commune duobus realiter distinctis, nisi aut ens rationis, aut denominatio extrinseca; sed relatio est forma communis fundamento, & termino: ergo. Resp. primò neg. maj. unio enim re ipsa ante opus intellectûs est commune ligamen extremorum. Resp. secundò neg. min. relatio enim non utriusque est affectio, sed solius fundamenti, quod refertur, licèt non in se, sed ad alterum efficiat. Cætera, quæ habet N. Basil. procedunt contra Conclusionem seq. art. quare ibi poterunt solvi.

ARTICVLVS III.

An, & quomodò Relatio distinguatur à fundamento suo?

§. I.

Quibusdam notatis, referuntur sententiæ.

313 HANC inter omnes, quæ in Logica controvertuntur, quæstionem esse difficillimam, multi fatentur, adeo ut Flandren. asserat, quòd, qui eam intelligit, & sapiens est, & de numero benè philosophantium jure prædicabitur; quare eam expendamus oportet aliquantò latiùs, maximè, quia sententia B. Doctoris singularis putatur, nec eam benè explicant multi de Nostris. Difficultatem autem facit ipsa quidditas relationis, quæ inter omnia Prædicamenta minimum habet esse; quare difficile est eam à cæteris segregare, & secundùm propriam quidditatem accipere: quia ergo tantùm secundùm rationem quidditatis distingui docet B. D. videamus oportet, quid hoc est, quod dicimus *puram quidditatem.*

314 Notandum itaque ex B. D. in 2. dist. 3. p. 1. q. 2. art. 2. dub. 2. later. quod etiam notandum jubet N. Manso 1. Physic. q. ultim. §. 1. n. 1. quòd idem omninò significat *essentia*, *natura*, & *quidditas*, aliter tamen; nam ab eo, quod est *esse*, dicitur essentia, sicut ab eo, quod est *sapere*, dicitur sapientia; quare est essentia secundùm quod sibi correspondet esse; natura definitur 2. Physic. *Principium motus ejus, in quo est*, quare est natura, prout est principium operationum; deinde, quòd quid est, est objectum intellectûs, quare est quidditas, prout intellectui respondet rem concipienti, & per definitionem explicatur: eadem ergo prædicata hominis sunt quidditas ejus, natura, atque essentia, nempè animal rationale, sive corpus, & anima rationalis; prout est id, quod existentiâ terminatur, est essentia hominis; prout est radicale, & primum principium operationum hominis, est natura ejus; prout verò est, quod respondet intellectui concipienti hominem, est quid-

quidditas ejus.

Imaginabimur itaque, quòd aliquid poterit sic habere proprium esse, quòd tamè non sit alicujus operationis principium, & hoc sic erit essentia aliqua, quod tamen non erit natura, & hujusmodi est quantitas; habet enim proprium inesse, & perficere, non autem habet proprium operari; quòd si aliquid ita sit debile, quòd habeat quidem proprium concipi, sit de se, & seorsim à reliquis proprium objectum intellectûs, propria definitione explicetur; hoc tale sic erit de se quidditas aliqua, quòd si non respondet sibi proprium esse, aut operari, non erit essentia, aut natura aliqua: sic ergo relationem concipit B. D. quod de se non habet proprium operari, neque esse, prout esse, & operari accidenti possunt convenire; quare non est de se essentia, aut natura aliqua, etiam latè, & prout dicimus essentiam, & naturam accidentis; sibi tamen respondet in re proprius conceptus definitione explicabilis; quare est de se quidditas aliqua.

315 Pro cujus intelligentia notandum ulteriùs, quòd aliter esse respondet substantiæ, aliter verò accidenti: substantia namque est ens in se, & per se, quare esse, quod sibi respondet, est existere, & in se esse; accidens verò est ens in alio, & ut ait Philosophus, non est ens, nisi quia entis; quare sibi non respondet proprium existere, ut probabimus in Metaph. sed accidentis esse est inesse, & perficere. Tùnc itaque accidens habet proprium esse, quando de se perficit, & aliquod perfectum esse communicat, ut albedo esse album, quantitas esse extensum, & divisibile; jam autem relatio est, cujus totum esse est ad alterum se habere, ita quòd similitudo non est aliqua perfectio, aut perfectum esse in ipso simili præter esse album, sed ipsum esse album cum altero convenientiam habens: similitudo ergo non est essentia aliqua albedini superaddita.

Quia tamen ipsa albedo in re existens, & secluso opere intellectûs, licèt sit una essentia, & unum habeat perficere, nempè album facere, duplici modo est objectum intellectûs, & duplici habet definitione explicari, alterâ, secundùm quod in se est hoc aliquid; alterâ, secundùm quod cum alia talem convenientiam habet, duplex est quidditas, seu duas habet rationes quidditativas, quarum prima sic est de se quid, quòd est etiam res, & essentia aliqua; secunda verò, nempè ipsa convenientia, seu ad alterum se habere, sic est de se quid propriâ definitione explicabile, quod non est res, aut essentia aliqua, sed rei, sive essentiæ, nempè ipsius albedinis nova conceptibilitas: non ergo consistit relatio in esse concepto, seu quod conceptio faciat, sed conceptibili, & quod in re ipsa

præcedit conceptionem; in re enim albedo habet illam cum altera convenientiam, quod tamen non nisi conceptione distinguitur; illa enim convenientia, quam in re habet albedo ad alteram, est in re ipsa albedo.

316 Hinc ea omnia, quæ relationis propria sunt, facillimè explicantur: primò enim ea non ponit in numerum cum fundamento suo, licèt enim in re sit, non est in re aliud; deinde non inducit per se mutationem, licèt enim sit in re sic se habere, non tamen sic se habere in se ipso, sed ad alterum; insuper non terminat motum, quia motus terminatur de necessitate ad conjungendum actum potentiæ, seu ponendam formam in subjecto; relatio autem non est forma aliqua, aut actualitas subjecto superaddita; constituit tandem speciale Prædicamentum, quia specialem habet conceptum metaphysicum, & modum essendi, ex quo sumitur prædicatio generalis, & non reducta in aliam; Prædicamenta autem, ut sæpe dictum est, & habet Philosophus ipse, *sunt eorum, quæ dicuntur*. Quia itaque oportet, quod hucusque doctrinaliter explicatum est, probare, quo commodiùs id fiat, sententias seorsim expendemus.

317 Tres igitur sunt principales sententiæ, duæ extremæ, & altera media: prima sententia ponit distinctionem realem relationis à fundamento, & hujus triplex est modus; nam aliqui volunt, hujusmodi distinctionem esse entitativam, & rei à re: hanc tenent multi ex antiquioribus Thomistis. Alii volunt, esse modalem, nempè modi à re modificata: hanc tenent communiter RR. Thomistæ, & Bachonistæ. Alii entitativam, & modalem negant, & ponunt distinctionem realem quidditativam: & hanc tenent ex Nostris Villanova, & Manso, sic explicantes mentem B. D. quòd distinctio secundùm rationem quidditatis realis sit.

Secunda sententia negat omninó distinctionem ante opus intellectûs; & in ista prior modus ponit, relationem consistere in præcisis entitatibus fundamenti, & termini; & ita tenent Nominales, & ex DD. Societ. Hurtado, Arriag. Alfons. & alii; citant pro hac sententia Suarium, sed immeritò; ipse enim docet quidem, relationem non distingui realiter à fundamento suo, non tamen ipsam consistere in præcisis entitatibus fundamenti, & termini; longè enim aliud est physicè, & realiter non esse aliquid illis entitatibus superadditum, aliud verò formaliter, & metaphysicè in præcisis entitatibus consistere. Alter ergo modus ponit, quòd relatio non consistit in entitatibus fundamenti, & termini, sed in reali habitudine unius ad alterum, hæc tamen sola ratione est aliud à fundamento ipso. Hæc est sententia

B.

B. D. quam tenent omnes ejus Discipuli, & præ cæteris late probat Gerardus in 1. dist. 33. q. 1. art. 2.

Tertia sententia media distinguit de relatione, & docet, quod relatio, quæ separari potest a fundamento suo, distinguitur realiter simpliciter, seu distinctione rei á re, tales sunt similitudo, æqualitas, & hujusmodi, quæ prædo dicuntur extrinsecùs advenientes; quæ verò separari non potest, non distinguitur, & tales dicit intrinsecùs advenientes, ut est relatio creaturæ ad Deum Creatorem. Ita Scotus, quem sequuntur Discipuli Magistr. Merin. & alii. Hæc sententia quantùm ad distinctionem de relatione intrinsecùs, & extrinsecùs adveniente cõmodiùs alibi expendetur; oporteret enim nimiùm hunc protrahi articulum, si id vellemus expendere; quare 3. Physic. dùm de relatione transeunte, fundamenta ejus solvemus; ponunt enim, eam consistere in relatione extrinsecùs adveniente; ad præsens autem de relatione intrinsecùs adveniente nobiscum tenet; de alia autem, quam dicit extrinsecùs advenientem, cum priori modo primæ sententiæ; quare, quæ de illo dicantur, huic reponi debent.

Huic tertiæ sententiæ potest annumerari specialis modus, quem tenet quidam de Nostris, vir quidem doctus, in suis manuscriptis; docet enim, quod relatio comparative ad terminum distinguitur realiter, comparativè verò ad fundamentum neque distinguitur, neque identificatur. Cujus fundamentum est, quantum ad primum quidem, dictum B. D. quòd *relatio comparativè ad terminum res quidem est; comparata autem ad fundamentum, sola ratio existit*: quantum ad secundum, quia relatio est, cujus tota quidditas est se habere ad terminum: si ergo tota ad terminum, nihil ad fundamentum; quare ab eo nec distinguitur, nec identificatur, quia utrumque esse supponit, quòd relatio respectu fundamenti nullum omninò habet. Addit, quòd relatio de se, & ex proprio conceptu est entitas, quia contrahit ens, quod nempè descendit ad Prædicamenta. Pro majori ergo claritate singulas sententias seorsim expendemus.

§. II.

Relatio non est modus, aut entitas realitèr differens à fundamento.

318 HÆC ponitur contra duos modos primæ sententiæ; alterum enim de distinctione reali quidditativa, quia specialia habet fundamenta, seorsim expendemus; simùl autem utrumque accipimus, quia nobis eamdem habet difficultatem, quod relatio ponatur modus, aut entitas, dummodo ponatur realiter

à fundamento differre.

319 Prob. ergo primò: Si relatio esset realitas utcumque realitèr à fundamento distincta, nulla esset prædicamentalis; sed hæc sequela est contra DD. illius sententiæ: ergo. Prob. maj. In hoc distinguit Philosophus relativum de hoc Prædicamento á relativo secundùm *dici*, quod non est de hoc Prædicamento, quia relativum prædicamentale secundùm id, quod est, ad alterum se habet; relativum verò secundùm *dici*, secundùm id quod est, est aliquid, quare est de alio Prædicamento, quod tamen habet modum, & dici ad aliquid; sed si relatio est distincta realitèr à fundamento suo, secundùm id quod est, est aliquid in ipso fundamento: ergo quælibet erit tantùm secundùm *dici* relatio, secundùm esse verò suum de alio Prædicamento. Patet maj. eo enim dicit insufficientem primam definitionem, quia, cùm ea accipiat tantùm dici ad alterum, ea comprehendit, quæ in se sunt hoc aliquid, & habent modum relativi, vi cujus dicuntur ad alterum; quare ipse ait definiri debere relativum de hoc Prædicamento per hoc, quòd id, quod est, alterius sit, seu quod idem est, quòd non sit in se hoc aliquid. Patet item min. si enim relatio realitèr distinguitur, eodem modo, quo scientia significat aliquid in intellectu existens, relatio erit quid fundamento superadditum, & in eo existens; quare erit de se, & ex proprio conceptu hoc aliquid.

320 Ad hanc rationem resp. primò aliqui: Quòd quamvis relatio distinguatur re ipsa á fundamento suo, velle, eam esse aliquid in ipso est ignorare quidditatem relationis, quia ea non est aliquid, sed *ad aliquid*; quare, quamvis concipiatur re ipsa superaddita fundamento, non tamen ut ipsum in se perficiat, sed tantùm in ordine ad alterum; quare totum, quod est, est ad alterum se habere. Sed hæc solutio mera verba continet: relationem enim tantùm ad alterũ esse, & tamen esse realitaté aliquam ipsi fundamento superadditam est aperta contradictio; quod enim fundamẽto re ipsa superadditur, in ipso est, ut constituat ad alterum: si ergo in ipso est, habet inesse, & sic non tantùm *ad*; inesse autem proprium, & de se conveniens essentiam accidentis constituit, & consequentèr de se hoc aliquid.

321 Sed iterùm dicunt: Hanc esse quidditatem formæ absolutæ, ut non intelligatur constituere subjectum suum, nisi intelligatur inesse, & informare illud, quia habet esse quid in se, & absolutè; at verò relatio ex quidditate sua habet denominare, & constituere tale, quin intelligatur inesse, & informare, quia quidditas sua tota est ad alterum. Sed iterùm circulus, & merè verba: Quia quidditas

tas sua tota est *ad*, nequit intelligi esse aliquid in fundamento; at si intelligitur re ipsa differens, & ipsi superaddita, intelligitur de necessitate aliquid in ipso: quia ergo tota quidditas ejus est *ad*, nequit intelligi re ipsa distincta, & superaddita.

322 Resp. secundò alii apud N. Gerard. quòd fortè illa ratio convincit, quòd relatio non sit entitas à fundamento distincta, quia tùnc fortè deberet habere essentiam, & quidditatem suam in fundamento; quare esset forma absoluta habens modum relativi; non autem probat, quòd relatio non sit modus realitèr à fundamento distinctus; quod tali ratione ostenditur: Sicut se habet esse in alio ad subjectum, ita esse ad ad fundamentum; sed esse in alio, licèt sit realiter differens à subjecto, non tamen dicit formam aliquam ipsi inhærentem, sed formæ inhærentis modificationem: ergo pariter poterit fundamentum constitui ad aliud per modum, qui licèt sit realitèr distinctus ab ipso, non tamen aliquid in ipso.

323 Sed contra: Modus ex P. Augustino, & communi definitione est determinatio rei proveniens ab altero, ut sigillatio est determinatio ceræ proveniens à sigillo; quare inhærere erit determinatio subjecti proveniens à forma, quæ inhæret; at esse ad aliud non intelligitur determinatio proveniens à relatione, sed relatio ipsa: non ergo sicut se habet esse ad aliud, ita esse in alio. Præterea: Esse in alio non constituit Prædicamentum, sed forma ipsa, quæ in alio est: si ergo ita se habet esse ad aliud, non erit Prædicamentum, sed oportebit ponere formam, quæ causatur talis determinatio essendi ad aliud, quæ erit Prædicamentum relationis; at hoc Prædicamentum est ipsum esse ad aliud: non ergo hoc se habet, sicut esse in alio.

Ulteriùs: Esse in alio magis est determinatio ipsius formæ, quàm subjecti: nihilominus: Aut comparatur cum esse ad aliud, prout esse in alio se habet ad subjectum; aut prout se habet ad formam? Si priori modo, differt realitèr á subjecto, est tamè ipsa forma, quæ in eo est; si posteriori modo, non differt omninò à forma, non enim eam in subjecto esse est realitas media inter utrumque; at relatio ipsum est se habere ad alterum: non ergo realitèr differt á fundamento sic se habente.

324 Probat secundò eamdem Conclusionem N. Gerar. ex Boet. lib. de Trin. ubi sic dicit: *Non ergo potest dici prædicationem relativam quidquam rei, de qua dicitur secundùm se addere, vel minuere, quia tota non in eo, quod est esse, sed in comparatione consistit.* Ex quibus sic arguit: Relatio neque ponit in numerum cum fundamento suo, neque facit cum eo compositionem; sed quod est realitas

litas ullo modo alteri superaddita, illud verè perficiens, & denominans tale, oportet, quòd faciat compositionem, & quod ponat in numerum: ergo relatio non est ullo modo realitas distincta, & superaddita fundamento suo. Patet min. si enim hæc realitas illi superadditur, duo sunt hæc, & hæc, & quia compositio est distinctorum unio, non poterit id sine compositione intelligi. Maj. habetur in verbis Boëtii, & insuper ratione ejus patet: Tota quidditas relationis est ad alterum se habere; sed quod aut in numerum ponit, aut compositionem facit, non est totum ad alterum, sed aliquid sive in se, sive in altero, cum quo compositionem facit: ergo.

Confirmatur: Albo manente in se eodem, atque eodem modo incipit in eo similitudo; sed quod est realitas alteri superaddita, ponens in numerum, & faciens compositionem cum eo, non potest de novo advenire, & subjectum relinquere in se ipso idem, & eodem modo, ac priùs: ergo similitudo non est realitas ita differens, & superaddita. Major patet, quia per hoc, quòd aliud album producatur, nihil in se ipso immutatur album hîc existens. Patet item min. quia accipiens, & habens aliquid distinctum, & superadditum, quod non habebat, aliter se habet, quàm priùs.

325 Ad hanc item eodem modo respondetur, quòd relatio de se non est aliquid, sed ad aliquid, quare superaddita non ponit in numerum, aut facit compositionem, quia numerus est aliquid, & aliquid, & compositio dicit aliquid in aliquo, nempè actum in potentia, seu potentiæ conjunctum; tùnc autem, quia relatio non est aliquid, fundamentum, & relatio non sunt aliquid, & aliquid, sed aliquid ad aliquid se habent. Sed contra: Quòd relatio distinguatur realiter, & tamen non sit aliquid, contradictio est; quod enim distinctionem fundat, ens est, cujus sunt passiones unum, & distinctum. Præterea: Aut fundamentum, & relatio duo sunt quomodolibet; aut unum in re? Si duo sunt, en numerus; si autem unum, non distinguitur.

326 Prob. tertiò alia ratione N. Gerar. Si relatio est ullo modo realiter distincta, & superaddita, adventus relationis est re ipsa transitus de potentia ad actum per actûs ipsius acquisitionem; sed ita esse implicat: ergo. Patet maj. quia fundamentum ante relationem est re ipsa potens referri, relatione autem actu refertur: si ergo relatio est realiter distincta, & acquisita, acquisitio ejus est re ipsa transitus de potentia ad actum, & de non habere ad habere illud superadditum; quod est relatio. Min. ergo ostenditur: Transire re ipsa de non habere ad habere actualitatem superadd tam repugnat intelligi, tùm sine agente, quod redu-

reducat de potentia ad actum; tùm sine influentia, qua actualitatem inducat; sed neutrum adest, superveniente relatione: ergo. Patet maj. quia nihil se extrahit de potentia ad actum, aut se facit in actu; neque potest actualitas re ipsa addi sine additione, & causalitate, qua incipiat. Min. patet primò ex Philosopho 5. Physic. textu 10. dicente, quòd *ad relationem non datur motus*: ergo neque movens extrahens de potentia ad actum. Secundò, quia nullo intellecto agente, aut ejus causalitate ergo hoc subjectum, incipit in eo similitudo.

327 Resp. primò explicando textum Philosophi, quòd nempè loquitur de motu alterationis; & quia talis non datur ad relationem, non potest assignari motus, aut influentia ejus, à qua directè, & per se causetur; cum quo fiat, quòd terminat motum latè, & indirectè in genere causæ *ad quam*, ut nos ipsi diximus; & tùnc motus, & influentia, quæ ponit terminum, indirectè causat relationem; quo sensu aqua calida, nullâ influentiâ, sed per hoc solùm, quòd amoveatur calefaciens, recuperat amissam frigiditatem.

328 Sed contra: Verum quidem est, quòd Philosophus ibi de motu alterationis loquitur; eo enim probat, quia motus non est nisi inter contrarios terminos, relationi autem nihil est contrarium; quare quod dicitur de causalitate indirecta, & in genere causæ *ad quam*, verum est; nihilominùs hæc solutio non infringit vim factæ rationis, quæ sic instauratur: Etiam indirectè, & in genere causæ *ad quam* nequit in aliquo intelligi mutatum esse, quod est habere formam, quam priùs non habebat, quin intelligatur alteratum esse; sed intelligitur incipere similitudo, quin intelligatur alteratum esse: ergo etiam per resultantiam, & in genere causæ *ad quam* similitudo non est forma superaddita. Patet maj. quia alteratum esse, seu quod idem est, esse alterum, nihil est aliud, nisi formam habere, quam non habebat priùs; quare in ipso exemplo solutionis aqua intelligitur recuperare frigiditatem, sine aliquo agente, aut influentia, non autem, quin intelligatur alteratam esse, & aliter se habere, quàm priùs. Min. item patet, quia omninò non alteratur album, aut aliter se habet in se ipso, ex quo fiat simile.

329 Resp. secundò, specialiter ex doctrina Resoluti, quòd relatio præexistit in fundamento, & positione termini non acquiritur de novo relatio, sed tantùm denominatio, quam non habebat priùs: ideo ergo relatio motum non terminat, neque ex quo quis fiat similis, mutationem patitur; etsi enim distinguatur relatio, non eam acquirit. Sed contra: Non ex hoc evacuatur facta ratio, quia si relatio distinguitur realiter, quòd ea

ea præexisteret, facit quidem, quòd non de novo acquiritur, non autem tollit, quin numerum, & compositionem faciat; duo enim sunt fundamentum, & relatio, & compositio nihil est nisi distinctorum unio. Præterea: Præexistere formam in materia, docet ipse; sed hoc non tollit, quin generatio mutationem inducat, quamvis formam non acquirat de novo materia: ergo pariter. Ulteriùs: Aut albedo pro priori ad positionem termini se habet ad alterum; aut non? Si hoc secundum, non præexistit relatio in fundamento, ipsa enim est ad alterum se habere, quare acquiritur: si autem dicatur primum, præexistit quidem, sed non solùm relatio, sed denominatio item relati; talis enim nihil est, nisi ad alterum se habere.

Insuper: Quantumcumque simi itudo congenita sit ipsi albedini, ante positionem termini nequit intellectus ad alteram concipere, aut ex ea accipere prædicationem *ad aliquid*; sed hoc est tota quidditas hujus Prædicamenti, quòd albedo ad alteram concipiatur, quando dicitur similis, & ex ea accipiatur prædicatio *ad aliquid*: est ergo prorsus imperceptibile, quòd relatio præexistit, & congenita est, si tamen non præexistit ipsa denominatio, seu modus se habendi ad alterum. Sicut quæ hucusque adducta sunt, etiam possunt contra distinctionē quidditativam accipi, quatenùs ea realis ponitur, ita ferè omnia, quæ contra illam adducuntur, hùc possunt revocari; quare amplius §. seq. hæc Conclusio patebit.

§. III.

Relatio non distinguitur realitèr quidditativè à fundamento.

330 PRimus, quem sciam, N. Villan. sic exponit mentē B.D. quòd distinctio, quam dicit secundùm rationem quidditatis, sit realis, uno ferè ductus argumento, quòd relatio deficit, & sic separatur; quod quàm sit debile, patebit inferiùs: cujus sententiam secutus est, & multum illustrat N. Manso; cæteri autem omnes B. D. Discipuli distinctionem illam non realem, sed rationis dicunt. Motiva itaque hujus sententiæ hìc expendemus; pro quo opus erit sensum ejus præmittere.

331 Sic explicat N. Manso: Aliquæ sunt res, quarum essentia in actuali exercitio consistit, ut unio, actio, passio, & similes; istæ solam important quidditatem; quare sicut Thomistæ dicunt, quòd, separatis extremis, manet unio quoad entitatem, quippè non aliam habet nisi extremorum, non verò manet quoad denominationem, quia non denominat; ita dicit ipse, manere quoad entitatem, non manere quoad quidditatem,

quæ

quæ in illo exercitio uniendi extrema consistit: sic dicendum, ait, de relatione, quòd ejus essentia consistit in exercitio reali defectibili referendi unum ad aliud; quare, deficiente termino, deficit relatio quoad quidditatem, quæ in illo exercitio consistit; non verò deficit quoad entitatem, quæ ipsa est entitas fundamenti: hinc sequitur, non distingui entitative, quia non aliam habet entitatem ab entitate fundamenti; distingui verò realiter, quia illud exercitium referendi, in quo consistit, reale est, & realiter defectibile; quare quòd sit pura quidditas, nihil est, nisi quòd in exercitio consistat.

Ne autem ex speciali sententia de indistinctione unionis ab extremis deduxisse videatur explicationem sententiæ suæ, aliam adducit ex his, quæ communiter dici debent de actione, & passione: sunt namque una entitas termini, quæ, prout ab agente egreditur, dicitur *actio*; ut verò in passo recipitur, dicitur *passio*. En itaque actio, & passio differunt realiter, quia sunt duo Prædicamenta; non autem differunt entitativè, quia sunt una entitas termini: quomodò ergo hoc utrumque salvabitur? Sic facillimè: Una entitas duplex habet exercitium reale, quod quidem duplex exercitium est duplex ratio quidditativa; quare differunt realiter secundùm rationem quidditatis, seu secundùm reale exercitium, non autem secundùm entitatem. Rursus: Quidditas actionis non est sola entitas termini, sed ea sub exercitio egressionis; passio similiter est eadem entitas, non sola, sed sub exercitio receptionis: quia ergo una entitas habet duo illa exercitia, differt realiter quidditativè, & constituit duo Prædicamenta. Ita est de relatione, consistit nempè in ipsa entitate fundamenti, non sola, sed ut est in exercitio referendi; quare addit relatio supra fundamentum, non entitatem, aut modum, sed quidditatem realiter distinctam, nempe illud exercitium.

332 Sed hæc in primis explicatio in multis deficit: nam primò pro eodem accipit essentiam, & quidditatem, & quod puram quidditatem dicit, vocat essentiam; & quidem ad principia sua consequenter, realis enim distinctio passio est entis; & quod realem distinctionem fundat, non potest non esse ens, & essentia aliqua; jam autem, quod de se essentia est, ab omni non ipso distinguitur, ut essentia ab essentia, & sic entitativè. Secundò, rationem quidditatis accipit ab eo, quod in re est, prout est in re, nempè à reali exercitio; at quidditas, ut ipse etiam docet, & notavimus num. 313. dicitur ab eo, quod est esse objectum intellectûs: ergo. Tertiò, exemplificat de actione, & passione: Aut autem accipit id, quod actio, & passio addunt supra terminum, & quo una differt ab alte-

ra; aut id, quod est Prædicamentũ actionis? Si primum, id est pura relatio, quare explicat idem per idem; si autem secundum, Prædicamentum actionis est ipsa entitas termini sub exercitio, & habitudine ad agens; relatio autem non est entitas fundamenti, sed pura habitudo ejus: non ergo benè exemplificat.

Itaque B. D. q. 4. de Mens. Ang. & sæpe alibi faciens divisionem Prædicamentorum, & ejus sufficientiam ostendens, docet, quòd tria prima Prædicamenta dicunt rem, relatio dicit purum ordinem, & sex reliqua rem sub ordine; quod ipse etiam Manso adducit ex B. D. actio ergo, & quodlibet aliud de sex ultimis neque puram rem dicit, neque purum ordinem, sed utrumque; quare non est actio ipsa egressio, sed terminus sub exercitio egressionis. Imaginabimur itaque, quòd actio activè, & causalitèr dicit influentiam agentis, & sic non est Prædicamentum, neque actio nisi tantùm secundùm *quid*, & cum addito; aut sumitur formalitér, & sic dicit entitatem termini, prout ab agente, est enim fieri rei: notandum autem, quòd entitas termini duplicem fundat habitudinem ad agens, aliam, ex quo producta est, & hæc non est actio, sed super actionem fundatur, seu entitatem per actionem determinatam; aliam, habitudinem fundat, ex quo exercitè producitur; & hæc est formalis ratio actionis: notandum deinde, quòd terminus non egreditur ab agente, sed educitur de potentia subjecti: tria ergo est accipere, entitatem termini, seu formæ, quæ educitur; exercitium, quo educitur, seu successivè transit de potentia ad actum; & habitudinem ad agens; illa duo communia sunt actionis, & passionis; hoc tertium actionem distinguit à passione, nempè ipsa entitas, & motus, quo fit; per habitudinem ad agens est actio; per habitudinem verò ad subjectum, in quo fit, est passio; entitas est qualitas, exercitium est modus ejus, & habitudo est relatio: de quo ergo exemplificat ad explicandam rationem quidditatis? Si de hoc tertio, relationem per relationem explicat; si autem de secundo, non id est pura quidditas, sed modus se habendi entitatem termini in se ipsa afficiens.

333 Tandem deficit explicatio: Quod enim ipse de quidditate asserit, totum omninò accipitur de modo se habendi; hic enim consistit in exercitio, quo entitas modificata sic se habet; quare totum, quod ipse de distinctione quidditativa asserit, admittet sententia ponens distinctionem modalem; intendit autem ipse, quòd relatio non distinguitur modalitèr, sed tantùm quidditativè. Adde, quòd modus non distinguitur realitèr à re modificata, ut est expressa sententia B. D. & probabimus

bimus in Metaphysica. Nec refert, quod ipse innuit, quòd nempè modus non constituit Prædicamentum, sed reducitur ad Prædicamentum rei, cujus est modus; quidditas autem proprium Prædicamentum constituit. Id in primis nihil refert, tantùm enim probat, quòd modus differt à pura quidditate, quod verum est; modus enim determinatio est subjecti in se ipso, & pertinet ad ita esse; quidditas autem non ad esse pertinet in se, sed ad esse quid, seu conceptibile; hoc autem non tollit, quin explicatio ejus tota conveniat modo, est enim modus reale exercitium, quo subjectum ita se habet.

Id deinde est contra expressam sententiam B. D. cit. q. 4. de Mens. Ang. & clariùs hîc q. 22. *quærit* enim: An asperum, & lene *sint* qualitates? Resp. quòd asperum, & lene, & similia, quæ sunt modi relicti ex quantitate, unâ considerationè sunt quantitas, alia qualitas, alia positio; quod sic explicat: Una forma physica, quæ est quantitas, perficit subjectum, & tribuit modum se habendi, puta extensum esse: prout ergo tale perfectum esse, ut sic accipitur, est quantitas; ut verò extensio dicit talem dispositionem in partibus quantum ad terminationem in ordine ad situm, est positio; ut autem talis dispositio nata est causare passionem in tactu, est qualitas. Eu modus se habendi constituit, & diversificat Prædicamenta, quia Prædicamenta, ut loco priùs citato docet Doctor, significant modos essendi, ex quibus sumitur prædicatio generalis, & non reducta in aliam. Ex quo falsum est, quod ipse ait, modum reduci ad Prædicamentum rei modificatæ; nam extensum esse, aut esse calidum non ad Prædicamentum substantiæ, quæ est res modificata, sed ad Prædicamenta reducuntur formæ modificantis: modus ergo, qui habet reduci ad formam, á quæ tribuitur, non constituit Prædicamentum, ut calidum esse reducitur ad formam caloris; qui verò specialem prædicationem facit aliam à forma tribuente, Prædicamentū constituit, ut sedere, asperum esse, modi sunt quantitatis, & primum est *situs*, secundum *qualitas*.

334 Deinde missa explicatione, quòd distinctio quidditativa non sit realis, probatur primò directè ex ipsa ratione quidditatis: Distinctio passio est ejus, quod distinguitur, quare talis est, quale est extremum ipsum distinctum; sed pura quidditas non est res, entitas, aut essentia: ergo non potest distingui realiter. Patet min. ex notatis, quid enim, seu quidditas dicitur ex eo, quod est objici intellectui; quare purè, & tantùm quidditas est, cui purè, & tantùm respondet objici intellectui, prout accipitur contra esse in re. Quòd si dicas: Non objicitur intellectui, sive est objectum

ctum ejus ; quod non est, seu habet esse in re ; intelligibilitas enim passio est rei alicujus. Resp. quòd ita est, & ipsa relatio quædam est intelligibilitas fundamenti, seu fundamentum ita intelligibile ; constituit autem hoc Prædicamentum, non fundamentum ipsũ sic se habens, seu intelligibile sic se habere, sed ipsum sic se habere; quod nil est nisi nova intelligibilitas, & diversa ratio quidditatis.

335 Prob. secundò : Exercitium se habendi ad alterum per se, & ex terminis non differt realitèr ab eo, quod se habet ad alterum; sed quidditas relationis in illo exercitio consistit : ergo. Min. est explicatio N. Manso. Maj. ostenditur : In Deo salvatur relatio quantum ad reale exercitium se habendi ad alterum ; sed in Deo non differt realitèr : ergo. Minor non est, cur probetur, est enim expressa sententia B. D. quam Nostri omnes defendunt, imò definita est contra Porretan. Maj. item est manifesta, Pater enim realiter se habet ad Filium. Confirmatur: Relatio prædicamentalis salvatur in Deo verè, & propriè, licèt per accidens ratione fundamenti non ponatur in Prædicamento; quare, quod est de ratione relationis, illi convenit ; sed illi convenit realis distinctio : ergo. Major expressè colligitur ex P. Aug. 5. de Trinit. cap. 5. cujus verba sæpe adducit ipse Manso, quòd nempè *Cætera transeunt in Divinam substantiam, & sola relatio manet in Deo secundũ genus suum.* Rursus, quòd Deus est sine quantitate magnus, non autem sine relatione Pater.

336 Resp. N. Manso, quòd sicut per accidens ratione fundamenti illa relatio non pertinet ad Prædicamentum, ita per accidens non distinguitur ab eo, nempè, quia est exercitium indefectibile; at verò in creatis est defectibile, & separabile, quare realiter differt. Sed quòd hæc solutio non evacuat vim factæ rationis, satis ex ipsa patet: Distinctio enim passio est ita transcendens, ut impossibile sit etiam intellectu accipere quidditatem sine distinctione, quę illi convenit; est enim impossibile illam accipere sine quidditate, qua intelligitur esse id, quod est ; per id autem, quod est, non est aliud, sive ab alio distinguitur : si ergo, quòd sit indefectibilis, non tollit, quin verè, & re ipsa accipiatur in Deo quidditas relationis, non tollit, quin habeat distinctionem, quę est illius passio ; quare si non habet realem, hæc non est passio quidditatis. Quòd autem illa defectibilitas non sit separabilitas, quæ arguat realem distinctionem, patebit infrà in solvendo argumenta ejus. Ne itaque nimiùm protrahamur, alia mitto, amplius enim Conclusio patebit ex solutione argumentorum ejus.

337 Adducit itaque primò pro sua reali distinctione P. Augustinum 7. de Trinit. cap. 1. sub

medium, ubi ita habet: *Hùc accedit, quia omnis essentia, quæ relativè dicitur, est etiam aliquid, excepto relativo, sicut homo dominus, homo servus.* Reponit autem, quòd loquitur S. Parens de relatione formalitèr ut distincta á fundamento, nam contraponit relativum ad essentiam, quæ relativé dicitur, nempé ad ipsum fundamentum; tùnc autem ait S. Pater, quòd illa essentia est aliquid, non verò relativum, hoc est, relatio ipsa: ergo tenet, quòd relatio ratione sui non est entitas, aut modus, sed quidditas, & essentia.

338 Sed in primis: Quomodo hæc consequentia inde sequatur, ego non video; si enim quidditas est, per ipsum, reale exercitium, qua ratione ipse deducit, quòd est quidditas, poterit deduci quòd est modus? Rursus: Quod est essentia aliqua, esse habet, & est entitas; idem enim, & ab eâdem ratione significat entitas, quod essentia: si ergo deducit, quòd est essentia aliqua, deducat oportet, quòd est entitas; quòd si entitas non est, quia ait S. Parens, quòd non est aliquid, eâdem ratione non est essentia. Præterea: Dato inde deduci, quòd relatio pura sit quidditas, nihil tamen de distinctione reali à fundamento. Sensus itaque S. P. planus est legenti textum; intendit nempè quòd res ipsa, quæ relative dicitur, aliquid est in se, ut dominus in se, & absolutè homo quidam est; ipsum autem relativè dici, sive eadem res reduplicativé, ut est relativa, non in se aliquid significat, sed ad alterũ se habere, ut dominum esse non significat aliquid in se, sed se habere ad servum.

339 Alium adducit S. P. locum 5. de Trinit. cap. 5. quo ait, quòd Pater verè, & re ipsa dicitur ad Filium; insuper, quòd hoc esse ad Filium non est substantia, quippè non in se, & ad se dicitur, rursus, neque accidens, quia non defectibile. Ex quibus arguit, quòd relatio in Deo non est substantia, neque accidens: ergo pura quidditas. Sed in primis, ubi realis distinctio, quam intendit? Deinde: Ex relationibus in Deo arguit ad intentum de relatione ut sic; sed relationes in Deo non distinguuntur realitér: ergo. Intendit itaque S. P. quòd relatio in Deo non substantiam significat, sed veram ejus habitudinem; sed non proinde aliquod accidens, quia Deo nihil accidit; ex quo solùm sequitur, quòd illud se habere sit quidditas, non autem quòd realitèr differat, quod erat probandum.

340 Adducit deinde B. Doctorem in 1. dist. 27. & dist. 33. hæc tamen loca §. seq. expendemus: insuper in 3. dist. 8. p. 3. q. 1. a. 2. dub. 1. later. §. *Isti ergo*, ubi docet, quòd alia Prædicamenta ex propriis prædicatis sunt aliquid, relatio verò ex se formalitèr non est aliquid, sed ad aliquid: ex quo subsumit N. Manso, quòd

hoc

hoc ad aliquid deficit: ergo realitèr distinguitur. Sed locus iste nihil ipsum juvat, imó si relatio de se non est aliquid reale, non distinguitur realitér; quod enim non est, non est distinctum: intendit ergo Doctor, quòd relatio de se non est realitas aliqua, sed pura quidditas, quare quidditativè distinguitur; non autem docet, nec inde colligitur, quòd distinctio quidditativa sit realis; quòd enim deficit relatio, nisi ea aliunde sit de se extremum distinctionis, distinctionem non arguit; deficit enim denominatio extrinseca visi, privatio, & id generis alia, quæ non proinde distinguuntur realitèr; de hoc autem latiùs §. 7. est enim capitale contrariæ sententiæ fundamentum.

341 Ulteriùs adducit Villanova B. Doctorem in 1. dist. 26. q. 4. sed talis distinctio duas tantùm habet quæstiones, in quarum secunda agit Doctor de Divinis relationibus; sed ne verbum reperio, quod pro reali distinctione possit adduci, imò sæpe habet, quòd relatio de se non est aliquid; quare adducit ex Boëtio, quòd relatio nihil prædicat, quòd non ponit in numerum, quòd non facit compositionem cum fundamento; neque est aliquis compositior, ex quo sit albus, & similis, quàm ex quo sit albus tantùm; quę omnia cum reali distinctione non cohærent.

342 Insuper adducit D. N. quodl. 5. in quo tantùm quæstio 13. & 14. de relatione agunt: in 13. quæritur: An relatio possit in aliquo incipere sine ipsius mutatione? Resp. affirmativè, quòd duplici viâ ostenditur, & in 1. sic ait: *Prima via sic patet: Nam tota quidditas relationis est ad aliud se habere, unde Boëtius in libro de Trinit. ait, quòd relatio vera nihil omninò prædicat de eodem, de quo dicitur, sed totum esse ejus est in ad aliud se habere*: & paucis interjectis, ita concludit: *Dicemus ergo, quòd relatio realis aliquid super fundamentum ponit in utroque extremo reale.* In his fortè ultimis verbis se fundat N. Villan. imò ea non possunt sine inconsequentia in dictis Doctoris accipi; si enim aliquid reale ponit super fundamentum, & distinguitur realitèr, & ponit in numerum cum fundamento, quod tamen ibi, & alibi sæpissimè negat Doctor.

343 Sed sensus Doctoris potest ex præcedentibus haberi, clariùs autem ex his, quæ immediatè sequuntur, exemplificans enim subjungit: *Ut similitudo realis ponit aliquam realem qualitatem in utroque extremo.* En tota difficultas, & contradictionis umbra evanuit penitùs; & en item, qua fide arguunt, qui partem textûs objiciunt, verbis substractis, ex quibus clarissime sensus habetur. Itaque intendit Doctor, quòd relatio quid reale ponit, non tamen formaliter, & de se, neque in fun-

da-

damento proximo, sed in subjecto, seu fundamento remoto ipsam ponit qualitatem, quæ est ratio fundandi: Ut similitudo, inquit, in ipso simili significat albedinem, quam, ut ad aliud se habet, significat realitèr, & identicè similitudo: si ergo realitas, quam significat similitudo, ipsa est albedo, ipsa de se non est quid realitèr distinctum superadditum albedini.

In q. 14. quærit: An possit aliquid realitèr distingui à se ipso absque eo, quòd dicat rem aliam, solùm per aliquam habitudinem? Resp. affirmativè, & latè differit de modo se habendi, & probat, quòd neque modus se habendi, quem habet materia á forma, puta esse extensum à quantitate, est quid realiter differens á materia, ad materia sic se habens, ex quo conjungitur formæ; neque relatio est quid differens realitèr à fundamento, sed fundamentum ita se habens, cum hac solùm differentia, quòd modus est sic se habere in se, relatio est sic se habere ad alterum; differt autem realitèr subjectum modificatum à se non modificato, & relatum à non relato. Vides itaque, quòd ex B. D. nihil adducitur, ex quo possit realis distinctio colligi relationis à fundamento.

344 Nùnc ergo fundamenta à ratione videamus: Unicum, quod pro se adducit N. Villanova, commune est omnium argumentum de separatione, quod proinde §. 7. inter illius sententiæ argumenta solvemus, interim eo non benè utuntur Nostri; tùm, quia separatio non distinctionem secundùm *quid* qualis est quidditativa, nempè etsi realem dicant, non simpliciter, sed cum addito, sed distinctionem probat realem simpliciter, sive entitativam; tùm deinde, quia apertè instatur de modo, quem amittit utiquè subjectum; nec tamen in sententia B. D. & omnium Discipulorum ejus, quam probabimus in Metaphysica, modus est quid realitèr differens superadditum, aut medians inter subjectum, & formam.

345 Arguit deinde N. Manso: Quæ constituunt diversa Prædicamenta, habent essentias realitèr diversas; sed relatio, & fundamentum constituunt diversa Prædicamenta: ergo. Min. nota est, & maj. sic probatur: Quæ habent eamdem essentiam, sunt sub eodem genere; sed quæ ad diversa Prædicamenta pertinent, habent genera diversa: ergo. Confirmatur: Implicat, quòd actio constituat diversum Prædicamentum à passione, & quòd non sit quidditas à passione diversa: ergo paritèr. Consequentia patet à paritate rationis. Antec. ostenditur: Implicat, quòd actio constituat diversum Prædicamentum á passione, & quòd non sit genus supremum à passione diversum; sed genera suprema nequeunt alii su-

premo generi convenire, & sic nec habere eamdem essentiam: ergo.

Si dicatur, distingui quidem, sed non realitèr: Contra insurgit, primò, quia actio, & passio constituunt agens, & patiens in actu secundo: ergo sicut agens, & patiens realitèr distinguuntur, ita actio, & passio. Secundò: Nam quidditas relationis est realitèr defectibilis, & consequentèr separatur re ipsa á fundamento. Tertiò: Signa realis distinctionis sunt ratio causæ, & effectûs, & realis separabilitas; sed primum est inter actionem, & passionem, secundum inter relationem, & fundamentum: ergo. Quartò: Exercitia agendi, patiendi, & referendi, in quibus constituunt actio, passio, & relatio quantum ad quidditatem suam, dantur re ipsa independentèr á conceptu nostro: ergo eorum distinctio non est per conceptus nostros.

346 Resp. ad argumentum neg.maj. & ad prob. ejus neg.maj. genus enim dicit conceptum metaphysicum, in eâdem autem re, sive essentia multi tales possunt accipi. Itaque divisio Prædicamentorum, ut sæpe dictum est, non est eorum, quæ sunt, ut sunt, sed ut dicuntur; quare aliud, & aliud Prædicamentum non dicit per se aliam, & aliam essentiam, sive aliud, & aliud in ordine ad esse, sed aliam, & aliam quidditatè, sive aliud, & aliud in ordine ad dici, quod in eâdem essentia potest accipi. Ad confirmationem, ea conceditur, ut jacet, negatur autem, quòd distinctio quidditativa sit realis, aut habere diversam quidditatem sit distingui realitèr,

Ad rationes in contrarium resp. ad primam neg. maj. imò apertè instatur subsumendo sub eâdem maj. Sed agens, & patiens distinguuntur entitativè: ergo & actio, & passio. Itaque agens in actu secundo non constituitur per actionem; hæc enim, ut ipse ait Manso, est terminus prout ab agente, exercitium autem agendi subjectivè est in ipso agente: constituitur itaque agens in actu secundo, influentiâ, sive actione sumptâ causalitér; est autem hæc entitativè distincta, tùm à passione, tùm ab actione ipsa sumpta formalitèr, nempè influentia illa ipsa est entitas agentis sic se habens. Ad secundam neg. conseq. quòd enim deficiat quidditas relationis, non est eam separari, nisi aliunde probetur, illam quidditatem aliquid esse, quod separari potuerit; sicut deficit denominatio extrinseca, non tamen aliquid separatur á re denominata, quia illa denominatio, quæ deficit, non erat aliquid in ipsa; similitèr deficit à materia privatio, adveniente forma, non tamen aliquid separatur, quia ipsa privatio non est aliquid.

Ad tertiam de separabilitate relationis jam dictum est; de causalitate actionis dining. min. Aut enim

enim loquitur de actione sumpta causaliter, ut est influentia agentis, & hæc causalitatem habet non solùm in passionem, sed in actionem ipsam sumptam formaliter, imò est ipsa causalitas; sed hæc, ut jam diximus, distinguitur entitativé; aut loquitur de actione formaliter, ut est fieri rei, & de hac ait B. D. q. 4. de Mens. Ang. quòd habet quamdam causalitatem in passionem, verè enim, quia agens agit, patiens patitur; & quia terminus est ab agente, recipitur in passo, non autem ê contra; sed illa causalitas non est physica, & per aliquam influentiam, quæ requirebatur ad distinctionem realem, sed est metaphysica, & quantum ad dici, sive in subsistendi consequentia, pro qua sufficit distinctio metaphysica, & penes diversos conceptus.

Ad quartam, instatur: Nam privatio re ipsa independenter à conceptu nostro est in materia, dùm non habet formam; similiter intelligibilitas re ipsa est in re intelligibili; non autem distinguitur re ipsa aut privatio à materia, aut intelligibilitas a re intelligibili; non alio, nisi quia neutra est aliquid superadditum. Directè, neg. conseq. est utiquè re ipsa relatio, & nullo cogitante intellectu, albedo habet convenientiam cum altera, quæ est similitudo; sed albedo, & ejus convenientia non sunt aliud, & aliud, sicut nec res, & ejus intelligibilitas, nisi tantùm per considerationem intellectûs; illa enim conveniētia in re est ipsa albedo, quæ sicut se ipsa est in se albedo, ita se ipsa est ad alteram conveniens, sive similis.

347 Arguit ulteriùs idem: Relatio secundùm *esse* differt à relatione secundùm *dici*; sed si non distinguitur realiter quidditativè à fundamento, nulla est secundùm *esse*, sed quælibet erit secundùm *dici*: ergo. Prob. min. Relatio secundùm *dici* illa est, quæ secundùm *esse* suum, & quidditatem, quæ significatur per nomen relativum, est aliqua perfectio absoluta, quo tamen ex modo suo quidditatis habet concipi ad alterum; sed si relatio non differt realiter quidditativé à fundamento, ita se habet quælibet: ergo. Hæc minor ostenditur: Quia tùnc similitudo v. g. non significat quid aliùd ab albedine, sed albedinem ipsam, non in se, sed ut habet ad alteram concipi: ut ergo hæc relatio sit secundùm esse, debet similitudo, non albedinem, aut conceptibilitatem ejus, sed quidditatem significare realiter ab albedine distinctam.

348 Hoc argumentum nonnihil habet apparentiæ; instatur autem contra ipsum: Nam relativum secundùm dici habet reale exercitium se habendi ad alterum, alioqui non secundùm *dici*, sed secundùm rationem relativum esset, nempè conciperetur, ac si esset ad alterum, secluso autem actu concipien-

cipiendi, non esset ad alterum; sed quidditas relationis in illo reali exercitio consistit: ergo relativum secundùm dici, non secundùm dici, sed secundùm esse, & veram quidditatem suam relativum est. Hæc consequentia apertam includit contradictionem; quare tenetur ipse dicere, quòd relativum secundùm dici non habet reale exercitium se habendi ad alterum, sed transcendenter, & intranfitive modum quemdam illius, quod se habet ad alterum, vi cujus medium quid est, & differt à relativo secundùm esse, quod reale habet exercitium se habendi ad alterum, & à relativo secundùm rationem, quod non ex modo suæ quidditatis, sed ex comparatione intellectûs dicitur; quin proinde oporteat tale exercitium realitèr differre.

Ad formam ergo neg. min. & ad prob. ejus neg. item min. ad ejus prob. dicitur, quòd similitudo non significat albedinem, nec tamen proinde quid illi realiter superadditum, aut ab ea realitèr differens, sed habitudinem, seu convenientiam, quam re ipsa habet albedo, quæ tamen ab illa non differt: in hoc ergo differt relativum secundùm esse à relativo secundùm dici, quòd relativum secundùm dici perfectionem significat, puta scientia qualitatem, quæ licèt non se habeat ad alterum, talis tamen est quidditas, quę modum habet illius, quæ se habet ad alterum, quantum ad hoc, quòd est ad alterum concipi; relativum verò secundùm esse non ipsam perfectionem significat, sed habitudinem ejus, seu se habere ad alterum; quare relativum secundùm dici est fundamentum necessitans, & relatio, quæ in isto concipitur, est rationis cum fundamento necessitante; quod autem relativum dicitur secundùm rationem, quia ejus fundamentum non habet in sua quidditate modum relativi, non est in re relativum secundùm dici, & relatio, quæ in eo concipitur est cum fundamento non repugnante.

349 Arguit insuper juxta Philosoph. 5. Metaphysic. text. 20. In hoc differunt relativa primi, & secundi generis á relativis tertii, quòd in illis ponitur relatio secundùm rem in utroque extremo, in hoc autem solùm ponitur relatio in uno extremo; sed hoc discrimen non subsistit, si relatio non distinguitur realitèr quidditativè à fundamento: ergo. Prob. min. Si tantùm penes conceptus nostros distinguitur, secluso conceptu distinguente re ipsa, solùm relinquitur in primo, & secundo genere realitas fundamenti, & termini; sed hæc paritèr est in tertio genere: ergo. Resp. de facili neg. min. ad cujus prob. dicitur, quod in primo, & secundo genere relinquitur realitas extremorum, utraque tamen re ipsa se habet ad alterum; in tertio genere altera

tantùm re ipsa se habet ad alteram, nempè mensurati.

350 Arguit præterea: Essentia relationis est realitèr tota ad aliud, essentia fundamenti non est ad aliud, sed ad se: ergo essentia relationis realitèr differt ab essentia fundamenti. Patet conseq. in hac propositione: *Realiter absolutum non est realitèr relativum*, ubi unum de altero negatur; negabilitas autem unius de altero formalissimè est distinctio, nempe unum non esse alterum. Sed insta: Paries videtur, denominatio visi non videtur; quod videtur non est id, quod non videtur: ergo denominatio visi realitèr distinguitur, & tamen non est realitèr. Itaque unum non esse alterum formalissimè est distinctio; distinctio autem non semper est mutua; ut distinguitur materia á privatione, non autem privatio á materia, quia quod non est, non est distinctum, & tamen privatio non est materia, sicut materia non est privatio.

351 Resp. ergo neg. maj. essentia enim relationis nulla est, nisi essentia fundamenti, similitudo enim non habet aliud inesse, aut perficere, quàm albedinis, imò si essentia unius non est essentia alterius, distinguuntur ut essentia, & essentia, & sic entitativè. Quòd si de quidditate loquatur, tùnc sequitur quidem distingui, sed non ut realitas, & sic non realitèr, sed ut quidditas, & sic concepti-bilitèr. Alia, quæ ipse habet, non novam difficultatem addunt, sed præcedentes explicant; quare ea prætermitto, ex dictis enim poterunt solvi.

§. IV.

Expenditur sententia Recentioris Augustiniani.

352 INvitus sanè hanc assumo provinciam, si enim singulas vellemus RR. opiniones expendere, in immensum opus procederet; hæc tamen, quam tertiæ sententiæ annumeravimus suprà, aliquod videtur habere fundamentum in textu Ægidii; quare illud expendamus oportet. Quantum ad primum itaque, quod asserit, nempè quòd relatio neque distinguitur, neque identificatur respectu fundamenti, irrationabilis est omninò, neque aliâ indiget probatione falsitas ejus, quàm reductione ad ipsum commune principium, *quodlibet est, aut non est*: distingui enim nihil est nisi non esse aliud, sicut identificari est esse; unumquodque autem per quidditatem suam intelligitur esse id, quod est, & non esse aliud: aut ergo relatio est, aut non est fundamentum, & eo sensu, quo est, identificatur, quo autem non est, distinguitur.

Major est inconsequentia, & magis patet contradictio ex secunda asserti parte: Si enim relatio

tio de se, & ex propriis prædicatis est entitas aliqua, passiones habet transcendentes, convertibiles cum ente, & ab eo impræscindibiles, nempè unitatem, & distinctionem: illa ergo entitas, quam de se habet relatio, & de se una est, & distincta ab omni non ipsa; at si ea relationi convenit de se, & ex propriis prædicatis, æquè non est entitas fundamenti, ac termini: ergo.

353 Fundamentum quantum ad hanc partem æquivocatione nititur: asserit sæpissimè B. Doctor, quòd tota quidditas relationis est ad terminum, imò id est ipsa ejus definitio; sed paritèr tota quidditas accidentis est inesse subjecto; inde tamen ineptissimè argueretur: ergo nullam habet in ordine ad aliud accidens, & sic neque distinguitur, neque identificatur respectu alterius: ergo paritèr in proposito. Distingui itaque non est se habere ad alterum, sed transcendentèr, & intransitivè esse id, quod est, quo non est alterum; quare relationem à fundamento distingui non est se habere ad illud; neque ex quo tota sit ad terminum, & non ad fundamentum, licet inferre non distingui, neque identificari; hoc enim ad terminum, & non ad fundamentum non est nihil, sed vera entitas in se, & ex propriis prædicatis: aut ergo secundùm id, quod est ex propriis prædicatis, est, aut non est fundamentum, & sic aut distinguitur, aut identificatur.

354 Quantum ad secundam partem, quòd relatio de se, & ex propriis prædicatis est entitas aliqua, docere videtur B. D. aliquibus in locis, sed re vera nihil clarius est, & frequentius in litera ejus, quàm quòd relatio de se, & ex proprio Prædicamento non est aliquid, sed tantùm ad aliquid; si autem de se non est aliquid, nec entitas. Quod primò ex ipsa quidditate relationis patet: ea enim de se non habet perficere, inesse, sive aliquod perfectum esse communicare subjecto: non ergo est de se entitas, essentia, seu perfectio aliqua accidentalis. Patet conseq. quia hujus tota quidditas est inesse, & perficere, & tantum habet de entitate, & perfectione, quantum habet de perfectivo, non enim est ens, nisi quia entis. Patet item antec. quia simile esse non aliud perfectum esse dicit, in subjecto, quàm esse album; & hoc est, quòd tota quidditas relationis est ad alterum se habere.

355 Deinde ampliùs hoc ipsum patebit expendendo loca, in quibus videtur Doctor id innuere: primò itaque q. 4. de Mens. Ang. docet, quòd ens descendit ad decem Prædicamenta, ex quo potissimè fundamentum desumit opinio illa; id enim, ad quod descendit ens, ipsum ens contrahet, & est ens aliquod: si ergo relatio de se, & ex propriis prædicatis est Prædicamentum, de se habet contra-

trahere ens, & sic est aliqua entitas.

356 Sed sensus Doctoris in ipsa patet litera: ibi intendit ostendere sufficientiam Prædicamentorum, & ait, quòd Prædicamentum aut dicit *rem*, aut *ordinem*, aut utrumque, nempé rem sub ordine, & tria sunt, quæ dicunt rem, *substantia*, *quantitas*, *qualitas*; relatio dicit purum ordinem, & sex reliqua rem sub ordine, quare sunt decem: ubi apertè ordinem accipit contra rem; quare non quodlibet Prædicamentum res est. Rursus ibidem ait, quòd ens non descendit in decem Prædicamenta tanquam in decem entia, sed tanquam in decem modos, ex quibus sumitur prædicatio generalis, & non reducta in aliam; quare §. *Propter quod*, ita habet: *Si ergo Prædicamentum hoc est quidam modus essendi non reductus in alium formaliter, videamus, quid variat modum existendi: dicemus enim, quòd modus essendi non solùm variatur ex ipsa re, sed etiam ex ordine rei.*

En itaque non sicut videmus, quòd genus per aliam, & aliam differentiam ad aliam, & aliam speciem contrahitur, ita quòd est aliud, & aliud animal v. g. ita imaginari debemus de ente; non enim ens per differentias determinatur, quibus aliud, & aliud constituitur, sed per modos, quibus sæpe idem significatur aliter, & alitér se habens, sive ipsum alitèr, & alitèr se habere: rursus ibi distinguit Doctor ens, quod significat figuras Prædicamétorum contra ens, quod significat realitatem, sive esse in re; nam priori modo tantùm significat conceptum quidditativum, ex quo sumitur prædicatio generalis, & non reducta in aliam, nempè Prædicamentum non determinat ens quantum ad esse, sed quantum ad dici. Ad argumentum ergo, cùm dicitur, quòd determinat ens, est in se ens aliquod; Respondetur uno modo neg. assumptum, quia ens non per differentias determinatur, quibus aliud, & aliud constituitur, sed per modos, quibus sæpe idem significatur aliter, & alitèr se habens; alio modo disting. Quod determinat ens, prout significat esse in re, conc. prout significat figuras Prædicamentorum, sive prout descendit ad Prædicamenta, neg.

357 Rursus videtur idem significare Doctor, quòd nempè relatio de se est res, sive ens aliquod, in 1. dist. 27. q. 1. art. 1. ubi ait: *Non solùm ex esse fundamenti debet attendi realitas relationis, sed etiam ex ordine, & quidditate ejus.* En relatio realitas est ex ipsa quidditate sua, ut contraponitur fundamento, quod ibi sæpe repetit. Clarius id ipsum habet dist. 33. q. 1. a. 3. §. *Propter primum*, ubi ita habet: *Propter primum notandum, quòd relatio, licèt secundùm suam rationem quidditatis non sit aliquid, sed ad aliquid,*

quid, prout aliquid contra ad aliquid est distinctum; rursum, licèt ab esse suo habeat, quòd sit res simplicitèr, & absolutè loquendo, à ratione verò quidditatis magis habeat, quòd sit ratio; non tamen debemus concedere, quòd ipsa quidditas relationis sit nullo modo res, & quòd relatio nullo modo ab hujusmodi quidditate habeat, quòd sit res. En formalissimè, & expressissimè, non obstante, quòd relatio est *ad aliquid*, prout dicitur contra aliquid, & magis ratio, quàm res, tamen negari non debet, quin de se, & ex propria quidditate est res aliqua.

358 Fateamur oportet, quòd hæc loca, ut jacent, apparentiam habent non parvam, sed ita continget sæpe, si textûs fragmentum accipiatur sine his, quibus intentum loquentis exprimitur, & ita esse in proposito patebit legenti: in priori itaque quærit: An in Divinis quatuor relationes possint dici quatuor res? Resp. autem, quòd *quatuor relationes non possunt dici nisi tres res.* Ad explicandam, & probandam hanc conclusionem non conducit, quòd relatio de se est res aliqua, imò ad oppositum; si enim quælibet est de se res aliqua, patet, quòd quatuor relationes erunt quatuor res: non ergo iste est sensus, quem intendit. Sensus ergo colligitur ex his, quæ habet §. *Ideo notandum*; ita habet: *Ideo notandum, quòd ad hoc, quòd relatio sit realis, quantum ad præsens spectat, duo requirit, primum, quòd ponat aliquid reale, in quo existit; secundum, quòd dicat differentiam realem relatorum.* Rursus ibidem sub finem ita habet: *Propter quod fortè videretur esse dicendum, quòd sicut relatio per suam quidditatem, & respectum ad terminum realitèr dicitur, sic & res dici debet,*

Cùm ergo ait, quòd realitas relationis non solùm ex fundamento, sed ex ipsa quidditate attendi debet, non intendit, quòd relatio sit de se res, sive realitas substantivè, sed quòd, an sit relatio realis, vel solùm secundùm rationem; non solùm ex eo attenditur, quòd habeat fundamentum reale, sed etiam quòd de se, & ex sua quidditate realitèr referat, & ordinet unum ad aliud, quod habet, licèt de se non sit res, & aliquid, sed tantùm ad aliquid, & pura ratio quidditativa, seu sic se habere fundamenti: eodem sensu q. 12. super Prædicam. probat, quòd relatio est ens naturæ, nempè quòd ipse ordo, seu habitudo re ipsa datur, & licèt solâ ratione distinguatur, & sit aliud á fundamento, non tamen ratio facit, quòd sit, & ordinet unum ad aliud.

359 Eumdem sensum intendit in posteriori loco: quærit in illo articulo: An ista duo componantur, quòd relationes distinguant Personas realitèr, & quòd à Divina Essentia differant sola ratio-

stione? Resolutio talis est: *Relationes distinguunt Personas realitèr, & tamen à Divina Essentia solùm ratione differunt, quia quidditas relationis comparata ad oppositum est ordo, & aliquo modo res, relata verò ad essentiam sola ratio existit.* Qua resolutione intendit, ut ex toto patet articuli processu, quòd relatio ad oppositum extremum importat realitatem ipsam fundamenti sic se habentem; & quia re ipsa, & non per comparationem intellectûs sic se habet, ipsum sic se habere de se, & secundùm quidditatem suam est quodammodò res, nempè quid in re, & re ipsa referens; quia tamen hoc non est re ipsa superadditum ipsi fundamento, sed ipsa realitas ejus, comparativè ad fundamentum sola ratio est, nempè sola ratione est aliud ab ipso.

Quod clarissimé ex verbis ipsis, quæ objiciuntur, potest colligi; subjungit enim immediatè: *Nam quòd ab hujusmodi quidditate habeat relatio aliquomodò, quòd sit quid reale, videre non est difficile*; & pergit ostendere, quia in fundamento reali reperitur relatio rationis, ut relatio identitatis: quando ergo dicit, quòd ipsa quidditas relationis est quodammodò res de se, & non tantùm ex fundamento, hoc intendit, quòd non ex fundamento solùm, sed ex ipsa quidditate, & ordine habet, quòd sit relatio realis: si ergo ex ipsis locis, quæ apparentiam habent ad oppositum, constat de mente Doctoris, quòd relatio formalitèr, & ex sua quidditate non est res, & ens aliquod, nulla relinquitur de hoc dubitandi ratio.

§. V.

Relatio non consistit in fundamento, & termino.

360 HÆC statuitur contra priorem modum secundæ sententiæ, & probatur primò ex ipsa Philosophi definitione; ipse enim insufficientem dicit definitionem relativi, quæ ex Platone circumferebatur, & quam in principio capitis ponit, quia ea definit relativum per hoc, quod est dici ad alterum; quare aliqua comprehendit, quæ non sunt relativa, ut caput ad capitatum dicitur, est tamen caput substantia, & hoc aliquid in se; unde ipse subjungit, quòd non per *dici*, sed per *esse* ad alterum, sive alterius esse secundùm id, quod est, definiri debet relativum: ergo non consistit relatio in præcisis entitatibus fundamenti, & termini. Patet conseq. si enim per esse ad alterum definiri debet relativum, hoc se habere ad alterum, sive ad alterum esse re ipsa, & secundùm id, quod est, importat, & in hoc se habere ad alterum consistit relatio.

Confirmatur, & explicatur:

Si relatio consistit in præcisis entitatibus fundamenti, & termini, nihilo differt relatio secundùm *esse* à relatione secundùm *dici*; sed distingui debent: ergo. Patet min. ex jam dictis, relatio enim secundùm *dici* verè, & re ipsa non est habitudo ad alterum, sed quidditas absoluta habens modum relativi, quare secundùm quidditatem suam non est de hoc Prædicamento; relatio verò secundùm *esse* re ipsa, & secundùm id, quod est, est ordo ad alterum; quare secundùm quidditatem suam constituit hoc Prædicamentum. Maj. de facili ostenditur: Patet enim, quòd relatio secundùm *dici* duas importat entitates fundamenti, & termini, quas intellectus ordinat, sive relativè accipit: si ergo in præcisis entitatibus consistit relatio prædicamentalis, idem omninò habet, quod secundùm *dici*.

361 Non me latet, Doctores hujus sententiæ hanc consequentiam concedere; intendunt enim, quòd nulla est relatio secundùm *esse*, sed quælibet est tantùm secundùm *dici*, ut habet expressè Arriaga disp. 12. sect. 8. n. 33. sed id jam sufficienter manet in præcedentibus rejectum, & apertissimè est contra intentionem Philosophi; si enim quælibet relatio tantùm habet *dici*, non verò esse ad alterum, non benè ipse priorem definitionem rejiceret, quæ relativum explicat per *dici* ad alterum; ipse autem de relativis distinguit, quæ tantùm habent dici, non verò esse ad alterum; ut caput capitati esse dicitur, non verò secundùm esse suum ad capitatum est; & de aliis, quæ secundùm id, quod sunt, ad aliud sunt, ut simile; & quia prioribus tantùm illa definitio convenit, definiri debere, ait, non per *dici*, sed per *esse* ad aliud: distinguit ergo, & admittit apertè relativum secundùm *esse*; & patet, quòd simile re ipsa, & secluso opere intellectûs, significat, non albedinem, sed convenientiam ejus, caput verò significat substantiam.

362 Prob. secundò: Quod intellectus prædicat, quando asserit, Petrum, & Paulum habere duas albedines, non est formaliter, quod prædicat, quando asserit, unum esse similem alteri; sed illud primum dicit duas entitates fundamenti, & termini, hoc secundum dicit relationem similitudinis: ergo. Prob. maj. Quia id, quod prædicat, quando asserit habere duas albedines, & intelligitur in unoquoque in se, & absolutè, unumquemque enim suam albedinem habere in se intelligitur, & est proinde prædicatio de Prædicamento absoluto, aut qualitatis, aut quantitatis discretæ; at id, quod prædicat, quando asserit esse similes, nec est de Prædicamento absoluto, nec intelligitur in se; nam in se, & circumscripto alio neuter est similis, licèt quilibet albedinem habeat: ergo.

Ad

363 Ad hanc rationem frequens solutio est, quòd id, quod intellectus prædicat, quando asserit habere duas albedines, est quidem aliud formaliter ab eo, quod prædicat, quando asserit esse similes, non tamen aliud in re, sed in intellectu concipiente, & prædicante, cui in re nihil respondet, nisi duplex albedo. Sed contra: Illud se habere ad alterum, seu convenientia unius albedinis ad aliã, quam intellectus prædicat, quando asserit esse similes, non ab ipso intellectu fit, sed re ipsa una albedo habet convenientiam, & proportionem ad alteram; sed non ipsam albedinem, sed hoc se habere, sive conveniẽtiam prædicat, quando asserit similes: ergo.

364 Prob. tertiò: Una albedo in re, & secluso opere intellectûs æquè facit duas entitates cum alia albedine, ac cum nigredine, aut calore; sed non æquè facit relationem, neque æquè præbet fundamentum, ut intellectus unam concipiat ad alteram: ergo relatio in re ante opus intellectûs non consistit formaliter in duplici entitate fundamenti, & termini. Patet min. quia cum alia albedine facit similitudinem, cum nigredine dissimilitudinem, & cum calore nullam relationem. Confirmatur: Quia aliud est albedinem cum alia esse duas entitates, aliud vero esse convenientes, seu, quod idem est, similes, in re, & nullo cogitãte intellectu; sed duplex entitas fundamenti, & termini tantùm dicit illud primum: ergo. Patet maj. quia nullo cogitante intellectu, æquè sunt duplex entitas, si una sit ut sex, alia ut duo, ac si utraque sit ut sex; sed non eodem modo habent convenientiam, sive similitudinem: ergo.

365 Dicetur fortè, quòd relatio consistit in entitatibus fundamenti, & termini, non præcisè, ut sunt duplex entitas, sed ut altera est fundamentum, altera terminus; jam autem in casu argumenti æqué habent, quòd sint duplex entitas, non autem quòd altera sit fundamentum, altera terminus. Sed contra: Hoc, quod est esse fundamentum in re, habet albedo; in re enim respectu alterius albedinis, aut etiam nigredinis fundamentum est, non verò respectu caloris, & aliter respectu albedinis, ac respectu nigredinis; sed hoc non est in re ipsa entitas, entitatem enim æquè habet: est ergo in re aliter se habere ad unam, ac ad aliam; & sic relatio non in ipsis entitatibus consistit, sed in hoc se habere unius ad alteram. Amplius hoc patebit solvendo illius sententiæ fundamenta.

366 Arguit ergo primò P. Hurtado: Id est formaliter similitudo, quo Petrus, & Paulus dicuntur, & sunt similes; sed quocumque secluso, suis tantùm qualitatibus positis dicuntur, & sunt similes: ergo in his consistit similitudo. Confirmatur: Circumscri-

batur per intellectum quæcumque relatio qualitatibus addita, ut præscindamus, an possit à Deo tolli: qualitates sic intellectæ sunt utiquè similes; hoc enim est similitudo, convenientia, sive unitas qualitatum, quæ utiquè tùnc daretur; at tantùm relinquitur duplex entitas fundamenti, & termini: ergo.

367 Resp. neg. min. non enim suis qualitatibus sunt formaliter similes, sed earum convenientia, qualitatibus autem tantùm causaliter; jam autem seclusâ convenientiâ, non relinquitur convenientia, quare relictis tantùm qualitatibus, non relinquitur similitudo. Quo patet ad confirmationem: Implicat enim, quòd intellectu præscindatur convenientia, seu se habere unius ad alteram, & quòd albedines relictæ convenientiam habeant, seu una se habeat ad alteram.

Sed instant: Illa convenientia, seu habitudo nihil est nisi unitas albedinis, nempè, ait ipse Philosophus; quòd unitas in substantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate simile; sed suis entitatibus intransitivè ad quodvis aliud, imò transcendenter, & omninò impræscindibiliter habent unitatem, nempè sunt ejusdem speciei, & unitas est transcendenter ipsa quidditas: ergo. Sed contra: Illa convenientia, in qua consistit similitudo, non est unitas specifica, & transcendens; tùm, quia hanc unitatem æquè habet albedo ut sex ad albedinem ut duo, ac ad aliam ut sex; æquè enim sunt ejusdem speciei, non autem æquè habent convenientiam, quæ est similitudo; tùm deinde, quia convenientia, quæ est similitudo, contingenter convenit, non enim *in quid* dicitur esse simile, esse autem ejusdem speciei dicitur *in quid*: unitas ergo, in qua consistit similitudo, proportio est quædam unius ad alteram, sine qua *quidem* nequeunt in re esse duæ albedines, possunt tamen concipi; & hæc proportio in re est, non tamen quidditativè, & intransitivè ipsa entitas albedinis: in hoc ergo est æquivocatio contrariæ sententiæ, quòd unitatem, seu convenientiam, in qua consistit similitudo, ipsam accipit unitatem specificam.

368 Arguit secundò idem, & ex eo P. Alfons. Relatio non consistit in aliquo realiter addito fundamento: sed aliunde nec in fundamento solùm: ergo in utroque simùl. Maj. probatam supponit, nec de ea nos ambigimus. Min. ex terminis nota est, & conseq. patet à sufficienti numeratione; quod enim relinquitur, videlicèt in fundamento connotante terminum, nihil est dicere: aut enim terminus est de essentia relationis, & sic habetur propositum, quòd essentia relationis integratur ex utroque; aut est extra essentiam, & sic tota quidditas ejus salvatur in fundamento, quod patet esse absurdum.

Resp.

369 Resp. neg. conseq. & ad prob. ejus dicitur, quòd non est sufficiens illa enumeratio; præter fundamentum enim, & simultatem ejus cum termino, atque etiam, ut connotat terminum, est accipere fundamentum, ut habet re ipsa modum se habendi ad terminum, quod amplius est, quàm pura termini connotatio; neque proinde aut solam dicit termini entitatem ut sic, & secundùm se, aut aliquid ipsi superadditum, sed entitatem sic se habentem. Itaque relatio physicè, & ut est in re, consistit in entitate fundamenti, non secundùm se, sed ut habet re ipsa modum se habendi ad alterum; metaphysicè verò, & ut constituit Prædicamentum, consistit in tali habitudine, quæ determinatio est quædam, ex qua accipit intellectus conceptum quidditativum, & prædicationem generalem, seu non reductam in aliam.

370 Arguit tertiò P. Arriaga: Si relatio non consistit formaliter in fundamento, & termino, sequitur, quòd, pereunte termino, maneat relatio, non solùm quantum ad entitatem, sed etiam quantum ad denominationem; sed hoc est aperte absurdum: ergo. Prob. sequela maj. Si relatio non consistit in utroque, pereunte termino, nihil perit de essentia relationis, tota ergo relinquitur; at si relinquitur, plene denominat: ergo. Hanc min. ita ostendit: Eo, quòd quis habeat essentiam similitudinis, est, & dicitur similis; sed in proposito tota essentia relinquitur: non ergo est, cur deficiat denominatio.

371 Resp. neg. maj. & ad prob. ejus neg. maj. etsi enim terminus non sit pars relationis, aut aliquid quidditatis ejus, deficit nihilominùs habitudo illa, seu se habere, quod est quidditas relationis, deficiente termino; patet enim, quòd proportio illa, quam hæc albedo habet cum illa, deficit omninò, illâ deficiente, quamvis non sit aliquid hujus albedinis; non alio, nisi quia aliâ non intellectâ, hæc non habet determinationem, & se habere ad alteram, sed tantùm entitatem, quæ sic se habebat; & quia illa convenientia non est aliquid albedini superadditum, sed ipsa ejus entitas sic se habens, dicunt Nostri, quòd, pereunte termino, manet relatio quantum ad entitatem, nempè manet entitas, quam significabat relatio; similitudo enim ipsam dicit albedinem ad alteram sic se habentem, ut sæpe dictum est.

372 Arguit quartò idem: Repugnat nova denominatio intrinseca sine nova forma denominante, & paritèr perire denominationem, quin amittatur forma; sed acquiritur, & amittitur nova denominatio intrinseca relati: ergo acquiritur, & amittitur nova forma, aut novum quid pertinens intrinsecè ad ipsum esse relatum; tùnc autem tantùm acquiritur, aut

perit entitas termini: ergo ea pertinet intrinsecè ad entitatem relationis. Patet subsumpta, quia, posito termino, incipit denominatio relati, & eo sublato, deficit.

Sed amplius hoc argumentum probat, quàm intendit arguens: Est enim denominatio relati ipsius fundamenti: si ergo formam significat denominantem, in aliqua consistit realitate ipsi fundamento intrinsecâ; patet enim, quòd terminus non est quid intrinsecum fundamento, quare non potest pertinere ad constitutionem formæ denominantis intrinsecè. Directè disting. maj. Sine forma ejusdem rationis, ac est denominatio, conc. maj. sine forma, quæ sit absolutè realitas aliqua, neg. maj. & in eodem sensu conseq. tùnc autem denominatio relati intrinseca est, non autem quæ in se aliquid significat, sed ad alterum; quare formam denominantem significat, non quæ sit aliquid, sed quæ sit quid, & talis est illa determinatio, habitudo, seu se habere ad alterum.

§. VI.

Probatur nostra Conclusio.

373 Dicendum, quòd relatio distinguitur a fundamento suo tantùm secundùm rationem quidditatis. Hanc esse mentem B. D. satis patet ex præcedentibus; unum nihilominùs expendemus textum, quò nulla relinquitur ambigendi ratio. Itaque in 1. dist. 33. q. 1. art. 2. hoc ipsum quærit de relationibus Divinis, nempè: An proprietas sit idem, quod essentia realiter? Resolutio est: *Proprietas relativa, non secundùm rationem quidditatis, sed secundùm esse, idem, quod essentia est; atque adeo ab ea, non re, sed ratione differt, plus tamen, quàm attributa ab essentia.* Hujus probationem auspicatur ex eo, quod secundùm P. Augustinum, quem ibi multis in locis adducit: In Deo alia *transeunt in Divinam substantiam, & sola relatio manet secundùm genus suum*: quare sapientia v. g. non qualitatem in Deo significat, sed substantiam ipsam Deitatis, quam nos ad modum qualitatis concipimus; Paternitas autem non substantiam, sed veram relationem.

Hinc ex quidditate relationis ut *sic* venatur intentam conclusionem; & quia relatio, quæ est Prædicamentum, puta similitudo, non habet aliud perfectum esse, quàm fundamenti, ut simile esse in subjecto nihil est nisi esse album, habet tamen aliam rationem quidditativam conceptibilem, & definibilem; deducit inde, quòd relatio in Divinis, quantum ad esse transit in Divinam substantiam, & est idem, quod essentia; quantum verò ad rationem suæ quidditatis non transit, quare sic differt; quia verò attributa, puta sa-

sapientia v. g. tàm secundùm esse, quàm secundùm rationem quidditatis in substantiam transeunt, *ita quòd dato per impossibile, quòd Divina Essentia definiretur definitione, quæ esset expressiva quidditatis ejus, illa definitio Divinæ Sapientiæ, ac Bonitati ejus competeret*; ideo ait, quòd tàm attributa, quàm relationes solâ ratione differunt à Divina Essentia, magis tamen relationes, quàm attributa, quia distinctio rationis habet latitudinem gradualem, & illa est secundùm rationem, & conceptus, quibus respondet diversa quidditas, non autem illa.

374 Hinc patet, non esse ad mentem B. D. solutionem Nostri Manso; respondet enim sub finem quæstionis, observando, quòd relationes non differunt à Personis realiter quidditativè, quia Personas constituunt; neque ab essentia, quia essentia plenè identificatur fundamento proximo relationis, & quæ in nobis realiter, in Deo solum virtualiter distinguuntur; insuper, sunt indefectibiles propter necessitatem termini: ex quibus relinquitur, quòd aliter dicendum est de creatis. Hanc, inquam, solutionem in primis non esse ad mentem B. D. cuique patet; ipse enim ex eo, quod relationi convenit in conceptu suo, & ut est in creatis, deducit conclusionem suam de relationibus Divinis: non ergo aliter de his, & illis dicendum censet quantum ad distinctionem. Præterea: Quidditativè differre relationes Divinas docet Doctor, & patet, quòd in Deo est verè, & realiter exercitium referendi, in quo ipse ponit quidditatem relationis; sed ait D. solâ ratione differre: ergo distinctio quidditativa non realis est, sed rationis.

Deinde: Singula, quibus nititur solutio, de facili rejiciuntur: primò quidem, quia sicut relatio Divina constituit Personam, ita in creatis constituit relatum, ut similitudo constituit simile: neque ergo quæritur de distinctione relationis à relato, aut Personalitatis à Persona, sed Personalitatis ab essentia, & relationis à fundamento; neque quantum ad hoc aliter est de his, & illis. Secundò item: Nihil enim refert identitas, aut distinctio fundamenti proximi cum remoto, non enim de hac quæritur: si itaque quidditas relationis verè, & realiter in Deo salvatur, sicut in creatis, de hac quæritur, quomodò differt; & quia in creatis fundamentum proximum à remoto differt entitativè, relatio à subjecto relato, sive fundamento remoto differt entitativè, & secundùm esse ratione fundamenti proximi, ut similitudo à substantia simili ratione albedinis, in Deo non ita; utrobique tamen formalis quidditas relationis à fundamento suo solâ ratione differt: propositio assumpta tenet de his, quæ transeunt in Divinam sub-

substantiam, nempè quæ in nobis realitèr, in Deo solùm virtualitèr distinguuntur; quia tamen relatio in Deo manet secundùm propriam rationem suæ quidditatis, distinctio, quæ in creatis est passio transcendens, & impræscindibilis illius quidditatis, debet ibi manere.

Tertiò item: Quòd enim sit indefectibilis terminus, non diversificat quidditatem relationis: si ergo quidditas relationis, quæ est ad terminum indefectibilem, solâ ratione differt, paritèr quæ est ad terminum defectibilem. Antec. ostenditur: Tùm, quia utrobiquè est reale exercitium se habendi ad alterum; tùm, quia in creatis multæ sunt relationes prædicamentales ad terminum indefectibilem, nempè quæ sunt ad Deum Creatorem, Dominum, & Mensuram perfectionis suæ; sed istæ ejusdem rationis sunt, & in eodem genere cum reliquis: ergo. Confirmatur: Accipiamus in homine relationem producti, aut servi ad Deum, & producti, aut servi ad alium hominem: tàm ista, quàm illa dicunt reale exercitium essendi ad alterum: aut ergo illud reale exercitium se habendi ad Deum non differt realitèr ab eo, quod ita se habet: aut differt? Si primum, idem dicat de hoc altero exercitio se habendi ad alium hominem, & consequentèr de qualibet relatione; si autem secundum: ergo relatio indefectibilis, & quæ est ad terminum indefectibilem, realiter differt, contra rationem suam: patet enim, quòd istæ relationes creaturæ ad Deum inseparabiles sunt, & ad terminum indefectibilem.

375 Ulteriùs ostenditur conclusio ex hoc eodem loco B. D. nam primum argumentum in contrarium tale erat: Quæ habent aliud, & aliud esse, distinguuntur realitèr; sed relatio, & essentia habent aliud, & aliud esse, nempè essentia habet esse in se, relatio habet esse ad alterum: ergo. Ad hoc argumentum ita respondet: *Ad primum dicendum, quòd consuevit distingui triplex esse: primò, prout sumitur pro esse quidditativo, secundùm quod dicimus, quòd definitio est sermo indicans quid est esse. Secundo modo accipitur pro actu essentiæ, secundùm quem modum dicimus, quòd esse est actus entis. Tertiò, prout dicit veritatè compositionis. Quando ergo dicitur, quæcumque habent diversum esse, realitèr differunt, non est intelligendum de esse quidditativo: nam actio, & passio sunt una res, ut probatur 3. Physic. & tamen habent diversam rationem quidditatis; sed est intelligendum de esse, quod est actus essentiæ. Et cùm dicitur, quòd diversum est esse Patrem, & esse Filium, & quòd relationes in Divinis inter se, & per comparationem ad substantiam distinguuntur secundùm esse, intelligendum est de esse quidditativo,*

vel

vel definitivo; quia, si definiretur Paternitas, Filiatio, & Essentia, eorum non esset definitio una; sed propter talem differentiam non habetur, quòd relatio à substantia realitèr differat, licèt ipsæ relationes inter se realiter differant.

En apertè quid est quidditativè distingui, sive aliam, & aliam quidditatem addere, nempè quòd illa cuique respondeat definitio, ne conceptus definibilis; quia definitio explicat, quod quid est, sive quidditatem; & quia esse definibile in re est, quidditas non est ens rationis, sed in re datur. Sed en item quidditativè differre, sive aliam, & aliam habere quidditatem præcisè, & ex terminis non est differre realitèr, nisi aliunde quælibet quidditas proprium habeat esse, prout esse est actus essentiæ. En tandem relatio tantùm addit fundamento rationem quidditatis, non verò esse, quod est actus essentiæ; & si enim de relationibus in Deo conclusionem intendit Doctor, assumit tamen in terminis communibus, quod est de ratione quidditatis, ut quidditas est, & ex his, quæ relatio habet ex propria ratione quidditatis suæ, arguit de relationibus in Deo.

376 Insuper, seq. art. quærit: An cum hoc, quòd relationes ab essentia sola ratione differant, componatur, quòd Personas ad se invicem realiter distinguant? Resolutio est affirmativa, & eam probat ex eo, quòd relatio ex propria quidditate habet, quòd comparata ad terminum est quodammodò res, nempè realis ordo, & realitèr refert; comparata verò ad fundamentum est tantùm ratio; & §. *Ordinem autem*, sub medium ita habet: *Non est igitur contra rationem, quòd aliquid uno modo sumptum, sit quodammodò res; alio modo acceptum, sit tantùm ratio; licèt hoc solùm in relationibus reperiri contingat.* En loquitur de relatione ut *sic*, & in communi, ut inde de relationibus Divinis inferat; & quia sic unumquodque distinguitur, sicuti est, si comparativè ad fundamentum sola ratio est, tantùm ratione distinguitur. Adeo est hic locus manifestus, ut doctissimus Scholiator ita habeat in margine: *Nota hujusmodi evidentiam contra multos, qui N. Doctorem non intelligunt, & putant, intentionem esse Doctoris Nostri, relationem differre solùm ab essentia ratione secundùm esse, & non secundùm quidditatem aliquomodò.*

377 Prob. secundò Conclusio ratione fundamentali, quæ ex ipsa sumitur quidditate relationis: Relatio ad fundamentum suum tantùm addit quidditatem; sed pura quidditas solâ ratione differt: ergo. Maj. patet ex notatis, eam habet sapissimè B. D. & admittit N. Manso; non enim relatio aliquod perfectum esse in ipso relato significat, sed simile esse

v. g. in eo, quòd simile est, ipsum est esse album, quod aliter in se, aliter ad alterum concipi habet, & definiri. Min. item ex toto processu patet satis: si enim quidditas realiter differt, non pura quidditas est, sed realitas aliqua est, & perfectionem importans, nam purum quid purum est conceptibile; quare tantùm conceptibiliter differt.

378 Probatur tertiò ratione, quam intendit B. D. quodl. 5. q. 13. & hoc eodem loco mox cit. & sæpe alibi: Quod realiter ab altero differt, non potest non ponere in numerum cum ipso, & illi additum de necessitate facit compositionem, & inducit mutationem; sed relatio non ponit in numerum cum fundamento, & illi advenit sine compositione, & mutatione: ergo. Patet major, quia realis distinctio non intelligitur sine reali dualitate extremorum; item compositio est distinctorum unio, & hoc est aliquid mutari, id habere, quod non habebat priùs. Patet item min. quia nullâ intellectâ dualitate, ipsa albedo se ipsa habet in re proportionem, & convenientiam cum altera; quare non est aliquis compositior, ex quo fit albus, & similis, quàm ex quo fit albus tantùm, neque aliquam mutationem subit, aut aliquid recipit, ut fiat similis, sed ex hoc tantùm, quòd aliud ponatur album, nullo sibi addito, incipit esse similis.

379 Prob. quartò ratione N. Gerardi: Quod producitur simplici productione cum alio, nullo modo realiter ab eo differt; sed relatio simplici productione producitur cum fundamento: ergo. Patet maj. motus enim à termino specificatur: si ergo simplex est motus, terminus ejus nullo modo erit realiter duplex; tùnc enim duplex inducet mutatum esse, & motus erit aliquomodò duplex. Patet item min. idem enim omninò motus est, quo fit album, sive aliud sit, sive non sit album in natura; tùnc autem, si non sit aliud album, tantùm facit album; si autem sit, facit album, & simile: si ergo simplex est motus, qui facit album, nempè simplicem habet terminum ipsam albedinem, pariter simplex est, qui facit simile.

Hæc ratio videtur pati calumniam: Eadem enim influentia agentis ponit naturam, & passiones ejus, ut quæ producit ignem, ponit cum eo calorem; & tamen terminus illius productionis non est realiter simplex, calor enim realiter ab igne differt: ergo pariter de relatione. Probat. conseq. ratio enim antec. est, quia passio non fit, seu motum per se terminat, sed resultat, seu consequitur; sed pariter relatio resultat: ergo sicut passio differt realiter à natura, non obstante, quòd eumdem motum terminat, ita poterit relatio. Sed hæc instantia vim factæ rationis non tollit: aliud est loqui

de

de productione, ut sumitur causaliter, & est influentia agentis; aliud verò, ut sumitur formaliter, & est transmutatio ipsa subjecti prout ab agente; & hoc secundo sensu procedit ratio. Itaque una est simplex influentia, á qua procedit natura, & passiones ejus, non autem una simplex transmutatio, sive mutatum esse; per illam enim influentiam transmutatur materia ad formam substantialem, quod est unum mutatum esse, quo constituitur natura, & transmutatur natura ad passionem, puta ignis ad calorem, quod est aliud mutatum esse; quare transmutatio non est simplex, licèt sit simplex influentia; at verò simile non solùm eamdem influentiam terminat, sed idem dicit mutatum esse, ac album; omninò enim accidit, quòd sit, aut non sit in natura aliud album.

380 Prob. quintò aliâ ratione ejusdem Gerardi, quæ ad hominem procedit ex fundamento contrariæ sententiæ: Ideo relatio ponitur realiter distincta à fundamento, quia relatio secundùm quidditatē suam est tota ad aliud, fundamentum verò secundùm quidditatem suam non est ad aliud re ipsa, & secluso opere intellectûs; sed hæc ratio nulla est: ergo. Maj. est communne fundamentum, quia quæ de se invicem negantur, to sensu, quo negantur, differunt, nempe unum non est aliud; quare si realiter negantur, realiter differunt. Minor ergo ostenditur: In Deo relatio est re ipsa secundùm rationem suæ quidditatis, quare re ipsa independenter à nostro intellectu est tota ad aliud, & essentia similiter re ipsa non est ad aliud; & tamen non distinguitur realiter relatio ab essentia: ergo.

§. VII.

Solvuntur Argumenta.

381 ARguitur primò communi fundamento, quo omnes utuntur, & quod multi reputant prorsus insolubile: Quæ realiter separantur, realiter distinguuntur; sed separantur realiter fundamentum, & relatio: ergo. Prob. minor: Ea, ex quibus unum realiter manet, alterum omninò non manet, cùm priùs re ipsa essent, realiter separantur; ita se habent fundamentum, & relatio: ergo. Patet min. manet enim album omninò, non manente similitudine, per hoc, quòd terminus destruatur; & similiter manet homo, non manente paternitate, per hoc, quòd moriatur filius.

382 Hoc argumentum, quod quia in principio fundatur omninò innegabili, putatur evidentissimum, evidentissimam habet instantiam: Nam paries v. g. ob oculos positus habet re ipsa, & secluso opere intellectûs, quòd sit visus, id non habet, si videns aversatur; & tamen visum esse non

differt realitèr á pariete, quia non est aliquid in ipso. Clarius: Materia ante formam habet re ipsa privationem formæ, & nullo cogitante intellectu, sibi convenit habere carentiam cum aptitudine ad talem formam; sed privatio non distinguitur realitèr à materia, quia quod non est, non est distinctum: ergo ratio illa nulla est. Directè itaque neg. min. seu claritatis gratiâ disting. Separantur fundamentum, & relatio mutuâ separatione, neg. min. non mutuâ, nempè separatur fundamentum à relatione, non verò relatio à fundamento, conc. min. & tantùm sequitur, quòd distinguatur fundamentum à relatione, non autem ê converso, sicut materia á privatione distinguitur, non autem privatio à materia. Quo patet ad probationem: unum enim sine altero manere est hoc ab illo separari, non autem ê contra, nisi aliunde probetur id, quod non manet, ex propriis prædicatis aliquid esse, quod enim non est, nec separatur, nec distinguitur; jam autem in proposito, relatio, ut accipitur contra fundamentum, non est aliquid, sive res, sed pura ratio, & se habere, sive acceptibilitas aliqua fundamenti.

383 Arguitur secundò alio item communi fundamento: Quod intenditur, altero remisso, aut remittitur, altero intenso, distinguitur realitèr ab illo; sed ita se habet relatio respectu fundamenti: ergo. Patet maj. intendi enim, & remitti quid reale est, quod proinde realitatem supponit in eo, cui convenit, & consequentèr aliud, & aliud, nempè intendi unius, & remitti alterius aliam, & aliam realitatem. Min. ostenditur: Sit enim duplex album ut quatuor per hoc, quòd alterum fiat magis album, fit minùs simile: similiter, si alterum ut quatuor, alterum ut sex sit album, per hoc, quòd album ut sex fiat minùs album, erit magis simile, magis accedet ad album ut quatuor: ergo intenditur similitudo, remissa albedine, & ê contra. Hoc item putatur á nonnullis insolubile; & quidem non nihil præsefert difficultatis explicare, quomodò similitudo de se habet intendi, & remitti, & tamen de se non est res aliqua.

364 Pro solutione itaque notandum, quòd intendi, & remitti uno modo significat transmutationem physicam, qua inducitur mutatum esse, in quo est accipere magis, & minus; alio modo significat ipsum magis, & minus: non ergo priori sensu accipi debet argumentum, sed posteriori; patet enim, quòd relatio illo sensu non intenditur, aut remittitur, non enim transmutationem terminat, aut motum. Ad argumentum itaque neg. maj. cujus probatio solùm procedit de intensione, & remissione in priori sensu, nempè pro ipsa transmutatione; patet enim, quòd magis, & minus dicit

non

non realitatem, aut formam, sed se habere significat ipsius subjecti sub forma: si ergo intelligatur ex una realitate per unam transmutationem inductâ consequi subjectum duplex se habere, nempè in se, & ad alterum, benè intelligitur, quòd habeat magis secúdùm unũ, & minùs secundùm aliud, & tamen se habere non est aliud realitèr a subjecto. Sic itaque est in proposito, quòd subjectum albedini conjunctum & habet in se album esse, & ad alterum esse simile; hoc utrumque re ipsa habet, neutrum tamen realitatem dicit aliam á subjecto, & albedine: poterit ergo magis habere secundùm esse album, & minus secundùm esse simile, aut ê converso, sine reali distinctione.

385 Arguitur tertiò ex communibus Thomistarum fundamentis: Relatione prædicamentali mutatur intrinsecè fundamentum: ergo ea distinguitur realitèr. Antec. prob. primò, quia alioqui in Deo relationes temporales possent dici reales. Secundò, quia inintelligibile est realitatem alicui advenire, & ipsum non mutari; sed relatio est realitas aliqua: ergo. Minorem ipsi supponunt; ratio autem esse videtur, quia de relatione reali quæritur, quæ & est in re, & realitèr refert. Tertiò, quia facit compositionem cum fundamento suo, ut docet Divus Thomas multis in locis, quæ adducunt Complatenses. Quartò, quia est verum accidens: ergo comparatur fundamento ut forma accidentalis ad subjectum suum.

386 Resp. neg. antec. oppositum enim in præcedentibus ostensum est, & expressè habent verba D. Anselmi suprá adducta. Ad primam prob. dicitur, quòd relationes temporales in Deo sunt de secundo genere modo actionis, nempè fundantur in creatione; & quia in Deo non est secundùm rem actio temporalis, super quam fundentur, non possunt poni secundùm rem tales relationes: non ergo ratione sui formalitèr, sed ratione fundamenti proximi mutationem facit relatio. Ad secundam neg. min. & ad rationem ejus dicitur, quòd relatio non est realitas substantivè, & in se, sed adjectivè tantùm, nempè realis affectio, & se habere fundamenti, & quia re ipsa ita se habet, realis est relatio; quia tamen non in se, sed ad alterum, nullam in ipso mutationem inducit. Ad tertiam negatur assumptum, cujus oppositum jam suprà ostensum est. Ad loca D. Thomæ nostrum non est mentem ejus expendere, cuique tamen patet legenti textum ejus, quòd de esse relationis loquitur; secundùm esse autem compositionem facere, & realitèr distingui, docet etiam Doctor N. nempè non aliud habet esse, sive inesse, & perficere, quám fundamenti, ut simile esse est in subjecto ipsum esse album. Ad quartam, figura v. g. accidens

est aliud à quantitate, est enim quarta species qualitatis; & tamen non distinguitur realiter, aut est forma superaddita quantitati. Ad formam ergo disting. antec. Est accidens metaphysicè, & quantum ad *dici*, conc. antec. physicè, & quantum ad *esse*, neg. antec. de se enim formaliter non est physicè accidens, sed accidentis habitudo, seu se habere ad alterum.

387 Arguitur quartò: Esse relatum est effectus formalis alicujus formæ; sed non ipsius fundamenti; ergo relatio, cujus est effectus, forma est, & sic realiter differens à fundamento. Patet major; non enim est extrinseca denominatio. Min. ostenditur; si enim esset effectus fundamenti, albedo v.g. de se, & nullâ aliâ existente denominaret simile. Resp. dining. min. Non est effectus ipsius fundamenti secundùm se, sive in ordine ad se, conc. min. in ordine ad aliud, neg. min. Ad prob. dicitur, quòd albedo secundùm se, & nullâ aliâ existente tribuit subjecto tale esse in se; eadem autem ut alteri habens talem proportionem, tribuit esse simile; quare aliâ non existente hunc secundum effectum non tribuit.

388 Arguitur quintò: Quod addit novum esse supra fundamentum, non potest non esse essentia aliqua realiter distincta; sed relatio addit novum esse: ergo. Patet min. nam esse ad alterum non habet fundamentum ante relationem. Hoc argumentum contra se objicit B. D. & solutionem habes verbis adductis §. præcedenti, nempè esse uno modo est actus essentiæ; alio modo est esse definibile, quatenùs definitio significat, quòd quid est esse: itaque esse ad alterum non est esse, quod est actus essentiæ, tale enim in accidentibus est inesse, & perficere; esse autem ad alterum non est aliquod perfectum esse: solùm ergo est aliquod esse quidditativum, & definibile, tale autem non essentiam, sed quidditatem dicit.

389 Arguitur sextò: Minùs distinguitur absolutum ab absoluto, quàm absolutù à relatione; sed absolutum ab absoluto distinguitur realiter: ergo magis absolutum, ut est fundamentum, à relatione. Patet maj. quia duplex absolutum potest esse ejusdem generis, imò & speciei; absolutum verò, & relatio sunt de necessitate diversa genera suprema. Resp. primò, quòd non quæritur de distinctione fundamenti; hoc enim entitas est aliqua, & proinde entitativam distinctionem fundat, quia tamen eisdem terminis posset argumentum de relatione formari. Resp. secundò instando: Magis distinguitur corpus à vivente, quàm Petrus à Paulo; sed corpus à vivente non nisi distinctione virtuali majori: ergo Petrus à Paulo minùs, quàm virtualiter. Patet maj. quia corpus, & vivens sunt diversa genera, Petrus verò, &

Pau-

Paulus individua ejusdem speciei. Directè disting. maj. Magis in linea physica, conc. maj. magis in linea metaphysica, neg. maj. Itaque physicè, sive quantum ad realitatem, quæ est in re, distinguitur absolutum ab absoluto, non autem absolutum à relatione; metaphysicè verò, quantum ad conceptum definibilem, ex quo sumitur prædicatio, ampliùs distinguitur relatio á fundamento, quàm absolutum ab alio absoluto; hæc tamen distinctio non est realis, sed mere dialectativa, & metaphysica, seu ex rationem. Cætera argumenta ut in præcedentibus soluta sunt, aut ex dictis poterunt facilè solvi.

ARTICVLVS IV.

An Relatio terminetur ad relativum formaliter?

§. I.

Probatur Conclusio negativa.

890 QUamvis nonnihil controversiæ habeat præsens difficultas, non tamen talis ea est, qualis N. Bonher. videtur, qui eam dicit inter omnes de Relatione gravissimam: breviter ergo ab ea expediemur. Pro quo notandum, quòd in termino relationis tria sunt, subjectum, ratio fundandi, seu fundamentum proximum, & relatio opposita: v. g. in termino paternitatis est natura genita, quæ est subjectum, seu fundamentum remotum; & generatio passiva, quæ est ratio fundandi, seu fundamentum proximum filiationis; & filiatio ipsa: quæritur ergo: Quænam sit ratio formalis terminandi paternitatem, an nempè filiatio, an passiva generatio, seu absolutum, quod est fundamentum filiationis? Non dubitatur de subjecto, seu fundamento remoto; quare non benè observandum jubet N. Manso q. de hoc esse: An pater terminet filiationem formaliter, qua homo est, vel qua pater? Non, inquam, id benè observat; nullus enim dubitat, quin pater, quæ homo est, non terminat dependentiam, & relationem filii: dubitatur ergo, an quia generavit, sive ratione generationis, & sic relatio terminatur ad absolutum; an potiùs, quia pater est, & ratione paternitatis, & sic terminatur ad relativum formaliter.

Prima sententia asserit, terminari ad relativum formalitér, sive rationem terminandi esse relationem oppositam, sive ea sit realis, ut in relativis primi, & secundi generis, quæ mutua sunt; sive tantùm rationis, ut in relativis tertii generis, quæ eo dicuntur non mutua. Hæc est communis in Schola Thomistarum, paucis exceptis, qui citantur pro tertia; de Nostris eam tenent Lusit. Gavar. Mans. & ex parte Bonher. Secun-

da

da sententia docèt, terminari ad absolutum formalitèr. Hanc tenent omnes Scotistæ; ex aliis Suarez, Uazq. Mon. Lync. & Nostri omnes, præter suprà citatos. Tertia sententia distinguit, & asserit, mutuas relationes ad relativum terminari; non mutuas verò, nempé tertii generis, ad absolutum. Hanc cum Ferrarienſ. 2. contra Gent. cap. 11. tenent aliqui Thomistæ, ut á S. Thom. Baj. & alii; eamdem de mente Resoluti docet Elisæus.

391 Nobis dicendum cum secunda sententia, quòd relatio terminatur ad absolutum formalitèr. Hæc expressè colligitur ex B. D. 7. Physic. lect. 6. in resolut. dub. quæ ita habet: *Dicendum, quòd motus, & relatio terminantur ad aliquid, quod est absolutè tale*; licèt enim de motu intendat, idem dicendum supponit de relatione. Quòd autem per ly *absolutè tale* intendat absolutum, patet ex ratione ejus; locutus enim de motu, qui est ad sanitatem, docet, non ad proportionem, quæ est relatio, sed ad humores ipsos terminari, quia proportio illa eadem, quæ in uno est sanitas, in alio erit ægritudo, ut proportio humorum, quæ in leone est sanitas, esset ægritudo in homine; & quia motus debet habere terminum invariabilem, quia ab eo speciem sumit, non ad illam proportionem, quæ est relatio, sed ad fundamentum ejus, nempè ad ipsos humores debet terminari: si ergò idem dicendum de relatione supponit, patet, quòd de mente ejus relatio terminatur ad absolutum.

392 Nota autem, quòd N. Villan. rationem B. D. pro præsenti conclusione sic formac: Terminus debet esse quid invariabile, cùm specificet; sed in termino relationis absolutum in quocumque ponatur, est idem, non autem relatio: ergo absolutum, non verò relatio est ratio terminandi. Minorem sic ostendit: In albo ut duo, albedo in quocumque est albedo ut duo; at relatio non ita, sed ad aliam albedinem est similitudo, ad nigredinem dissimilitudo, & magis ad albedinem ut duo, quàm ut quatuor similis est. Hanc rationem jure carpit N. Manso; etsi enim relatio variabilis sit, hæc tamen variatio de materiali se habet ad rationem specificativi; semper enim ad extremum correlatum eodem modo comparatur, ut semper, & invariabilitèr ad aliam albedinem est similitudo, ad nigredinem dissimilitudo &c. quare illa variatio de materiali est ad specificationem. Ratio itaque B.D. ad propositum ejus non habet calumniam, quia terminus motûs in se attenditur; non autem benè ad præsentem conclusionem adducitur.

393 Prob. secundò Conclusio à ratione: Terminus in eo, quòd talis, est naturâ prior relatione; sed in eo, quòd relativus, non

non est naturâ prior: ergo non est terminus in eo, quòd relativus. Patet maj. quia relatio resultat ex positione termini, ut albo hîc existente, prius est, quòd ponatur aliud album, quàm quòd resultet in isto similitudo. Min. item patet, quia, ut relativa, sunt simùl naturâ, ut non prius est proportio, & convenientia hujus ad illud, quàm è contra. Neque dicas, relationem resultare ex positione termini materialitèr sumpti, nempé entitatis, ad quam refertur; quæritur autem de termino formalitér. Contra est: Non enim ex positione cujuscumque entitatis, sed hujus determinatè, resultat relatio: ergo ex positione termini formaliter, ut terminus est.

393 Prob. tertiò: Id est terminus formalis relationis, quod *est* ratio formalis, quare relativum dicatur ad terminum; sed talis est absoluta: ergo. Prob. min. Ratio formalis, quare Sortes dicatur similis Platoni, non est, quia Plato habet relationem similitudinis, sed quia habet eamdem qualitatem, non enim in relatione, sed in albedine dicuntur similes: ergo. Confirmatur: Si ratio, quare simile dicitur ad terminum, esset relatio termini, esset etiam ratio, quare dissimile dicitur; sed non ita est: ergo. Patet min. album enim nigro non est dissimile, quia habet relationem, imò in hoc simile est, sed quia habet diversam qualitatem. Rursus: Quærenti, quare Sortes est pater hujus? ineptè responderetur, quia hic est filius; benè autem, quia hic genitus est ab ipso: ergo ratio terminandi paternitatem non filiatio est, sed absoluta ratio fundandi filiationem, nempè generatio passiva.

395 Dices: Generatio est in filio ratio, quare terminus est generantis: ergo sicut generans ad genitum formalitèr est, ita pater, non ad genitum, sed ad filium erit formaliter; sicut enim in patre prius est, quòd sit generans, quàm quòd sit pater, sic in filio prius est, quòd sit genitus, quàm quòd sit filius. Resp. quòd aliud est loqui de eo, quod est ad convertentiam *dici*, aliud verò de ratione formali terminandi relationem; *dici* enim ad convertentiam passio est quædam, & sic posterior quidditate relationis. Rursus: Aliqua sunt relativa, quorum fundamentum est relativum secundùm *dici*, & in his pro priori ad relationem in ipso fundamento salvatur convertentia ex illo modo relativi, quam habet, ita genitor ad genitum dicitur, non autem ita album ad album; æquè autem album, & genitor sunt fundamentum proximum relationis. Ad instantiam ergo neg. conseq. Ratio est, quia generans, eo quòd relativum secundùm *dici* convertentiam habet; quantum autem ad convertentiam æquè generans genito, & pater filio convertitur,

quod non tollit, quin pro priori ad filiationem vi generationis habeat pater rationem formalem fundandi paternitatem, & filius pariter rationem formalem terminandi illam.

396 Prob. quartò: Terminare est terminum esse formaliter, & quidditativè, non ad alterum se habere, sed in se significatur: ergo ratio formalis constitutiva termini in ratione talis non relatio est, sed quid absolutum. Patet conseq. quia enim quidditas relationis tota est ad alterum, denominatio, quæ in se significatur, non potest à relatione tribui, seu in relatione formaliter consistere. Patet item antec. terminare enim est alterius esse finem, quod in se significatur. Neque refert, quòd terminus alicujus est terminus, hoc enim magis significat, quòd alterum est ad ipsum, quàm quòd ipsum est ad alterum; sicut mensura alicujus mensura est, non tamen relationem importat ad mensuratum, sed tantùm, quòd mensuratum est ad ipsam. Aliæ solent rationes ad hoc fieri, sed ex his sufficienter patet conclusio.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

397 ARguitur primò authoritate Philosophi, qui hoc cap. ait: *Assignetur servus hominis, & ala avis, & circumscribatur ab homine esse dominum, non jam servus ad hominem dicitur; cùm enim dominus non sit, servus non est.* Ea relatio servi ita terminatur ad dominum, quòd circumscriptâ relatione non dicitur ad illum: ergo ratio terminandi relatio ipsa est. In hoc textu multum se fundant DD. contrariæ sententiæ; si tamen textus ipse expendatur, patet, quòd nihil inde deduci potest; non enim ex propria mente loquitur, sed ad sensum prioris definitionis, quam ipse rejicit; quare exemplificat de relativo secundùm *dici*, ala enim ad alatum dicitur, non verò relativa est.

Dicendum itaque primò, quòd non de eo, quod est referri, seu de quidditate relationis, sed de eo, quòd est ad convertentiam *dici*, loquitur Philosophus, hoc autem passio est quædam; quare licèt hæc non nisi ad correlativum conveniat, benè potest, referri, in quo quidditas relationis consistit, & quod pro priori intelligitur, ad absolutum terminari. Dicitur secundò, quòd ex textu ad summum deducitur, quòd relatio nõ terminatur formaliter ad subjectum, seu fundamentum remotum, ut relatio servi non terminatur ad dominum, qua homo est, nempè relicto tantùm, quòd homo est, non ad illum dicitur servus; at relicto, quòd jus habet, in quo fundatur relatio domini, ad illum dicitur: ergo hoc jus, sive absoluta ratio fun-

fundandi relationem dominii est formalis ratio terminandi relationem servi.

398 Arguit secundò N. Manso ex authoritate P. Augustini; quæ tamen adducit, non de ipso referri, sed de hoc, quod est ad convertentiam *dici*, procedunt, de quo jam dictum est. Adducit deinde B. D. in 1. dist. 12. q. 1. a. 1. ubi ait: *Cùm ergo dicitur, quòd relativa sunt simùl naturâ, & cognitione, intelligi debet de relationibus oppositis, non de disparatis*; id probat, ex quo relatio est ad aliud, & subdit: *Et quia illud non est relativum quodlibet, sed oppositum suum, opposita relativa sunt simùl naturâ*; ex quibus deducit: Ergo terminus, non ut absolutus, sed ut relativus terminat. Prob. conseq. Quia sic terminat, qualitèr est distinctus, oppositus, & simùl naturâ; sed ista habet, ut relativus est, non ut absolutus: ergo.

Rursus, dist. 27. q. 1. art. 1. ait: *Attamen semper ei confert, quòd sit relatio per comparationem ad oppositum, vel ad terminum.* Nota ly *semper*, & vides relationem semper terminari ad oppositum fundamenti; sed terminus solùm, ut est relativus, est oppositus fundamento: ergo. Præterea, dist. 30. q. 1. a. 2. explicans tria genera relatorum, de quibus Philosophus 5. Metaph. subdit: *Et est differentia secundùm eumdem ibi inter duos primos modos, & tertium, quia relativa secundùm duos primos modos habent relationem realem ad se invicem modo converso, quia ædificans realitèr refertur ad ædificatum, & è converso; sed relativa secundùm tertium modum realitèr ponunt aliquid in uno extremo, in alio autem quid rationis tantùm*: ergo omnis relatio terminatur ad relativum, vel reale, si sit primi, aut secundi modi; vel rationis, si sit tertii.

399 Resp. quòd loca Ægidii ne levitèr quidem indicant propositum arguentis, ut patebit expendendo singula: in primo ergo quærit B. D. An generatio Filii sit prior processione Spiritûs Sancti? Pro cujus explicatione præmittit, quòd alitèr discurrendum est de relationibus oppositis, ut sunt Paternitas, & Filiatio; alitèr de disparatis, ut sunt Filiatio, & Spiratio passiva; nempè relationes oppositæ ex terminis sunt simùl naturâ, non autem disparatæ; & ad hoc tendunt verba adducta, ex quibus nihil de ratione formali terminandi; ex quo enim Filius, ut Filius est, sit simùl naturâ cum Patre, non autem cum alia ratione disparata, non sequitur, quòd ratio formalis terminandi Paternitatem sit potiùs Filiatio, quàm generatio passiva. Ad formam ergo neg. conseq. & ad prob. ejus distinq. maj. Ly *qualitèr* dicente rationem formalem terminandi, neg. maj. dicente conditionem, conc. quòd enim terminus distin-

ctus sit, & oppositus, conditio est de necessitate consecuta ex ratione termini, quare terminat, ut est distinctus, & oppositus; non tamen est formalis ratio terminandi. Præterea, falsa est minor, non solùm enim, ut Filius est, habet distinctionem, & oppositionem cum Patre, sed etiam ut est genitus.

In secundo loco quærit; An quatuor relationes possint dici quatuor res? Pro cujus explicatione §. *Ideo notandum*, præmittit, quod ad hoc, ut relatio sit realis, duo requiruntur: primum, quòd habeat reale fundamentum proximum, seu quòd ponat aliquid reale in subjecto relato, ut similitudo ponit albedinem; secundum, quòd habeat realem differentiam inter extrema relata: deinde, quòd non eodem modo utrumque requirit relatio, sed primum identicè, & ut est res quædam; secundum verò formaliter, ut est relatio; quod explicans ait, quòd relatio ex quidditate sua non habet, quòd sit res, & concludit: *Non quòd non sit res aliquando per suam quidditatem formaliter, sed quia suà quidditas hoc ei conferre non valet, nisi præsupposito reali esse, quod habet in eo, in quo existit; attamen semper ei confert, quòd sit relatio per comparationem ad suum oppositum, vel ad terminum.* Vides itaque, quòd sensus est, relationem aliter comparari ad id, quod est, ac ad id, ad quod refertur; ex quo nihil de ratione formali terminandi.

In tertio loco quærit: An relationes temporales sint in Deo realiter? Et quia temporales relationes possunt ad tertium modum revocari, quatenùs Deus Principium est, & Mensura; creatura autem quædam participatio Divini Esse: §. *Habito igitur*, explicat tres modos relatorum, & ait, quòd in tertio modo mensuratum habet relationem realem, non autem mensura, ut inde deducat, quòd relatio creaturæ ad Deum realis est, non autem ê contra; quia tamen aliquæ relationes sunt in Deo de secundo modo, ut Creatoris, & similes, postmodùm de his explicat, quòd non sunt realiter in Deo: ex his autem solùm sequitur, quòd relativum habet in utroque extremo relationem, saltim secundum rationem, non autem, quòd relatio ipsa sit ratio formalis terminandi: nihil ergo ex B. D. contra nos deducitur.

400 Arguit tertiò idem à ratione: Relatio terminatur formaliter ad id, à quo specificatur; sed non specificatur à termino, ut absolutus est: ergo. Probo min. Relatio nequit specificari ab aliquo extra suum genus; sed terminus, ut absolutus, est extra suum genus: ergo. Explicatur: Specificativum dat speciem; at species relationis, cùm non sit absoluta, non potest dari ab absoluto, nempè nemo dat, quod non habet: ergo

go. Confirmatur: Ratio formalis, qua pater refertur, est relativa: ergo paritèr ratio formalis, qua filius terminat. Prob. conseq. quia sicut fundamentum de se est absolutum, & solùm ratione relationis fit relativum, ita terminus tantùm per relationem habet, quòd sit coextremum. Hæc ratio, ut directè probaret, procedere debet de fundamento quantum ad rationem fundandi, alioqui nihil probat; veré enim sicut fundamentum á relatione habet referri, ita terminus, quòd sit correlativus, non autem, quòd sit terminus; sicut neque fundamentum, quòd sit fundamentum. Hoc ipse vidit, quare alitèr consequentiam probat, quia fundamentum, & terminus, aut esse debent æquè relativa, aut major est ratio, ut terminus sit relativus, quàm fundamentum: ergo si ratio formalis, qua fundamentum refertur, & sit extremum relationis, est relatio, magis terminat. Prob. antec. Relatio habet á fundamento esse numericum, & materiale, à termino esse specificum; sed potior est ratio, ut sit relativum, quod dat relationi esse specificum, & formale, quàm quod dat esse materiale: ergo.

401 Resp. missis instantiis, quas ipse adducit, primò instando alitèr: Magis enim est extra genus relationis realis relatio rationis, quàm ens reale absolutum, relatio enim rationis solùm æquivocè cum relatione reali convenit, absolutum verò, & in ratione entis realis, & accidentis convenit, nempè metaphysicè, & ut constituit Prædicamentum; at specificat relationem realem relatio rationis, juxta ipsum, nempè in tertio modo relativorum: ergo magis poterit ens reale absolutum; quare non tenet omninò principium, quo nititur ratio. Rursus: Specificativum dat speciem, non autem genus; sed licèt relatio termini sit in genere eodem cum relatione fundamenti, sæpe autem non est in eâdem specie, ut filiatio, & paternitas: si ergo nemo dat, quod non habet, neque filiatio potest specificare paternitatem, neque è converso.

Resp. secundò neg. min. & ad ejus prob. neg. maj. ad explicationem paritèr neg. maj. in qua tota nititur æquivocatio. Species itaque quidditas est uniuscujusque, quæ extrinseca esse omninò non potest, aut ab extrinseco aliquo accipi; quare terminus, & quodlibet specificativum extrinsecum, non quia dat speciem, sed quia notificat specificativum, dicitur: species itaque relationis ex propriis prædicatis habetur suæ quidditatis, nempè ex ipso ordine unius ad alterum; distinguitur autem specie una relatio ab altera, & notificatur nobis hæc distinctio ex diversitate terminorum, pro qua omninò est de materiali relatio.

Ad

Ad confirmationem neg. conseq. non enim ex ratione formali, qua fundamentum refertur, benè arguitur ad rationem formalem terminandi, sed ex ratione formali, qua fundat; comparantur enim ratio formalis fundandi ad rationem formalem terminandi, & ratio formalis, qua fundamentum refertur ad rationem formalem, qua terminus est illi correlativus; jam autem ratio formalis fundandi paternitatem est generatio activa: ergo ratio formalis illam terminandi est generatio passiva; quo patet ad primam probationem consequentiæ. Ad secundam neg. antec. de termino formaliter, ut terminus est. Ad prob. ejus neg. maj. jam enim patuit, quòd relatio non habet esse specificum á termino, sed ex prædicatis suæ quidditatis, nempe ex eo, quòd est talis ordo.

402 Arguit quartò Parra: Relationes mutuæ ad id formaliter terminantur, cum quo habent oppositionem; sed non habent oppositionem ad absolutum: ergo. Prob. min. Ad id habent oppositionem, á quo distinguuntur formaliter, & ex terminis; sed solùm à relativo habent distingui formaliter, & ex terminis, ab absoluto autem materialiter, & per accidens: ergo. Min. patet in relationibus Divinis. Confirmatur primò: Relatio per se ipsam formaliter respicit terminum ut oppositum relativo, & per se ipsam illi opponitur: ergo habet prò termino formali id, cui opponitur; sed solùm opponitur relativo formaliter ut tali: ergo. Confirmatur secundò: Relativa primi, & secundi generis sunt simùl naturâ cum termino; sed omne absolutum, quod est in termino, non est simùl naturâ, sed prius relatione: ergo.

403 Resp. primò, quòd ejusdem quidditatis sunt in ratione relativi relativa de primo, & secundo, ac de tertio genere, æquè habent realem dependentiam á termino, ab illo specificantur, & illum exigunt: si ergo terminus, eo quòd talis formaliter relativus est, æquè debet esse in tertio genere, aut si realis relatio de tertio genere potest formaliter ad absolutum terminari, æquè poterit quævis alia; patet enim, quòd mensuratum æquè, ac quodvis aliud relativum non intelligitur sine eo, à quo mensuratur, quare est simùl naturâ, habet item de necessitate distinctionem, & oppositionem. Directè disting. maj. Ad id terminantur, cum quo habent oppositionem, formaliter ratione oppositionis, neg. maj. formaliter ratione fundamenti ejus, conc. maj. non enim formaliter, quia oppositionem habet, relationem terminat; imò è contra, quia relationem terminat, oppositionem habet: quare ratio formalis terminandi non est oppositio, sed potius oppositio consequitur ex

ratio-

ſatione formali terminandi, ſcilicèt filius, quia genitus eſt, terminat paternitatem, & ex hoc conſequitur in eo filiatio, quæ eſt formalis oppoſitio relativa: terminus ergo ex formali ratione termini non formalem, ſed radicalem oppoſitionem habet; hæc autem ipſi abſoluto convenit, quod eſt in termino ratio fundandi oppoſitum relationem. Ad prob. dicitur, quòd utiquè ſolùm ab oppoſito habet diſtingui formaliter, & ex terminis; ſed formalis ratio hujus diſtinctionis non eſt in termino relatio ipſa, ſed fundamentum ejus; quòd ſi in Deo non ex fundamento, ſed ex relatione accipitur diſtinctio, eſt, quia ex perfectione illius naturæ cætera tranſeunt in Divinam ſubſtantiam; quare ibi non eſt proxima ratio fundandi alia à relatione, & ſubſtantia; in creatis autem diſtinctio præſupponitur ad utramque relationem; quare relatio nequit eſſe ratio formalis diſtinctionis.

Ad primam confirmationem primò neg. maj. licèt enim reſpiciat oppoſitum, non ut oppoſitum formaliter; opponi enim ſequitur ad ipſum reſpicere illius, & terminare hujus, nempè quia hoc genitum eſt, terminat paternitatem, & ex hoc conſequitur filiatio, qua opponitur; ſimiliter quia hoc habet eamdem qualitatem cum illo, terminat ſimilitudinem, & conſequitur in iſto ſimilitudo, qua illi opponitur. Secundò diſting. maj. Reſpicit terminum ut oppoſitum formaliter, neg. maj. ut oppoſitum radicaliter, conc. maj. nempè paternitas terminum reſpicit, quia genitus eſt, quod eſt radix, & cauſa oppoſitionis formalis. Ad ſecundam confirmationem, eſſe ſimùl naturâ cum termino non de relativis primi, & ſecundi generis, ſed de relativis *ut ſic*, explicat Philoſophus, & patet, quòd non minùs pater non intelligitur ſine filio, & ſimile ſine ſimili, quàm menſuratum ſine menſura. Deinde: Terminus, ut terminus eſt, & ut habet formalem rationem terminandi, eſt naturâ ſimùl cum relatione, quam terminat; tùnc autem non ſolùm filius, ſed genitum eſt naturâ ſimùl cum patre; patet ergo æquivocatio minoris; cùm enim dicitur, quòd abſolutum, quod eſt in termino, prius eſt relatione, aut poteſt accipi prius relatione, quæ eſt in termino, aut prius relatione, quam terminat; & priori modo verum eſt, non autem poſteriori.

Alitèr, & meliùs dicitur ad eamdem confirmationem, quòd relativa, ut relativa ſunt, ſunt ſimùl naturâ; quare terminus, ut correlativus eſt fundamento, eſt ſimùl naturâ cum illo; at verò formaliter, ut eſt terminus, non eſt naturâ ſimùl cum relatione fundamenti, imò prior, quia relatio reſultat ex poſitione termini, ut ſuprà arguebamus; quare inde potiùs ſequitur oppoſitum, quod

ter-

terminus habet formalem rationem termini pro priori ad relationem, & sic ea est absoluta. Ad formam ergo disting. maj. Sunt simùl naturâ cum termino formaliter, ut est terminus, neg. maj. quia terminus ut talis prior est relatione, quam terminat: cum termino realitér, & ut est correlativus, conc. maj.

404 Arguunt quintò Complutenses: Relationes Divinæ terminantur ad relativum: ergo idem de qualibet. Antec. patet, quia ibi non est ratio absoluta, quæ possit terminare; terminus enim formalitèr ut talis distinctus est, in absolutis verò nulla est distinctio. Consequentia à nobis non potest negari, qui relationes ponimus in Deo secundùm propriam rationem suæ quidditatis, & ex illis ad creatas arguimus quantum ad distinctionem: ergo pariter debemus consequentiam admittere quantum ad terminationem.

405 Hoc argumentum duobus modis potest solvi: primò negando conseq de relationibus Divinis ad creatas; & ad rationem ejus dicitur, quòd distinctio passio est transcendens, & impræscindibilis; quare ubicumque ponitur eadem quidditas, eamdem habet distinctionem ab omni non ipsa; at verò ratio formalis terminandi non pertinet ad quidditatem relationis, sed tantùm eam exigere: licet ergo relatio Divina ex quidditate sua, & quatenùs relatio est, exigat terminari ad absolutum; ratione naturæ, quæ refertur, & quatenùs Divina est, poterit ad relativum terminari, quia nempè absolutum ibi non datur distinctum, & potens terminare; quod non tollit, quin relatio per se, & ex terminis habeat terminari ad absolutum.

Secunda solutio esse potest, quòd etiam relatio Divina ad absolutum terminatur: pro cujus intelligentia nota, quòd relatio Divina tribus æquivalet perfectionibus creatis, puta Filiatio est subsistentia Personalis Filii, generatio passiva, & relatio ad Patrem: dicetur ergo, quòd terminat Paternitatem, quatenùs est generatio passiva, non autem, quatenùs est Filiatio; & sic est terminus illius relationis relativus realitèr, absolutus verò formalitèr. Ad formam itaque disting. antec. Terminantur ad relativum formalitèr ut tale, neg. antec. formalitèr sub conceptu absoluti, conc. antec. quo patet ad prob. ibi nempe non est absolutum realitèr tale, terminat verò ipsum relativum sub conceptu absoluti.

406 Arguit sextò Joannes de S. Thoma: Terminus formalitèr, ut terminus, alicujus est terminus: ergo formalitèr, ut terminus, est relativus. Antec. de se patet, & conseq. sic ostenditur: Quod formalitèr ut tale ad alterum est, formalitèr ut tale relativum est, & relatione constituitur; hæc est enim quid-

quidditas relativi, quod secundùm id, quod est, sit ad alterum: si ergo terminus formaliter ut talis ad alterum est, in ratione talis relativus est, & relatione constituitur. Instatur apertè: In quolibet relativo secundùm *dici*, mensura v. g. alicujus mensura est: ergo relativa est, & relatione constituitur; & tamen habet Philosophus, & nullus negat, quòd in tertio genere tantùm est relatio in mensurato. Directè itaque neg. conseq. Ad rationem ejus dicitur, quòd relativum est, quod totum, quod habet, ad alterum habet, seu quod non significat in se hoc aliquid, non autem quod in se est quid absolutum, habens tamen talem modum quidditatis suæ, quod alterius dicitur; ita est terminus, significat enim in se hoc aliquid, ad quod est relatio, quare ratio termini relativa est secundùm *dici*. Cætera ex dictis potest solvi.

QUÆSTIO QUINTA

DE QUALITATE, ET RELIQUIS PRÆDICAMENTIS.

RELIQUA PRÆDICAMENTA UNA QUÆSTIONE COMprehendimus, quia de Qualitate nihil est, quod disputatione indigeat, quatenùs ea hùc spectat; sex reliqua uno capite comprehendit Philosophus; quare quæ de singulis disputantur, alius sunt loci.

ARTICULUS I.

Quid sit Qualitas, & an benè definiatur à Philosopho?

407 IN principio hujus capitis ita describit Qualitatem Philosophus: *Qualitatem voco, secundùm quam quales esse dicimur.* Hæc descriptio adeo communiter displicet, ut vix sit aliquem reperire, qui eâ contentus sit; cùm tamen meliorem assignare, adeo omnibus sit difficile, ut quisque propriam, rejectis aliis, efformet, nec facile duos in eâdem convenientes reperias. Mastrius in primis, postquàm aliorum descriptiones rejicit, supposito, quòd à priori, & per prædicata quidditativa definiri non potest, & subinde à posteriori per primam proprietatem describenda est, hanc esse ait, quod capax est intensionis, & remissionis, seu quod patitur magis, & minus; hæc enim omni, & soli convenit qualitati; qua-

re ita describit: *Accidens absolutum, ratione cujus subjectum qualificatum intendi, & remitti potest.*

408 Verùm inter omnes nullam video hac infirmiorem. Mitto modum loquendi, nempè, non intenditur subjectũ, sed qualitas, aut magis quale esse. Dato, quòd ex prima proprietate describenda sit qualitas, hæc non est prima proprietas, imò nec proprietas, proprie loquendo; non enim omni, aut soli convenit qualitati: non soli, quia Philosophus ipse cap. de *ad aliquid* ait, quod relationi convenit, licet non omni, magis, & minus suscipere; & patet, quod dicitur magis simile, æquale, propinquum, & multa similia: neque omni, quia quarta species non patitur magis, & minus, non enim dicitur magis, aut minùs rotundum, aut quadratum; quare Philosophus ipse, assignatis proprietatibus qualitatis, ita subjungit: *Eorum, quæ dicta sunt, neutrum proprium qualitatis esse videtur: quare proprium qualitatis erit hoc, ipsa simile, atque dissimile dici*: si ergo ex proprietate aliqua desumenda est descriptio, ex hac desumi debet.

409 N. Villanova, rejectis pariter aliorum descriptionibus, hanc assignat: Est *accidens absolutum perfectivum substantiæ in formalizando*, quia nempè quantitas, quæ paritèr est accidens absolutum, non in formalizando, sed in materializando perficit. Hæc multum placuit N. Manso; ait enim, quòd si aliqua tenenda est, rejectâ Philosophi descriptione, hæc debet cæteris præponi. Sed nihilo melior ea est præcedente: in primis enim non apparet, quo hæc differat ab illa, quam ipsi rejiciunt, nempè quòd est accidens absolutum, quod sequitur formam; idem enim est sequi formam, & perficere in formalizando, imò si quid hoc addit, potiùs hæc rejicienda est; magis enim apparet, quòd omnis qualitas sequitur formam, quàm quòd perficit in formalizando: nam figura, quæ est quarta species, sequitur quidem formam, quia dimensiones determinatæ sequuntur formam substantialem in materia, ut ex Commentatore sæpissime habet B. D. non autem apparet, quid, aut quomodò formalizet figura. Deinde, qualitatem accipit, ut est forma physica substantiæ perfectiva; non autem sic accipitur in præsenti; figura enim, ut cætera mittam, est quarta species, non tamen forma aliqua, sed determinatio quantitatis.

410 Eliseus de mente Resoluti describendam ait qualitatem: *Accidens absolutum perfectivum subjecti actualis.* Eamdem tenet Dionysius, addit tamen accidens *entitativum*, quod Eliseus putat rejiciendum propter figuram, & similia, quæ non entitativa, sed modalia sunt accidentia. Adducit

pro

prò se B.Doctorem q.4. de Mens. Ang. ubi ait: *Qualitas dicit rem aliquam absolutam subjectum perficientem, vel informantem.* Quid autem est perfectivam esse subjecti actualis, sic uterque explicat: Quantitas materiam sequitur ut illius passio, & est illi coæva; quare de se non exigit subjectum actuale in aliqua specie constitutum; qualitas verò exigit subjectum per formam substantialem in aliqua specie constitutum.

411 Sed in primis hæc descriptio in illam recidit communitèr rejectam, quòd *est accidens, quod sequitur formam.* Deinde, id assumit, quod, excepta quantitate, reliquis convenit prædicamentis accidentium; nam sola quantitas materiæ coæva est, cætera autem substantiæ completæ conveniunt. Insuper, non determinat qualitatis quidditatem; tantùm enim, quòd substantiæ completæ perfectio est, non autem, quid illi tribuit, explicat. Præterea, non qualitatem, ut est Prædicamentum, sed ut est forma physica, explicandam assumit. Ita possent reliquæ descriptiones insufficientes ostendi: satius ergo esset, quæ contra Philosophi descriptionem objiciuntur, solvere, quàm aliam quærere. Quia itaque N. B. D. hìc q. 17. illam Philosophi descriptionem tenet, & solvit, quæ contra illam objiciuntur, iidem sufficientem habere debemus.

412 Pro illius itaque intelligentia notandum est in primis, quòd non quidditativam definitionem debemus quærere, talem enim nulla habent Prædicamenta, cùm sint genera suprema, sed qualemcumque descriptionem, quæ tamen commodiùs explicet qualitatis quidditatem, ut ea est Prædicamentum. Pro quo ulteriùs notandum, quod jam suprà notatum jusimus de quantitate, quòd non est idem quærere de qualitate, ut est forma physica, & ut est Prædicamentum, in quo ferè omnes æquivocantur, qui descriptionem Philosophi rejiciunt: Prædicamentum ergo, ut sæpe dictum est, significat conceptum metaphysicum, seu genus supremum, cui non respondet in re forma physica, sed aut gradus ejus, aut effectus, sive determinatio subjecti, ex qua sumitur prædicatio generalis, & non reducta in aliam; quare ait B.D.citat. q.4. de Mens. Ang. quòd ens non descendit in decem Prædicamenta tanquam in decem entia, sed tanquam in decem modos essendi generales, & non reductos: quod primùm patet ex eo, quod ait Philosophus, quòd divisio prædicamentalis *non est eorum, quæ sunt, sed eorum, quæ dicuntur*; secundò, quia quantitas, & figura sunt aliud, & aliud Prædicamentum, non autem aliud, & aliud ens, sed eadem quantitas, ex qua duplex formatur conceptus, & duplex fit prædicatio, quarum una non reducitur in aliam,

ut magnum esse, & esse rotundum, aut quadratum.

Ubi ergo est una forma physica, ex cujus perfectione, aut modo perficiendi sumuntur omnes species, & prædicationes, non est difficile assignare conceptum generalem, sive effectum ejus, ex quo sumitur communis conceptus generis supremi, & ita est de quantitate; at verò in qualitate non est accipere unius alicujus formæ effectum, ex quo sumatur communis conceptus ad omnes qualitates; multæ enim ex effectibus quantitatis sumuntur, ut asperum, & lene, durum, & molle, quæ sunt de tertia specie; quadratum, aut rotundum, quæ sunt de quarta: ideo fortè difficile est hujus Prædicamenti communem conceptum accipere, & ejus descriptionem assignare. Non itaque debemus quærere quidditatem qualitatis, ut est Prædicamentum, ex aliquo effectu, quem qualitas physica tribuat substantiæ; nullum enim erit reperire communem ad omnes species hujus Prædicamenti, multæ enim, ut jam patuit, ex effectibus quantitatis sumuntur.

413 Relinquitur ergo ex his, quòd conceptum qualitatis *ut sic* non ex alio possumus accipere, quàm ex ipsa prædicatione, quòd nempè tale est genus, aut quidditas, ex qua sumitur prædicatio secundùm tale esse, vel tale, quæ ex determinatione sumitur ipsius substantiæ, sive ea à quantitate, sive á qualitate physica proveniat; ut album esse est aliquod esse quale æquè, ac esse asperum, vel esse molle; at hoc explicat descriptio Philosophi: ea ergo est sufficiens, quantum patitur conceptus qualitatis.

414 Quod autem ait B. D. q. 4. de Ment. Aug. (ut verba explicemus, quæ pro se adducit Elis.) tria prima Prædicamenta dicere rem, quatuor dicere ordinem, & reliqua rem sub ordine, non sic est accipiendum, quòd in ipsa re consistat ratio Prædicamenti; tùnc enim esset D. sibi ipsi contrarius, & oporteret, quòd alia, & alia quantitas, aut qualitas esset alia, & alia res, cujus oppositum ibidem habet sæpissimè, quod nempe ex alia, & alia determinatione, sive effectu ejusdem formæ alia, & alia sumitur ratio quantitatis, aut qualitatis: sensus ergo est, quòd Prædicamento relationis, seu conceptui ejus non respondet in re res aliqua, sed ordo, sive habitudo rei; at verò tribus primis potest respondere res aliqua, non quòd in ipsa re consistat ratio Prædicamenti, sed in conceptu prædicabili, qui ex re sumitur.

415 Ex his, quæ contra descriptionem Philosophi objiciuntur, facile erit solvere; quare cætera prætermittam, quæ nullius sunt difficultatis, unum tantùm aliquam præsefert difficultatis speciem: quòd nempè differentia quidditativa secundùm *quale* dicitur;

citur: ergo convenit ei descriptio qualitatis. Ad hoc autem ex B.D. dicendum, quòd non est inconveniens id, quod secundùm suam quidditatem est unius Prædicamenti habere modum alterius, ut scientia secundùm suam quidditatem est qualitas, habet tamen modum relativi, & dicitur ad scibile: quo ergo sensu relativo secundùm *dici* convenit definitio relativi, licet id secundùm quidditatem suam non sit relativum, eodem differentiæ quidditativæ convenit descriptio qualitatis, nempè ea est qualitas secundum *dici*. Quod autem per quale *dici*, non per quale *esse* qualitatem describi, cùm tamen de relatio e dixisset, quòd non per *dici*, sed per esse *ad aliquid* explicanda est, nullius est ponderis; tùm, quia postquàm de relatione id determinavit, sufficienter hic putavit posse intelligi; tùm, quia quæ in relatione sunt secundùm *dici* tantùm, magis possunt æquivocationem inducere, quàm quæ in qualitate; differentia enim quidditativa satis patet, quòd non extra essentiam dicitur; & cùm aliunde Prædicamentum sit *eorum, quæ dicuntur*, congruentius putavit per *dici quale* explicare qualitatem.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit Qualitas, & quæ ejus proprietates?

416 QUatuor Qualitatis species assignat Philosoph. in textu hujus cap. Prima est habitus, & dispositio. Habitum nonnulli definiunt: *Quod est qualitas difficilè mobilis à subjecto*; dispositionem verò: *Quod est facilè mobilis*: & quidem per hoc differt habitus á dispositione; & per hoc S. Parens habitum definit de decem Categ. cap. 12. ait nempè: *Habitus affectio animi est longo tempore perseverans, ut est virtus, & disciplina.* Sed hoc distinguit quidem habitum á dispositione, non autem primam speciem à reliquis. Philosophus 5. Metaph. text. 19. videtur hanc primam speciem explicare per hoc, quod est benè, vel malè disponere, quare sic communiter definitur: *Qualitas benè, vel malè disponens subjectum*; quæ si permanenter afficiat, & diutius duret, habitus dicitur; si autem citò transeat, dispositio; non enim ex perfectione citò transeunte quis dicitur habituatus, sed benè, vel male dispositus.

Videtur autem ea definitio solam dispositionem significare; nam benè, vel male disponi dispositionem significat. Sed notandum, quòd alterum extremum, quia

quia non habet nomen speciale, retinuit sibi nomen commune, & dicitur absolutè *dispositio*; quare ait Philosophus hic, quòd omnis habitus dispositio est, non autem ê contra, quævis dispositio est habitus; affectio enim durans disponit utiquè, quæ autem citò transit, non sufficit habituare. Patet itaque, quòd ratio hujus speciei, ut est subalterna, & divisibilis in habitum, & dispositionem, ipsa est dispositio, quæ ulteriùs veluti in duas species dividitur in dispositionem manentem, seu difficile mobilem, quæ est habitus; & non manentem, seu facilè mobilem, quæ absolutè dicitur dispositio. Patet item, quo sensu tenet definitio S. Parentis; non enim primam speciem subalternam definit, in quam immediatè dividitur qualitas *ut sic*, sed habitum, ut est species illius divisiva. N. Manso supplendam putat communem definitionem, ut dicatur qualitas ab *extrinseco*, quo prima species differat à secunda. Sed quamvis verum sit, in hoc hanc, & illam differre, quòd prima ab *extrinseco* est, & acquisita; secunda autem ab *intrinseco*, & congenita, sufficientèr id explicatur per hoc, quòd prima dicitur mobilis facilè, aut difficilè.

417 Secunda species est naturalis potentia, vel impotentia. Hanc non per definitionem, sed per ipsas suas species explicat Philosophus, ut affectiones illæ, quibus quis per naturam suam ità dispositus est, ut sit bonus cursor, pugillator, & similes, sunt naturales potentiæ; eæ autem, quibus minùs est aptus ad ista, dicuncuntur impotentiæ. Patet itaque primò, quòd impotentia non significat privationem, sed positivam affectionem, quæ per comparationem ad potentiam privativè dicitur, quatenùs deficit à perfectione ejus, sicut dispositio deficit quodammodò à perfectione habitûs. Patet deinde, quòd hæc, sicut prima, affectio est benè, vel malè disponens, & differunt in eo, quòd prima est qualitas acquisita, hæc autem naturalis; quare poterit definiri: *Qualitas à natura benè, vel malè subjectum disponens.*

418 Notandum autem, quòd eadem habilitas, puta, qua quis est bonus cursor, poterit esse de secunda specie, aut de prima; prout enim à natura habet subjectum illam dispositionem, qua est bonus cursor, naturalis potentia est; prout verò illam exercitatione acquirit, habitus est, aut dispositio, secundùm quod magis, aut minùs firmatur, & fit permanens, seu difficilè mobilis illa habilitas. Ad hanc speciem reducit Philosophus asperum, & lene, durum, & molle; significant enim talem dispositionem in partibus, quam substantia congenitam habet; quòd si illam ex aliqua alteratione acquirat, non secunda, sed prima species erit. Ad hanc item pertinent

gent potentiæ animæ, ut intellectus, & voluntas.

419 Tertia species est passio, & passibilis qualitas. Hanc Nost. Manso definit: *Qualitas ex alteratione resultans, seu quæ est alterationis terminus*; quæ si citò transit, passio est, ut rubor ex verecundia, aut pallor ex timore; si autem manet, passibilis qualitas. Hanc tamen explicationem Philosophus ipse rejicit hîc, ait enim: *Qualitates autem passivæ dicuntur, non ideo, quòd ea, quæ susceperunt, passa aliquid sunt*; & exemplificat de dulcedine, quæ in melle est passibilis, seu, ut ipse loquitur, passiva qualitas, non tamen alteratione aliqua introducitur; quare ait, has dici passivas qualitates, quia passionem aliquam in sensu causant. Eodem sensu accipit B. D. nam cùm hic q. 22. quæreret: An asperum, & lene sint qualitates? respondet, quòd secundùm quod dicunt talem dispositionem in partibus, sunt de Prædicamento situs; ut autem nata sunt causare passionem in tactu, sunt qualitates.

Notat autem Philosophus, quòd non omnes passivæ qualitates eo tales dicuntur, quia passionem inferunt, sed multæ, quia passionem significant in subjecto, ut album esse, aut nigrum. Hæc itaque species cum utrâque præcedente habet, quòd disponit subjectum, sed in primis ad hanc est de materiali, quòd acquisita sit, vel congenita; dulcedo enim naturalis est melli, calor autem alterationi inducitur, & utraq; est tertia species; deinde tàm prima, quàm secunda talem significant dispositionem, qua subjectum benè, aut malè se habeat, non autem tertia; & ex hoc propria ejus ratio sumitur: eadem ergo qualitas, ut calor in aliquo, erit de secunda specie, ut in igne est naturalis potentia, nempè congenita qualitas, qua benè se habet ad operandum; in alio erit prima species, ut in aqua dispositio est, qua malè se habet, nempè contraria essentiæ suæ; in alio erit tertia species, ut in homine calor exercitatione acquisitus passio est quædam, dispositio nempè, qua neque benè, neque malè se habere dicitur; sicut autem habitus, & dispositio differunt penes manere, & citò transire, ita passio, & passibilis qualitas.

420 Quarta species est *figura, & ea, quæ circa unumquodque est forma.* Nonnihil difficultatis est in distinguendo formam à figura, orta præsertim ex translatione Boëtii, qua dicitur *forma, & circa aliquid constans figura*; juxta priorem enim idem videtur esse forma, & figura, in posteriori autem distingui indicatur. Contendit in primis Rubio hic in expositione textûs primò standum, & quòd juxta eam forma, seu figura terminatio est quantitatis, qua aliquid dicitur curvum esse, aut

aut rectum, rotundum, aut angulare, de his enim Philosophus ipse exemplificat. Sed hunc sensum Philosophus aperte excludit; subdit enim, postquàm de figura exemplificavit: *Forma etiam quodque dicitur quale*; quibus innuit apertè, quòd non solùm figura, sed forma etiam qualitas est de hac specie, & proinde alia à figura; ita tenet B. D. in expositione textûs, & cæteri communitèr; quare difficultas est in assignando differentiam.

Prima sententia est, quam ex Cajetano adducit ipse Rubio, quòd nempè ly *constans* cum ly *aliquid* accipiendum est, ut sensus sit, quòd figura est terminatio circa aliquid constans, & solidum; quare forma in fluidis accipitur, figura verò in solidis. Sed hæc expositio communitèr rejicitur, tùm, quia fluida proprium terminum non habent, sed vas, quo continentur; tùm, quia si quem habent, non formaliter ratione sui, sed materialitèr ratione rei terminatæ differt hæc terminatio ab ea, quæ est in solidis. Secunda expositio est, quòd figura dicitur terminatio quantitatis in naturalibus, ut esse quadratum, vel rotundum; forma verò in artificialibus, ut scamnum esse, vel arcam. Sed quamvis terminatio in his forma dici soleat, patet tamen, quòd scamnum esse non est de Prædicamento qualitatis; quare talis forma non est, quæ dicitur quarta species qualitatis.

Quare tertia expositio, quæ communis est, dicit, quod dispositio in partibus, quæ est terminus quantitatis *ut sic*, & communitèr dicitur *figura*; addit autem, ut est forma, quòd sit congrua, vel incongrua, & dicitur pulchritudo, aut deformitas. Sed deformitas, & pulchritudo non qualitatem, sed relationem significant. Rursus, ut arguit B. D. 7. Physic. lect. 6. qualitas, cùm sit absolutum quid, in quocumque ponatur, idem est; non autem ita se habet illa congruitas, sed proportio partium, quæ in equo est pulchritudo, in aquila est deformitas. Quare B. D. q. 21. sup. Prædicam. qua de hoc determinat, in hoc videtur sistere, quòd forma significat terminationem quantitatis in aliquo simplici, ut rectitudo, aut curvitas; figura verò in habente aliquam compositionem, ut triangulus.

Res est parvi ponderis, nec multum in illa differentia insistit B. D. quare tene, quod magis libeat: quòd si tertia expositio, quæ communis est, placet, potest dici ad ea, quæ adducta sunt in contrarium, quòd Prædicamentum non significat realitatem, ut in re est, nempè non est *eorum, quæ sunt, sed eorum, quæ dicuntur*, ut sapissimè dictum est, sed significat conceptum, qui inde sumitur, seu rationem quidditativam, ex qua fit prædicatio; jam autem pul-

pulchritudo in re supra terminationem solam addit habitudinem, nihilominùs ratio quidditativa, quæ inde sumitur, & quam prædicat intellectus, quando asserit pulchrum esse, pertinet ad quale esse. Quo patet ad rationem subinductam ex B. D. arguit enim B. D. de re physica, nempè de eo, quod notum terminat, de quo benè procedit ratio; in proposito autem, quod in re non est physica qualitas, quātum ad modum, quo prædicatur, potest ad *quale esse* pertinere, ut de ipsa patet figura.

421 Proprietates qualitatis tres assignat Philosophus: prima est habere contrarium, intellige stricte, & propriè, quo sensu contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuò se expellunt; quare subdit, quód si constat, in quo genere est unum contrarium, continuò constat, in quo sit alterum, quia esse debet in eodem genere; notat autem ipse, hanc non omni qualitati convenire, nam rubro, pallido, & aliis coloribus mediis nihil est contrarium. Secunda proprietas est suscipere magis, & minus, seu quòd secundùm eam dicatur subjectum magis, & minus tale; de hac item jam patuit in præcedentibus, quòd neque omni convenit, neque soli; multæ enim qualitates intensionem non suscipiunt, & secundùm relationem magis, & minus dicitur, ut simile. Tertia proprietas, quæ omni, & soli qualitati convenit, est, quòd secundùm eam dicitur simile, aut dissimile; sicut enim convenientia in quantitate facit æquale, in substantia idem, ita in qualitate simile; quare si in aliis accipitur, improprie est, & per analogiam ex quodam modo qualitatis.

ARTICULUS III.

Dubiola quædam de Qualitate.

422 PArvi ponderis quædam pro pleniori notitia hujus Prædicamenti dubitantur, quæ idcircò brevitér expendemus. Dubitatur primò: An divisio sit adæquata? Respondent omnes affirmativè, sed aliquæ sunt, quæ difficultatem faciunt, quare ea solvere est sufficiens probatio: primò facit difficultatem textus ipse Philosophi, explicatis enim quatuor speciebus, subjungit: *Atque forsitan quidem & alius quispiam qualitatis modus videbitur esse, qui tamen maximè dici solent, tot ferè sunt.* Quibus apertè fatetur, non omnes qualitatis species se explicasse, sed communiores, & quæ maximæ dici solent. Ad hoc dicitur communitèr, quòd non alias esse intendit; sed quòd si cui fortè videbitur alias esse, eas prætermittit. Clariùs dicendum, quòd, ut sæpe diximus, aliqua dicuntur *in quale*, quæ non qualitates sunt, sed habent modum ejus,

& sunt qualitates secundùm *dici*: intendit ergo, quòd quæ maximè, hoc est, propriè, & secundùm *esse* qualitates sunt, eæ sunt, quas assignavit; si cui autem alius modus esse videbitur dicendi *in quale*, non erit qualitas, sed videbitur esse, nempè erit qualitas secundùm *dici*.

423 Secundò facit difficultatem, quòd pulchritudo, & deformitas qualitates sunt, nec tamen ad aliquam ex illis quatuor pertinere possunt: maximè enim ad quartam pertinerent; at quarta species non suscipit magis, & minus, quod suscipere patet pulchritudinem, & deformitatem. Respondet Mastrius, quòd pulchritudo, & deformitas non sunt unum ens, sed aggregatum ex multis, sicut etiam ægritudo, & sanitas, utrumque enim dicit plurium sive partium, sive humorum proportionem in se, & ad totum congruam, aut incongruam; quare nullius sunt Prædicamenti. Sed contra: Pro materiali quidem multitudinem importat utrumque, pro formali verò, etiam physicè, unum aliquid, nempè illam habitudinem; non enim in ipsis humoribus, aut partibus consistit sanitas, aut pulchritudo, sed in habitudine superaddita proportionis, & convenientiæ. Præterea: Non ex re, ut est, sed ut dicitur, accipitur Prædicamentum; significat enim rationem quidditativam, ex qua accipitur prædicatio; at quidquid sit de eo, quod est in re, patet, quòd unum quid concipit, & prædicat intellectus, quando asserit sanum esse, aut pulchrum: ergo unitatem habet sufficientem, ut sit in Prædicamento.

Dicendum ergo, quòd in quarta specie non reperiri magis, & minus, quo tota nititur difficultas, non est absolutè verum; Philosophus enim, cùm dixisset, quòd suscipere magis, & minus non omni convenit qualitati, exemplificat quidem de aliquibus, quibus id non convenit, in quarta specie, ut circulus circulo non dicitur magis, aut quadratum quadrato, sed non proinde omni convenit de quarta specie, sed ad summum figuræ, quare poterit forma magis, & minus habere; imò neque omni convenit figuræ non habere magis, & minus; rectum enim, aut curvum, quæ secundùm communem expositionem ad figuram pertinent, magis, & minus habent: sanitas ergo, & pulchritudo aut relationem significant proportionis, & sunt qualia secundùm *dici*; aut si ad qualitatem velis revocare, sanitas est de tertia specie, pulchritudo de quarta. Nec te moveat, quòd Philosophus in hoc cap. valetudinem bonam, vel malam in secunda specie reponit; valetudo enim bona uno modo ipsam sanitatem significat, & sic est tertia species; alio modo naturalem dispositionem, qua quis ita se habet, ut sanitatem de facili con-

servat, aut ægritudinem contrahit, & sic sunt naturalis potentia, vel impotentia.

424 Tertiò facit difficultatem actus intellectûs, idem de aliis actibus animæ; qualitatem enim esse, ferè omnes supponunt, ad nullam tamen ex illis [illegible]bus pertinet; non enim ad primam, quia hæc, si citò transit, dispositio est; si autem exercitatione firmatur, & fit manens, est habitus; patet autem, quòd alia est qualitas actus ipse intelligendi, qui transit, alia autem habitus acquisitus, qui manet. Præterea: Secundùm actum intelligendi non dicitur subjectum benè dispositum, aut malè in se ipso, quare non est dispositio. Nec item pertinet ad tertiam, talis enim est, secundùm quam fit alteratio; patet autem, quòd secundùm actus intelligendi nulla fit alteratio. Quod autem Mastrius ait, esse quodammodò qualitates activas, & passionem causare; quo sensu dicitur, habitum ex frequentatis actibus generari, sustineri non potest; tùm, quia habitus nec alteratione aliqua inducitur, nec influentiâ; quare habitum ex frequentatis actibus relinqui non est per eos induci passionem aliquam; tùm, quia non per actus, ut sunt qualitates, sed ut sunt motus, & exercitatio animæ, habitus inducitur, qualiter magis modum actionis habent, quàm qualitatis. De reliquis duabus speciebus de se patet.

Ad hoc dicendum, quòd actus vitales alterius generis sunt, nempè intentionales; quare non pertinent directè, & formaliter ad Prædicamentum, sed ex quadam analogia, & similitudine ad Prædicamentum reduci habent; tùnc autem intellectionem passionem esse de tertia specie qualitatis, latè, & ex instituto probabimus in lib. de Anim. idem de aliis actibus vitalibus dicendum; & colligitur apertè ex Philosopho superiùs adducto, qui dulcedinem in melle passivam, sive passibilem qualitatem dicit, quatenùs nata est causare passionem in sensu; passio autem, quam causat, ipse est actus sentiendi; idem de aspero, & leni docet B. D. ibi adductus. Quod autem dicitur, quòd tertia species est, secundùm quam fit alteratio, jam suprà rejecimus ex ipso Philosopho; patet enim, quòd dulcedo mellis, quæ est per ipsum de tertia specie, nec alteratione inducitur, nec est alterationis principium; dato tamen, id tertiæ speciei convenire, non essentia ejus est, sed accidens quoddam; quare non tollit, quin intellectio possit habere modum passionis, & ex quadam analogia ad tertiam speciem reduci.

425 Quartò facit difficultatem habitus supernaturalis infusus; non enim prima species est, quippè non qualitas acquisita, nec per talem dicitur potentia habituata, & facilis; nec item secun-

da, quia non est qualitas congenita, aut naturalis potentia; de reliquis autem duabus de se patet. Dicendum sicut ad præcedens, quòd qualitas supernaturalis non est formaliter de Prædicamento, sed reductivè tantùm, quidquid in contrarium dicat Mastrius; non enim habet univocum conceptum, & modum prædicandi cum naturalibus; nec consideratio Logica ultra affectiones naturales procedit, in quibus per se, & formaliter intentiones fundantur; tùnc autem reducuntur virtutes infusæ ad secundam speciem, magis enim modum tenent naturalis potentiæ, quàm habitûs, siquidem non facilius, sed simplicitér posse tribuunt ad actus supernaturales.

426 Dubitatur secundò: An divisio sit univoca, & generis in species? Simplicius in expositione hujus capitis tenet partem negativam, quam item habet Scotus hìc q. 36. quam proinde omnes tenere Scotistas, ait Mastrius, nempè illas quatuor non species esse, sed modos; quare docet ipse, divisionem univocam, & generis in species debere fieri, qualitatis in corpoream, & spiritualem; corporeæ per sensibilem, & insensibilem; sensibilis per visibilem, & invisibilem; visibilis, quæ est color, per album, nigrum, & cæteros colores. Communis sententia docet, univocam esse, & generis in species. Prob. hæc sufficientér solvendo motiva in contrarium; nihilominùs directa ratio est, quòd illa quatuor æquè, & *in quid* habent conceptum, & modum prædicandi *in quale*, quem diversificant per specialem modum, quem unaquæque habet. Quo patet, quòd illa Mastrii divisio non quidditativa, & per species, sed accidentalis est; sensibile enim, & non sensibile, tangibile, & visibile non diversum important modum prædicandi *in quale*, sed diversam habitudinem ad potentiam, quam nata sunt immutare, quæ non est differentia per se prædicationis *in quale*; quare illa divisio non conceptum metaphysicum, ut est prædicabilis, qualitèr est Prædicamentum, sed rem physicam attendit.

427 In contrarium objiciunt primò Scotistæ textum Philosophi superiùs adductum num. 422. eo enim indicat Philosophus non species, sed modos se assignasse, quatenùs ait, quòd alii forsitan erunt qualitates modi. Quòd si dixerit in hoc eodem cap. genera, & species vocare extrema illius divisionis, reponunt ex Scoto, quòd ly *genus* debet accipi generalis modus, & ly *species*, specialis. Sed qua ratione ita debeat accipi, ipsi non aliam adducunt, quàm conclusionem suam, & ejus probationes, de quibus postea. Dicendum itaque primò, quòd Philosophus modos dicit non illa quatuor extrema, sed siqui possent alii assignari, qui, ut jam diximus, non ra-

fationem qualitatis, sed modum tantùm habent, & sunt qualitates secundùm *dici*. Dicendum secundò, quòd alius, & alius modus dicendi *in quale* facit aliam, & aliam speciem, diversificat nempè quidditativè ipsum *dici in quale*; quare, quòd modi dicantur, non tollit, quin sint qualitatis species.

428 Objiciunt secundò: Si illa quatuor essent species qualitatis, aut in illas immediatè divideretur qualitas, aut in unam, mediante aliâ, descenderet; sed utrumque est falsum: ergo. Prob. min. & primò, quòd non subordinatè, & una, mediante aliâ, habeat rationem qualitatis, patet de facili; nulla enim alterius rationem contrahit, aut illi addit. Deinde, quòd nec immediatè, sic ostenditur: Divisio generis immediatè fit per duas species; sed illa divisio quatuor habet extrema: ergo. Sed instatur primò: Color per ipsum dividitur, ut genus in species, per album, nigrum, & alios colores; sed hæc divisio immediatè habet plura extrema: ergo ratio non tenet. Patet minor, quia quilibet immediatè per se est talis color, & contrahit rationem coloris. Secundò: Quia quòd divisio sit bimembris, conditio est juxta ipsos Scotistas, divisionis *ut sic*: ergo dato, quòd non in species, sed in modos fit, debent ipsi illam reducere ad bimembrem. Directè neg. min. & ad prob. dicitur, quòd divisio est immediata; & ad rationem in contrarium, quòd nullâ lege adstringitur divisio, ut sit bimembris, sicut patet de colore; quòd si ad bimembrem velis reducere, sicut colorem poteris per album, & non album; & deinceps non album per alias stivisiones, ita qualitatem per acquisitam, & non acquisitam; & deinceps utrumque extremum per subdivisiones sibi competentes; Philosophus autem compendio usus ipsa statim assignat extrema.

429 Tertiò objiciunt: Differentiæ essentiales constituentes diversas species non possunt eidem convenire; sed patet, quòd eadem qualitas potest esse benè radicata, & difficilè mobilis, & sic erit prima species; insuper, principium operandi, & sic erit secunda; & rursus, immutationem causare in sensu, & sic erit tertia: ergo istæ non sunt differentiæ essentiales constituentes diversas species. Hanc tantùm rationem habet Mastrius, ad quam varias adducit, & impugnat solutiones, quibus missis, dicitur primò, quòd eæ non sunt differentiæ essentiales, ut jam patet ex dictis; differentia enim prima species est; quòd sit qualitas acquisita benè disponens, aut male; quòd autem sit difficilè mobilis, non primam speciem constituit, sed habitum distinguit à dispositione; an autem essentialiter, patebit infrà: item differentia es-

sen-

sentialis tertiæ speciei non est, quòd sit principium operandi, sed quòd sit naturalis, & congenita, non autem acquisita; paritèr differentia tertiæ non in hoc præcisse consistit, quòd nata est passionem causare, sed adjuncto, quòd ex præcedentibus colligitur, nempè quòd non habet disponere, neque secundùm illam subjectum dicitur benè se habere, vel male.

Dicitur secundò, quòd illa divisio non est qualitatis, ut est forma physica, sed ut est ratio quidditativa, & conceptus prædicabilis; quare alia, & alia species non aliam, & aliam realitatem, seu formam physicam significat, sed alium, & alium conceptum quidditativum, seu aliam, & aliam acceptionem, & modum prædicandi *in quale*, quæ possunt eidem convenire physicè realitati; & sic eadem aliter, & aliter accepta aliam, & aliam habet rationem quidditativam, & est non solùm diversæ speciei, sed diversi etiam generis, & Prædicamenti, ut sæpe patuit in præcedentibus; tùne autem differentia unius speciei non convenit alteri, sed sicut alia, & alia est acceptio, & ratio quidditativa, ita aliam, & aliam habet differentiam sub hac, & illa; sicut autem in eâdem re diversæ reperiuntur rationes quidditativæ, ita diversæ earum differentiæ; & solùm implicat, quòd differentiæ constituentes diversas res, eidem rei, aut diversas quidditates, eidem quidditati conveniant.

430 Objicit quartò Rubio ex Scoto: Hæc est differentia inter diversas species, & diversos modos, quòd species, non verò modus quidditativam perfectionem addit generi, quippè ipsum contrahit per veram differentiam, qua sola species constituitur, modus autem solam variationem accidentalè inducit; jam autem, quæ assignãtur illorũ quatur extremorum differentiæ, accidentalem tantùm variationem inducunt: ergo, Patet min. non solùm addunt diversam habitudinem ad subjectum, nempè esse à natura, vel ex acquisitione, esse permanentem, vel citò transeuntem, & similes. Ad hoc ipse respondet, desumiturque ex Scoto cit. q. 36. quòd aliud est, illas quatuor veras esse species; aliud verò, quòd, quæ assignantur, sint earum quidditativè differentiæ; sæpe enim, *quia* essentialis differentia est nobis ignota, illam per accidentales circumloquimur, & ita contingit in proposito. Ex hac Scoti doctrina Merin. hìc inclinat in hoc, quòd sententia est Scoti, veras esse qualitatis species, non tamen per quidditativam differentiam, sed per notiores accidentales proprietates explicari. Alitèr posset dici, quòd ea, quibus species diversificantur, accidentalem tantùm diversitatem dicunt respectu qualitatis, ut est forma physica; essentialem verò, ut dicit rationem quid-

quidditativam, & modum prædicandi *in quale*; quare hujus diversas species constituunt.

431 Dubitatur tertiò circa primam speciem: An habitus á dispositione essentialiter, an tantùm accidentaliter differat? Quod in prima specie de habitu, & dispositione; in secunda de potentia, & impotentia; & in tertia de passione, & passibili qualitate intelligitur. Prima sententia est, solùm accidentaliter differre; pro qua multi de Antiquis citantur, ut Albertus Magn. Porphyrius, Boœtius, Ammon. & alii. Secunda docet, essentialiter differre. Hanc esse D. Thomæ, ait Rubio hîc q. 2. & pro ea citat Thomistas, Cajetanum, Soto, Jabel. & alios: differentiam sic explicat ipse, quòd facilè, & difficilé mobile duobus modis possunt accipi: Aut enim qualitas ex propriis prædicatis habet benè firmari in subjecto; aut id habet ab extrinseco, puta, ex repetitione actuum: priori modo differentiam essentialem facit, quia quod oritur ex propriis prædicatis rei, facit differentiam in essentia; at posteriori modo facit differentiam tantùm accidentalem; subsumit autem, quòd priori modo debet accipi facilè, & difficilè mobile in prima specie.

432 Sed in primis hoc probandum erat, quòd aliqua sit qualitas acquisita, & de prima specie, quæ ex propriis prædicatis habeat ita firmari; quæ enim de prima specie sunt, & secundùm quas subjectum dicitur habituatum, exercitatione acquiruntur, & repetitione actuum habent firmari. Præterea: Hæ, quas ipse concedit ab extrinseco, & ex repetitis actibus firmari, ut omnes sunt habitus acquisiti, proculdubio sunt de prima specie; sed eæ per ipsum tantùm accidentaliter differunt, ut sunt facilè, & difficilè mobiles: ergo non tenet absolutè, quòd habitus, & dispositio differunt essentialiter. Accedit, quòd illa distinctio considerat qualitatem, ut est realitas physica, non conceptum quidditativum, & modum prædicandi, qualiter est Prædicamentum.

433 N. B. D. de hoc quærit hîc q. 18. & tenet cum priori sententia, quòd differunt tantùm accidentaliter: ratio ejus est, quia eumdem significant conceptum quidditativum cum sola differentia penes perfectum, & imperfectum; at perfectum, & imperfectum tantùm accidentaliter differunt, secundùm quod ait commune proloquium, quòd *magis, & minus non variant essentiam*: ergo. Ostenditur major, nam illud idem, quod intellectus apprehendit, & prædicat, quando dicit aliquod subjectum habituatum, sive habilitatum, est aut habitus, aut dispositio, nempè cum primò inducitur, & parum firmatum est, dispositio dicitur; cùm autem exer-

exercitatione firmatur, dicitur habitus; quare dispositio est habitus ipse secundùm quoddam esse incompletum. Notat autem B. D. quòd dispositio dicitur incompletum quid, & imperfectum, non quòd sit incompleta qualitas, sed quòd comparativè ad se ipsam, ut est habitus, habet esse minùs perfectum.

434 Hinc tamen difficultas suboritur nobis quidem non levis: Qualitates contrariæ in nullo gradu possunt esse simùl; sed habitus quilibet secum compatitur dispositionem ad contrarium habitum: hæc ergo dispositio non est ipse habitus secundùm gradum remissum, & imperfectum. Patet conseq. nam habitus contrarius est habitui præexistenti, & subinde secundùm essentiam suam incompatibilis ipsi in quocumque quantumvis remississimo gradu; compatitur autem dispositio. Majorem docet expresse B. D. & nos ex ipso probabimus in de Gener. minor autem patet de facili: Habens habitum temperantiæ potest utique exercere actus intemperantiæ, & eos sic continuare, quòd remittatur omninò habitus temperantiæ, & aggeneretur habitus intemperantiæ; tunc autem habitus temperantiæ durat usque dum introducitur habitus intemperantiæ sibi contrarius, & incompatibilis; sed hunc præcedit dispositio: ergo ea est simul cum habitu temperantiæ.

435 Tota difficultas oritur ex modo, quo habitus aggeneratur, & esse incipit; de quo latè B. D. quodl. 3. q. 9. id latè expendere, & ex instituto probare, non est hujus loci, agitur de eo in lib. de Anim. & ex ibi dicendis notandum, quòd habitus non primo actu inducitur, sed oportet subjectum disponi, & remitti difficultatem, ut introducatur facilitas, quæ est habitus: priores ergo actus hoc faciunt, quòd remittunt difficultatem, & postquàm sic remissa est, quòd jam nullam ferè difficultatem habet subjectum in exercendo actus, tunc unus quidem actus in virtute præcedentium, nempè quatenùs præcedentes difficultatem remiserant, introducit essentiam habitûs, sive facilitatem ad tales actus; quæ tamen dùm sic primò introducitur, parum firmata est, & non meretur dici habitus, sed dicitur dispositio, usque dùm exercitatione firmatur, fit difficilè mobilis, & meretur dici habitus. Uides itaque, quòd duplex est dispositio; altera, quæ tantùm adjectivè est subjectum disponi, nempé remitti difficultatis; & hæc non est qualitas, quæ dicitur dispositio, sed remissio contrariæ qualitatis; altera est dispositio substantiva, & quę est qualitas, de qua loquimur, nempè facilitas ipsa, dùm primò introducitur.

In proposito itaque habens habitum temperantiæ, dùm exercetur

cetur per actus intemperantiæ; disponitur quidem ad habitum intemperantiæ, quatenús per illos remittitur facilitas, quam habebat ad actus temperantiæ; & hæc dispositio habitui temperantiæ coexistit, non autem est dispositio, de qua loquimur, sed sumpta adjectivè, quæ nihil est aliud, nisi remitti ipsum habitum temperantiæ, seu minui facilitatem ad actus ejus; postea, dùm sic remissa est hæc facilitas, quod conservari non potest, uno quodam actu intemperantiæ inducitur facilitas ad actus intemperantiæ, & prior excluditur; & hæc facilitas sic inducta, est dispositio, de qua loquimur: quare patet, quòd ea non est simùl cum habitu temperantiæ. Ad formam ergo distinguenda est min. Quilibet habitus compatitur secum dispositionem ad contrarium habitum, prout dispositio sumitur adjectivè, & est remitti hujus habitûs, conc. min. prout sumitur substantivè, & est qualitas, de qua loquimur, neg. min. & patet, quòd consequentia non sequitur.

ARTICULUS IV.

De reliquis sex Prædicamentis.

436 DE his uno cap. eoque brevissimo determinat Philosophus; quæ enim de unoquoque notatu sunt digna, non ad conceptum quidditativum, sed ad rem pertinent, ex qua conceptus ille desumitur; de hac autem suis respectivè locis in Physica determinatur. Gilbertus Porret. de his librum edidit, qui inscribitur *de sex Principiis*, quem B. D. & alii de Antiquis exponendum suscipiunt; quare ex eo nonnulla pro singulorum notitia desumemus, brevitèr tamen propter rationem jam dictam.

437 Primò itaque de omnibus in communi quæritur: Quid importent hæc sex ultima Prædicamenta? Notandum autem, quòd aliud est de re quærere, quæ conceptui respondet; aliud verò de conceptu ipso quidditativo; & hoc secundum, non illud primum est Prædicamentum. Itaque prima sententia vult, ista sex dicere puram denominationem extrinsecam. Hanc Mastrius q. 12. tribuit D. Thomæ, & antiquioribus Thomistis, Herv. Jab. Sonc. Mas. Soto, & aliis. Sed cujuscumque ea sit, meritò rejicitur; quia ex pura denominatione extrinseca non accipitur conceptus quidditativus, & metaphysicè prædicabilis; talis autem debet esse conceptus Prædicamenti, nempè genus supremum. Quare secunda sententia ponit, esse modos absolutos. Ita Joannes de S. Thoma Complut. qui pro se alios citat. Sed ista sex non esse omninò absoluta, cuique patet; non enim in se dicuntur, & independentèr ab alio: quare ait Mastrius: *Pudet rem tàm explo-*

ratam probare. Tertia sententia esse docet relationem, quam dicit extrinsecùs advenientem, ad differentiam relationis prædicamentalis. Ita Scotus, quem Scotistæ omnes sequuntur, & late propugnat Lalem. disp. 6. Log. partit. 10.

Hanc relationem ex instituto expendemus in Physica, dùm determinetur, in quonam consistit actio transiens; interim: Aut relatio extrinsecùs adveniēs importat præcisè se habere ad aliud; aut præter se habere ad aliud aliquid, sive modus id sit, sive res? Si primum dicatur, non facit aliud Prædicamentum à relatione; tùm, quia iste est conceptus illius Prædicamenti, nempe secundùm id, quod est, ad alterum esse; quare aliud, & aliud, sive aliter, & aliter se habere ad alterum, si nihil est præter se habere ad alterum, alia, & alia est relationis species; tùm deinde, quia Prædicamenta dicunt diversos modos essendi generales, ex quibus nempè sumitur prædicatio non reducta in aliam; jam autem, si relatio extrinsecùs adveniens tantùm importat se habere ad alterum, licèt ex aliqua circumstantia non sit formaliter se habere ad alterum, quod est Prædicamentum relationis, patet, quòd ad illum modum, & Prædicationem reducitur; quare non poterit Prædicamentum constituere: si autem dicatur alterum, quòd nempe præter se habere ad alterum, aliquid importat, tùnc est sententia B. D. de qua statim.

Dicendum itaque cum B. D. q. 4. de Mens. Ang. quòd ista sex neque purum ordinem dicunt, neque puram rem, aut absolutum quid, sed quodammodò mixtum ex utroque; nempe ipsum absolutum, non in se, & ut absolutum est, sed sub quodam ordine & secundùm quod ordo diversificatur, aut res, quæ sub ordine accipitur, diversificantur Prędicamenta. Hujus probatio de singulis commodiùs dabitur. Objicit tamen Mastrius, quòd absolutum cum respectu non facit conceptum per se unum, qualis requiritur ad rationem Prædicamenti, est enim aggregatum ex duplici forma, vel quasi forma. Ad hoc dicitur primò, quòd purum absolutum, aut purum respectum debemus ad quatuor prima revocare, aut formaliter, aut reductivè; quare ut sex ultima accipiamus, debemus utrumque conjungere. Dicitur secundò, quòd absolutum cum respectu secundùm *esse*, & de Prædicamento est fortè aggregatum; cum respectu vero secundùm *dici* non aggregatum, sed ipsum *dici* absolutum, non secundùm se, & ut est absolutum, sed ut habet modum respectivi; ita autem est habitudo, quam dicunt sex ultima. Posset tertiò dici, quòd relatio non ponit in numerum; quare absolutum cum respectu non dicit aggregatum, sed rem non secun-

dùm

dum se; sed ut se habet ad alterum.

438 Sunt ergo quintum, & sextum Prædicamentum *actio*, & *passio*, quæ cæteris præponuntur, quia hoc ordine ea habet Philosophus in textu; deberent autem postponi, quia prius est alicubi esse, & in aliqua temporis differentia, quàm agere, aut pati; simùl autem utrumque explicatur, quia eadem realitas sub habitudine ad agens *actio* est; sub habitudine ad passum *passio*. Actio itaque est *fieri rei prout ab agente*; passio verò *fieri rei prout in passo*. Pro cujus intelligentia notandum, quòd quia Prædicamentum est, ut habet Philosophus, *eorum, quæ dicuntur*, & habet communis definitio, recta series Prædicabilium, ut habeamus, quid est Prædicamentum aliquod, debemus attendere ipsam prædicationem, quæ de eo fit: notat itaque Philosophus, quòd sedere non est Prædicamentum *situs*, sed denominativè dicitur à sessione, quę est prædicamentum: similitèr ergo agere, producere, calefacere non sunt prædicationes hujus Prædicamenti, sed denominativè dicuntur ab actione, productione, & calefactione; quare non quid prædicat calefacere, sed quid calefactio significat, debemus attendere, ut habeamus conceptum actionis.

Imaginabimur itaque, quòd in calefactione est prima influentia agentis; alitèr enim forma in perficiendo subjectum, ac agens activitatem habet; forma namque solâ intrinsecâ communicatione, & præsentiâ perficit; agens autem activo conatu causat, qui dicitur influentia: hæc ergo est exercitium efficiendi, quo constituitur agens in actu secundo; non autem est actio, nisi tantùm causalitèr. Deinde est forma caloris, quæ per talem influentiam educitur, & ponitur in esse; hæc secundùm se est qualitas. Tertiò est exercitium, sive transmutatio, qua successivè, & non in instanti forma illa educitur, & subjectum tranfit de potentia ad actum; hoc exercitium est motus, qui communitèr se habet ad actionem, & passionem; idem enim motus est movere, & moveri, actio, & passio. Quare tandem est habitudo, qua motus ipse, seu forma sub illo exercitio accipitur esse aut ab agente, aut in passo; & hæc habitudo secundùm se, & ut est se habere ad alterum, saltim reductivè pertinet ad Prædicamentum relationis; ut autem est forma sic se habens, est actio, aut passio.

Notandum autem, quòd in forma, ex quo per illam influentiam ponitur in esse, consequitur relatio ad agens, nempè producti, sive effectûs ad causam suam, & hæc est secundùm esse de secundo genere; hæc non est, quam importat actio, nec secundùm eam calefactio dicitur, sed productum permanentèr, & in facto esse, & hæc

actionem ipsam supponit, & passionem, in ea enim fundatur: ulteriùs ergo est considerare, quòd motus se ipso intransitivè dicitur ad movens, à quo est, & ad mobile, in quo est, sive quod movetur; quare forma, ut est sub exercitio motûs, habet modum respectivè, & est relativa secundùm *dici* ad agens, sive movens, & ad passum, sive mobile. Relinquitur itaque ex his, quid actio est, & quid passio; significat enim actio formam ipsam in exercitio motûs sub habitudine ad agens; passio verò eamdem in eodem exercitio sub habitudine ad passum; quare motus idem est actio, & passio, & ab utrâque differt secundùm rationem quidditatis, addit nempè actio habitudinem secundùm *dici* ad agens, passio verò ad passum.

439 Dividitur actio in immanentem, & transeuntem. Hæc divisio est analogi in analogata; omnes enim supponunt, quòd actio immanens tantùm improprie, & grammaticalitér actio est: dicitur communiter actio immanens, quæ in ipso manet agente, ut quælibet vitalis operatio; transiens verò, quæ in aliud transit subjectum. Hanc explicationem latiùs rejiciemus tùm disp. 3. Phyic. tùm in lib. de Anim. interim tamen: Si actio immanens verè habet esse ab agente, in quo manet, vera est productio termini, qui in ipso manet producente; tùnc autem non tantùm grammaticaliter, sed veré, & secundùm quidditatem suam actio est, nempè *fieri rei*. Rursus: Aliquod agens aliquid in se ipso producere, & subinde actionem, quæ verè est egressio termini ab agente, in ipso agente manere, apertè implicat, ut in locis citatis probabimus; imò omnes uno ore cum Philosopho probant 7. Physic. quòd nihil potest se ipsum movere, sed omne, quod movetur, ab alio movetur; inde enim ipse deducit, quòd est devenire ad unum primum motorem omninò immotum.

Nobis ergo dicendum, quòd actio transiens est, quæ ponit terminum in esse; & quia terminus non potest in ipso agente poni, transit in aliud, & est positio termini in passo distincto: actio immanens est, quæ non habet terminum, qui eam ponat in esse, *sed* attingit tantùm, & suo modo *percipit*; & quia perceptio in ipso est percipiente, dicitur manere in principio, quod agens dicitur; quia tamen non ponit terminum in esse, sed tantùm attingit, non est *fieri rei*, & subinde nec actio; quare tantùm grammaticaliter dicitur actio, nempè habet significari ad modum actionis, ut intellectio, volitio. De hoc latiùs ubi suprá.

Actio transiens subdividitur in successivam, & instantaneam: successiva est positio termini per motum strictè talem, & qui proinde non in indivisibili, sed successi-

zèfsivè, & partim in esse ponitur, ut calefactio: instantanea est positio termini in esse, non per motum, sed per mutationem, sive mutatum esse, quod est terminus motûs, quod proinde instanti mensuratur, ut generatio substantialis. Hæc divisio est generis in species; utraque enim actio propriè est *fieri rei*, & subinde propriè habet actionis quidditatem. Actio transiens subdividitur in alterationem, & augmentationem; alteratio in productivam, & perfectivam; & perfectiva in intensionem, & remissionem. De quibus in lib. de Gener.

440 Septimum Prædicamentum est *quando*, de quo, quid sit, non uno modo explicatur. Aliqui volunt, ipsum esse tempus. Sed hoc stare non potest; tùm, quia tempus formaliter est quantitas; quia de re temporali prædicatur *quando*; non autem tempus. Alii, quibus consentire videtur Suarez, ponunt esse durationem rei temporalis. Hanc sententiam Mastrius rejicit, quia duratio est ipsa rei existentia perseverans; at existentia in ipso est Prædicamento rei existentis: non ergo speciale Prædicamentum constituit. Sed hæc ratio parùm est efficax; non enim existentiam, sed permanentiam ejus significat duratio; & licèt ipsa existentia non faciat speciale Prædicamentum, posset tamen hæc talis determinatio, qua permanere accipitur specialis ratio, quidditativa dici, ex qua sumeretur prædicatio, & prædicamentum. Clariùs itaque patet, *quando* non esse ipsam rei durationem ex eo, quòd duratio præsens, & præterita non coexistunt; coexistit autem *quando*, quod sumitur ex præsenti cum eo, quod sumitur ex præterito; simùl enim est in re ipsa, quod intellectus concipit, quando asserit heri extitisse, in quo prædicat *quando* ex præterito, ac quod concipit, quando asserit hodie existere, in quo prædicat *quando* ex præsenti.

Communis ergo sententia ponit ex definitione Gilberti, quòd *quando* est, quod in re relinquitur ex adjacentia ad tempus, quo mensuratur ejus duratio. Quid autem hoc sit, non uno modo explicant: Mastrius sui oblitus vult, esse denominationem extrinsecam; cùm tamen in præcedentibus sententiam impugnasset, quæ ponit, sex ultima Prædicamenta importare denominationem extrinsecam; sed cùm hìc non inveniat relationem intrinsecùs advenientem, quippè non ast agens, à quo ea ponatur, coactus est puram denominationem extrinsecam ponere; sed eâdem ratione eam debuit in reliquis excludere; idem enim significat, rem tempori adjacere, quod est *quando*, ac loco determinari, quod est *ubi*; aut ita determinari, quod est *situs*; sive vestem corpori adjacere, quod est *habitus*. Nobis ergo dicendum,

quòd

quòd significat rem ipsam temporalem, non secundùm se, sed sub habitudine secundùm *dici* ad tempus; quare, quia ex differentiis temporis diversificatur hæc habitudo, ex ipsis sumitur diversitas ipsius *quando*, ut ex præsenti, præterito, & futuro.

Hujus veluti proprietates tres assignat Gilbertus: prima est, quòd nõ suscipit magis & minus; & si enim antiquior dicitur res, nõ id *quando*, sed durationem significat. Secunda est non habere contrarium; quam eo ostendit, quòd contraria non possunt simùl eidem inesse; insunt tamen simùl eidem omnes differentiæ ipsius *quando*; simùl enim res dicitur heri hoc egisse, aut illud, hodie existere, & cras hoc, aut illud factura; quia nempè, etsi non simùl sint illæ temporis differentiæ, simùl tamen res habet habitudinem ad omnes illas. Tertia est, quòd *quando* reperitur in omni eo, quod incipit, intellige sub tempore, á quo de necessitate accipitur *quando*, seu, ut explicat B. Doctor, quod incipit ex potentia passiva; quia in omni tali est accipere habitudinem ad tempus, & ex illa prædicationes hujus Prædicamenti.

441 Octavum est *ubi*, quòd Philosophus definit: *Circumscriptio corporis à loci circumscriptione proveniens*; locus autem est ultima superficies corporis continentis, de quo 4. Physic. ubi quæ ad *ubi* pertinent, explicantur. Interim nota, quòd *ubi* non est idem, ac præsentia, sed est locatio, seu talis comparatio, qua corpus ad locum comparatur: ratio est, quia præsentia genericum quid est, & omnibus convenit spiritualibus, & corporalibus; locatio autem propriè solùm corporalibus convenit: quia ergo Prædicamenta accipiuntur in substantia corporea, *ubi*, quod est Prædicamentum, non præsentiam ut sic significat, sed habitudinem corporis ad locum, seu corpus sub tali habitudine; quare esse alicubi in spiritualibus non propriè, & formaliter est de hoc Prædicamento, sed reductivè, & per quamdam analogiam.

Hinc colligitur, non benè *ubi* ab aliquibus dividi in circumscriptivum, definitivum, & sacramentale, nisi latè accipiendo ipsum *ubi*; & erit divisio analogi *in* analogata, illæ enim præsentiæ non *ubi* differentiæ sunt; nam si *ubi* est determinatio ad locum, sicut locus est propriè tantùm superficies continentis, ita *ubi* propriè tantùm est circumscriptivum; quare differentias ipsius *ubi* assignat Philosophus sursum, & deorsum, dextrum, & sinistrum, & similes, quibus diversificatur habitudo corporis ad locum. Viteriùs autem *ubi* dividit Philosophus in simplex, & compositum; simplex dicit circumscriptionem corporis á superficie continua; compositum verò circumscriptionem à superfi-

perficie non continua, ut virga, cujus medietas est in aqua, habet *ubi* compositum, nempè altera medietas à superficie aquæ, altera verò á superficie aëris ambitur. Aliam hujus expositionem tradit B. D. non quòd hanc excludat, sed quo faciliùs argumentum solvat, quod contra illam objicit; quare illam mitto, quia solutio argumenti patet de facili.

Proprietates ipsius *ubi* duas assignat Philosophus, alteram, quòd non suscipit magis, & minus; & alteram, quòd non habet contrarium. Has, alteram ex altera ostendit B. D. quia ubi non est reperire magis, & minus, non est reperire contrarietatem; quòd autem magis, & minus non habeat ipsum *ubi*, ex eo ostendit, quòd *ubi* tantùm dicit corpus, & superficiem, tàm autem corpus, quàm superficies sunt quantitas, quæ magis, & minus non patitur. Nihilominùs contra primam objicit primò, quòd ponitur *ubi* simplex, & compositum; sed compositum magis est *ubi*, quàm simplex: ergo. Secundò: Anima minus est in loco, quàm corpus, quia anima non nisi ratione corporis, corpus autem per se: ergo. Item contra secundam: Datur *ubi* sursum, & deorsum; sed sursum, & deorsum sunt contraria: ergo. Secundò: Ad *ubi* datur motus; sed motus est inter contraria: ergo.

Ad hæc respondet B. D. ad primum quidem, quòd illud *ubi* compositum non est magis *ubi*, quàm simplex, sed majus. Ad secundum, quòd *ubi* non est aliud, & aliud *ubi*, non est magis, & minus; tùnc autem anima non habet aliud *ubi* à corpore. Ad tertium, quòd sursum, & deorsùm non sunt contraria, sed relativè opposita; nam eidem, puta, quod est in medio, respectu superioris convenit deorsum, respectu inferioris convenit sursum esse; contraria autem non possunt eidem convenire simùl. Ad quartum, quòd ad motum non requiritur contrarietas, alioqui non daretur motus ad quantitatem, sed sufficit quævis oppositio, aut qualis datur inter actum, & potentiam, quatenus mobile ex potentia tali fit actu tale; aut qualis datur inter privationem, & formam, quatenus de non tali non fit tale.

442 Nonum Prædicamentum est *situs*, quod Philosophus vocat positionem; notandum autem, quòd positio ut sic, & communiter accepta latiùs patet, quàm *situs*; positio namque duplex est, altera, quæ est ordo partium in toto, & dicitur positio, sive extensio penes se; altera est ordo partium in loco, & hæc est *situs*, ut sessio, cubatio; notat enim Philosophus, atque etiam Gilbertus, quòd sedere non est positio, sed denominativum à positione, nempé à sessione ipsa. Patet itaque, quòd hoc Prædicamentum est determinata habitudo corpo-

ris ad locum, sive corpus sub tali habitudine: differt autem ab *ubi*, quia *ubi* est adjacentia totius corporis, secundùm quod loco circumscribitur; *situs* autem est determinatio partium, secundùm quod ex eo, quòd unaquæque sic se habet, totum corpus talem habet in loco dispositionem.

Duas hujus assignat proprietates Gilbertus: altera est non habere contrarium; etsi enim sedere adstare contrarium videatur, eo quòd utrumque sint, non potest eidem inesse; hæc autem non esse contraria ostendit, tùm, quia uni unum est contrarium; at sessioni non minus opponitur statio, quàm accubatio; tùm deinde, quia contraria nata sunt fieri circa idem; at sessio soli homini convenit, statio autèm, & accubatio cuicumque animali. Altera proprietas est, quòd non suscipit magis, & minus; patet enim, quòd una sessio non est magis sessio, quàm alia. Contra hanc posset objici: Dictum est enim, quòd asperum, & lene sunt passiones; at habent magis, & minus, patet enim, quòd unum corpus lenius est altero: ergo. Ad hoc dicendum primò, quòd asperum, & lene non sunt positiones de Prædicamento *situs*, sed quantitatis; non enim ordinem partium in loco significant. Secundò, quòd uno modo sunt positiones, alio modo sunt qualitates de tertia specie, quatenus nata sunt causare passionem in tactu; & hoc secundo modo habent magis, & minus.

443 Ultimum Prædicamentum est *habitus*, quod malè nonnulli confundunt cum *habere*; aliud enim est habere servum, aut amicum, aliud verò vestitum esse, aut armatum; illud primum *habere* est, quod dicitur Postprædicamentum; hoc secundum est *habitus*, quod est Prædicamentum. Patet itaque, quòd hoc significat habitudinem, quæ relinquitur ex adjacentia vestis, aut cujuslibet externi ornatûs ad corpus, & est corpus ipsum sub tali habitudine. Contra hoc objicit B. D. quòd Prædicamentum debet significare formam naturalem, aut ex ea accipi; at patet, quòd ornatus ille, ex quo accipitur hoc Prædicamentum, magis est ex arte, & industria, quam ex natura: ergo. Resp. autem, quòd hoc Prædicamentum non ex veste ipsa accipitur, aut eam prædicat, sed ex habitudine, quæ corpori relinquitur ex adjacentia vestis; sed licèt vestis sit ex industria, illa tamen habitudo naturalis est, ut naturale dicitur contra artificiale. Proprietates hujus nullæ assignantur, sed tantùm dicitur, quòd cætera cuilibet substantiæ conveniunt, hoc autem soli homini. Sed bello armantur equi; quare armari, seu veste ornari non soli convenit homini.

QUÆST.

QUÆSTIO SEXTA

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

AD COMPLETAM PRÆDICAMENTORUM NOTITIAM quædam restat explicare, quæ Philosophus per modum appendicis post explicationem Prædicamentorum expendit, quæ eo dicuntur Postprædicamenta: ea sunt affectiones quædam, quæ veluti transcendentér omnibus, aut multis saltim conveniunt, & eo non constituunt speciale Prædicamentum; ea sunt *oppositio*, *prioritas*, *simultas*, *motus*, & *modus habendi*, quibus nonnulli sextum addunt *modum dicendi per se*.

ARTICVLVS I.

De Oppositione.

444 OPpositio est repugnantia duorum inter se. Pro cujus intelligētia nota, quòd se habent per additionē distinctio, repugnantia, & oppositio; plus nempè repugnantia dicit, quam distinctio, & plus oppositio, quàm repugnantia; distinguuntur enim in genere metaphysico genus, & differentia, & in genere physico materia, & forma; non autem repugnantiam habent, seu incompatibilitatem: distinctio itaque præcisè dicit, unum non esse aliud; repugnantia addit incompatibilitatem; oppositio autem specialem habitudinem incompatibilitatis hujus ad hoc; incompatibilitatem enim habent homo, & equus; eamdē autem, & per idem, quam habet homo cum equo, habet cum lapide; albedo autem cum nigredine specialem habet repugnantiam; non enim sicut ad nigredinem, ita ad calorem comparatur.

445 Oppositionis quatuor species assignat Philosophus, contrariam, relativam, privativam, & contradictoriam, quarum sufficientia sic potest patere: Quod alteri specialitér repugnat, aut opponitur, ut positivum positivo, aut sicut esse ad non esse; sed duobus tantùm modis potest opponi esse ad esse, & totidem esse ad non esse: ergo. Patet maj. quia solùm relinquitur non esse ad non esse; non esse autem non potest oppositionem fundare, sed ad summum terminare. Ostenditur min. quantum ad primū quidem: Quia esse ad esse aut opponitur, ut ab-

solutum absoluto, aut relativum relativo; sed absolutum absoluto habet oppositionem contrariam, relativum relativo habet relativam: ergo. Patet maj. quia absolutum relativo non opponitur, sed aut relationem fundat, aut disparatè se habet. Quantum ad secundum ostenditur principalis minor: Quia esse ad non esse aut comparatur immediatè, aut in ordine ad commune subjectum; sed priori modo est oppositio contradictoria, posteriori autem privativa: ergo.

446 Oppositio contraria est repugnantia duorum ejusdem generis in ordine ad commune subjectum; quare definiuntur contraria: *Quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuò se expellunt.* Explicatur per ordinem ad subjectum; est tamen specialis repugnantia in ipsis terminis secundùm quidditatem suam, ut album, & nigrum; album enim in quidditate sua est disgregativum, nigrum verò congregativum visûs; quare se expellere à subjecto additur explicationis gratiâ. Si itaque in aliquibus absolutis specialis repugnantia reperitur, quæ tamen aut non sunt ejusdem generis, aut non habent commune subjectum, ea non est proprié contrarietas, sed propter aliquam cum ea similitudinem, ad contrarietatem reducitur. Notandum autem, quòd in aliquibus reperitur oppositio, quæ tamen nec contraria est, nec ad contrariam reducitur, ut quæ est inter esse in actu, & esse in potentia, inter aliquas formas, ut inter animam, & formam cadavericam; ista autem non opponuntur ratione positivi, quod important, sed ratione privationis adjunctæ; quare ad oppositionê privativam reducuntur.

447 Oppositio relativa est *specialis duorum repugnantia secundùm mutuam relationem*, ut patris ad filium, parvi ad magnum, similis ad suum simile; notandum autem, quòd simile ad dissimile non opponitur relativè, sed aut privativè, quatenùs dissimile in obliquo importat carentiam similitudinis; aut forte contrariè ratione qualitatum, in quibus fundantur; si autem relationis ad relationem fiat comparatio, disparatè se habent, non verò opponuntur. Privativa oppositio *est*, quæ versatur inter formam, & carentiam ejus in ordine ad commune subjectum; quare privatio est *carentia formæ in subjecto capaci illius*: sic videre, & non videre de lapide non privativè, sed contradictoriè opponuntur, quia lapis non est subjectum visûs; quare repugnantia non est in ordine ad subjectum, sed immediatè inter se; videre autem, & cæcum esse opponuntur privativè, quia cæcum esse privationem significat, & soli convenit subjecto visûs. Quòd autem hujus proprietatem assignat Philosophus, nem-

pē quòd, licèt à forma ad privationem fiat progressus, non autem à privatione ad habitum, nonnullis difficultatem facit; transit enim subjectum de non tali ad esse tale; quare procedit á privatione ad formam. Sed sensus Philosophi patet de facili; intendit enim, quòd forma, quæ semèl perit, non redit eadem; & hoc sensu subjectum non procedit à privatione ad formam, nempè à privatione formæ, quam semèl habuit.

448 Oppositio contradictoria est, quæ versatur inter esse, & non esse secundùm se, sive inter rem, & ejus carentiam independenter á subjecto; quare aliter hìc, ac in Summulis accipitur oppositio contradictoria, nempè ibi logicè, & ut est in enuntiatione, hìc autem metaphysicè, & ut est in re ipsa. De oppositione contradictoria dicitur, quòd est omnium maxima, quia omnes alias includit; quo circa N. Manso verba adducit B. Doctoris in 1. dist. 11. q. 1. a. 3. ad 3. ubi ait: *Quòd est omnium maxima, quia latior est, & omnes alias includit, & quòd omnes aliæ se habent per additionem ad istam; & ideo non oportet tantum differre, quæ differunt per affirmationem, & negationem, quantum differunt ea, quæ secundùm alias oppositiones.* Hæc verba poterunt alicui difficultatem facere; tùm, quòd ait, quòd omnes alias includit; si enim aliæ se habent per additionē ad istam, potiùs ista in aliis includitur; tùm, quòd ait, esse omnium maximam; si enim aliæ ipsi addunt, potiùs est omnium minima.

449 Nota itaque, quòd verba Doctoris ex aliquo desumpsit Mans. qui non fidelitèr refert: itaque ibi quæritur: An Spiritus Sanctus distingueretur à Filio, si non procederet ab eo? Resolutio est negativa, & erat tertium argumentum, quòd oppositio contradictoria est omnium maxima; sed Spiritus Sanctus eo casu haberet ad Filium oppositionem contradictoriam, nempè Filius procederet per intellectum, Spiritus Sanctus non procederet per intellectum: ergo si quæ minùs opponuntur, nempé relativè, distinguuntur realitèr, quæ magis opponuntur, nempè contradictoriè, potiùs debent realitèr distingui. Ad hoc respondet: *Ad tertium dicendum, quòd oppositio contradictoria dicitur esse omnium maxima propter amplitudinem, quia omnes alias oppositiones continet, tamen minima est quantum ad rationem oppositionis, quia omnes oppositiones se habent per additionem ad illam; tùm ipsa reservetur in omnibus: unde inter ea, quæ sola ratione differunt, quodammodò reservatur talis oppositio, ut puta inter Essentiam, & Paternitatem, quia Pater generat, Essentia non;* ex quo deducit, quòd oppositio contradictoria non arguit distinctio-

ctionem realem.

Sensus itaq; est, quòd oppositio contradictoria subjectivè, & in ratione oppositionis est omniũ minima, quia reservatur in omnibus, & omnes illi addunt; imò ubi nulla est oppositio, reservatur contradictio, quæcumque enim distinguuntur, unum non est aliud; quare reservatur ibi esse, & non esse; & si Pater opponitur ad Filium relativè, oportet, quòd Filius non sit Pater; quare includitur ibi esse, & non esse Patrem, & sic oppositio contradictoria, & aliquid amplius, nempè specialis oppositio relativa: dicitur autem omnes continere veluti objectivè eo sensu, quo omnes illi addunt, sicut genus omnes species suas continet, in quibus includitur, & quæ illi addunt propriam differentiam; non autem, ut genus, se habet oppositio contradictoria ad reliquas, sed magis ut specialis oppositio, quæ veluti transcendentèr includitur in aliis.

Quo autem sensu sit omnium maxima propter amplitudinem, colligitur ex B. D. quodl. 6. q. 7. nempe alterum extremum comprehendit totum id, quod alterum relinquit: v. g. album, & nigrum, quæ opponuntur contrariè, aut cæcum, & videns, quæ privativè, non omnia comprehendunt; quod enim relinquitur extra album, poterit esse non nigrum, & quod extra videns, poterit esse non cæcum, ut lapis; at videns, & non videns, quæ opponuntur contradictoriè, omnia comprehendunt, quidquid enim relinquitur extra videns, est de necessitate non videns: propter hanc ergo amplitudinem, qua omnia comprehendit, dicitur esse maxima. Ex quo colligitur primò, quòd contradictio, ut in Summulis accipitur, est absolutè omnium maxima, quia nempè ibi accipitur præcisè, & tantum quantum ad *dici*, seu penes affirmationem, & negationem. Secundò colligitur, quo sensu dicitur immediata, seu quòd inter extrema contradictionis non datur medium, nempé quantam ad amplitudinem, quatenùs quidquid relinquitur extra unum, comprehenditur in alio extremo.

450 Hoc nonnulli distinguendum putant, nempè non habere mediũ, de contradictoriis incomplexis verum est, non autem de complexis, ut esse, & non esse album non habent medium, habent tamen esse, & non esse album per se. Sed absolutè contradictoria non habere medium, ex ipsa patet quidditate contradictionis: Aut enim negatio totum interimit, quod extra affirmationem relinquitur; aut id tantùm, quod ponit affirmatio, extra quod aliquid relinquatur? Si hoc secundum, negatio infinitanter sumitur, nempè indefinitè significat id, quod extra affirmationem relinquitur: si autem totum interimit, quod extra

affir

affirmationem est, sic sumitur negantèr, sic facit contradictionem; sic autem patet, quòd nullum relinquit medium. In eo itaque, quod adducitur, & similibus, non esse per se album, aut utrumque removet, albedinem, & modum illam habendi, & sic nihil relinquit, quod possit esse medium; aut tantùm interimit modum habendi albedinem, & sic relinquit quidèm, quòd non per se, sed per accidens album est; sic autem non contradictoriè opponitur ad per se album, sed disparatè se habet, nempè per se, & per accidens album: aut ergo non sunt contradictoria, aut non habent medium.

ARTICULUS II.

De modis Prioritatis, & Simultatis.

451 PRius, & posterius correlativa sunt, quare quot modis unum dicitur, dicitur alterum: superflue ergo à nonnullis *posterius* explicatur seorsim à *priori*; imò modi *simultatis* ex modis *prioritatis* possent colligi; quia tamen non æquè excurrit *simultas*, ac *prioritas*, illa seorsim explicat Philosophus; de utroque tamen nulla est controversia. Quinque ergo modos *prioritatis* assignat Philosophus; tertium enim in duos dividit; & quamvis aliqui alios assignent, omnes tamen ad hos reduci possunt.

452 Primus ergo *prioritatis* modus est secundùm durationem, & hic, ait Philosophus, est propriissimus, & principalis *prioritatis* modus: sumitur per ordinem ad tempus, quod tantùm est mensura successiva durationis, in qua est accipere prius, & posterius; quare si in Angelis accipitur *prioritas* secundùm durationem, non ex propria mensura, quæ non habet prius, & posterius, sed ex tempore accipitur extrinsecè existente; in sententia quidem Philosophi ponente mundum ab æterno, tempus non habuit primum instans; quare accipitur prius, & posterius secundùm durationem ex ordine ad aliquod instans præsens, ut quod præcessit, dicatur prius, quod verò sequitur, posterius; in sententia autem Catholica ponente mundum incepisse, congruentiùs sumitur ex ordine ad primum instans, ut quæ magis distat res, dicatur posterior; quæ verò minus, prior.

453 Secundus modus *prioritatis* est secundùm subsistendi consequentiam; hic in duos dividitur: alter, qui non habet conversionem; alter verò qui habet, & hic est quintus modus: hic ergo secundus est, quo unum ex altero infertur, non autem ê converso; ut si fumus est, sequitur, quòd sit ignis, non autem ê converso, quia poterit esse ignis sine fumo, fumus autem non nisi ab igne potest prodire; si enim aliunde oriri videtur,

non

non fumus est, sed vapor fumo similis: id ergo, quod ex altero infertur, prius est, quia nequit esse posterius sine priori, bene autem ê contra; ad hunc modum revocatur prioritas naturæ; ex quo enim natura unius ad alterum habet ordinem prioris, ex illo infertur.

454 Tertius modus *prioritatis* est secundùm ordinem; in his datur, quæ ordinatè procedunt, & poterit esse penes locum, ut unus tenet primum locum, alter sequentem; aut penes esse, ut principia in Scientiis ordine præcedunt Conclusiones; de quo exemplificat Philosophus. Quartus modus est secundùm dignitatem, ut quod alteri aliquâ excellentiâ præstat, dicitur illo prius dignitate, ut in naturalibus substantia dignitate prior est accidentibus. Quintus modus est secundùm causalitatem; & quia causa, & effectus correlativa sunt, iste modus habet mutuam subsistendi consequentiam; id autem, quod in alterum causalitatem habet, dicitur illo prius, quamvis duratione sint simùl, ut Sol prior est illuminatione, quæ ab eo procedit. Notandum autem, quòd multi, imo omnes *prioritatis* modi possunt eidem respectu alterius convenire.

His addunt nonnulli *prioritatem* secundùm originem, quæ solùm in Divinis reperitur, ut Pater origine prior est Filio. Sed in primis *prioritas* originis etiam in creatis reperitur; verè enim relatio originatur ex fundamento suo, & aliter terminus, aliter fundamentum ad relationem prioritatem habent, verè enim ex fundamento, non autem ex termino originatur; similiter natura ad passiones suas habet prioritatem originis; est autem differentia, quòd in Divinis pura reperitur prioritas originis, quam proinde dicunt *à quo*; in creatis autem non pura reperitur, sed comitatur prioritas *in quo*, & naturæ, nempè natura originantis prior est originato. Deinde, non est, cur hæc prioritas specialem modum constituat, reducitur enim ad prioritatem causalitatis, siquidem quod ex altero originatur, ab illo quodammodò causari dicitur, non propriè in genere causæ *à qua*, seu per veram causalitatem, sed latè in genere causæ *ad quam*, & *per* simplicem emanationem.

455 Modi *simultatis* duo tantùm sunt: primus, isque propriissimus, secundùm durationem, ut quæ eidem indivisibili durationis coexistunt, aut in eodem instanti incipiunt, dicuntur simùl esse, aut incipere. Alter modus est secundùm subsistendi consequentiam; & in his reperitur, quæ ex se mutuò inferuntur, unum tamen non habet causalitatem in alterum, ut si totum est, medietatem habet, & ê converso medietas alicujus totius est: secundùm hanc simùl sunt correlativa sive secundùm

esse,

esse, sive secundùm *dici*, ut talia sunt; & quia alia est hæc *simultas* à simultate secundùm durationem, non est contra simultatem relativorum, quòd natura unius durationè præcedat, aut causalitatem habeat in alterum, ut videmus in patre respectu filii. Secundùm alios modos prioritatis non est accipere simultatem, ut patet intuenti.

ARTICULUS III.

De Motu, Habere, & Modis dicendi per se.

456 DE *motu* agitur 3. Physic. & speciebus ejus in de Gener. quare de eis tantùm hìc determinatur quantum ad quid nominis, sive quid est, quod per nomen significatur; hoc enim ad propositum sufficit, nempè pro prædicatione, quæ inde posset sumi. *Motus* itaque ibi definitur: *Actus entis in potentia prout in potentia*; est nempè exercitium ipsum, quo subjectum transit de potentia ad actum, quod dicitur *actus*, quatenùs incipit subjectum de potentia extrahi, & acquirere formam; dicitur verò *in potentia*, quatenùs non est ipsa forma in acquisito esse, sed via, & acquisitio ejus. Hujus species sex sunt, generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & latio, seu motus secundùm locum; distinguuntur per terminos, ut exercitium, quo acquiritur substantialis forma, generatio est: quo amittitur, corruptio; *motus* ad majorem quantitatem, augmentatio est; ad minorem, diminutio; *motus* ad qualitatem, alteratio dicitur, quatenùs alterum constituit, non aliud; & hæc quia non habet nomen speciale, appropriat sibi commune; quilibet enim motus secundùm formam accidentalem constituit alterum, quare alteratio est; latio tandem motus est secundùm locum; de quibus omnibus alibi determinatur.

457 *Habere* septem modis contingere, ait Philosophus: primus est, quo quis dicitur habere qualitatem, ut habere scientiam, vel colorem talem: Notandum autem, quòd si prædicatio accipiat perfectum esse à forma, ut scire, aut coloratum esse, prædicatio est de Prædicamento qualitatis; si autem accipiat *habere* ipsam formam, est modus habendi Posiprædicamentum. Secundus modus accipitur penes *habere* magnitudinem; ut corpus dicitur habere ponderis tot libras, aut longitudinis tot ulnas; de quo, sicut de præcedente, notãdum, quòd alio, & alio modo est Prædicamentum quantitatis, aut Postprædicamentum. Tertius modus est penes ea, quæ corpus circumstant, ut *habere* vestes; de quo idem, quod de præcedentibus, nempè vestitum esse est de Prædicamento *habitus*, & significat corpus sub habitudine

ne ad exteriorem ornatum; vestes *habere* est Postprædicamentum, & significat vestes ipsas.

Quartus modus accipitur ex eo, quod quis habet in aliqua parte, ut habere annullum. Quintus modus ex ipsis partibus, ut pedes habere, aut manus. Sextus modus est habere per modum continentis, ut vas habet vinum, vel aquã. Septimus modus est habere per possessionem, vel quasi possessionem, ut habere vineam; ad hunc reducit habere uxorem, quamvis ait, quòd hoc tantùm significat, quòd cohabitant; idem dici posset de eo, quod est habere servum, tantùm enim significat esse dominum; sed certè sicut habere servum tantùm significat dominum esse, ita habere scientiam, aut colorem tantùm significat scientem esse, aut coloratum; quare non magis hoc, quàm illud dici debet modus habendi; sed res est parvi ponderis, & nullius utilitatis; quare ab omnibus prætermittitur.

458 *Modus dicendi per se* quadruplex est: primus sumitur ex prædicatis quidditativis, ut de subjecto dicitur per se in primo modo definitio, & partes ejus, ut *homo est animal*, *aut vivens*. Secundus modus sumitur ex propria passione, ut dicitur per se in secundo modo quidquid extra essentiam, necessariò tamen, & ut passio convenit. De utroque notat B. D. 2. de Anim. text. 66. quòd non est idem dici per se primò, aut per se secundò, ac dici in primo, aut in secundo modo perfectitatis, imò in utroque est aliquid, quod per se primò, & quod per se secundò dicitur: dicitur ergo per se primò, quod subjecto convenit, secundùm quod tale est, sive ratione prædicati specifici; per se secundò, quod subjecto convenit specificative tantùm, & ratione prædicati generici: v.g. in primo modo perfectitatis dicitur per se primò, quòd homo est rationalis; in primo modo, quia est prædicatum quidditativum; & per se primò, quia homini convenit, secundùm quod homo est: dicitur autem per se secundò, quòd homo est vivens; in primo modo perfectitatis, quia vivens est prædicatum quidditativum; per se autem secundò, quia vivens non convenit homini, ut homo est, Similiter in secundo modo dicitur per se primò risibile, per se secundò mortale, quia risibile homini convenit, ut homo est; mortale verò communiter cum aliis viventibus.

Tertius modus perfectitatis sumitur per negationem causę, & significat, quod rei competit non ratione alterius, sed per se ipsam, & ratione sui; neque tamen est prædicatum quidditativum, aut passio rei, hoc modo perfectitatis dicitur substantia *ens per se existens*, non enim quidditas, aut passio est existentia, quæ tamen ratione sui, & per se substantiæ

conve-

convenit, ad differentiam accidentis, cui convenit ratione substantiæ, & quatenùs est perfectio ejus. Quartus modus dicit quamdam necessitatem, & dependentiam determinatam hujus ad hoc, ut artefactum per se est ab artifice, per accidens verò à Petro, vel á Musico; determinatam enim dependentiam habet ab eo, quòd sit artifex; quòd autem sit Musicus, aut tale habeat nomen, accidit omninò; secundùm hunc modum quilibet effectus est per se à causa sua.

DISPUTATIO V.

DE ENUNTIATIONE, SYLLOGISMO, ET SCIENTIA.

QUÆ IN HAC PARTE TRACTANTUR; quamvis totam ferè Aristotelis Dialecticam complectantur, quia tamen minùs in Scholis controvertuntur, leviori calamo pertractantur: de his ergo, quæ comprehendit titulus, nempè *de Enuntiatione*, & ejus passionibus; *de Syllogismo*, & speciebus ejus; *de Scientia*, quæ per demonstrationem acquiritur, secundùm se, & ut comparatur ad opinionem, brevitèr agemus.

QUÆSTIO PRIMA
DE VERITATE ENUNTIATIONIS.

ARTICULUS I.

In quonam consistat Veritas formalis?

§. I.

Præmisso quid est Veritas, referuntur sententiæ.

1 QUidditas Enuntiationis satis explicata est in Summulis, quare solùm superest de veritate agere, quam ea significat. De Veritate quidem, ut est passio entis agitur in Metaph. quia tamen non benè veritas Enuntiationis explicari potest, nisi præmittatur veritatis *ut sic* explicatio, aliqua ex ibi dicendis oportet hìc annotare. De Veritate tractat B. D. 2. Metaph. per octo priores qq. quodl. 4. q. 7. in 1. dist. 19. q. 2. & sæpè alibi: N. Gerardus in eodem loco 1. ex quibus necessaria ad propositum accipiemus.

2 Notandum itaque, quòd veritas in quadam adæquatione consistit, secundùm quod ait Div. Anselmus in Dial. de Verit. ubi eam sic definit: *Est rectitudo solâ mente perceptibilis*: notat autem B. D. loco cit. 1. Sent. ubi hanc Anselmi definitionem adducit, quòd ea in tota latitudine, quam patitur, non benè explicat adæquationem, in qua consistit veritas; si enim ignis genitus ad generantem adæquationem habet, hæc adæquatio rectitudo est, quæ solâ mente percipitur, non tamen ex ea ignis genitus dicetur verus ignis, imò poterit ex ea à ratione veri ignis deficere; si enim generans à ratione ignis deficiat, *tunc* quòd illi adæquetur, faciet, *quòd* non sit verus ignis: debet ergo accipi definitio illa ad sensum, quem intendit Div. Anselmus; & quia rectitudo est commensuratio quædam, debet intelligi mensurati ad id, quod obtinet rationem mensuræ.

Commensuratio namque relatio est de tertio genere; at in tertio genere non est mutua relatio, sed tantùm in mensurato: commensuratio ergo relationem dicit adæquationis in eo, quod alteri commensuratur; in eo autem, cui commensuratur, sive quod obtinet rationem mensuræ, non dicit rela-

relationem secundùm *rem*, sed tantùm secundùm *dici*, nempè est relatum, non ex quo ad alterum se habeat, sed ex quo alterum se habet ad ipsum. Hinc deducit B. D. quòd veritas, siquidem ea in adæquatione, & commensuratione consistit, propriè, & formaliter est in eo, quod habet rationem mensurati; in eo autem, quod habet rationem mensuræ, non nisi impropriè, & quasi causalitèr. Tunc autem observandum jubet, quòd alitèr comparantur res ad intellectum practicum, ac speculativum, nempe ad intellectum practicum comparantur, ut mensuratum ad mensuram suam, intendit enim res conformitas ad intellectum practicum, non è contra; artifex enim non est verus, aut verè talis ex eo, quòd intellectus suus conformetur artificiato, sed potiùs artificiatum est verè tale ex eo, quòd assequitur idèam artificis, & menti ejus evadit conforme: ad intellectum verò speculativum comparantur modo converso, nempè non res ad intellectum, sed intellectus ad rem commensuratur; dicitur enim verus intellectus speculativus, ex quo rei conformatur, & eam attingit, ut est; non autem res dicitur vera, ex quo intellectui conformatur: intellectus ergo practicus comparatur ad rem intellectam, ut mensura ad mensuratum; intellectus verò speculativus, ut mensuratum ad mensuram.

Videmus itaquè, quòd res dicuntur veræ, ut verum aurum, & intellectus dicitur verus: si ergo veritas in adæquatione consistit mensurati ad mensuram suam, res dicetur vera, non per comparationem ad intellectum speculativùm, hujus enim mensura est, sed per comparationem ad intellectum practicum, à quo habet mensurari. Imaginabimur itaque, quòd sicut se habet intellectus artificis ad artificialia, ita intellectus Dei ad res naturæ, est enim omnium Artifex: sicut ergo veritas artificiati in ratione talis consistit in conformitate, & adæquatione ad idèam artificis, ita veritas rei naturalis in ratione entis consistit in conformitate ad idèam, quæ est in mente Divina, sive in eo, quòd assequatur prædicata suæ quidditatis, prout in illa idèa repræsentantur, quia respectu hujus comparatur ut mensuratum ad mensuram, ut aurum est verum aurum, ex quo habeat prædicata auri; veritas autem intellectûs consistit in conformitate ad objectum, respectu cujus est intellectus speculativus, quia ab isto mensuratur; quare intellectus artificis non est verus ex conformitate ad artificiatum, quod ab ipso fit, hujus enim mensura est, & consequentèr illa conformitas non in intellectu est secundùm rem, sed in re artificiata, sed verus est ex conformitate ad quidditatem artificiati, ex qua sumpsit

idêam, & respectu cujus est speculativus.

3 Ex his unum relinquitur corollarium, & una difficultas: corollarium est, quòd non benè pro eodem accipitur veritas objectiva, & veritas entis, quæ est entis passio, & secundùm quam dicitur verum ens; nam veritas objectiva non nisi impropriè, & secundùm *dici* veritas est; veritas verò entis propriè, & secundùm *rem* veritas est, nempe verè, & in re est verum ens, & propria ejus passio illa veritas. Itaque veritas objectiva est quidditas rei, ut comparatur ad intellectum tanquam objectum ejus; sic autem habet rationem mensuræ: quia ergo commensuratio, & adæquatio in mensurato est secundùm *rem*, in mensura autem tantùm secundùm *dici*, veritas objectiva tantùm impropriè secundùm *dici*, & quasi causalitèr veritas est, quatenùs nempè quodammodò causat adæquationem intellectûs, quæ proprie est veritas; & hoc sensu ait B. D. loco cit. quòd veritas proprie, & ut in subjecto est in intellectu, & quòd res dicuntur veræ à veritate, quę est in intellectu, quatenùs nempè terminant, & mensurant adæquationem ejus: veritas verò rei est adæquatio ad prædicata suæ quidditatis, ut repræsentantur in idêa; & quia ad hanc comparatur, ut mensuratum ad mensuram suam, talis veritas propriè, & secundùm *rem* est in re ipsa, quæ dicitur vera.

4 Difficultas autem, quę hinc relinquitur, est, quia secundùm Philosophum 6. Metaph. text. 6. *Bonum, & malum sunt in rebus, verum, & falsum sunt in anima*; & licèt ibi videatur Philosophus loqui de vero, & falso, non secundùm quod res dicitur vera, vel falsa, sed secundùm quod abstrahentium non est error, aut falsitas, seu prout veritas est in judicio, tamen B. D. loco cit. 1. Sentent. in art. 1. quærit: An veritas sit in rebus? Resp. autem, quòd est in intellectu propriè, & ut in subjecto; in rebus autem non nisi causaliter, & fundamentaliter; quod ibi latè, & ex instituto ostendit; at veritas rei ex præmissis propriè, & formaliter in re ipsa est, nempè adæquatio illa mensurati ad mensuram suam: non ergo *in* hac consistit veritas.

Pro hujus expeditione nota ex eodem B. D. ibidem artic. 2. quod etiam notandum jubet N. Gerardus, quòd secundùm Philosophum 1. Prior. veritas est adæquatio, non quæcumque, sed manifesta; & quia hæc manifestatio solùm sit intellectui, veritas propriè accipitur per ordinem ad intellectum: loquendo ergo de veritate hoc sensu, ea non est in re nisi causaliter, & fundamentalitèr tanquam in mensura, & hæc est veritas objectiva; in hoc sensu accipit ibi B. D. & hoc sensu verum est, quòd verum, & falsum non

sunt

sunt in rebus, sed in anima; hoc autem non tollit, quin latè, & communitèr accipiendo veritatem, ut tantùm dicit adæquationem mensurati ad mensuram, hæc talis proprie, & secundùm *rem* sit in rebus; de hac loquitur D. Anselmus, & secundùm hanc ens dicitur verum ens.

5 Ex his relinquitur, quid est veritas intellectûs, quia est conformitas ejus ad objectum: notandum autem ulteriùs est, quòd veritas enuntiationis duplex accipi potest: altera, qua enuntiatio conformatur menti enuntiantis, & hæc dicitur veracitas; alia est, qua conformatur rei enuntiatæ: prior est formaliter in ipsa enuntiatione, non tamen secundùm eam enuntiatio dicitur vera; posterior est in enuntiatione repræsentativè tantùm, & ut in signo, formalitèr verò in intellectu; sed secundùm hanc enuntiatio dicitur vera, vel falsa, nempè ab eo, quòd res est, vel non est; quare hæc est veritas enuntiationis, de qua quærimus. Itaque si enuntians apprehendit rem alitèr, ac est, enuntiat verò, ut est, & alitèr, ac apprehendit, enuntiatio est vera, quia rem enuntiat, ut est; enuntians verò non est verax, quia non enuntiat, ut apprehendit: veracitas ergo est adæquatio enuntiationis ad mentem enuntiantis; quare est in enuntiatione tanquam in mensurato, & sic formalitèr; veritas autem est adæquatio ad rem, & quia res enuntiamus mediâ conceptione, mensuratum à re est immediatè, & formaliter conceptio ipsa, enuntiatio verò, quatenùs conceptionem intellectûs significat.

Patet itaque, quòd veritas, de qua quæritur: In quo consistit? est illa, secundùm quam intellectus dicitur verus, nempè adæquatio ejus ad rem; ex eo enim, quod hanc significat, enuntiatio dicitur vera: est itaque considerare in intellectu conceptum formalem, & objectivum; quare dubitatur: An illa conformitas, in qua consistit veritas, sit conceptus formalis cum objectivo, aut cum re, vel potiùs conceptus objectivi? Prima sententia docet, consistere veritatem in adæquatione conceptûs objectivi cum re. Ita Durand. in 1. dist. 19. q. 5. Vazq. Herv. Jabel. & alii apud Mastrium hìc; hanc de mente D. D. tenet Villan. hìc dub. 1. Secunda sententia asserit, consistere in conformitate conceptûs formalis cum objectivo. Hanc tenet Suar. disp. 8. Metaph. & pro ea alios citat; tenent ex Modernis Conimbric. Amic. Hurt. Aver. Mastr. apud quem alii, huic adhæret N. Manso. Tertia sententia ponit, per se consistere in conformitate actûs cum conceptu objectivo; secundariò autem importare conformitatem cum re extra. Ita N. Gavard. tom. 1. suæ Theolog. q. de Verit. Dei a. 3. Credo autem, quòd hæc tertia sententia non differt à secun-

da; quamvis enim non satis id explicant Authores, videntur intendere, quòd veritas est conformitas actûs cum conceptu objectivo, prout hic est imago rei; quare ex consequenti importat actus conformitatem cum re.

§. II.

Resolvitur Articulus.

6 NObis ergo dicendum, quòd veritas intellectûs, quam significat enuntiatio, non consistit formalitèr in conformitate actûs cum conceptu objectivo, neque conceptûs objectivi cum re, sed in conformitate verbi mentis, prout importat utrumque, cum re extra. Hanc non habet quidem in terminis B. D. siquidem de hoc ipse non disputat ex instituto, colligitur tamen ex ejus doctrina, potissimè autem ex dicendis dependet in lib. de Anima; non enim actus intelligendi seorsim, & contra conceptum objectivum est similitudo objecti, quæ possit proinde illi adæquari, aut in se, aut ut repræsentatur in specie, seu conceptu objectivo, sed est motus animæ, seu perceptio, qua similitudinem format, quæ est verbum mentis. Quo patet prior pars conclusionis; si enim conceptus formalis, ut accipitur contra objectivum, non est imago, aut similitudo objecti, non potest in eo secundùm se, & ratione sui accipi conformitas, & adæquatio, in qua consistit veritas.

7 Secunda autem pars ostenditur de facili: Adæquatio, in qua consistit veritas intellectûs, est, secundùm quam intellectus dicitur verus; sed talis non est adæquatio conceptûs objectivi, ut accipitur contra formalem, seu quod idem est, adæquatio rei, prout repræsentatur in intellectu ad se ipsam, prout est in se: ergo. Prob. min. Adæquatio, quæ datur, aut non datur pro priori, & independentèr omninò à perceptione intellectûs, non est secundùm quam intellectus dicitur verus; sed talis est adæquatio illa conceptûs objectivi: ergo. Patet maj. quia intellectus dicitur verus ex eo, quòd verè percipit, & cognoscit objectum. Min. ostenditur: In specie impressa repræsentatur res secundùm esse objectivum, & consequentèr ibi habet, aut non habet adæquationem ad se ipsam, ut est in se; sed species impressa præcedit omninò cognitionem: ergo adæquatio illa conceptûs objectivi, seu rei, prout est in intellectu ad se ipsam extra, est omninò pro priori ad cognitionem.

Confirmatur: Quia nullâ existente cognitione, posset existere veritas, aut falsitas ejus; intellectu enim nihil cognoscente, in lumine intellectûs agentis causat phantasma speciem intelligibilem; aut ergo hæc adæquatur rei,

aut

aut ex aliquo defectu sive phantasmatis, sive luminis non adæquatur, & sic ante cognitionem est veritas, aut falsitas cognitionis, quod apertè implicat. Præterea: Non intellectus passibilis, cujus est cognoscere, sed intellectus agens, aut ipsum phantasma verum diceretur in cognoscendo, seu veritate intellectûs; id enim illâ veritate verum dicitur, cujus est, quòd habeatur, aut non habeatur illa adæquatio, in qua consistit veritas; sed non intellectus passibilis, sed aut intellectus agens, aut phantasma facit, quòd illa repræsentatio intelligibilis adæquetur, vel non adæquetur rei ut extêsæ, eâ enim datâ pro priori ad actum intellectûs possibilis: ergo.

8 Hinc patet tertia, & principalis nostræ conclusionis pars: In eo consistit veritas intellectûs, quo formaliter ipse dicitur verus in cognoscendo; sed id est adæquatio intellectûs secundùm utrumque conceptum, nempè formalem, & objectivum, & rem in se: ergo. Prob. min. Intellectus dicitur verus, ex quo verbum, quod ipse format, rei correspondet; sed verbum utrumque dicit, nempè conceptum formalem, & objectivum: ergo. Patet min. quia verbum est ipsa rei imago ut percepta, & conceptione formata; hoc enim addit species expressa, seu verbum mentis supra impressam. Patet item maj. est enim verus intellectus, ex quo rem percipit, ut est; rem autem percipere est formalissimè verbum de re formare.

9 Arguit primò N. Villan. ex B. D. quodl. 4. q. 7. ubi sic habet: *Et ut meliùs appareat, quod dicitur, dicemus, quòd veritas consistit in assimilatione intellectûs ad rem, ut quando sic est aliquid in intellectu, ut est aptum natum esse in re, dicimus, intellectum esse verum; quando non sic, dicimus, esse falsum*; sed rem esse in intellectu dicit conceptum objectivum: ergo veritas consistit in adæquatione conceptûs objectivi. Respond. quòd mens B. D. patet legenti textum; intendit enim, quòd veritas non est in re ut in subjecto, sed in intellectu; & ad hoc assumit conceptum, seu similitudinem, quam de re format intellectus in cognoscendo ipsam, & ostendit, quòd illa adæquatio non in re extra est, sed in imagine, quam intellectus format tanquam in mensurato: loquitur ergo de imagine illa, & conceptu objectivo, non ut est repræsentatio seorsim à conceptu formali, sed ut est repræsentatio percepta, & perceptione formata; sic autem est verbum mentis, & includit utrumque conceptum.

10 Arguit secundò idem: Veritas est objectum intellectûs; sed conceptus formalis non potest esse objectum intellectûs, benè autem objectivus: ergo. Resp. neg. maj. veritas enim, quæ objectum intel-

intellectûs dicitur, est veritas rei; loquimur autem de veritate intellectûs, seu formali. Præterea: Ad objectum comparatur intellectus tanquam ad mensuram; sed adæquatio, in qua consistit veritas, non est formaliter in mensura, sed in mensurato: ergo in eo, quod habet rationem objecti, non potest consistere propriè, & formaliter veritas.

11 Arguit tertiò idem: Enuntiatio est signum veritatis, ut est in intellectu; sed non est signum conceptûs formalis, sed rei, prout est in intellectu: ergo non in illo, sed in ista consistit veritas. Minorem, ait, probari à B. D. quodl. 5. q. 9. deinde eam probat ex P. Augustino 15. de Trinit. cap. 11. dicente: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intùs latet*; sed verbû, quod intùs latet, non est actus ipse, seu conceptus formalis: ergo. Sed eodem modo subsume: Sed verbum, quod intùs latet, non est præcisè res ipsa secundùm esse intelligibile, sic enim est species impressa: ergo. Resp. itaque neg. min. quantum ad secundum; enuntiatio enim non præcisè, & tantùm significat rem secundùm esse objectivum, sed intellectum ita percepisse, quod utrumque includit. Ad probat. B. Doct. id ipsum intendit, quod S. P. cujus item verba adducit; at verò S. P. apertè ait, quòd vox extra prolata signum est verbi mentalis, quod apud ipsum etiam Villan. non præcisè dicit rem sub esse intelligibili; differt enim, & ampliùs dicit verbum, quàm species impressa.

12 Arguit quartò idem: De veritate, ut est in intellectu, agunt Scientiæ reales; sed non agunt de conceptibus formalibus, sed de rebus, quæ ipsis attinguntur, ut in intellectu representantur: ergo. Patet maj. quia agunt de universalibus. Sed contra: Id, de quo agunt Scientiæ reales, est in re; sed per se agunt de veritate intellectûs: ergo ea est in re, quod est apertè absurdum; quæ enim in re est, est veritas rei. Directè neg. maj. Scientiæ enim reales non de veritate intellectûs, de qua quærimus, sed de veritate rei agunt, licèt non de illa, ut est in re, sic enim habet esse singulare, sed ut est in intellectu, qualiter habet esse universale.

13 Arguitur quintò fundamento Durandi, quod adducit, & latè rejicit N. Gerardus ubi suprà art. 2. & 3. Conformitas illa intellectûs cum re, aut est in essendo, aut in representando; sed neutro modo potest esse conceptus formalis, sed tantùm objectivi: ergo. Ostenditur min. quia in essendo actus intellectûs semper est quid spirituale, & accidens; at res cognita quandoque est substantia materialis; in representando autem non actus, sed conceptus objectivus est similitudo rei. Addit N. Manso in confirmatione

hujus sententiæ: Quando intellectus reflexione convertitur supra se, ut videat, an verus sit in cognoscendo, non reflectitur supra actum suum, sed supra conceptum, quem formavit de re: ergo non in conformitate actûs, sed in conformitate conceptûs objectivi consistit veritas.

14 Hoc utrumque tantùm probat, veritatem non consistere in conformitate actûs per se, & ut accipitur seorsim á conceptu objectivo. Ad argumentum dicitur, quòd conformitas illa est in repræsentando; & hoc sensu disting. min. Tantùm est conceptûs objectivi, prout dicit præcisse esse objectivum rei, qualiter repræsentatur in specie impressa, neg. min. quia sic non est adæquatio intellectûs, seu cognitionis; prout dicit similitudinem perceptam, qualiter est verbum mentis, conc. min. sic autem dicit utrumque, & esse, seu conceptum objectivum, & perceptionem, qua formatur, seu conceptum formalem. Quo patet ad confirmationem, nempè quando intellectus reflectit, non supra actum per se, & seorsim à conceptu objectivo, sed neque supra ipsum esse objectivum reflectit, ut repræsentatur in specie impressa; ex hoc enim non cognosceret, an verè percepisset, sed an verè repræsentaretur sibi objectum: reflectit ergo supra verbum, quod formavit perceptione sua, & in hujus conformitate consistit veritas.

15 Arguit sextò N. Gavardi ex P. Augustino 15. de Trinit. ubi ait: *Veritas est, qua ostenditur id, quòd est*, quod sæpe alibi habet; sed ut ostendatur intellectui id, quod est, debet esse perpriùs res ipsa in intellectu: ergo consistit veritas perpriùs in conformitate intellectûs ad rem, ut in ipso est, & ex consequenti ad rem extra. Confirmatur primò: Veritas primariò consistit in conformitate illius, quod per se, & primò unitur intellectui; sed per se, & primò unitur intellectui res secundùm esse objectivum: ergo. Confirmatur secundò: Mendacium non consistit formalitér in difformitate intellectûs ad rem extra, sed potiùs in difformitate cum re, ut est in intellectu; sed contrariorum eadem est ratio: ergo, cùm mendacium veritati formali opponatur, hæc consistere debet in conformitate cum re, ut est in intellectu.

16 Resp. ad argumentum, quòd ex illo antecedenti potiùs sequitur contra ipsum, quòd consistit veritas in conformitate conceptûs objectivi ad rem extra; per illud enim esse objectivum repræsentatur intellectui res, ut est. Rectè dicitur, quòd intendit S. P. veritatè cõsistere in manifestatione illa percepta ab intellectu, seclusa enim perceptione ejus, non intelligitur, quòd verus sit in percipiendo, sed tantùm, quòd vera sit manifestatio, seu repræsentatio ipsi facta. Ad confirmationem dici-

tur primò, quòd idem probat, si nempè quod primò unitur intellectui, est res secundùm esse objectivum, in conformitate hujus ad rem extra consistit veritas. Dicitur secundò, quòd posito, quòd intellectus non benè percipiat, non est verus in cognoscendo; & tamen est ibi conformitas illius, quod primò unitur, nempè ipsius esse objectivi. Directè neg. maj. consistit enim veritas in conformitate illius, quod habet rationem mensurati ad mensurā suam; sed non est mensuratum ipsum esse objectivum, sed perceptio intellectûs, & mensura est res extra: ergo. Patet hæc min. non enim intenditur, quòd res benè repræsententur intellectui, sed quòd intellectus benè percipiat; neque benè percipit, ex quo percipiat, quod sibi repræsentatur, sed ex quo percipiat, quod est in re.

Ad secundam confirmationem dicitur primò, quòd mendacium consistit in conformitate enuntiationis ad intellectum: si ergo in oppositio debet poni veritas intellectûs, sive formalis, ponenda erit in conformitate enuntiationis; quod neque ipse intendit, neque ullus alius. Directè neg. suppositum consequentis; confundit enim ipse mendacium cum falsitate, & veritatem cum veracitate; mendacio itaque, non veritas, sed veracitas opponitur; & sicut mendacium in difformitate, ita veracitas in conformitate consistit enuntiationis ad mentem enuntiantis; veritati autem opponitur falsitas; & sicut hæc in difformitate consistit perceptionis ad rem perceptam, sed in eo, quòd intellectus aliter percipit, ac res habet, ita veritas in conformitate. Cætera mitto, quoniam ex his poterunt de facili solvi; quod enim aliqui contendunt, conceptum formalem esse formalem objecti similitudinem, non est hujus loci examinare.

ARTICVLVS II.

An possit eadem Enuntiatio transire de vera in falsam?

17 DE Enuntiatione quæritur, cujus objectum mutari potest: An nempè eo mutato, quæ priùs vera erat, incipiat esse falsa, puta istam: *Petrus currit*, quæ, eo currente, vera est; an á cursu cessante, incipiat esse falsa, an alia fiat? Quamvis autem de enuntiatione quæritur, eadem est ratio de opinione, seu judicio intellectûs; significat enim enuntiatio rem mediâ conceptione, & veritas, quæ est in enuntiatione repræsentativè, & ut est in signo, est formaliter in intellectu. Neque enim audiendus est Eliseus, qui hìc ait, judicium intellectûs non nisi uno instanti durare, & continuationem ejus repetitis actibus fieri. Id, inquam, audiendum non est;

est; instanti enim mensuratur res motui subjecta, actus autem animæ sine motu exercentur: præterea: Si actus instanti mensurantur, sicut non continuantur immediatè instantia, sed mediat pars temporis, ita non possent sine interruptione continuari actus; expetitur autem unusquisque in se ipso, quòd sine interruptione perstitit aliquandiu in eodem actu: non ergo instanti mensuratur actus animæ, sed mensurâ alterius generis, quam aliqui dicunt tempus permanens, alii *ævum* per participationem.

Posito itaque, quòd potest judicium intellectûs idem aliquandiu manere, quæritur: An si Petrus primò currat, deinde à cursu cesset, judicium, aut enuntiatio asserens, Petrum currere, idem maneat, verum, dùm currit; falsum, dùm á cursu cessat; an per hoc, quòd objectum mutetur, fiat aliud? Et quia eadem est de utroque ratio, de enuntiatione communiter controvertitur difficultas; quare de ea loquemur. Prima sententia affirmat. Hanc expressè tenet Philosophus cap. de Substant. & communiter Thomistæ, & Scotistæ. Secunda negat. Ita Hurtad. disp. 9. de Anim. sect. 4. Ovied. cont. 7. punct. 2. Arriag. disp. 14. Log. sect. 1. & 2. Aver. q. 24. Log. sect. 7.

18 Pro intelligentia, & solutione argumentorum notandum, quòd B. D. in 1. dist. 31. q. 2. art. ultim. quærit: An Deus quodcumque enuntiabile scit, semper sciat? Difficultas autem hujus eadem est, quæ in præsenti controvertitur, nempè hoc enuntiabile: *Christus nascetur*, aliter ab æterno, aliter nùnc respicit objectum suum, nempè nùnc Christus Dominus non nascetur, sed natus est, ab æterno autem nasciturus erat. Pro hujus explicatione notandum jubet B. D. quòd debemus considerare duas veritates in enuntiatione, alteram essentialem, nempè latè loquendo, prout essentiale tantùm significat indefectibiliter conveniens; alteram verò accidentalem, & quæ contingenter convenit: primam eadem manens enuntiatio semper eodem modo habet; secundam autem potest eadem manens habere, & non habere.

Quia itaque enuntiatio habet esse in vocibus, imaginabimur, quòd voces aliter significant ex impositione, aliter autem ex intentione loquentis, & communi hominum acceptione; aliter enim ista enuntiatio: *Petrus nùnc currit*; aliter ista: *Petrus currit*, significat, cursum Petro convenire nùnc de præsenti, prima nempè ex impositione id significat; secunda autem tantùm ex intentione loquentis, & communi acceptione; ex impositione enim solùm significat, quòd cursus Petro convenit: prima ergo veritas essentialis est, seu indefectibilis, quam

nempè voces ex impositione significant; secunda autem contingens est, & defectibilis, quam nempé significant ex intentione loquentis, & communi acceptione.

19 Dicendum itaque, quòd enuntiatio eadem manens potest transire de vera in falsam quantum ad secundam veritatem, non autem quantum ad primam. Hæc conclusio quantum ad hanc secundam partem ostenditur de facili: Quòd enim voces ex impositione significant, puta in illa enuntiatione, cursum Petro convenire, indefectibile est; patet enim, quòd sive currat, sive non currat, eodem modo cursus est prædicatum sibi conveniens: non ergo hoc sensu mutatur ejus objectum; & consequenter enuntiatio non transit de vera in falsam. Notandum autem, quòd aliud est enuntiationi convenire indefectibiliter significare; aliud verò ipsam significare, quòd cursus indefectibiliter convenit Petro: illud primum verum est, non hoc secundum; significat itaque indefectibiliter enuntiatio, quòd prædicatum convenit subjecto, nempé contingens contingenter, & necessarium necessariò.

20 Quantum ad primam partem probatur primò ex Philosopho citat. cap. de Substant. quo cùm dixisset, substantiæ proprietatem esse susciperé contraria, contra objicit, quòd id etiam orationi competit, aut opinioni; siquis enim, sedente Petro, ipsum currere asserat, opineturvè, falsa est oratio, sive opinio; quòd si Petrus postea currat, utraque erit vera. Ad hoc duplici solutione respondet: prima, quòd substantia sui mutatione contraria suscipit; oratio autem, aut opinio nullâ sui mutatione, sed objecti tantùm. Secunda solutio est, quòd oratio, aut opinio per hoc, quòd de vera transit in falsam, aut è contra, non aliquid in re suscipit, quare non ipsa est contrariorum susceptiva: patet ergo, quòd tenet Philosophus, quòd enuntiatio eadem manens transit de vera in falsam.

21 Prob. secundò à ratione: Mutatione objecti transit enuntiatio de vera in falsam; sed non ipsa mutatur: ergo. Patet major, quia aliter se habente re, aliter se habet conformitas ejus ad rem. Patet item minor, quia objectum quid est omninò extrinsecù enuntiationi; non autem ea mutatur, ita ut fiat alia, nisi per mutationem in prædicatis intrinsecis. Rursus: Ad essentiam enuntiationis non pertinet, quòd prædicatum conveniat subjecto, sed quòd ipsa id enuntiet, atque significet; sed mutatione objecti mutatur quidem convenientia prædicati ad subjectum, non autem significatio, & affirmatio, quæ est in vocibus: ergo. Explicatur, quo communis solutio evertitur: Enuntiatio ad objectum se habet, sicut mensuratum ad mensuram; sed licèt

licèt mensuratum importet relationem ad mensuram, & eâ in ratione talis constituatur, non tamen mutatione mensuræ mutatur, aut aliter se habet in se mensuratum, sed tantùm relatio commensurationis ad mensuram: ergo mutato objecto, mutatur relatio adæquationis in enuntiatione, non tamen ipsa mutatur. Patet min. per hoc, quòd ulna fiat minor, idem manet pannum, & tantùm aliam habet relationem, nempè si priùs ulnæ quater replicatæ adæquabatur, nùnc oportet eam quinquies replicari.

Ratio autem est, quia aliud est mensuratum esse mensuratum, & habere proportionem ad mensuram ut sic, & communiter; aliud verò tale esse mensuratum, & talem habere proportionem, puta quadruplem, sive quod continet mensuram quater replicatam; prima relatione constituitur, & sine relatione non manet, non autem hac, vel illa; secunda tali determinata relatione constituitur, & eâ deficiente, deficit: variatâ ergo mensurâ, manet proportio, non autem talis, quæ antea erat; quare manet mensuratum idem omninò, mutatur autem talitas proportionis ad mensuram. Ita in proposito enuntiatio se habet ad objectum sicut ad mensuram, & constituitur relatione ad ipsum, non autem tali, puta, adæquationis, vel difformitatis, sed hac constituitur in ratione talis, puta, veræ, vel falsæ: factâ ergo mutatione in objecto, mutatur quidem hæc talitas, ut quæ erat adæquatio, fit difformitas, aut ê contra; manet autem, sicut objectum idem aliter se habens, ita habitudo ad objectum, & enuntiatio eadem, aliter se habens, ut quæ priùs vera, nùnc falsa est.

22 Arguitur primò: Veritas est essentialis propositioni: ergo nequit eadem transire de vera in falsam. Prob. antec. primò: Quia veritas est indistincta ab entitate judicii: ergo si judicium idem manet, manet veritas; si autem veritas non manet, neque entitas judicii; enuntiatio autem eamdem habet judicij veritatem. Secundò: Ordo ad objectum essentialis est propositioni; sed in eo consistit veritas: ergo. Tertiò: Propositio, v. g. ista: *Petrus currit*, si vera est, affirmat cursum Petri, qui est; si autem falsa, affirmat cursum, qui non est; sed nequit eadem affirmare cursum, qui est, & qui non est; ergo.

23 Pro eodem ad præsens accipitur enuntiatio, & propositio. Ad argumentum itaque neg. antec. Ad primam prob. neg. item antec. non enim entitate sua intransitivè verum est judicium, neque in ipsa entitate consistit ejus veritas, sed in relatione adæquationis ad objectum, quæ est sibi defectibilis; patet enim, quòd potest adæquari, aut non adæquari: Notandum autem, quòd alia est veri-

veritas transcendentalis, qua est verum ens; alia formalis, qua verè apprehendit: prima est passio transcendens indistincta ab entitate; sed non de hac loquimur in præsenti, sed de secunda. Ad secundam prob. patet ex probatione conclusionis, quòd non ordo talis est de essentia propositionis; non autem in ordine quolibet, sed in tali, nempé adæquationis consistit veritas. Ad tertiam probat. juxta præmissa disting. maj. Propositio per se, & ex impositione significat cursum, qui est, neg. maj. per accidens, & ex intentione loquentis, conc. maj. Tùnc autem disting. min. Nequit significare cursum, qui est, & qui non est, simùl conc. min. successivè, neg. min. Itaque propositio per se, & ex impositione significat tantùm convenientiam prædicati ad subjectum præcisivè ab existentia, nam *est*, ut est copula propositionis, non existentiam, sed adjacentiam, convenientiam, seu unionem significat prædicati cum subjecto: per accidens, & ex intentione loquentis significat prædicatum de præsenti convenire; sicut autem prædicatum non potest simùl convenire, & non convenire, potest autem successive, ita enuntiatio non potest significare prædicatum, quod convenit, & non convenit simùl; potest autem significare, quod convenit, & non convenit successivè; & quando convenit, verum est id, quod significat; falsum autem, quando non convenit.

23 Arguitur secundo: Si mutato objecto, eadem propositio, quæ priùs erat vera, trãiret in falsam, multæ propositiones, quæ in Sacro Textu habentur, falsæ nùnc essent; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. sequela maj. Illa v. g. quam Christus Dominus protulit: *Unus vestrum me traditurus est*, siquidem traditio tùnc futura erat, nùnc autem jam non futura; sed facta est, tùnc vera, nùnc autem falsa esset: ergo cùm hoc sit apertè absurdum, dicendum est, propositionem non esse eamdem, & sic non transire de vera in falsam. Sed paris est absurdi dicere, aliam nùnc esse, ac dicere falsam; tùnc enim Evangelium non contineret verba Christi Domini, & Evangelista asserens, hanc esse propositionem, quam Christus Dominus protulit, nos falleret, siquidem alia nùnc est; præterquamquòd apertè est imperceptibile, quòd propositio immutata manens in scripto fiat alia.

25 Resp. itaque neg. sequelam maj. & ad prob. ejus neg. suppositum, quòd mutetur, aut aliter se habeat nùnc, ac tùnc objectum illius propositionis. Pro cujus intelligentia nota, quòd propositio non significat rem immediatè, & ut est, sed mediâ conceptione, & ut à proferente apprehenditur; intendit enim proferens manifestare judicium, quod de re for-

formavit: illa ergo in argumento adducta significat traditionem, non absolutè, & ut in se est, sed ut erat in mente Christi Domini, quando illam protulit; at Christus Dominus concipiebat traditionem tùnc futuram usque ad tale instans, & deinceps factam: ergo hoc est objectum ejus; & quia hoc manet immutatum, & manebit in perpetuum, objectum illius propositionis, & idem de quavis alia, quæ habetur in Sacro Textu, immutatum manet, licèt mutetur traditio in se de futura in præteritam. Si itaque judicium apprehendens traditionem futuram, idem persisteret, postquàm facta est, tùnc propositio significans illud judicium, & judicium ipsum transiret de vero in falsum; & hoc sensu dicitur, quòd propositio mutatione objecti transit de vera in falsam, quatenùs potest, mutatâ re, manere judicium prius, & propositio enuntians.

26 Arguitur tertiò: Eo potest illa propositio: *Petrus currit*, transire de vera in falsam, quatenùs ea non significat cursum Petri pro hoc determinato instanti, sed pro aliquo indeterminatè; sed neque hoc sensu potest semèl vera in falsam transire: ergo. Major patet, quia in hoc constituitur differentia hujus, & illius propositionis: *Petrus currit*, *Petrus non currit*, quòd hæc secunda significat cursum pro instanti determinato. Prob. min. Ut illa propositio semèl sit vera, oportet, quòd Petrus pro aliquo instanti indeterminato currat; sed licèt aliquando currat, aliquando quiescat, semper verum est, quòd pro aliquo instanti indeterminato cursus illi convenit: ergo.

27 Resp. neg. maj. & ad probat. dicitur, quòd alitèr oratio apud Grammaticum, alitèr apud Logicum significat; ideo apud Grammaticum verbũ obliquum, seu cujusvis temporis æquè propriè verbum est; apud Logicum autem verbum obliquum tantùm est verbum impropriè, & quatenùs reducitur ad rectum; quare ait Philosophus, non verbum esse, sed casum verbi: apud Grammaticum itaque verbum significat actionem, & tempus, quo ea fit, præsens, præteritum, aut futurum; & quia utraque illa propositio cursum significat de præsenti exerceri, apud Grammaticum nihilo differt; apud Logicum verò verbum significat convenientiam prædicati ad subjectum; & quia alitèr in utrâque hæc convenientia importatur, ea apud Logicum differunt, non autem in eo, quòd altera pro instanti determinato, altera pro indeterminato significat, sed in eo, quòd altera per ly *nùnc* supra convenientiam prædicati ad subjectum determinat tempus, quo convenit; altera verò tantùm significat per se, & ex impositione convenientiam prædicati ad subjectum: transit itaque

in

in falsam illa propositio, non secundùm quod significat per se, & ex impositione, sed secundùm quod significat ex intentione loquentis: tùnc autem non hoc unâ ab altera differt, quòd altera determinatum, altera indeterminatum instans significat, utraque enim præsens determinat, sed eo, quòd altera id determinat per se, & ex impositione, nempè per ly *nùnc*; altera verò per accidens, & ex intentione loquentis.

28 Arguitur quartò: Ad hoc, ut aliqua propositio sit pro hoc instanti vera, debet supponi, ejus objectum pro omni instanti importato per copulam ita esse, sicut per copulam importatur; sed hoc stante, nequit propositio transire de vera in falsam: ergo. Probatur maj. Ad hoc, ut ista: *Petrus semper currit*, sit pro aliquo instanti vera, non sufficit, quòd pro illo instanti Petrus currat, sed requiritur, quòd currat pro omnibus, quia nempè sic importat copula; similitèr de quavis alia, puta, ut ista: *Petrus heri cucurrit*, nùnc sit vera, non requiritur, quòd Petrus nùnc currat, sed quòd heri. Min. ostenditur: Quia pro differentia, quam importat copula, aut convenit, aut non convenit prædicatum subjecto; si convenit, vera est, semper tamen vera, quia etsi pro aliis differentiis non conveniat, semper tamen verum est, quòd convenit pro differentia, quam importat copula; similitèr, si non convenit, semper falsa est; quia semper tenet, quòd pro differentia, quam importat copula, non convenit.

29 Resp. quòd aut loquitur argumentum de propositione, quæ per se, & per particulam additam determinat tempus, ut sunt allatæ in argumento; aut loquitur de propositione, quæ per se, seu per aliquid copulæ additum non determinat, sed tãtùm per ipsam copulam? Si de prima, dicitur, quòd talis non transit de vera in falsam, quia ejus objectum non mutatur; si autem loquitur de secunda, dicitur, quòd per se, & ex impositione non significat apud Logicum differentiam temporis; semper enim resolvitur in substantivum *est*, non prout significat esse, sed convenientiam prædicati ad subjectum; & hoc sensu etiam non transire de vera in falsam, diximus: per accidens autem, & ex intentione loquentis determinat; & tùnc ad argumentum neg. min. & ad probat. ejus neg. maj. quia enim copula illius propositionis: *Petrus currit*, ex intentione loquentis determinat præsens, siquidem cursus pro hoc præsenti convenit, pro illo non convenit, durante propositione pro hoc, & illo præsenti, convenit, & non convenit pro differentia, quam importat copula; quare propositio eadem manens transit de vera in falsam.

30 Cætera argumenta ex dictis

tis poterunt solvi; intendunt enim, quòd propositio quælibet unam importat determinatam differentiam temporis; aut enim asseritur, quòd currit, aut quòd curret, aut quòd cucurrit, & pro illa temporis differentia convenit, aut non convenit prædicatum subjecto. Hoc, inquam, quomodocumque proponatur, jam patet ex dictis; potest enim judicium intellectûs, & propositio eadem manere, & pro aliqua temporis duratione conservari; & tunc quod pro una convenit, pro alia non convenit; & propositio, quæ ex intentione loquentis unam determinat, mutat adæquationem ad rem. Ex dictis item quæstio solvitur, qua quærunt aliqui: An verbum in enuntiatione absolvatur à tempore? De qua latè N. Manso 2. p. Summular. Dicendum enim, quòd enuntiatio, quæ importat præter verbum particulam determinantem, ut *Petrus nùnc disputat*, non absolvitur, ut de se patet; quæ autem non importat, ut *Petrus disputat*, per se, & quantum ad id, quod ex impositione significat, absolvitur, tantùm enim significat convenientiam prædicati ad subjectum; per accidens, & secundùm intentionem loquentis non absolvitur, quatenùs intendit loquens, quòd nùnc de præsenti convenit.

ARTICULUS III.

An una Propositio sit verior altera?

31 NOn quæritur de certitudine, quo sensu magis sunt veræ propositiones de Fide, quàm quævis alia; id enim non veritatem, sed certitudinem significat, nempè non adæquationem ad objectum, sed convenientiam prædicati cum subjecto. Quæritur itaque de veritate ipsa: An suscipiat magis, & minus, puta, quia una propositio magis, quàm alia, sit objecto conformis? Quamvis autem Arriaga, & N. Manso aliquos suppresso nomine pro affirmativa adducant, negativa communis est; quare tota difficultas in solvendo est quasdam difficultates, quæ faciunt rationem dubitandi.

32 Prima est: Veritas in relatione quadam consistit; sed relatio patitur magis, & minus: ergo. Minorem docet Philosophus cap. *de ad aliquid*, & patet, quòd simile est magis, aut minus simile: ergo pariter propositio magis, aut minus vera. Secunda ex speciali ratione relationis, in qua consistit veritas, sic formatur: Veritas est relatio de tertio genere; sed minus in primo genere, quàm in tertio salvari videtur magis, & minus: ergo, si hoc non obstante, reperitur in similitudine, quæ est de primo genere, magis poni de-

bet in veritate, quæ est de tertio. Prob. min. Relationes primi generis sunt modo unitatis, tertii autem modo mensurati; sed unitas indivisibilitatem significat, quę non patitur latitudinem, mensuratio verò proportionem, quæ latitudinem habet: ergo.

Tertia ratio est: Contrariorum eadem est ratio; sed falsitas suscipit magis, & minus: ergo & veritas. Prob. minor: Falsitas est difformitas, & deviatio quædam ab eo, quod res habet; sed est magis, & minus deviare ab eo, quod res habet: ergo. Ostenditur hæc minor: Si enim centum in stadio currunt, magis ab eo, quod est, recedit, qui nullum currere asserat, quàm qui asserat triginta currere: licèt ergo utrumque sit falsum, magis tamen primus, quàm secundus: recipit ergo magis, & minus falsitas, & consequentèr idem de veritate dicendum.

33 Dicendum nihilominùs cum communi sententia, quòd veritas non suscipit magis, & minus, & consequentèr una propositio non est verior alterâ. Pro cujus probatione, & solutione eorum, quæ adducta sunt in contrarium, nota, quòd relatio suscipit magis, & minus ratione fundamenti, quatenùs nempè proxima ratio fundandi, latitudinem habet, & magis, aut minus patitur; tùnc autem relatio mensurati ut sic, & communitér ratio est generica, quæ in aliqua sui specie est proportio, & commensuratio ad mensuram, in alia autem adæquatio: proportio itaque latitudinem habet; est enim accessus quidam, & potest accipi magis, aut minus accedere ad id, quod habet mensura; adæquatio autem non patitur magis, & minus, est enim non accedere, sed assequi, & habere illud idem, quod mensura habet. Jam ex hoc & conclusio patet, & solutio eorum, quæ faciunt rationem dubitandi: veritas namque non quæcumque proportio est, sed adæquatio intellectûs ad rem: si ergo non est magis, aut minus adæquari, sed quòd minus adæquatur, absolute non assequitur id, quod res habet, patet, quòd veritas magis non suscipit, aut minus.

34 Ad primam ergo dicendum, quòd relativum patitur magis, & minus, non tamen quodlibet; patet enim, quòd pater non erit magis pater, aut filius magis filius, & in multis aliis: illa ergo relatio magis, & minus habet, cujus fundamentum habet latitudinem; & quia veritas talis est, quòd fundamentum ejus latitudinem non patitur, magis, & minus non suscipit. Quo patet ad secundam; relationes enim primi generis, de quibus arguitur, non sunt unitas, sed modum habent unitatis, sunt nempè convenientia, & proportio; & quia in eâdem ratione, si ea latitudinem habet, stat convenire, & magis convenire, talis relatio

tio potest magis, & minus habere; est autem convenientia, quæ magis, & minus non patitur, ut quæ sit non solùm in eadem qualitate, sed etiam in eodem gradu ejus: similitèr ergo in relativis tertii generis est accipere proportionem mensurati ad mensuram, quę magis, & minus habet, ut quæ est accessus ad id, quod mensura habet, & est accipere aliam, quæ non habet magis, & minus, ut quæ est adæquatio, & plena assecutio: quia ergo veritas in adæquatione consistit, magis, & minus habere non potest.

Ad tertiam N. Manso verba adducit P. Augustini in Epist. 29. *Quòd licèt omnia recta sint æqualiter recta, non tamen omnia curva sunt æqualitèr curva; cùm rectitudo consistat in indivisibili, non verò curvitas.* Verba quidem apud S. P. non reperio; quare aut ipse sensum desumpsit, non verba, aut error est in numero; sensum tamen habet passim B. Doct. quòd nempè non est nisi unus modus attingendi scopum, multiplex verò deviandi ab eo; & quod verba illa habent ad sensum, patet; si enim lineæ rectæ sunt, non una erit magis, quam alia, recta, nisi abusive loqui velimus; quæ enim minùs recta dicatur, aliquid habet curvitatis, & sic non erit recta; si autem curvæ sint, una poterit magis curva esse, quàm altera; passim enim videmus majorem, & minorem curvitatem. Ratio est, quia accessus, & recessus contraria sunt, & sicut se habet unum, ita alterum; quare sicut recessus magis habet, ita accessus, & est æquè magis, & minus accedere ad scopum, & ab eo recedere; scopum autem attingere non nisi uno modo datur, neque attingere, & recedere contrariè opponuntur, sed magis privativè; rectitudo autem, & curvitas non comparantur sicut accedere, & recedere, sed magis sicut recedere, & scopum attingere; & eodem modo se habent veritas, & falsitas.

Ad formam ergo neg. suppositum assumpti, quòd veritas, & falsitas contraria sint; est enim falsitas recessus quidam, & deviatio ab eo, quod res habet, quomodocumque enim intellectus distet ab eo, quod in re est, est falsus; & quia est magis, & minus distare ab eo, quod est, est magis, & minus esse falsum: veritas autem non est accessus, sed assecutio illius, quod in re est; quantumcumque enim intellectus accedat, si tamen tantùm accedit, & non assequitur, quod in re est, non verus, sed falsus est; & quia non est magis assequi, licèt sit magis accedere, non est magis esse verum: veritas ergo, & falsitas magis privativè opponuntur, quàm contrariè, non quòd falsitas in privatione consistat, est enim positiva relatio difformitatis, sed quia ratione positivi veritati non opponitur, sed ratione privationis ad-

junctæ, quam in obliquo importat.

ARTICULUS IV.

An dentur Enuntiationes Æternæ Veritatis?

35 PRoverbium est inter Dialecticos, quòd propositiones in materia necessaria tàm in primo, quàm in secundo modo perfectatis sunt æternæ veritatis; id tamen post Lerm. in dubium revocat N. Manso, & quo cætera solet ingenii acumine, tractat 2. p. Summul. q. 5. Intendit ibi, quòd, quia nullus est ab æterno intellectus propositiones formans, nulla est propositio ab æterno vera, seu æternæ veritatis; idque latissimè probat. Sed hic sensus & longè est alius à sensu, quo asseritur communiter, propositionem aliquam esse æternæ veritatis, & à mente recedit B. D.

36 Quantum ad primum itaque eo sensu propositio in materia necessaria, puta: *Homo est animal*, dicitur æternæ veritatis, quo propositio contingens, puta: *Homo disputat*, dicitur veritatis defectibilis, & quæ aliquando est, aliquando non est; nempè est veritas illius propositionis in illo *quando*, seu tempore, quo homo disputat, non est, quando non disputat; at hoc omninò independens est ab eo, quòd sit, vel non sit propositio; neque per id significatur, quòd propositio aliquando est, aliquando non est, sed quòd huic propositioni objectivè acceptæ, seu metaphysicè, & prout repræsentatur intellectui, non semper objectum respondet; quare sensus est non de veritate subjectivè, & quantum ad esse, sed objectivè: paritèr ergo, cùm dicitur propositio aliqua æternæ veritatis, non intenditur, quòd veritas ejus æterna sit, sed quòd sit illi indefectibilis, hoc est, non aliquando, seu tempore aliquo conveniens; sed semper ac illa propositio proferatur, vera est, etsi ab æterno ea enuntiaretur, ab æterno vera esset: patet ergo, quòd non dicitur veritatis æternæ positive, & subjectivè, quasi veritas ejus pro tota æternitate existat, de hoc enim nullus posset Catholicus ambigere; sed tantùm objectivè, & quasi negativè, quòd veritas ejus non sit temporalis, & defectibilis, quasi pro aliquo tempore sit vera, pro aliquo non; at ad hunc sensum omninò est de materiali, quòd existat, ac non existat ab æterno propositio ipsa: ergo.

37 Deinde, quantum ad secundum, quòd nempè sensus ille recedat à mente B. D. patebit legenti ipsum. Itaque in 1. dist. 19. p. 2. q. 2. art. 3. quærit: An esse possint plures veritates æternæ? In contrarium adducit D. Anselmum in Monol. cap. 18. ubi arguit, quòd semper fuit verum ali-

Qui

quid esse futurũ, ex quo concludit: *Impossibile est vel cogitare, quòd veritas principiũ, aut finẽ habeat.* Ulteriùs autem ita habet: *Denique si veritas habuit principium, aut habebit finem, antequam ipsa inciperet, verum erat tùnc, quia non erat veritas; & postquam finita erit, verum erit tùnc, quia non erit veritas; & quia verum non potest esse sine veritate: erat igitur veritas, antequam esset veritas, & erit veritas, postquam finita erit veritas, quod inconvenientissimum est.*

Ad hæc B. D. per hæc verba respondet, & mentem D. Anselmi explicat: *Ut ergo appareat intentio Anselmi, notandum, quòd veritas prima est mensura omnium veritatum: non igitur dicitur veritas hujus, vel illius, quia sit in hoc, vel illo, sed quia hoc, vel illud est in veritate; sicut non dicitur tempus hujus temporalis, vel illius, eo quod sit in temporalibus, sed quia temporalia sunt in ipso. Comparatur igitur veritas prima ad omnia ut mensura ad mensurata; unde futurum esse futurum ideo verum est secundùm Anselmum, quia sic est in præscientia Divina, & in ordinatione ejus: & licèt omnia sint vera per comparationem ad veritatem primam, enuntiationes tamen de omnibus non eodem modo comparantur ad illam veritatem; quia aliquæ sunt, quæ & si enuntiantur, non semper adest illis veritas prima, ut per illam vera dici possint, ut Petrum sedere, cervum currere; aliqua sunt, quibus enuntiatis nunquam deest veritas prima, secundùm quam possint dici vera, ut ea, quæ immutabilitèr vera sunt, ut futurum esse futurum, duo, & tria esse quinque, & talia.*

Hæc sunt verba D. N. quibus patet, quòd intentio ejus, & etiam D. Anselmi est, quòd veritas aliqua dicitur æterna, etiam positivâ æternitate, non quòd subjectivè in se ipsa sit ab æterno, sed quòd est objectivè in Divina præscientia, & ordinatione ejus immutabilitèr, ut hæc propositio: *Homo est animal*, ab æterno vera est, non quia ab æterno sit subjectivè, & in se ipsa propositio, sed quia objectivè in Divina præscientia semper immutabilitèr repræsentatur, quòd homini convenit esse animal; item, quòd alitèr hæc, alitèr illa: *Petrus sedet*, in Divina præscientia repræsentatur, & vera est, non ex quo alitèr veritatem habet, neutra enim habet, sed ex quo alitèr utrique assistit Divina veritas, qua vera dicatur, nempè primæ semper, & pro tota æternitate assistit, quare semper, & pro tota æternitate vera est; secundæ autem non semper assistit, sed pro illa tantùm duratione, qua Petro convenit sedere: sicut ergo de materiali est, quòd utraque ab æterno repræsentetur, ut dicatur ab æterno vera, quia secunda repræsentatur quidem, non

tamen vera dici potest, ita de materiali est, quòd utraque, aut altera ab æterno existeret, aut quòd esset ab æterno intellectus proferens.

Ratio, qua ea omnia, quæ in contrarium adducuntur, solvi possunt, hæc est: Quia veritas duplex est; altera in essendo, quæ est passio entis, & qua dicitur verum ens; altera in cognoscendo, quæ dicitur veritas formalis, & in propositione est adæquatio ad rem enuntiatam, sive enuntiabilem: prima esse supponit, cujus est passio, & secundùm illam propositio non esset ab æterno vera, nisi ab æterno existeret, nempe non esset verum ens tale; secunda ab existentia præscindit, de materiali enim est, quòd rosa existat, ut verum sit, quòd rosa est flos; & tantùm propositio est vera hac veritate, non quia ipsa existat, aut quia existat res, quæ enuntiatur, sed quia ita se habeat, sicut enuntiatur. Quòd si dicitur: Quod non est, non habet conformitatem: Resp. non habet subjectivè, & physicè, potest tamen habere objectivè, & metaphysicè; sicut quod non existit, terminat realem adæquationem, dùm cognoscitur secundùm suam quidditatem. Relinquitur itaque esse propositiones æternæ veritatis, non proutely *esse* dicit existentiam, sed prout dicit veritatem prædicationis.

ARTICVLVS V.

An Enuntiationes de futuro contingenti habeant veritatem determinatam?

§. I.

Quibusdam præmissis, referuntur sententiæ.

38 NOnnihil ferè difficultatis habet controversia præsens, siquidem ex una parte Philosophus 1. Perh. cap. 8. docet, & probat, tales enuntiationes non esse determinate veras, aut falsas; ex alia autem certum est, Deum ab æterno determinatè scire, quod erit, aut non erit contingens: ergo propositio enuntians, quod erit contingens, alterum de necessitate habet, aut adæquationem, si erit, aut difformitatem, si non erit: ut ergo clariùs procedamus, oportet sensum difficultatis accuratè expendere; ex eo enim tota oritur, quòd confunditur præsens difficultas de veritate enuntiationis cum difficultate Theologica de veritate ipsius contingentis in Divina præscientia.

39 In primis itaque non procedit præsens difficultas de veracitate, seu adæquatione enuntiationis ad mentem enuntiantis, hæc enim omninò est independens à contingentia; nam quidquid sit de exis-

existentia ipsius contingentis, aut enuntiatas habet, aut non habet in mente, quod enuntiat; quòd si non habet, aut alio modo habet, quàm enuntiat, puta, habet in mente, quòd est contingens esse, aut non esse, asserit verò, quòd erit absolutè, enuntiatio non habet veracitatem: de hac ergo non quæritur, sed de adæquatione ad objectum, seu rem enuntiatam.

4o Deinde contingens ad propositum duobus modis accipitur; pro cujus intelligentia nota, quòd aliquid dicitur futurum, prout continetur in causa sua cum determinatione aliqua ad essendum *pro* tali differentia temporis; hoc enim addit futurum supra possibile, quòd possibile tantùm dicit, quod continetur in causa ut sic, & sine omni determinatione ad essendum; futurum verò ultra contineri in causa, quo differt a præsente, seu existente, dicit determinationem ad essendum tali tempore: aut ergo causa, in qua continetur, ex se determinationem habet ad ponendum effectum, quæ tamen nobis ignota est, & hoc est absolutè futurum; dicitur tamen contingens secundùm *quid*, & quoad nos, quatenùs nobis ignota est determinatio ejus; hoc sensu dicitur contingens *pluvia cras futura*, quatenùs nobis ignorantibus determinationem causarum, poterit esse, aut non esse, in se tamen, & in causis suis determinationem habet, qua aut erit, aut non erit: aut causa, in qua effectus continetur, ex se habet potestatem ponendi, & non ponendi effectum, & tantùm habet determinationem à decreto Dei de eo, quòd effectus erit; quæ tamen determinatio extrinseca est, & reliquit in ipsa causa potestatem ponendi, & non ponendi, & sic contingentiam, talis est voluntas nostra, & sic dicitur contingens effectus futurus, qui á libera hominis determinatione dependet, ut quòd *Petrus cras disputabit*.

Non itaque de contingentibus in priori sensu procedit difficultas; si enim futurum tale in se, & prout continetur in causa sua, determinationem habet ut sit, vel non sit, licèt nos id ignoremus, ipsum tamen determinatè erit, aut non erit; quare enuntiatio de eo determinatè habet veritatem, aut falsitatem: qui ergo enuntiat, quòd *cras pluet*, poterit non esse verax, quia enuntiatio non conformatur menti ejus, si ipse nescit futuritionem pluviæ, quam affirmat; erit autem determinatè veræ enuntiatio, si pluvia in causa suæ determinationem habet, ut sit cras: de contingentibus ergo quæritur in posteriori sensu, quo verè contingentia sunt, ut qui asserat, quòd *Petrus cras disputabit*, aut quòd *cras erit navale bellum*, an hujusmodi enuntiatio determinatè sit vera, vel falsa? Neque hìc locum habet distinctio de eo, quod enuntiatio importat per se,

D.

& ex impositione, aut per accidens, & ex intentione loquentis; loquimur enim de enuntiatione, secundùm quod determinat differentiam temporis, sive per se, & per vocem additam, ut *Petrus cras disputabit*, sive tantùm ex intentione loquentis, ut *Petrus disputabit*.

41 Quandoquidem itaque veritas, ut ex præmissis patet, in adæquatione consistit mensurati ad mensuram suam; pro venanda determinatione enuntiationis ad veritatem, aut falsitatem, oportet nos videre, & quo sensu res ipsa, quæ enuntiatur, mensura est, cui debet adæquari enuntiatio; & qualem habet determinationem in eo, quod est mensura ejus; si enim poterit constare, quód mensura enuntiationis, ut talis est, non habet determinationem, planum relinquitur, quòd non poterit enuntiatio determinatè habere adæquationem, aut difformitatem. Quãtum ad primum itaque enuntiatio non nisi mediâ conceptione comparatur ad res, & eas significat, quatenùs ab enuntiante concipiuntur; quare veritas, de qua loquimur, est formalitèr ut in subjecto in intellectu enuntiantis; in enuntiatione verò significativè, quatenùs nempè signum est repræsentans conceptum illum; & eo ait Philosophus in princ. 1. lib. Perhier. quòd *ea, quæ sunt in voce, sunt earum, quæ sunt in anima, passionum notæ*; quia vocibus utimur, ut manifestemus conceptum, quem formamus de re: relinquitur ergo, quòd res enuntiata mensura est, cui debet adæquari enuntiatio, ut habeat veritatem, de qua loquimur, non absolute, ut est in se, sed ut est objectum, & mensura intellectûs, seu conceptus enuntiantis.

Quantum ad secundum autem, ex quo tota pendet præsens difficultas, notandum ex B. D. sup. cap. 3. Epist. ad Rom. not. lect. 2. ut malè N. Uillan. & ex ipso Manso, sed lect. 10. dub. 2. quòd hæc est differentia inter cognitionem nostram, & Dei, quòd Dei notitia non causatur à rebus, imò causat res; quare eæ non sunt objectum Divini intellectûs secundùm esse, quod in se ipsis habent, tale enim posterius est, & ex ipsa Dei notitia causatur, sed secundùm esse objectivum, quod habent in Divina Essentia, prout nempè ipsa Divina Essentia imitabilitas est, & exemplar omnium factibilium; at vero nostra cognitio causatur á rebus; quare eæ sunt objectum intellectûs nostri secundùm esse, quod in se ipsis habent. Hinc oritur multiplex differentia, ut quòd res comparantur ad intellectum Divinum ut ad intellectum practicum, & mensuram, quam assequuntur, ad intellectum nostrum ut ad intellectum speculativum, & mensuratum, quod illis adæquatur: ad propositum verò, quòd intellectui Divi-

no

ño nihil est futurum; quia enim non attingit rem secundùm esse, quod habet in se ipsa, non illi objicitur, ut in se est extra causam, aut in causa continetur, sed secundùm quod in Divina Essentia semper, & immutabiliter repræsentatur, quod pro tali differentia temporis in causa sua continetur tali, vel tali modo, pro tali extra causam est in re existens, & pro tali jam non existens, sed præteritum est; & quia hæc omnia sibi simùl præsentia sunt ab æterno, ait Apostolus ad Rom. 4. quòd *vocat ea, quæ sunt, tanquam ea, quæ non sunt*; & S. P. 3. de Trinit. cap. 3. quòd *non aliter novit facta, quàm fienda.*

At verò intellectui nostro res objicitur secundùm esse, quod habet in se ipsa; & quia in se ipsa aliquando est futura, & continetur in causa, aliquando præsens, & in se existens, secundùm hanc differentiam aliter, & aliter præsens, & futurum objicitur, & est mensura intellectûs nostri. Hinc jam differentia patet valdè in proposito notanda, qua objectum enuntiationis de futuro contingenti aliter ad ipsam enuntiationem, & intellectum nostrum, aliter verò ad intellectum Divinum comparatur; quia enim ad intellectum Divinum, non ut in causa continetur, sed ut in idèa repræsentatur, non solùm quòd nùnc continetur in causa, sed etiam quòd postea erit in se ipso, comparatur, Deo non est contingens; quia verò ad intellectum nostrum comparatur, secundùm quod in causa continetur, est objectum, & mensura, cui debet adæquari tàm intellectus, quàm enuntiatio, secundùm quod est contingens ad utrumlibet; prout enim in causa continetur, nullam determinationem habet. Hinc patet, quòd alter est sensus controversiæ Theologicæ, an nempè, & in quo medio Deus habeat notitiam de contingenti futuro, & præsentis, quæ purè Dialectica est; illa nempè contingens respicit, ut est objectum intellectûs Divini, cui non comparatur, ut est in se ipso, seu in causa sua; hæc verò ipsum respicit, ut est objectum, & mensura intellectûs nostri, cui comparatur, ut in se ipso est, & continetur in causa.

42 Itaque prima sententia asserit, tales enuntiationes habere veritatem determinatam. Ita Hurtado, Arriag. & communiter Doctores Societatis; ex Nostris præcæteris late Arim. in 1. dist. 38. ex quo omnes desumpsisse testatur Mastr. sequuntur Mend. in quodlib. q. 7. Gavard. hic q. 1. art. 1. eamdem multi alii tenent, adhibitâ tamen aliquâ limitatione, ut N. Manso ait, quòd respectu intellectûs Divini habent veritatem determinatam, respectu nostri non habent; Thomistæ, quòd ante decretum non habent, benè verò post decretum. Sed utraque hæc limi-

limitatio non est ad propositum: secunda quidem, quia decretum non tollit à nobis libertatem, quare æquè post decretum, ac antea contingens, ut in causa continetur, seu ut est futurum, qualitèr est objectum intellectûs nostri, & mensura, cui debet adæquari enuntiatio, nullam habet determinationem; & sic illi non potest enuntiatio determinatè adæquari, aut non adæquari: item secunda, quia, licèt enuntiatum, nempè contingens ipsum alitèr ad intellectum nostrum, alitér ad Divinum comparetur, si tamen enuntiationi comparatur, ut contingens est, & in causa continetur, enuntiatio ipsa in se non habet veritatem determinatam; quare cuicumque intellectui comparetur ipsa enuntiatio, illam non habet.

Secunda sententia absolutè negat, tales enuntiationes esse determinatè veras, aut falsas. Hæc est sententia Philosophi loco sup. cit. ubi tenet D. Thomas lect. 13. licèt enim à Thomistis explicetur, quòd loquitur ante decretum, ipse tamen S. Doctor nè verbum habet de decreto, & absolutè assentitur Philosopho; eamdem ibidem tenet B. Doctor: quare miror, N. Gavardi ipsum ibi contrariam docere asserant, quamvis autem Doctorem item adducat in 1. dist. 38. ibi tamen non de præsenti controversia, sed de Theologica agit, an nempè Deus determinatè sciat contingentia; quæ, ut jam patuit, longè alia est; eamdem tenet N. Villanova, quamvis ad sensum loquatur Theologicæ difficultatis; tenent item Bachonistæ cum Resoluto; item Lalem, qui alios citat.

§. II.

Probatur Nostra Sententia.

43 NObis dicendum cum secunda sententia, quòd enuntiationes de futuro contingenti per se, & ex natura rei non habent veritatem determinatam. Hæc limitatio additur, quia si Deus alicui revelaret eventum contingentem, ipsius de eo enuntiatio determinatè esset vera, & ita contingit in Prophetarum vaticiniis, tunc autem enuntiatum non est objectum, & mensura enuntiationis, ut est contingens, & secundùm esse, quod habet, ut continetur in causa sua, sed ut est revelatum, & secundùm esse, quod habebit, dùm erit extra causam, quod Deo notum est, & præsens: quia ergo hoc est per accidens ex revelatione, & quod est per accidens, non tollit, quòd est per se, absolutè, & ex natura rei tales enuntiationes determinatam enuntiationem non habent.

44 Prob. primò ratione fundamentali, quæ ex præmissis deducitur: Veritas enuntiationis est ad-

adæquatio ad objectum, sive rem enuntiatam, ut ea est objectum, & mensura enuntiationis; sed enuntiatio de contingēti futuro per se, & ex natura rei nequit habere determinatè adęquationē, aut difformitatē ad enuntiatū, ut est mēsura ejus: ergo. Maj. patet ex jam dictis, est enim veritas adæquatio mensurati ad mensuram suam, & patet, quòd hæc respicit mensuram, ut mensura est. Min. itaque ostenditur: Enuntiatum est objectum, & mensura enuntiationis, secundùm quod comparatur ad intellectum enuntiantis; sed enuntiatio de contingenti futuro nequit habere determinatè adæquationem, aut difformitatem ad enuntiatum suum, prout tale comparatur, & est objectum intellectûs enuntiantis: ergo. Patet maj. quia enuntiatio comparatur ad rem mediâ conceptione enuntiantis. Min. ostenditur: Ad mensuram, quæ, ut talis est, nullam determinationem habet, non potest mensuratum determinatè adæquari, aut difforme esse; sed illud enuntiatum, ut est mensura enuntiationis, nullam habet determinationem: ergo. Maj. patet ex terminis, si enim non est fixum, & determinatum, cui adæquetur, aut à quo discordet, esse non poterit determinata adæquatio, aut discrepantia. Min. item ex dictis patet, quia tale enuntiatum est mensura intellectûs nostri, & enuntiationis, quatenús in causa sua continetur, & futuritionem habet; sic autem, sicut ipsa causa libertatem habet, & dominium ponendi, & non ponendi, ita effectus contingentiam habet ad esse, & non esse, & sic nullam determinationem.

Confirmatur: Si hæc enuntiatio: *Petrus cras disputabit*, est determinatè vera, est hoc ipso determinatè falsa; sed manifesta est contradictio, quòd qua ratione est vera, eâdem sit falsa: ergo non est determinatè vera. Prob. sequela maj. Si illa enuntiatio est determinatè vera, determinatè habet adæquationem ab objectum, prout ab illo mensuratur; sed hoc ipso est determinatè falsa: ergo. Prob. min. Objectum, prout ab illo mensuratur illa enuntiatio, non habet, quòd erit; sed hoc enuntiatio asserit: ergo est hoc ipso objecto difformis. Patet maj. quia objectum, sive res enuntiata, ut est mensura illius enuntiationis, est disputatio crastina, ut nùnc ea objicitur intellectui enuntiantis; nùnc autem objicitur, ut in causa est, & sic ut contingens fore, & nō fore: sicut ergo ipsa disputatio neque determinatè erit, neque determinatè non erit, sed indifferenter se habet ad utrumlibet, ita enuntiatio neque determinatè est conformis, neque difformis, sed indifferens ad conformitatem, & difformitatem, & sic ad veritatem, vel falsitatem.

45 Ut autem quædam tolla-

tur æquivocatio, quæ hîc posset esse, dices contra hanc rationem: Si objectum, à quo mensuratur illa enuntiatio, est disputatio, ut in causa sua continetur, ea est determinatè falsa, sive affirmativa sit, sive negativa; affirmat enim, aut negat determinatè disputationem, ea autem neutrum determinatè habet. Ad hoc dicendum, quòd aliud est asserere, quòd Petrus disputabit, aut non disputabit determinatè; aliud verò, quòd disputabit præcisivè à determinatione: primum tollit contingentiam, quam objectum habet, sive affirmet, sive neget; quare utroque modo differme est subjecto; secundum autem sub contingentia asserit, aut negat disputationem; & de enuntiatione hoc secundo sensu procedit dubitatio. Notabimus itaque has tres enuntiationes: *Petrus cras disputabit*: *Necesse est Petrum cras disputare*: *Contingens est Petrum cras disputare*: si prior enuntiatio ex intentione loquentis habeat sensum secundæ, aut tertiæ, est determinatè vera, vel falsa, & de illa hoc sensu non procedit præsens controversia; sed quia quod sibi convenit ex intentione loquentis, est per accidens, de ea quæritur secundùm se, & ut asserit disputationem cras futuram præcisivè à contingentia, & determinatione; & quia ipsa disputatio, ut est futura, neque determinatè erit, neque determinatè non erit, enuntiatio neque est determinatè conformis, neque difformis.

46 Probat. secundò ratione, quam intendit Philosophus: Si propositio de futuro contingenti habet determinatam veritatem, aut falsitatem, tollitur à rebus contingentia; sed hoc est inconveniens: ergo. Prob. sequela maj. Si propositio asserens, quòd *Petrus cras disputabit*, est determinatè vera, est conformis subjecto suo; sed tùnc tollitur à Petro contingentia ad non disputandum: ergo. Prob. min. Si illa propositio conformis est objecto suo, Petrus se habet ad disputationem crastinam, sicut ea enuntiat; sed tùnc non est indifferens ad utrumlibet: ergo. Patet min. non enim utrumlibet, sed alterum determinatè asserit enuntiatio.

47 Ad hanc rationem respondet Arriaga, & in idem recidit, quod respondet Hurtado, quòd propositio dicitur vera, vel falsa ab eo, quòd res est, vel non est, quare illa propositio vera dicetur, aut falsa ab eo, quòd erit cras, hoc enim enuntiat; at cras alterum erit, nempè disputabit Petrus, aut non disputabit: alterum ergo habet enuntiatio illa, scilicèt aut est conformis, aut difformis, quamvis à nobis ignoretur, utra pars sit vera. Hæc solutio radicem indicat, ex qua tota oritur æquivocatio: intendunt DD. contrariæ sententiæ, quòd futurum in ratione talis con-

tin-

ter per existentiam, quam habebit cum carentia ejus de præsenti; & quia existentiam illam pro sui temporis differentia aut habebit, aut non habebit, deducunt, quòd enuntiatio est vera, vel falsa.

48 Hanc eorum doctrinam evertit ratio Philosophi: Existentiam pro sua temporis differentia æquè habebit contingens, ac necessarium, quia quidquid est, dùm est, necesse est esse; at de præsenti æquè habet carentiam ejus: æquè ergo erit futurum, & sic tollitur contingentia: si ergo hoc sic futurum est, quod in ipsa futuritione importat contingentiam ad esse, & non esse, ejus futuritio non in ipsa existentia consistit cum carentia de præsenti; in neutro enim horum contingentia est, sed in determinatione causæ ad ponendum; hæc enim diversa est in utroque, nempè alterius causa sic determinata est, quòd ex se nequit non ponere, & hujus futuritio est necessaria; aut ita quòd ex se potest non ponere, & hujus futuritio est contingens. Ad rationem ergo dicitur, quòd ab eo, quòd res est, prout est enuntiationis objectum, & mensura, enuntiatio dicitur vera, vel falsa; tùnc autem, non secundùm existentiam, quam habebit cras disputatio, sed secundùm determinationem, qua nùnc in causa sua continetur, est illius enuntiationis objectum; in hoc enim consistit futuritio, quam enuntiat.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

49 ARguit primò Hurtado, quòd ex Philosophi sententia tollitur præscientia Dei, ut coactus est illam negare Tull. de quo S. P. lib. 5. de Civ. c. 5. ait, quòd *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Assumptum probat: Quia qui censet, propositiones de contingenti non esse determinatè ab æterno veras, aut tollere libertatem, si libertatem absolutè asserit, censet, illas ab æterno non esse veras; at quod non est determinatè verum, Deus scire non potest: ergo illas propositiones non scit Deus ab æterno, & sic non habet præscientiam. Confirmatur: Qui ponit, Deum ab æterno scire, quòd Petrus cras disputabit, ponat, necesse est, quòd actus id asserens, verus est; sed hoc negat illa sententia: ergo ea ponit Deum id nescire. Patet maj. Deus enim scire non potest, quod verum non est: si ergo id scivit, verum id est, & consequentèr propositio id asserens, veritatem habet.

50 Resp. neg. sequelam, & ad probat. ejus neg. conseq. scit enim Deus ab æterno, propositiones illas ab intellectu hominis possibiles formari, neque determinatè veras esse, neque falsas, quamvis sciat, quòd earum objectum

ctum sibi verum est, quia scit tale objectum aliter intellectui hominis, aliter sibi comparari. Itaque quia Dei præscientia tale futurum respicit, non ut futurum est, & continetur in causa, sed ut est sibi objectivè præsens existentia, quam habebit; intellectus autem creaturæ illud respicit, ut futurum est, & in causa continetur, componitur, & quòd enuntiatio, quæ ab intellectu hominis formatur, non est determinatè vera; & quòd Deus præscientiam habet de futuritione contingentis. Quo patet ad confirmationem, neg. enim maj. ad cujus prob. dicitur, quòd verum sit est, non autem subjectivè in se ipso, sed objectivè in idèa repræsentante menti Divinæ existentiam ejus pro tali temporis differentia sibi conveniente; at enuntiatio asserens, non ab eo, quòd in idèa repræsentatur, sed ab eo, quod in se habet, qualiter est objectum intellectûs enuntiantis, mensurari habet.

51 Arguit secundò idem: Ex illa sententia sequitur, quòd aliqua propositio non sit determinatè vera, sed confusè; sed hoc est error in Philosophia: ergo. Prob. min. A parte rei non datur individuum vagum, sed quod in re est, oportet singulare determinatum esse, nam individuum vagum dicit tantùm actum intellectûs confusè concipientem: ergo propositio determinatè habet in re veritatem, aut falsitatem, & solùm est confusio, & indeterminatio in intellectu non cognoscente alterum. Confirmatur: Qui dicit: *Hic est Petrus, vel Paulus*, actus quidem est de individuo vago, in re tamen alter est determinatè: demus ergo intellectum, qui sic cognoscit, asserere, quòd Petrus est, posset quidem falli intellectus, quia poterit esse Paulus, enuntiatio tamen non est indifferens, sed determinatè vera, aut falsa; non alio, nisi quia objectum in se determinatum est, quamvis intellectus id non cognoscat; sed paritèr alterum erit cras, quòd Petrus disputet, aut quòd non disputet, quamvis id nesciat asserens: ergo.

52 Resp. ad argumentum neg. min. & ad prob. ejus neg. conseq. non enim objectum, cui debet commensurari enuntiatio, ut sit vera, vel falsa, est id, quod in re erit, prout erit, sed prout futurum est, & in causa habet determinationem ut sic; sed quamvis in re non possit esse vagum, & indifferens, ut autem in causa continetur, & futurum est, indifferentiam habet de necessitate, alioqui non esset contingens: ergo. Quo patet ad confirmationem; arguit enim à necessario ad contingens, & ab eo, quod in re existit, ad id, quod in causa continetur sub indifferentia ad utrumlibet: negatur itaque suppositum consequentis, quòd nempè objectum, cui debet adæquari enuntiatio, sit existen-

tia

tia crastina ; non enim in hac, sed in continentia ejus in causa, & determinatione ad essendum consistit futuritio, quam enuntiat.

53 Arguit tertiò idem : Ut illam conclusionem teneat Philosophus, docet, futura libera non esse futura determinatè, sed indeterminatè; sed hoc est falsum : ergo. Prob. min. Quod erit, determinatè erit productum, & extra causas: ergo determinatè est futurum. Confirmatur : Quod modò est existens, priùs erat futurum; sed modò est determinatè existens : ergo priùs erat determinatè futurum. Prob. conseq. Per eamdem existentiam, qua nùnc habita est existens, priùs habenda erat futurum : ergo si nùnc est existens determinatè, priùs erat determinatè futurum.

54 Resp. quòd propositio major duos habet sensus valdè diversos, quos tamen pro eodem accipit arguens : itaque futurum esse aut significat nùnc habere futuritionem ; aut cras habere existentiam : hoc pro eodem ipse accipit, quia futuritionem constituit per existentiam cras habendam; jam autem patuit, quòd non in hoc consistit futuritio, sed in determinatione causæ ad ponendum effectũ. Itaque futurum liberum determinatè habet futuritionem, aut non habet, quia determinatè est, aut non est decretum Dei de eo, quòd ponatur ; quia tamen tale decretum relinquit voluntatem, quantum est ex se, potentem ponere, & non ponere, talis futuritio non est determinata, sed contingens. Ad formam ergo acceptâ maj. sub distinctione data, neg. min. & ad prob. disting. consequens eodem modo: Ergo est determinatè futurum, hoc est, determinatè habet futuritionem, conc. conseq. hoc est, habet futuritionem determinatam, neg. conseq.

55 Dices : Si determinatè habet futuritionem, determinatè erit vera enuntiatio; hoc enim ipsa asserit, tale objectum habere futuritionem, seu, quod idem est, esse futurum. Resp. neg. sequelam, tùm, quia non iste est sensus, quo asserit futurum, nempe quòd est, aut non est decretum Dei, sed quòd erit, aut non erit existentia ejus ; & licet illud primum sit de necessitate determinatum, hoc secundum est indeterminatum, & contingens; tùm deinde, quia non á decreto, sed à continentia effectûs in causa, & determinatione ejus mensuratur enuntiatio ; hoc enim, non illud, est objectum intellectûs. Ad confirmationem jam patet, quòd falsâ nititur imaginatione de eo, quòd futuritio in ipsa consistit existentia cum carentia ejus de præsenti.

56 Arguit quartò Arriaga : Deus cognoscit veritatem futuri contingentis : ergo propositiones de eo determinatè sunt veræ, vel falsæ. De antec. non potest dubitari;

tari; multa siquidem talia revelavit, antequàm fierent, & multæ de hujusmodi prædictiones in Scripturis continentur. Conseq. est evidens; aut enim enuntiatio asserit, quòd Deus novit, aut oppositum. Confirmatur: Deus habet nùnc cognitionem de peccato Petri futuro: demus ergo, me talem propositionem formare: *Petrus peccabit*: aut oportet, quòd illa Dei cognitio non sit vera, aut hæc mea assertio vera est. Patet evidenter; affirmat enim illud idem, quod Deus cognoscit: si ergo dici non potest, Dei cognitionem esse falsam, fateri debet, quòd propositio de contingenti futuro est vera.

57 Resp. ad argumentum neg. conseq. & ad prob. dicitur, quòd licèt enuntiatio affirmet illud idem, quod Deus novit fore, non tamen ab illo mensuratur, ut Deo præsens est, sed ut in causa sua continetur; & quia sic neutrum est determinatè, neque fore, neque non fore, enuntiatio neutrum habet, neque adæquari, neque difformem esse. Ad confirmationem eodem modo dicitur; eamdem enim difficultatem habet: Deus itaque videt, illam enuntiationem ad id, quod erit, & quod ipse novit, adæquationem habere, sed videt item, quòd ad mensuram suam neque adæquationem habet, neque difformitatem; non enim est mensura ejus, quod erit, ut erit, sive ut Deus id novit, sed ut in causa sua continetur.

58 Arguit quinto idem: Enuntiatio est vera per hoc, quòd prædicatum conveniat subjecto pro differentia temporis importata per copulam; sed in illa enuntiatione: *Petrus cras peccabit*, prædicatum convenit subjecto tempore importato per copulam: ergo. Prob. min. Copula importat durationem crastinam, seu quòd in illa peccatum convenit voluntati; sed licèt nùnc de præsenti indifferens sit voluntas, cras tamen determinatè exercebitur: ergo. Hoc argumètum nonnullas habet confirmationes; quas mitto, quia eamdem continent difficultatem.

59 Resp. ergo neg. min. & ad prob. ejus neg. maj. neque enim ab eo, quod erit cras, mensuratur intellectus, neque duratio crastina importatur per copulam, *sed* per prædicatum; copula enim formaliter, & propriè semper est verbum *est*, & quodlibet aliud resolvitur in verbum *est*, & actionem, quam importat, ut *peccat*, facit sensum *est peccans*; similitèr, quia verbum obliquum reducitur ad rectum, enuntiationes de futuro futuritionem prædicant; quare *peccabit* facit sensum, quòd est peccaturus, sive quòd est futurum, quòd peccet. Itaque objectum, quod respicit enuntiatio illa, est peccatum Petri, non ut se habebit cras, sed ut se habet nùnc, nùnc enim intellectus concipit, & enuntiat; sed licèt cras determinata

fata sit voluntas, nunc tamen indifferens est, ut fatetur arguens: ergo objectum, cui debet commensurari enuntiatio, non potest terminare adæquationem, aut diformitatem determinatè.

60 Arguit sextò Rubio: Futurum, & præteritum regulari habent per præsens, ut dicatur præteritum, quod fuit aliquando præsens, & futurum, quod aliquando præsens erit: ergo pariter enuntiationes de futuro, aut præterito regulari habent per enuntiationes de præsenti, ut ista: *Petrus peccavit*, eo sit vera, quia aliquando fuit vera ista: *Petrus peccat*, & similitèr ista: *Petrus peccabit*, eatenùs est vera, quatenùs aliquando vera erit ista: *Petrus peccat*; sed ista aliquando erit vera: ergo & illa vera est.

61 Hoc argumentum ex eâdem oritur radice, quòd nempè futurum, & præteritum constituuntur per ipsam existentiam habitam, aut habendam. Itaque neg. maj. & si enim quod est præteritum, fuit aliquando præsens, & paritèr quod est futurum, aliquando præsens erit, non eo formalitér futurum est, aut præteritum: quod enim aliquando erit præsens, nunc est denominatio extrinseca, esse autem futurum non est denominatio extrinseca: sequitur itaque, quòd si nunc est verum *hoc cras erit*, cras erit verum *hoc nunc est*; non autem ideo nunc est verum, quia cras erit, non enim in hoc consistit futuritio, sed in determinatione causæ, & ab ista mensuratur enuntiatio nunc facta: quia ergo, licèt cras verum sit, quòd Petrus peccat, nunc voluntas ejus non habet determinationem ad peccandum, aut non peccandum, sed contingentiam ad utrumlibet, enuntiatio neque veritatem habet, neque falsitatem; nunc enim in causa sua neque est, quòd erit, neque quòd non erit peccatum.

62 Arguit septimò idem: Juxta Philosophum in hoc cap. universalis de futuro contingenti, & ejus contradictoria particularis tales sunt, quòd altera est determinatè vera, altera determinatè falsa; sed ex hoc sequitur, quòd singularis de futuro contingenti est determinate vera, vel falsa: ergo. Prob. min. Contradictoriæ sunt istæ: *Omnis homo disputabit*: *Aliquis homo non disputabit*: si falsa est universalis, vera erit particularis; sed hujus veritas per ascensum disiunctivum probanda est, donec veniatur ad aliquem determinatum hominem, qui non disputabit: ergo de hoc propositio de futuro contingenti est determinatè vera, vel falsa.

63 Resp. neg. maj. non enim Philosophus id asserit, aut ex eo colligitur; loquitur quidem de singularibus, non autem oppositum supponit de universalibus: dixerat cap. 6. contradictorias non esse simùl veras, aut simùl falsas;

subjungit deinde, id tenere in his, quæ sunt de universali universaliter, seu, quod idem est, in materia necessaria; & ostendit, non tenere in his, quæ sunt de universali non universaliter, seu in materia contingenti, sic enim poterit utraque falsa esse; & deinceps cap. 8. explicandum assumit, qualiter illa regula in futuris contingentibus locum habet; & quia ex dicendis de singularibus constare poterit de universalibus, de illis loquitur. Itaque falsum est, quòd in contradictoriis de futuro contingenti altera sit determinate vera, vel falsa, utraque enim indifferens est, sicut objectum ipsum; æquè enim contingens est, & indifferens omnis homo, ac quilibet ad disputandum, & non disputandum; & licet dùm in re erit, alterum erit de necessitate, aut quòd omnis disputet, aut quòd aliquis non disputet, enuntiatio tamen non ab eo mensuratur, quod erit tùnc, sed ab eo, quod est nùnc.

64 Arguitur octavò: Enuntiatio est essentialiter oratio significans verum, aut falsum; sed quæ est de futuro contingenti, determinatè habet, quòd sit enuntiatio: ergo determinate significat verum, aut falsum. Hoc argumentum æquivocat in ly *determinatè*; aliud enim est determinatè habere significationem, aliud verò habere significationem determinatam, seu rei determinatæ. Præterea: Non quòd significet, sed quòd sit nata significare, est essentia enuntiationis. Ulteriùs: Non ipsa veritas, sed significatio est de quidditate enuntiationis. Tandem: Quòd enuntiatio est oratio significans verum, vel falsum, hoc tantùm significat, quòd non quælibet oratio enuntiativa est, sed ea tantùm, quæ affirmationem, aut negationem importat, seu quæ significat judicium intellectùs, in quo solùm veritas est, aut falsitas; stat autem, quòd affirmationem importet, & judicium significet, quod tamen neque verum sit, neque falsum, & ita est in proposito. Cætera ex his poterunt solvi.

QUÆST.

QUÆSTIO SECUNDA
DE SYLLOGISMO.

ARTICULUS I.

An assensus præmissarum causet efficienter assensum conclusionis?

65 DE Syllogismo quantum ad quidditatem suam sufficienter determinatum est in Summulis, quare tantùm supereſt de causalitate præmissarum in conclusione; de quo duo quæruntur, in utroque tamen quamvis nonnihil controversiæ, plus tamen est confusionis, quàm difficultatis. In præsenti itaque prima sententia affirmat. Ita communiter Thomistæ, licèt non uno modo explicent; nam alii volunt, quòd hæc causalitas non propriè, sed reductivè est efficiens, nempè præmissæ in genere causæ formalis extrinsecæ causant conclusionem specificando; quæ causalitas communitèr dicitur effectiva. Sic Moned. alios citans; alii tenent, quòd præmissæ reddunt intellectum in actu ad assensum conclusionis; & quia unumquodque agit, secundùm quod est in actu, præmissæ sunt ratio formalis agendi assensum in conclusione; quæ causalitas formalitèr, & propriè effectiva est. Sic Parra, & multi alii; quæ sententia placuit N. Villanovæ. Scotistæ apud Mastrium hìc docent, partialitèr effectivè concurrere, quatenùs continent conclusionem, & eam sibi assimilant.

Secunda sententia negat veram causalitatem effectivam præmissis respectu conclusionis. Pro hac citatur Durand. in 2. dist. 2. q. 2. & in 1. dist. 24. Eamdem de mente Resoluti tenent Eliseus, & Dionysius; tenet item Lalem. & alii apud istos. Nobis pro explicanda sententia B. D. distinguendum est: Aut enim consideratur causalitas præmissarum in conclusionem, quatenùs veritas conclusionis connectitur cum veritate præmissarum, & ex ea sequitur; aut causalitas actûs, quo intellectus assentitur præmissis in actum, quo assentitur conclusioni; & de hoc secundo potissimè quæritur; DD. tamen indiscriminatim de utroque loquuntur.

66 Dicendum itaque, quòd præmissæ quidem causalitatem habent in conclusione latè, & reductivè effectivam, in genere causæ *ad quam*, quatenùs nempè veritas conclusionis consequitur, & vel-

uti resultat ex veritate præmissarum; assensus tamen præmissarum non habet causalitatem adhùc latè effectivam in assensum conclusionis. Hac distinctione conciliantur loca B. D. ad speciem contraria. Prob. itaque prior pars ex B. D. 2. Physic. lect. 5. sub finem, ad illa verba, quibus Philosophus cap. 3. ait, quòd *suppositiones præmissæ causæ sunt conclusionis tanquam id ex quo*; quærit ibi B. D. qualitèr hoc teneat, quia præmissæ videntur esse causa efficiens conclusionis; efficiens autem, & materia non coincidunt. Ad hoc autem respondet per hæc verba: *Dicendum, quòd in præmissis est considerare medium terminum, majorem extremitatem, & minorem, & virtutem medii termini, per quam una extremitas de alia concluditur, ita quòd medius terminus nunquam ingreditur conclusionem; sicut neque artifex ingreditur arcam: sunt ergo præmissæ causa efficiens conclusionis ratione medii; & se habent ut materia ejus ratione extremitatum: non ergo efficiens, & materia coincidunt in eodem, quia aliud est ibi ut materia, aliud ut efficiens.*

En loquendo de præmisis ipsis objectivè, & in se asserit habere causalitatem effectivam in conclusionē; at talem, ait, habere ratione medii, quatenùs nempè virtus medii ratio est, quare extremitates inter se copulentur, quod est conclusio, eo quòd eæ in præmisis copulantur cum medio; sed hoc ad summum est causalitas causæ *ad quam*, quatenùs nempè hoc ex illo sequitur: ergo. Hæc subsumpta, præterquamquòd ex se satis patet, amplius ostenditur ex comparatione ad duos modos, quibus communitèr discurrit prior sententia: in primis enim, quòd intellectus fiat in actu per assensum præmissarum ad assensum conclusionis, non pertinet ad causalitatem præmissarum in conclusione, sed assensus in assensum; de quo postea. Deinde: Virtus medii, seu quòd cum eo connectantur extremitates in præmisis, non se habet ut specificativum conclusionis; specificativum enim objectum est, aut terminus: patet autem, quòd veritatis objectivæ, in qua consistit conclusio, non est objectum, aut terminus virtus illa medii. Præterea: Si specificativum esset, non ipsius conclusionis objectivæ, seu veritatis, sed actûs assentiendi deberet esse, hic enim habet tantùm ab extrinseco specificari; patet autem, quòd actus assentiendi conclusioni ab ipsa conclusione specificatur: relinquitur ergo, quòd præmissæ in conclusionem tantùm habent causalitatem in genere causæ *ad quam*, quatenùs conclusio ex præmisis sequitur,

67 Quantum ad alteram partem ostenditur conclusio ex alio loco B. D. nempé in 2. dist. 25. q. 1. art. 3. & dist. 41. q. 1. a. 2.

&

& seqüentibus : in his ergo locis habet sæpe, quòd sicut finis se habet ad ea, quæ sunt ad finem quantum ad movere voluntatem, sic principia ad conclusionem, quę ex eis sequitur quantū ad movere intellectum; & sicut voluntas facta in actu per intentionem finis se habet ad electionem mediorum, sic intellectus factus in actu per assensum pręmissarum se habet ad assensum cōclusionis: quod præterquamquòd satis patet ita esse, assumunt DD. contrariæ sententiæ in exemplum, & probationem conclusionis suæ: si ergo pateat, qualis est causalitas intentionis in electionem, inde constat, qualis est assensus præmissarum in assensum conclusionis.

Id ergo in primis explicat B. D. cit. dist. 41. ex motu gravium: se habet enim in voluntate amor finis, sicut quædam gravitas, juxta P. August. 13. Confess. dicentem : *Amor meus pondus meum, eò feror, quocumque feror*; ait autem dub. 1. later. quòd de motu gravis ad motum voluntatis est simile, & dissimile: imaginabimur itaque, quòd in gravi est motus ad formam, & motus secundùm formam; ut motus ad formam est, quo acquirit gravitatem; motus secundùm formam est, quo acquisita gravitate, movetur in centrum; & quantum ad hoc simile est de voluntate, est enim in ea motus ad formam intentio finis, & motus secundùm formam electio, qua ex illa intentione movetur per media ad acquisitionem finis; sicut enim grave, secluſæ gravitate, est in pura potentia, & per gravitatem acquisitam fit in actu, & determinatur, ut tendat deorsum, sic voluntas, secluſa intentione finis, est in pura potentia, & per intentionem, & amorem alicujus finis fit in actu, & determinatur ad electionem mediorum, quæ ad illum finem conducunt: est autem dissimile, quia gravitas forma est aliqua; quare in gravi est propriè motus ad formam, & motus secundùm formam; intentio autem non est propriè forma; quare in voluntate tantùm impropriè, & ex quadam analogia accipitur motus ad formam, & secundùm formam.

Tùnc itaque qualem habet causalitatem gravitas in motum deorsum, talem habet intentio in electionem, & consequenter assensus præmissarum in assensum conclusionis; sed gravitas non est effectiva causa motûs deorsum, sed tantùm quatenùs forma gravitatis exigit deorsum esse, naturali necessitate agit in prohibens impediens, ex quo sequitur motus deorsum: pariter ergo se habet intentio ad electionem, & assensus ad assensum, nempè non causalitatem, sed naturalem connexionem unius ad alterum inducit. Hæc minor ex instituto ostenditur in de Gener. ubi agitur de motu gravium, nùnc autem tantùm assumpſ-

sumpta est, ut explicetur locus B. D. qui illam in exemplum assumit. Ratione autem directâ idem assumptum ostenditur : Eodem enim modo intentio movet ad electionem, quo finis ipse movet voluntatem ad intentionem ; sed finis non habet causalitatem effectivam : ergo. Patet maj. eodem modo, quo voluntas á bono allicitur, ut ipsum intendat, ab hac intentione allicitur, ut media eligat. Min. item patet, quia causalitas finis finalis est.

68 Prob. deinde ex alio B. D. loco, quem nempè pro se adducit N. Uillan. itaque in 1. dist. 36. q. 2. art. 3. §. *Quod autem*, ita habet : *Nam non omne id, quo quis intelligit, habet causalitatem respectu actûs intelligendi ; quia, cùm per propositiones universales, & magis confusas intelligamus propositiones se per ordinem habentes ad illas, dicere possumus, propositiones universales esse id, quo intelligimus, cùm sint nobis magis nota confusa magis ; & tamen propositiones non simpliciter habent rationem principii respectu actûs intelligendi, cùm ex actu intelligendi formentur.* En loquitur de propositione universali, quatenùs per eam particularis cognoscitur, quod idem est, ac de assensu præmissarum, quatenùs ex eo sequitur assensus conclusionisi se habet enim particularis veluti conclusio ex universali deducta, in ea namque continetur ; sed ait Doctor, quòd universalis non habet causalitatem in actum, quo ea cognoscitur particularis : ergo idem de assensu præmissarum ad assensum conclusionis.

69 Prob. tertiò ratione, qua evertitur motivum contrariæ sententiæ : Eo assensus præmissarum causalitatem habet in assensum conclusionis, quia per illum determinatur intellectus, & fit in actu ad assensum conclusionis; sed hæc ratio nulla est : ergo. Prob. min. Illa determinatio tantùm arguit naturalem necessitatem assentiendi conclusioni, & connexionem unius assensûs cum altero; sed hoc stat sine omni causalitate: ergo. Patet maj. quòd enim intellectui ostendatur, hanc veritatem in illa contineri, hoc tantùm inducit, quòd qui illi assentitur, debet huic assentiri; quod nihil est aliud, quàm naturalis connexio hujus ad illud. Patet item min. connexio enim formaliter ex terminis non importat causalitatem : connectuntur itaque veritas conclusionis cum veritate præmissarum, & assensus cum assensu, aliter tamen, quia veritas conclusionis sic connectitur cum veritate præmissarum, quòd ex illa originatur, & in illa continetur ; assensus verò conclusionis sic connectitur ad assensum præmissarum, quòd non in eo formaliter continetur, nec ex eo originatur : prima ergo connexio causalitatem importat causæ *ad quam*, non au-

autem secunda.

70 Ex quo potest solvi commune Thomistarum fundamentum, quod sic habet Parra: Quod constituit potentiam in actu primo ad talem actum, illam intrinsecè determinando, & complendo, habet rationem principii effectivi *ut quo*; sed ita se habet assensus præmissarum ad assensum conclusionis: ergo. Maj. patet inductivè in qualibet forma, quæ eo est ratio formalis, & principium *quo* efficiendi, quia intrinsecè determinat, & complet principium radicale. Prob. min. Intellectus enim de se potentia est remota, incompleta, & indifferens ad cognoscendam conclusionem per discursum; non alio autem determinatur, quàm cognitione præmissarum. Quod patet ex eo, quòd conclusio, v. g. ista: *Terra est rotunda*, potest sciri in Philosophia, Geometria, & Astrologia, & solùm ratione præmissarum determinatur ad alteram ex illis. Confirmatur primo: Id se habet ut causa effectiva, quod effectum continet, & ad motum inclinat, est enim efficiens, unde incipit motus: sed præmissæ, quatenùs dicunt connexionem extremorum cum medio, continent earum inter se connexionem, & inclinant intellectum, ut ei assentiatur: ergo. Secundò: Eo species est principium *quo* effectivè, quia determinat intrinsecè intellectum, & complet potentialitatem ejus ad cognitionem; sed hoc ipsum perfectiori modo præstat intellectui assensus præmissarum in ordine ad conclusionem: ergo.

71 Resp. ad argumentum neg. min. & ad prob. ejus disting. min. Determinatur cognitione præmissarum immediatè, & per modum formæ, neg. min. mediatè, & præsuppositivè, conc. min. & ad rationem ejus dicitur, quòd, quia præmissæ mediatè, & præsuppositivè determinant, alia, & alia est formaliter conclusio, & alius, atque alius discursus, secundùm quod ex aliis, & aliis præmissis deducitur; neg. autem conseq. se habet enim per modum principii formalis, & rationis agendi, quòd determinet intrinsecè, & per modum formæ. Itaque per modum formæ determinat intellectum ad actum, quo assentitur huic conclusioni: *Terra est rotunda*, species, qua ipsa propositio sibi repræsentatur; hæc autem aut consideratur secundùm se, & sic determinat ad assensum per modum judicii; aut secundùm quod præsupponit in intellectu assensum, alias, ex quibus ea deducitur, & sic determinat ad assensum per modum discursûs: determinatur ergo intellectus ab utroque, sed à præmissarum assensu tanquam à præsuppositio; à specie repræsentante conclusionem ipsam, tanquam à forma.

Ad primam confirmationem disting. maj. eodem sensu: Et ad

motum inclinat immediatè, & per modum formæ, conc. maj. tantùm mediatè, & per modum cujusdam præsuppositi, neg. maj. & tùnc ad min. dicitur, primò quidem, quòd non assensus conclusiònis in assensu præmissarum, sed conclusio ipsa in præmissis continetur; & deinde, quòd non assensus præmissarum inclinat immediatè, & per modum formæ ad assensum conclusionis, sed species, quæ est actus primus, & forma repræsentans ipsam conclusionem, secundùm se quidem ad assensum judicii, ut alios actus præsupponit, ad assensum discursûs; quare assensus præmissarum inclinat tantùm præsuppositivè, & ex quadam connexione, vi cujus inducit speciem ipsius conclusionis. Quo patet ad alteram confirmationem; non enim eodem modo determinat assensus præmissarum, ac species; quare neganda est minor. Cætera ex dictis poterunt solvi, quare in re parvi ponderis non est, cur immoremur amplius.

ARTICVLVS II.

An assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum Conclusionis?

76 POsitum est, quòd assensus præmissarum connexionem habet ad assensum conclusionis; quæritur itaque, qualis est hujusmodi connexio, an talis, quod intellectum necessitet; & non quæritur de connexione conclusionis ad præmissas, in hac enim essentia syllogismi consistit, sed assensus ad assensum. Necessitas autem duplex est, aut quoad specificationem, ut quòd non possit dissentiri; aut quoad exercitium, ut quòd non possit actum suspendere: quæritur ergo: An ex assensu præmissarum necessitetur intellectus non solùm ad assensum, ita quòd non possit dissentiri, sed etiam ad exercitium, ita quòd non possit actum suspendere? Supponunt omnes contra Lyncæ, quòd assensus præmissarum necessitat ad assensum conclusionis quoad specificationem; & hoc apertè colligitur ex B. D. locis suprà adductis; si enim assensus præmissarum se habet ad assensum conclusionis, sicut intentio ad electionem, patet, quòd intentio necessitat ad electionem quantum ad specificationem, ut quòd non potest voluntas odio habere media, ex quo intendit finem, quidquid sit de necessitate quantum ad exercitium.

73 De necessitate ergo quantum ad exercitium est tantùm difficultas, in qua prima sententia negat. Hanc tenent multi ex Thomistis, ut Martinez, Oña, & alii apud Parra; ex aliis Rub. Aver. Alfons. Lin. Secunda sententia, eaque communior, affirmat. Ita communiter Thomistæ, Sot. San. Complut. Ortiz, Ler. & alii; hanc

Nos,

Nostri tenent Villanova, & Manso hîc. Hæc colligitur ex B. D. pro cujus explicatione juvat difficultatem præmittere, quam à nemine attingi video : Si intellectus ex assensu præmissarum necessitatur ad assensum conclusionis, sequitur, quòd non poterit errare in tertia operatione; hoc autem aperté absurdum est, cùm non minùs potentialis sit, & defectibilis intentio, quàm in aliis. Ostenditur sequela: Tantùm enim in tertia operatione errat, quatenùs conclusioni assentitur, cui non debet assentiri, in hoc enim tertia operatio consistit; tùnc autem, si necessitatur ex assensu præmissarum, poterit quidé deficere in formando præmissas, quod est judicii, non autem in assentiendo conclusioni, in quo est discursus; ad hoc enim necessitatur.

74 Ad hanc difficultatem respondetur ex doctrina B. D. qua ad intentam conclusionem via sternitur: itaque in 1. Post. cap. 8. ait Philosophus: *Quòd autem sunt principia, necesse est accipere*; supra quæ B. D. quærit: An oporteat nos assentiri principiis, vel possimus ea negare? Ad cujus resolutionem ponit distinctionem quadruplicem: prima est, quòd aliud est negare aliquid in se, aliud verò, ut continetur in alio; secunda est, quòd aliud est negare per se, aliud verò per accidens; tertia est, quòd aliud est negare directé, & aliud indirectè; & quarta, quòd aliud est negare in ore, aliud verò in mente. Tùnc ad dubitationem ait, quòd quantum ad primam distinctionem poterit contingere, quòd quis neget principium, ut in alio continetur, non autem in se; ut hoc principium: *Quodlibet est, vel non est*, negat, ut in alio continetur, quicumque falsum aliquid apprehendit; túnc enim apprehendit esse, quod non est; in se autem nullus negare potest: item quantum ad secundam distinctionem poterit quis negare principium per accidens, non verò per se; ut aliqui negaverunt per se nota, eo quòd habebant aliquas rationes in contrarium, quas non poterant solvere; sic Zeno negavit motum: ipse enim videbat, quòd ibat ad forum, & movebatur; quia tamen imaginabatur, quòd spatium quodlibet ex infinitis indivisibilibus constaret, si motum concederet, cogebatur admittere, quòd esset infinitum pertransire, quod est impossibile; quare coactus est negare motum; hoc tamen erat per accidens, & ex falsa illa imaginatione; per se enim, & illa secluśa, non posset motum negare.

Huic modo similis est tertia, quòd poterit quis negare principium indirectè, non verò directè; ut Heraclitus ponebat contradictionem posse de eodem verificari, hoc autem erat negare principium indirectè, & in alio; ipse enim putabat, res esse adeo sub

fluxu, & mutatione, ut cùm quis dicit, hoc ita esse, statim propter rei mutationem jam ita non est, quare simùl est, & non est; sed etiam data illa imaginatione, non simùl, sed successivè in illo fluxu esset res, & non esset; quare directè, & in se non posset principium negari. Tandem quantum ad quartam distinctionem posset quis ore tenùs negare principium, cujus assensum haberet in mente. Ex hoc itaque patet ad propositam difficultatem, quòd, quamvis ex assensu præmissarum necessitetur intellectus ad assensum conclusionis, poterit nihilominùs errare in tertia operatione, & in ipso assensu per accidens ex præjudicio alicujus falsæ imaginationis.

75 Dicendum itaque, quòd ex assensu præmissarum necessitatur intellectus per se ad assensum conclusionis, tám quoad specificationem, quám quoad exercitium; licèt per accidens possit intellectus non solùm non assentiri, sed dissentiri etiam conclusioni, quæ legitimè deducitur ex præmissis concessis. Hæc secunda pars experientiâ ipsâ comprobatur, & ratio ejus ex præmissa patet B. D. doctrina: videmus sæpè, quòd inter disputandum negatur consequentia, cujus præmissæ legitimè disponuntur, & subinde illa ex eis legitimè sequitur, quia nempè ex aliquo præjudicio, aut imaginatione in contrariũ, deductio non est manifesta respondẽti.

76 Quantum ad primum probatur ex B. D. in 2. dist. 25. q. 1. art. 3. dub. 1. later. quo quærit: An liberum arbitrium à Deo cogi possit? Ad quòd, quia in præcedentibus sæpe dictum erat, quòd assensus præmissarum se habet ad assensum conclusionis, sicut intentio ad electionem, ait, quòd de intellectu, & voluntate est simile, & dissimile; simile quidèm, quia sicut in voluntate se habet finis ad ea, quæ sunt ad finem, sic in intellectu principia ad conclusiones; quare ait sepi Philosophus, quòd finis in practicis est sicut principium in speculabilibus; dissimile autem, quia voluntas, positquàm vult finem, eo quòd domina est sui actûs, potest nolle ea, quę sunt ad finem; intellectus autem non sic, quare ait: *Differt tamen voluntas ab intellectu, quia, postquàm intellectus intelligit principia, & assentit eis, & videt, hæ conclusiones sequi ex his principiis, de necessitate assentit illis conclusionibus; sed voluntas non sic.*

Rationem hujus ex ipso objecto accipit B. D. ex qua poterit ratio conclusionis; ait itaque, quòd in his, quæ sunt ad finem, prętter hoc, quod est ad finem conducere, habet aliquas circumstantias, quas possit respicere voluntas, ut puta, potio, quæ ad sanitatem conducit, prater hoc habet in re, quòd sit amara; & quia voluntas respicit rem, non ut est abstracta, sed ut est in re extra, poterit

terit aut potionem velle, quia conducit ad sanitatem, aut illam nolle, quia amara est; intellectus autem rem respicit, non ut habet esse extra, sed ut habet esse abstractum, & secundùm esse abstractum quidditatis suæ, nihil habet aliud, nisi quod est illa veritas, quæ in principiis continetur, & ex illis sequitur.

77 Ex hoc autem ratio conclusionis sic formatur: Veritati, quæ eadem est, cui assentitur intellectus, ex quo assentitur, per se, & ex terminis non poterit aut dissentire, aut non assentire; sed veritas conclusionis eadem est, cui in præmissis assentitur intellectus: ergo, ex quo præmissis assentitur, non poterit aut dissentire, aut non assentire conclusioni. Patet maj. quia per accidens, si non cognoscatur, quòd est eadem, potetit non assentire; & ita contingit, quando deductio non est manifesta; per se autem, si cognoscitur, quòd eadem est, cui exercitè assentitur in præmissis, quia nihil habet amplius nisi illam eamdem quidditatem, non potest non assentiri, alioqui posset ei, cui assentitur, dùm assentitur, non assentiri. Min. item patet, quia conclusio aut æquè universalis est, ac principium, ex quo deducitur, aut minùs universalis; licèt autè magis universale aliquid contineat amplius, quàm minus, è contra autè minùs universale, aut æquè universale illud idem continet, & nihil amplius, quàm alterum, sub quo continetur, ut quòd *omnis homo currit*, amplius quid est, quàm quòd *hic homo currit*, cui autem patet, quòd *omnis*, patet hoc ipso, quòd *hic*.

78 Arguitur primò in contrarium communi fundamento contrariæ sententiæ: Assensus conclusionis distinctus est ab assensu præmissarum; sed hoc ipso, etiam alio supposito, subest imperio voluntatis: ergo. Patet maj. quia alter est judicium, alter verò discursus. Patet item conseq. quia quod subest imperio voluntatis, potest esse, & non esse. Min. ergo ostenditur: Objectum, cui assentitur intellectus in conclusione, est aliquod particulare verum, & subinde particulare bonum est illi assentiri, vel dissentiri; sed quodlibet particulare bonum subest imperio voluntatis: ergo. Hanc rationem ita confirmat Rubio: Sic se habet intellectus in ordine ad principia, sicut voluntas in ordine ad finem; sed in quemlibet alium finem præter ultimum liberè movetur voluntas, & potest illum velle, aut actum suspendere: ergo pariter intellectus in ordine ad principia; sed patet, quòd non magis necessitatur ad assensum conclusionis ex assensu præmissarum, quàm ad assentiendum principiis, eo quòd ipsa se ipsis sunt manifesta: ergo.

79 Resp. ad argumentum primò quidem disting. conseq. Quod

enim ex imperio voluntatis posit assensum suspendere, non tollit, quin per se, & ex natura rei sit necessitatus; quòd enim intellectus per se non necessitetur, est, quòd de se habeat indifferentiam; quòd autem ex imperio voluntatis possit actum suspendere, non est, quòd ipse necessitatem non habeat, sed quòd illâ non adstringatur voluntas: per se ergo necessitatur intellectus ad assensum, per accidens tamen, & ab extrinseco, nempè ex imperio voluntatis poterit actum suspendere. Posset secundò responderi neg. min. & ad prob. ejus dist. min. Quodlibet particulare bonum subest imperio voluntatis, absolutè, & secundùm se, conc. min. qualibet facta suppositione, neg. min. Posito enim, quòd ad aliquem finem unum tantùm sit medium, illud secundùm se est particulare bonum, quod potest velle, aut non velle voluntas; ex suppositione autem, quòd velit illum finem consequi, non poterit non velle hoc medium, & in tantum cessabit ab actu volendi hoc medium, in quantum cessabit ab actu volendi finem consequi: paritèr ergo assentiri huic veritati absolutè liberum est; ex suppositione autem, quòd eidem assentitur, ut in alia continetur, per se, & dùm constat, quòd eadem est, cui assentitur, non est liberum non assentiri.

Ad confirmationem, jam patet ex doctrina superius adducta B. D. disparitas intellectûs ad voluntatem, & quòd est simile, & dissimile de utroque; quare dist. maj. Ita se habet omninò, sive per omnem modum, neg. maj. ita aliquo modo; conc. maj. sed quia aliquo modo non se habet ita, neg. conseq. Itaq; finis comparatur ad voluntatem, ut est in re; & quia in re cum hoc, quod est bonum, & habet rationem finis, habet aliquid, quo non congruit voluntati, per se potest voluntas illum non amare; principia autem comparantur ad intellectum secundùm rationem suæ quidditatis, in qua tantùm habent veritatem; & quia, dùm videt ita esse, non potest non videre ita esse, per se non potest non assentiri, & solùm poterit per accidens, quia sibi non manifestatur illa veritas sufficienter.

8o Arguitur secundò: Potentiæ, quæ non subduntur imperio voluntatis, non sunt capaces habitûs, neque difficultatem habent in actu suo, sicut patet in oculo, qui nullum habitum acquirit ex frequentatis actibus videndi: ergo si ponatur, quòd intellectus in assentiendo conclusioni post assensum præmissarum non subditur imperio voluntatis, sed à naturali necessitate cogitur, neque ullam difficultatem habet in assensu, neque ad hoc requirit habitum; at patet, quòd acquirit habitum syllogizandi, & assentiendi conclusionibus: ergo.

Ad

81 Ad hoc argumentum multipliciter poterit ex dictis responderi: & primò poterit negari suppositum, quòd aliqua sit potentia, quæ non subdatur imperio voluntatis mediatè, aut immediatè; patet enim, quòd objectum præsens, si volumus, claudendo oculos, non videmus. Quòd si dicatur: Est in potestate voluntatis claudere, vel non claudere oculos, non autem, quòd apertis oculis non videamus objectum præsens. Pariter dicitur esse in potestate voluntatis assentiri, vel non assentiri præmissis; non autem, quòd assentiendo præmissis, non assentiamur conclusioni, dùm constat eam in illis contineri; quia pariter hìc, & ibi non potest voluntas facere, quòd non pateat id, quod patet. Dicitur secundò, quòd non ex quo subdatur imperio voluntatis, indiget habitu; patet enim, quòd claudere, & non claudere oculos imperio voluntatis subditur, nec tamen ad hoc habitus requiritur. Dicitur tertiò, quòd subdi imperio voluntatis tantùm arguit, quòd per accidens ratione alterius, nempè ipsius voluntatis possit cessare ab assensu, non autem quòd per se. Dicitur quartò, quòd ad assensum conclusionis per se nullus requiritur habitus, neque in eo ulla est difficultas, sed tantùm in eo, quod est præmissas disponere, & cognoscere, quòd ex illis sequitur conclusio; postquàm autem præmissis assentitur, & constat, quòd conclusio sequitur, nulla est difficultas in assensu conclusionis, nec ad hoc ponitur habitus syllogizandi.

82 Tandem arguitur: Assensus conclusionis, etiam supposito assensu præmissarum, meritorius esse potest: ergo subditur imperio voluntatis, & consequentèr potest poni, & non poni. Antec. ostenditur: Quilibet assensus Fidei meritorius est, v. g. quo quis credit realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia: ponantur ergo istæ præmissæ: *Quod Deus revelavit, verùm est; sed Deus revelavit realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia.* Tùnc sic: Istæ præmissæ non tollunt, quin assensus conclusionis sit meritorius: ergo nec tollunt, quin subdatur imperio voluntatis.

83 Ad hoc item multipliciter dicitur: primò quidem, quòd ex quo sit meritorius, non sequitur, quòd possit non poni; meremur enim in his etiam, quæ vitare non possumus, ut in tolerando infirmitatem. Dicitur secundò, & est ratio præcedentis, quòd non ipse assensus, sed actus voluntatis imperans meritorius est; quare hic potest esse, & non esse. Dicitur tertiò, quòd aliud est assensum præstare veritati, quia Deus revelavit; aliud verò, quia ea sequitur ex præmissis: illud primum meritorium est, non hoc secundum; quare in casu argumenti meritum est in assensu majoris, aut etiam mino-

minoris; his tamèn positis, nullius est meriti conclusioni assentiri. Quo patet ad formam; & alia, si quæ sunt, ex his poterunt solvi.

QUÆSTIO TERTIA
DE DEMONSTRATIONE.

ARTICULUS I.

Quot sint, & quæ prænognita, & prænotiones ad Demonstrationem?

§. I.

Expenditur sensus difficultatis.

89 DE Demonstratione brevissimè, & ê superficie RR. agunt; immeritò quidem, cùm ea sit potissimus Dialecticæ finis, quoad alias scientias deservit; quare hanc præ cæteris partem accuratè exponit B. D. sed quandoquidem pauca de ea ad præsens disputantur, consuetudini morem gerentes, quæ necessaria videbuntur, brevitèr attingemus. Philosophus itaque sic incipit 1. lib. Post. *Omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiva ex præexistente fit cognitione.* Hanc propositionem assumptam aliqui putant contra errores Crat. & Plat. quorum alter volebat nihil sciri, quoniam res sunt in perpetuo fluxu, & nihil est fixum, & permanens; scientia autem solùm esse potest de perpetuis, nempè de his, quæ nequeant alitèr se habere. Alter verò volebat, quòd nihil de novo scitur, sed nostrum scire est reminisci. Contra hos autem inferiùs agit in illa parte, quæ ait: *Antequàm autem sit inducere*, ut ibi exponit B. D.

Alii assumptam dicunt generalitèr de quacumque cognitione intellectiva, quatenùs discursus fit ex præexistenti judicio; judicium ex præexistenti apprehensione simplicium; apprehensio autem ex præexistente experientia per sensus habita. Quod licèt verum sit, est tamen prætèr intentum Philosophi, quod ibi dub. 2. ostendit B. D. tùm, quia daretur processus in infinitum, si omnis cognitio in præexistentem cognitionem reduceretur; tùm, quia non ait Philosophus, quòd omnis notitia, sed quòd omnis doctrina, & disciplina; quare ait B. D. *Est tamen diligentèr notandum, quòd licèt de omni cognitione intellectiva veritatem habeat, quod*

quod fit ex præexistenti cognitione, Philosophus tamen hanc propositionem non assumit nisi propter cognitionem conclusionum, quæ præsupponit cognitionem præmissarum, & præcognoscitur in præmissis; nam & rationes omnes, quas adducit ad probandum intentum suum, sunt de cognitione conclusionum.

Alii apud B. D. ibi dub. 3. volunt, quòd hæc maxima locum habet in scientia, quam quis habet ad discendum, non autem in ea, quam habet per inventionem: quod ex ipsis verbis Philosophi conantur ostendere: quia loquitur de doctrina, & disciplina; hæc autem videntur notare scientiam, ut est addiscendo acquisita. Per oppositum alii volunt, quòd solùm in scientia, quæ est per inventionem: quia si ex admirari cœperunt homines philosophare, puta videntes Lunam eclipsari, cœperunt quærere causas eclipsis, quibus inventis habuerunt scientiam de eclipsi, patet, quòd ista scientia ex præexistenti est cognitione eclipsis; at verò in scientia, quæ habetur addiscendo, simùl à docente accipitur effectus, & causa ejus; quare ista non est ex præexistente cognitione. Utrumque rejicit B. D. quia cognitio, quæ prærequiritur ad scire, est quasi via quædam ad ipsum scire: siquis autem inveniat aliquam viam eundi in aliquem locum, si alios vellet docere, per illam eamdem viam duceret; quare tám in docente, quàm in addiscente prærequiritur via: unde notat, quòd Philosophus consultò ponit, quòd *omnis doctrina, & omnis disciplina*, ut doctrina significet scientiam, quæ est in docente, quæ potuit esse ex inventione; disciplina autem eam, quæ est in addiscente, in qua, licèt á docente accipiat simùl causam, & effectum, oportet tamen notitiam aliquam præhari, ex qua fiat ipsum scire.

85 Intendit itaque Philosophus illâ maximâ viam sternere ad ipsam demonstrationem, de qua intendit; quare illam hoc sensu assumit, quòd ad scire, quod est notitia habita per demonstrationem, & quod per doctrinam, & disciplinam significat, aliquam oportet præsupponi cognitionem illius, quod scitur, imperfectam quidem, & vialem, ex qua ipsum scire aggeneretur: quæ ergo præcognosci debent ad demonstrationem, dicuntur præcognita; quod autem de unoquoque debet præcognosci, dicitur præcognitio. Quia itaque demonstratio est syllogismus, quo ostenditur passio de subjecto per causam, præcognita hæc sunt, subjectum, de quo passio probatur, passio, quæ probatur, & medium, per quod probatur, quod dicitur principium, seu dignitas. Prænotiones autẽ sũt quia est, & quid est, ut de aliquo debet præcognosci, quia est; de aliquo verò non solùm quia est, sed

sed etiam quid est.

Aliqui ad numerum præcognitorum addunt bonitatem illationis; nisi enim quis præcognoscat, conclusionem ex præmissis legitimè deduci, quantumcumque cætera præcognoscat, non poterit scientificè assentiri. Accedit, quòd cognitio scientifica talis esse debet, cui nequeat falsum subesse, seu quæ non possit aliter se habere; at nisi præcognoscatur bonitas illationis, poterit aliter se habere, quia poterit intellectus decipi per syllogismum fallacē: ergo. Ad hoc B. D. respondet, quòd debet quidem præcognosci bonitas illationis; hoc autem non est præcognitum ad propositum: agitur enim hîc de præcognitis posterioristicis, sive quæ ad demonstrationem pertinent; bonitas autem illationis est præcognitum prioristicum, sive pertinens ad quidditatem syllogismi: sunt itaque præcognita ad demonstrationem tria, *subjectum*, *passio*, *& dignitas*, & prænotiones duæ, *quia est*, *& quid est*: quæritur ergo: De quo debet præcognosci *quia est*; de quo verò *quid est*? Quod, ut commodiùs fiat, per aliquas dubitationes expendemus.

§. II.
De Prænotionibus.

86 DUbitatur primò: An *quid est* sit præcognitio? De hoc quærit B. D. dub. 8. & arguit, quòd non: Quia cognoscere *quid est* est habere notitiam rei per definitionem; sed talis notitia non est de præcognitis: ergo. Patet maj. quia definitio est oratio explicans quidditatem, seu *quid est*. Patet item min. nam præcognitio dicit imperfectam, & vialem notitiam, ex qua habeat aggenerari perfecta, & scientifica; patet autem, quòd notitia quidditatis habita per definitionem non est vialis, & imperfecta, imò supponit perfectam, quæ ex definitione habetur; ex quo enim demonstratione ostenditur, quòd hæc, & illa passio convenit huic subjecto, habetur quidditas, & natura ejus, & formatur subjecti definitio. Ad hoc respondet B.D. quòd cognitio, quæ habetur de re, duplex est, altera incompleta, & imperfecta, quam habent etiam idiotæ, & quæ solùm sufficit distinguere unam rem ab alia, & ad hanc sufficit scire *quid est*, quod significatur per nomen, & referre voces in sua significata; alia est cognitio perfecta, quam habent scientes; & quæ est referre rem in sua principia, & prædicata suæ quidditatis. Tùnc autem *quid est*, quod est præcognitio, non est quid rei, secundùm quod est referre rem in prædicata suæ quidditatis; hæc enim notitia perfecta est, & quæ magis est demonstrationis conclusio, quàm ad demonstrationem præcognitio: est ergo quid nominis, seu *quid est*, quod

per

per vocēs significatur.

87 Hoc multi calumniantur volentes, præcognitionem esse quid rei, prout per definitionem importatur; quare id oportet probare, & primò patet per ipsa verba Philosophi; sic enim ait: *Alia namque, quia sunt, priùs oportet opinari; alia verò quid est, quod dicitur, intelligere oportet.* En non quid est, sed quid est quod dicitur, seu significatur per nomen, est præcognitio. Præterea, ratio suprà facta satis id ipsum ostendit, quòd nempé quid rei perfecta cognitio est, quæ non prærequiritur ad demonstrationem. Secundò: Si quid rei esset præcognitio, esset duplex, nempè quid rei, & quid nominis, imò duplex quid rei; ponit enim Philosophus, quòd de dignitate præcognoscitur *quia*, de passione *quid*, de subjecto autem utrumque; sed quid subjecti, & quid passionis, si accipiatur de quid rei, est duplex quid, quia patet, quòd quidditas passionis diversa est à quidditate subjecti: aut ergo erit præcognitio triplex, nempè *quia*, & duplex *quid*, & hoc est contra Philosophum; aut non quid rei, sed quid nominis est præcognitio.

Præterea: Quod est præcognitio, debet esse per se notum; sed quid rei nequit esse per se notum: ergo. Maj. patet, quia præcognitiones in lumine naturali patent, vi cujus assentimur principiis. Patet item min. quia quòd est quæstio, est demonstrationis conclusio; sed quid rei quæstio est: ergo. Patet conseq. quia per se nota non demonstrantur, neque est demonstrationis conclusio, quod est per se notum. Minorem habet Philosophus 2. Poster. nam in principio assignat qq. quatuor: *Si est*: *Quia est*: *Quid est*: & *Propter quid est*; quas ita explicat B. Doctor: Id, de quo dubitatur, aut est complexum, aut incomplexum, & de quolibet possunt duo quæri, nempé: An est, & quid est: de incomplexo itaque quæstiones sunt: *Si est*, & *Quid est*; de complexo verò: *Quia est*, & *Propter quid est*, nempè de convenientia unius ad alterum, aut de causa ejus: quandoquidem itaque quid nominis non potest quæstionem facere, quę sit demonstrationis conclusio, relinquitur, *quid*, quod est præcognitio, non esse quid rei; hoc enim quæstio est, & sic non præcognitio, sed demonstrationis conclusio. Tandem: Eodem sensu accipit Philosophus *quid*, quod præcognoscitur de subjecto, & de passione; sed nullus dubitat de passione non præcognosci quid rei; patet enim, quòd hoc est de materiali ad demōstrationem, qua ostenditur, quòd passio convenit subjecto: absolutè ergo *quid*, quod est præcognitio, est quid nominis, non verò quid rei.

88 Dubitatur secundò de altera præcognitione: An *quia est*

significet aliquo modo actualem existentiam ? Rubio hìc q. 2. refert tres sententias: prima est Cajetani, quæ affirmat, *quia est* debere accipi de esse realis existentiæ, non quidem, quam semper habeat, aut pro tempore, quo fit demonstratio, sed pro tempore sibi congruo; ut si rosa debet præcognosci, quia est, non oportet, aut quòd semper existat, aut quòd actu, sed oportet, quòd præcognoscatur existentia ejus suo tempore, nempè in Vere; pro hac sententia citat Commentatorem, & Toletum. Secunda sententia est M. Soto, quæ ponit, hanc præcognitionem nullo modo debere accipi de esse realis existentiæ, sed *quia est* solùm significare, quòd est ens naturæ veram habens quidditatem, cui proinde competat passiones habere. Tertia sententia, veluti media, est Ferrar. quam ipse tenet Rubio; asserit, de ratione demonstrationis secundùm se non esse, quòd præsupponatur existentia, esse verò de ratione ejus quoad nos, sive ut à nobis acquiritur scientia; quia nostra cognitio incipit á sensu, & sensus non nisi ab eo, quod existit, immutatur; quare *quia est* ad demonstrationem secundùm se non importat esse realis existentiæ; illud autem importat, ut est præcognitio ad demonstrationem, ut nostro intellectui deservit.

89 N. B. D. de hoc quærit dub. 11. & absolutè tenet secundam sententiam, quòd nempè *quia est* nullo modo significat esse realis existentiæ; aliter tamen *quia est* est præcognitio de simplicibus, ut de passione, & subjecto; aliter verò de complexis, ut de dignitate: de simplicibus itaque *quia est* esse quidditativum significat, de quo nempè præcognoscitur quia est, præcognosci debet, quod est verum ens naturæ, quod possit esse passio alicujus, aut quod possit passiones habere de ipso demonstrabiles per veram causam; patet enim, tùm, quòd non entis nullæ sunt passiones; tùm, quòd non ens nullius est passio. De complexis autem *quia est* significat, quòd unum alteri convenit, aut non convenit secundùm modum complexionis; quare in proposito *quia est*, ut est præcognitio de dignitate, significat, quòd propositio est vera, sive affirmativa sit, sive negativa. Notandum est autem, quod dictum est suprà, *quia est* unam esse ex quæstionibus; itém, quòd quæstio est demonstrationis conclusio; & subinde esse nequit præcognitio, quod utrumque habet expressè Philosophus, & de se satis patet; nùnc autem dicimus, quòd *quia est* est præcognitio. Pro cujus intelligentia sciendum, quód alio sensu *quia est* est præcognitio; alio verò est quæstio, sicut dictum est de *quid*, quod quid nominis est præcognitio, quid rei est quæstio.

Itaque de complexis, in quibus

bus major est difficultas, quia utrumque *quia est* significat complexionem ipsam, ut *quia est*, quod est præcognitio, significat, quòd unum alteri convenit; & *quia est*, quod est quæstio, significat, an unum alteri conveniat, notabimus, quòd ipsa convenientia duobus modis esse potest; altero, ita quòd se ipsa sit intellectui manifesta, aut quia illam habet aliunde demonstratam, & ita contingit in principiis subalternatæ; aut quia unum alteri immediatè per se ipsum convenit, & ita contingit in principiis subalternantis, quæ absolute principia dicuntur; subalternatæ enim non sunt principia absolutè, sed principia *huic*; altero modo, ita quòd ipsa convenientia non se ipsa pateat, quia non est immediata, neque eam habet intellectus aliunde demonstratam: priori ergo modo *quia est* est præcognitio, talis enim neque causam habet, neque de ea oportet quærere; altero modo est quæstio, quia de tali convenientia rationabiliter dubitatur.

90 Nunc autem ratio hujus sententiæ est: Quia si esse realis existentiæ pertineret ullo modo ad præcognitionem, ei tantùm posset fieri de aliquo demonstratio, quod illius, & passionis demonstratæ existentiam prænovit; sed hoc patet esse absurdum: ergo. Patet maj. tùnc enim tantùm habet præcognitionem *quia est*, qui existentiam prænovit. Patet item min. illi enim, qui nunquam vidit eclipsim, demonstratur, quòd contingit Lunam eclipsari ex interpositione terræ inter ipsam, & Solem. Præterea: Demonstratio tantùm fit nobis, & à nobis, solus enim intellectus noster discurrit, & demonstratione utitur: si ergo ea ex se non exigit, quòd esse realis existentiæ præcognoscatur, neque id exigit quoad nos.

91 Fundamenta autem, quæ in contrarium adducuntur, non est difficile solvere: primum enim, quod dicitur, quòd nostra cognitio à sensu ortum ducit, quòd item sensus non nisi ab existente immutatur, verum est utrumque; non tamen inde sequitur, quòd esse realis existentiæ sit de necessitate demonstrationis; ex aliis enim, quæ sensu percepit demonstrans, poterit sufficienter cognoscere, quòd hoc, de quo est demostratio, est ens naturæ, & veram habet quidditatem, independenter omninò ab existentia ejus.

92 Arguitur deinde ex Philosopho 2. Post. text. 8. ubi ait: *Quærere autem quid est non habentis quid est, nihil est quærere.* Ubi Philosophus velle videtur, quòd *quia est* eo est præcognitio, quia fundamentum est ipsius *quid est*, quatenùs quod non est, non habet quid: intelligit ergo de esse realis existentiæ, quo sublato, nihil est res. Confirmat Rubio: Quia illud esse est præcognitio, quod nequit

esse demonstrationis conclusio; sed esse realis existentiæ nequit demonstratione probari: ergo. Ad argumentum neg. conseq. cum ratione sua, quia sublato esse realis existentiæ, relinquitur quidditas, de qua passio demonstratur. Ad confirmationem primò neg. maj. aliud enim est, quòd prægnitio nequeat demonstrari; aliud verò, quòd id, quod nequit demonstrari, sit de necessitate prægnitio; multa enim non possunt demonstrari, quia non habent causam per se, & de necessitate inferentem, quæ tamen non sunt per se nota. Secundò neg. min. quia esse realis existentiæ causam habet, per quam probetur, & saltim à posteriori, & demonstratione *quia* nulli dubium, quin probari possit; prægnitio autem sicut ad quamlibet præsupponitur, ita nullius potest esse conclusio. Adde, quòd prægnitio est de per se notis demonstranti; quòd autem habet, aut habuit esse realis existentiæ, non per se, sed per accidens demonstranti innotescit.

§. III.
De Prægnitis.

93 PHilosophus in 1. cap. lib. 1. Post. ait, quòd de dignitate debet prægnosci *quia est*, de passione *quid est*, de subjecto autem utrumque. De subjecto quidem nulla est controversia; de eo enim, de quo aliquid demonstratur, satis patet, quòd prægnosci debet *quid est*, quod per nomen significatur, & item, quòd tale *quid* est ens naturæ, & veram habet quidditatem, cui passiones competant de ipsa demonstrabiles, quia non entis nullæ sunt passiones; at jam patet ex dictis, quòd hoc sensu accipi debent *quia est*, & *quid est*, ut sunt prænotiones: ergo.

De passione itaque dubitatur: An de ea debeat prægnosci *quia est*? Negat Philosophus. Sed aliqui sententiam ejus probant: Quia de passione concluditur per demonstrationem, quòd ea convenit subjecto, & consequenter hoc nequit esse prægnitio; sed *quia est* hoc significat, passionem inesse, seu convenire: ergo *quia est* non est prægnitio de passione. Hæc ratio aperte est contra mentem Philosophi; aliter enim de simplicibus, & de complexis accipitur *quia est*, nempè de simplicibus *quia est* dicit, quod habet quidditatem, seu quod est verum ens naturæ; de complexis verò *quia est* significat, quod est ipsa complexio, seu quòd unum alteri convenit; jam autem passio ad præsens simplex *quid est*, nempè prædicatum, quod de subjecto concluditur: *quia* ergo de passione non significat, quòd ipsa convenit, hoc enim utique per demonstrationem concluditur, sed quòd est verum ens naturæ, seu vera quidditas.

Hinc

94 Hinc autem ratio dubitandi consurgit: Eo enim de subjecto præcognoscitur, quia est, quòd nempè veram quidditatem habet, quia quod non est, non habet passiones; sed pariter quod non est, nullius passio esse potest: ergo pariter de passione præcognoscitur, quia est, nempè quòd veram quidditatem habet. N. B. D. de hoc quærit dub. 12. & hanc rationem solvit, quia aliud est, quòd passio debeat esse verum quid; aliud verò, quòd sit de necessitate demonstrationis hoc præcognoscere. Itaque per demonstrationem concluditur, quòd passio convenit huic subjecto, seu, quod idem est, quòd illius est passio; quare non debet præcognosci, quod quidditatem habet, qua posit esse passio, hoc enim conclusione demonstrationis habetur; de subjecto autem non concluditur, quòd est subjectum, quare id debet præcognosci, & consequenter, quòd veram quidditatem habet: est ergo de necessitate demonstrationis, quòd de subjecto præcognoscatur esse verum ens, non autem de passione.

95 Deinde, *quid*, quod de passione præcognoscitur, debere esse quid nominis, omnes supponunt; communis autem ratio hæc est: Quia quid rei per demonstrationem concluditur. Minùs autem sufficiens hæc ratio est: Nam passio, ut passio est, non habet quid, sed propter quid; si enim quæras de eclipsi, ut est passio conveniens alicui luminoso, quid est? Resp. quòd interpositio corporis opaci; hoc autem patet, quòd est ipsum propter quid, nempé ex hoc est eclipsis, quia interponitur corpus opacum: deinde, si accipiatur quidditas ejus in se, sic non passio est, sed subjectū, de quo demõstrentur, quæ sibi conveniunt; sumitur enim sic substantivè, & ad modum per se stantis: ratio ergo, quare *quid*, quod est præcognitio de passione, est quid nominis, non alia est, nisi quia passio ut talis non habet quid, sed propter quid; si autem habet quid rei, non ut passio est, sed ut sumitur absolutè per modum subjecti.

96 De dignitate dubitatur ulteriùs: Quid debet de ipsa præcognosci? De hoc quærit B. D. dub. 10. & arguit, quòd debet de ipsa præcognosci *quid*: quia *quid*, quod est præcognitio, est quid nominis, nempè scire quid est, quod per vocem significatur, & referre vocem in suum significatum; sed hoc oportet præcognoscere de qualibet propositione, quæ est dignitas: ergo. Ad hoc ipse respondet, quòd complexum non habet quid nominis nisi ratione simplicium, quibus constat, ut *Homo currit*, in tantum habet quid nominis, & rem per voces significatam, in quantum significat ly *homo*, & ly *currit*: quia ergo dignitas est propositio aliqua, quæ proinde

inde constat ex subjecto, & passione, quæ de illo dicitur; postquàm de subjecto, & passione dictum est, qualiter debet, aut non debet præcognosci quid nominis, superfluum id esset de dignitate dicere. De ea itaque tantùm debet præcognosci *quia est*, quod, ut jam patuit, est convenientia prædicati ab subjectum, seu, quod idem est, veritas propositionis.

Notandum autem, quòd dignitas est duplex: alia, quæ propriè, & simpliciter dignitas dicitur, & talis est propositio immediata, quæ ex ipso ente, & quidditate ejus sumitur, ut sunt principia Metaphysicæ: *Quodlibet est, vel non est*, & similia; alia est dignitas secundùm *quid*, quæ propriè dicitur positio, & est de subjecto speciali; hæc autem item est duobus modis, aut enim est propositio immediata, cujus prædicatum per se convenit subjecto, & cui proinde immediatè assentitur intellectus, per hoc solùm quòd termini explicentur; & hæc est simpliciter, & absolutè positio, sive principium; aut non est positio immediata, sed medium habet, per quod prædicatum subjecto conveniat; quia tamen illam accipit intellectus aliunde demonstratam, illi in se assentitur, & hæc dicitur positio, sive principium secundùm *quid*, & huic tantùm facultati.

ARTICVLVS II.

Quid sit Demonstratio?

97 PHilosophus cap. 2. 1. lib. Post. explicaturus, quid est Demonstratio, incipit à definitione scientiæ; esse enim, ait, demonstrationem syllogismum apoditicon, id est, facientem scire; ex effectu autem facilius assequimur quidditatem causæ; ait ergo: *Scire arbitramur unumquodque, cùm causam cognoscimus, per quam res est, & quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere.* Hanc definitionem latè explicat B. D. & pro ejus intelligentia notandum jubet, quòd *scire* dicitur multipliciter; nam primò accipitur latè, secundùm quod scire dicimus quidquid utcumque cognoscimus: secundò accipitur scire minùs latè pro cognitione certa, secundùm quod scire dicimus, quod fine ulla hæsitatione tenemus, & hæc utraque acceptio impropriè accipit scientiam; primò quidem, quia, ut de se patet, non distinguit ab opinione; secundò autem, quia, etsi ab opinione distinguat, non tamen à multis aliis, quæ certò cognoscuntur, non tamen notitiâ scientificâ; in primis enim principia certò, & sine ulla hæsitatione tenemus; deinde assensus Fidei certus est; insuper cognitio Sapientiæ, quæ nempè per causas altis-

altiſsimas, & principia ſimplicitèr prima habetur, ut eſt, quæ aggeneratur ex demonſtratione metaphyſica; ſimilitèr multi ſunt ſyllogiſmi neceſſarii, qui à ratione demonſtrationis deficiunt, & proinde non generant ſcientiam, cauſant tamen notitiam certam.

98 Tertiò itaque accipitur ſcire pro notitia, non utcumque certa, ſed ſpeciali modo, prout eſt notitia omninò perfecta, & quietans intellectum; & quia noſter intellectus, cognitâ re, inquirit cauſam ejus, nec omninò quieſcit, niſi habitâ causâ hujus, ut hoc eſt, ſive per ſe, & immediatâ, ſcire hoc tertio modo eſt notitia per talem cauſam habita, & hoc explicat definitio. Dicitur itaque primò, quòd eſt *Notitia per cauſam habita*, cujus duas rationes aſsignat B. D. primam quidem, quia ſcientia noſtra cauſatur à rebus; quare ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, & ſicut quantum ad eſſe reducitur in cauſam ſuam, ita quantum ad cognoſci perfectè, & ſcientificè: ſecunda eſt, quia objectum intellectûs eſt verum; verum autem in adæquatione conſiſtit, ut tùnc dicitur verum aurum, quando adæquatur ſuis principiis, & habet quidquid eſt de ratione auri: non ergo poſſumus perfectè cognoſcere aliquid eſſe verum aurum, niſi ſciamus illud referre in cauſas, & principia ſua. Accedit tertia ratio ſuperiùs indicta, quam etiam habet B. D. quòd nempè non quieſcit intellectus, niſi cognitâ re, cognoſcat cauſam ejus.

Dicitur deinde: *Quoniam illius eſt cauſa*, quod B. D. explicat ex differentia, quæ eſt intellectûs noſtri ad Angelicum; Angelus enim, ex quo non intelligit componendo, ſtatim, cùm intelligit ſubjectum, intelligit prædicatum; & cùm cognoſcit principia, cognoſcit concluſiones in illis contentas; noſter verò intellectus, eo quòd potentialis eſt, componendo intelligit, & cum diſcurſu; quare non ſtatim, cùm intelligit ſubjectum, intelligit prædicatum, ſed uno actu unum, & alio aliud, & ex hoc contingit error, & deceptio, puta, quia non debitè attribuit prædicatum ſubjecto: quia ergo non ſtatim, cùm cognoſcit effectum, cognoſcit cauſam ejus, poteſt errare, ut quia effectum attribuat non debitæ cauſæ; quare, ut notitia ſit perfecta, & ſcientifica, debet non ſolùm cognoſci cauſa, ſed inſuper quoniã illius eſt cauſa. Tandem addit: *Et non contingit aliter ſe habere*, quod ſic explicat B. D. aliquid eſt cauſa rei per accidens, ut ſi quis ædificat, contingit, quòd ſit Muſicus, quare Muſicus ædificat, eſt tamen omninò per accidens, quòd ſit Muſicus, & poterit ædificare, quin ſit Muſicus, & ſic quòd Muſicus eſt cauſa ædificii, poteſt aliter ſe habere: ut ergo notitia ſit ſcientifica, debet cognoſci cauſa per ſe, ſeu, quod

quod idem est, quod non contingit aliter se habere.

99 Ex hoc igitur subinfert Philosophus definitionem scientiæ: Si nempè scire est talis notitia, demonstratio, quæ est syllogismus faciens scire, est syllogismus constans ex primis veris, immediatis, notioribus, causisque conclusionis; & subjungit: *Sic erunt propria principia ejus, quod demonstratur; syllogismus quidem erit sine his, demonstratio verò non erit, non enim facit scire.* Ex data scientiæ definitione potest hæc demonstrationis definitio constare: quia enim scientia est notitia perfecta quietans intellectum, patet, quòd syllogismus faciens scire debet constare ex primis veris, hoc est, ex propositionibus, quæ non in alias reduci habeant tanquam in causam suæ veritatis, sed illis immediatè se ipsis assentiatur intellectus; si enim causam habent suæ veritatis, non tali demonstratione quietatur intellectus, conclusionem enim in præmissas reducit, in præmissis autem non sistit, sed eas habet in suas causas reducere; quare, ut sistat, & quiescat, debent tales esse veritates primæ, hoc est, non reductæ in alias, sed in quibus prædicatum se ipso conveniat subjecto: quòd si principia subalternatæ causam habent suæ veritatis, quia tamen illa causa non ad subalternatam, sed ad subalternantem pertinet, licèt absolutè, & respectu subalternantis non sint veritates primæ, subalternata illas accipit ut primas, & sibi non habent causam; quare secundùm quid, & respectu hujus sunt veritates primæ.

100 Dicitur deinde *immediatis*, quod duos habet sensus, & uterque ex Philosopho colligitur; primò namque propositio immediata dicitur in se ipsa, quatenùs nempè prædicatum se ipso convenit subjecto, & non habet medium, seu rationem, quare conveniat; & hoc sensu idem est primam esse, atque immediatam: alio sensu propositio dicitur immediata respectu conclusionis, ex qua nempè per se, & immediatè sequitur conclusio; & hunc sensum magis videtur intendere Philosophus; tùm, quia in priori sensu superflué adderetur, idem enim est esse immediatam, ac primam; tùm, quia subjungit, quòd sic erunt propria principia ei, quod demonstratur; quare sic accipit immediatum, quod hujus per se, & immediate causa.

101 Quod deinde additur: *notioribus, & causis conclusionis*, patet ex jam dictis; si enim assensus conclusionis refunditur in assensum præmissarum, magis debet esse nota veritas præmissarum. Notandum autem, quòd notius duobus modis dicitur, altero in se; altero quoad nos: docet autem Philosophus in exord. 1. Physic. & in 3. de Anim. quòd quæ sunt ratione naturæ, sive quoad se, sunt

minùs

minùs nota nobis, eo quòd nostra cognitio á sensu incipit, & de impertecto vadit ad perfectum: non itaque intelligitur ly *notioribus* quoad nos, sic enim notior est effectus, quàm causa, sed simplicitér, & quoad se. Quod tandem dicitur *causis conclusionis*, patet item; si enim scire, quod per demonstrationem caulatur, est notitia per causam, patet, quòd demonstratio debet causam assumere passionis demonstratæ, sive illius, quod scitur.

102 Notandum autem, aliquos sic accipere ly *causis conclusionis*, quòd intelligatur de causa in inferendo: pessimè id quidem, & omninò contra rationem demonstrationis; si enim nullus est syllogismus, qui non habeat, quod est de quidditate syllogismi, nullus est, qui non assumat causam in inferendo; quidditas nempè syllogismi est, quòd conclusio de necessitate inferatur ex præmissis, & ideo in ejus definitione ponitur, quòd necesse est aliud sequi per ea, quę posita sunt, & concessa: sicut ergo scientia est notitia per causam, per quam res est, non per quam res infertur, infertur enim etiam causa ex effectu, ita demonstratio debet assumere ea, quæ sunt causæ conclusionis in essendo, causæ nempè, quare passio, quæ infertur, subjecto convenit, de quo infertur. Addit Philosophus in processu ad majorem demonstrationis explicationem conditiones, quæ requiruntur, ut quòd propositiones sint de omni, per se, & secundùm quod ipsum, & alia, quæ longum esset referre, satis ex dictis quidditas demonstrationis constat, amplius autem constabit ex dicendis articulo sequenti.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit Demonstratio?

103 PHilosophus in c. 10. 1. lib. Post. demonstrationem dividit in *quia*, & *propter quid*, quamvis non directe divisionem intendat, sed ostendere, quòd demonstratio *propter quid* est potissima demonstratio, & quæ propriè facit scire. Quamquam autem à cap. 20. ulteriùs dividat in universalem, & particularem; affirmativam, & negativam; ostensivam, & quæ ducit ad impossibile, communitèr tamen prima divisio accipitur. Displicét tamen communis ratio; quòd nempè alię sunt species syllogismi, non autem demonstrationis, nisi quatenùs est syllogismus. Hæc, inquam, ratio displicet: aliter enim species sunt syllogismi, & demonstrationis; universalis siquidem dicitur syllogismus, ut de cæteris mittam, cujus conclusio est propositio universalis; & particularis, cujus conclusio est propositio particularis; demonstratio verò non ita, sed ex comparatione passionis ad subjectum: v. g. si de figura probetur,

betur, quòd habet tres angulos, tùnc licèt conclusio sit propositio universalis, demonstratio erit particularis, quia passio probata non convenit subjecto universaliter, sed tantùm in aliqua specie, nempè triangulo: similitèr si id probetur de Isochele, erit particularis, quia non tantùm huic speciei, sed cuilibet triangulo convenit habere tres, & ista etiam habebit conclusionem, quæ est propositio universalis, nempè non de aliquo particulari, sed de omni Isochele concluditur habere tres.

Quamvis itaque cæ sint species demonstrationis, congruè tamen divisio ad illa duo revocatur; quia demonstratio particularis, negativa, & ad impossibile, per se, & ut tales sunt, non ostendunt *propter quid*, sed tantùm *quia*, reduci enim habent particularis ad universalem, negativa ad affirmativam, & ad ostensivam illa, quæ ducit ad impossibile; si enim de Isochele demonstratur, quòd habet tres, eo quòd est triangulus, patet, quòd hæc reducitur ad illam, qua demonstratur, quòd triangulo convenit habere tres; similiter, sive aliquo probatur non esse tale, hæc probatio habet reduci ad illam, qua ostenditur tale esse; eo enim, quòd est, habet, quòd non sit illud; paritèr, quòd impossibile est ita esse, reducitur ad hoc, quod necesse est ita: quæ autem in aliam reducitur, neque quietat, neque perfectè facit scire; quare non ostendit *propter quid*, sed tantùm *quia*, habito enim propter quid est, quiescit intellectus circa rem: quia ergo demonstratio *propter quid* est de necessitate ostensiva, universalis, & affirmativa, & quæ non est talis, est demonstratio *quia*, congruè ad hæc duo reducitur divisio.

104 Itaq; demõstrationem *quia* aliqui dicunt, quæ est à posteriori, & causam ex effectu demonstrat; *propter quid* autem illam, quæ est á priori, & per causam; & ratio esse potest, quia quæ causam assumit, ostendit, quare, seu propter quid passio inest subjecto. Sed hæc ratio apertè fallit, & illa assignatio est contra expressam Philosophi mentem, qui cit. cap. 10. varios assignat modos demonstrationis *quia*: primus est, quia assumit causam, sed non immediatam: secundus, quia assumit immediatũ principium, sed non causam: tertius, quia neque causam, neque immediatum principium assumit; & ut de cæteris mittamus, exemplum possumus ex ipso Philosopho desumere, qui cap. 8. adducit demonstrationem Brisonis de quadratura circuli, quæ talis erat: Accipiebat circulum inter duos quadadros majorem, & minorem, & sic arguebat: *Ubi est dare majorem, & minorem, est dare æquale; sed est dare quadraturam majorem, & minorem circulo: ergo est dare æqualem.*

En

En syllogismum à priori, & per causam, arguit enim ab universali ad particulare; item ex primis veris, & per se notis, major enim est principium in Mathematica; & minor patet ad sensum in subjecta figura; & tamen ait Philosophus, quòd ille syllogismus neque facit scire, neque est demonstratio *propter quid*, sed *quia*: non ergo est demonstratio *propter quid*, quæ assumit causam, neque *quia* eo præcisè, quia est à posteriori.

Ratio hujus est, quia demonstratio facit scire; scire autem non patitur ignorantiam illius, quod scitur; jam autem cuique patet, quòd ille syllogismus non facit scire, illo enim instructus nullus quadrabit circulum, & eo habito, ignorata relinquitur circuli quadratura: tantùm ergo ostendit ille syllogismus, quia est quadrare circulum, non autem ostendit propter quid, aut facit scire circuli quadraturam. Deficit itaque syllogismus ille à ratione demonstrationis *propter quid*, eo quòd causam assumit communem, & valdè remotam, nempè ex communi ratione quantitatis, aut figuræ, deberet autem propriam assumere, & immediatam, ex propria nempè ratione circuli, ut ostenderet *propter quid*

105 Ex his jam relinquitur, quòd demonstratio *propter quid* ea est, quæ assumit causam per se, & immediatam hujus, in quantum tale est; & hæc proinde erit universalis affirmativa, & ostensiva; si enim deducit, quòd passio convenit subjecto per causam immediatam, & in quantum tale est, patet, quòd affirmativè ostendit passionem de subjecto universalitèr, hoc enim idem est, ac in quantum tale; erit autem demonstratio *quia* illa, cui aliquid ex his deficit, aut quia non assumit causam, aut quia non assumit immediatam, sive per se, & in quantum tale. Ratio ex jam dictis colligitur: Demonstratio *propter quid* illa est, quæ facit scire; at scire tantùm facit, quæ causam assumit modo dicto: ergo. Minor ostenditur: Scire enim est notitiam habere perfectam, & quæ intellectum quietat; quævis autem alia præter illam, quæ tali syllogismo causatur, imperfecta est, & reduci habet, & proinde non quietat; quæ enim causam non assumit, ad illam reducitur, quæ assumit causam; similitèr, quæ assumit causam communem, ad causam specialem, & immediatam, & ita de reliquis.

106 Dubitatur itaque in præsenti: An hæc divisio sit generis in species, an analogi in analogata? Prima sententia docet, univocam esse, & generis in species, Hanc ait Mastrius hîc q. 1. communem esse; pró ea citat, præter Scotum, & Scotistas, Aver. Joan. de S. Thom. Blanch. Rub. Didac. à Jesu Amic. Secunda sententia docet esse analogam, & solam demonstrationem *propter quid* esse pro-

priè demonstrationem. Pro hac citat ex Antiquis Avic. Themist. Alex. Simpl. & ex Modernis Mas. Soto, Complut. Conimb. & alios. Hæc proculdubio est B. D. & satis aperte ex Philosopho colligitur. Pro ea præ oculis habendum est, quod suprà ex Philosopho notavimus, quòd nempè demonstratio est syllogismus faciens scire; item quòd scire in proposito accipitur propriissimè, ut distinguitur non solùm contra opinionem, sed etiam contra sapientiam, & quamlibet aliam notitiam certam.

107 Dicendum itaque, quòd divisio est analoga, & sola demonstratio *propter quid* est propriè, & simpliciter demonstratio. Prob. primò: Ea solùm demonstratio propriè, & simpliciter talis est, quæ facit scire, prout scire accipitur proprié non solùm contra opinari, sed etiam contra quamlibet cognitionem certam; sed ita scire tantùm facit demonstratio *propter quid*: ergo. De majori non ambigitur; tùm, quia Philosophus ipse ait, quòd demonstratio est syllogismus faciens scire; quare sicut facit scire, sic est demonstratio; tùm deinde, quia sicut non quælibet cognitio certa est scientia proprie dicta, sed ea tantùm, quæ tali speciali modo certa est, ita non quilibet syllogismus de necessitate concludens est demonstratio. Min. ostenditur: Tale scire solùm causat syllogismos, quia sumit causam, per quam res est, & ostendit, quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere; sed talis est demonstratio *propter quid*, non autem *quia*: ergo. Maj. est definitio ipsius scire; min. autem ex priùs dictis patet; demonstratio enim *quia* aut non assumit causam, aut non immediatam.

Confirmatur: Sapientia quamvis sit notitia certa, differt tamen à scientia; sed sapientia aggeneratur per syllogismum, qui fit per remotam, & primam causam: ergo talis non habet generare scientiam; sed talis est demonstratio *quia*: ergo hæc non generat scientiam, & sic non est proprie demonstratio. Hæc subsumpta eo patet, quia non alio syllogismus Brisonis est demonstratio *quia*, & non generat scientiam, nisi quia assumit causam remotam, & mediatam. Secundo: Si demonstratio *quia* univoce demonstratio est cum demonstratione *propter quid*, non differt scientia a sapientia; sed hoc est falsum: ergo. Ostenditur maj. Syllogismus, quo aggeneratur sapientia, est demonstratio *quia*, assumit nempè primam, & remotam causam; sed si demonstratio *quia* univocè est demonstratio, aquè proprie generat scire, ac demonstratio *propter quid*: non ergo illa notitia erit sapientia, sed scientia.

108 Prob. secundò: Ille tantùm syllogismus est propriè, & simpliciter demonstratio, qui generat notitiam ita certam, quòd

cum

cum ea non compatitur ignorantia rei demonstratæ; sed syllogismus *quia* talem generat notitiam, cum qua componitur ignorantia rei probatæ: ergo. Patet maj. quia scientia, & ignorantia privativè opponuntur, & consequentèr se excludunt. Patet item min. quia syllogismus Brisonis de quadratura circuli est demonstratio *quia*; eo tamen habito, ignoratur penitùs quadratura circuli.

109 Prob. tertiò ex Philosopho cap. 2. lib. 1. Post. ubi postquam dedit definitionem scire, subjungit, quòd demonstratio est syllogismus, qui ea assumit, quibus causatur scire, & addit: *Syllogismus quidem erit sine his, demonstratio verò non erit, non enim faciet scire*; sed demonstratio *quia* est sine his: erit ergo syllogismus de necessitate concludens, & generans notitiam certam, non verò erit demonstratio propriè, & simpliciter, nec faciet scire. Min. patet legenti textum; ea enim, quæ assignantur, sunt, quòd procedat ex propriis, & immediatis, quod solùm habet demonstratio *propter quid*.

110 Prob. quartò ex eodem Philosopho, qui in eodem lib. cap. 10. adducit demonstrationem, qua ostenditur, quòd Planetæ sunt prope, eo quòd non scintillant; & ait, hanc esse demonstrationem *quia*, & quæ non facit scire; docet deinde, quòd, ut faciat scire, reducenda est ad demonstrationem *propter quid*, nempè hoc, quod ea non scintillare, non est causa, sed effectus hujus, quod est esse prope; quare demonstratio, quæ ostendit esse prope ex non scintillare, reducenda est ad illam, quæ ostendit non scintillare ex esse prope. Ex quo sic: Demonstratio, quæ ad aliam reducitur, ut habeat rationem, & effectum demonstrationis, nempè facere scire, improprié, & secundùm quid est demonstratio; sed demonstratio *quia*, ut faciat scire, reducitur ad demonstrationem *propter quid*: ergo. Min. habetur expressè in textu Philosophi, & illam ex instituto multis ibi ostendit. Maj. de se satis patet; non enim reducitur nisi imperfectum ad perfectum, & species ejusdem generis non reducuntur ad se invicem. Multa aliæ possent ex Philosopho adduci, sed legenti textum patet, quòd hoc ipse intendit, & latè ostendit, quòd sola demonstratio *propter quid* facit scire.

111 Arguit primò Mastrius ex Philosopho, qui in hoc 1. Poster. text. 30. loquitur de demonstratione *quia* ut distincta à demonstratione *propter quid*; & text. 17. & 18. ait, utramque debere procedere ex necessariis; & text. 42. atque item in 2. text. 25. duas assignat scientias, *quia*, & *propter quid*: ergo demonstratio *quia* vera demonstratio est, & generat scientiam. Rursus: 1. Metaph.

cap. 1. docet, quòd ex effectuum cognitione cœperunt homines philosophari; & 1. Physic. text. 2. ait, hunc modum esse nobis connaturalem: ergo demonstratio *quia*, quæ procedit ab effectu, fuit origo scientiæ *propter quid*, & sic propriè est demonstratio.

112 Resp. quòd ista ne leviter quidem intentum ostendunt; & nisi quis velit protervire, legendo textum patet apertissimè mens Philosophi; est enim scopus ejus ostendere, quòd sola demonstratio *propter quid* facit scire propriè, & quòd demonstratio *quia* ad illam reducenda est, ut faciat scire, ut patet de syllogismo Brisonis, de illo, quo probatur, quòd Planetæ sunt prope, & multis aliis. Itaque distinctæ sunt demonstratio *quia*, & *propter quid*, nam alia propriè, alia impropriè demonstratio est; alia per causam propriam, & immediatam procedit; alia verò aut non per causam, aut non per propriam, & immediatam; sed paritèr homo verus, & pictus distinguuntur, nullus tamen inde argueret, quòd homo pictus propriè homo est. Rursus: Ex necessariis procedit demonstratio *quia*, sed sicut non quælibet cognitio certa est scientifica, ita non quilibet syllogismus necessarius est demonstratio, sed qui talia necessaria assumit, nempè causam per se, & immediatam. Præterea: Sicut demonstratio *quia* communi nomine demonstratio dicitur, cum quo stat, quòd improprié tantùm demonstratio sit, ita quia communi nomine scientia dicatur *quia*, & *propter quid*, non debet argui, quòd æquè propriè scientiæ sint, sicut ex quo homo pictus communi nomine dicatur homo, non arguitur, quòd propriè homo sit.

Alterum ampliùs probat, quàm intendit arguens; probat enim, quòd demonstratio *quia* magis propriè demonstratio est; tùm, quia origo, & causa demonstrationis, & scientiæ *propter quid*; tùm, quia connaturalior nobis. Præterea: Non ea solùm, quæ ex effectu procedit, est demonstratio *quia*; assumptum autem de ea tantùm procedit, quæ est ab effectu. Itaque ex effectuum cognitione cœperunt homines philosophari, ut videntes eclipsim cœperunt quærere causam ejus; non tamen hoc est ex demonstratione *quia*, sive ex effectu procedere ad demonstrationem *propter quid*, sive ex causa; non enim illa prior cognitio erat causæ ex effectu, imò erat cognitio effectûs ignorata causa: cœperunt ergo ex cognitione effectûs confusa, & imperfecta, & inde processerunt ad cognitionem scientificam ejusdem effectûs habitâ causâ ejus. Ad alterum utiquè verum est, quòd effectus est notior nobis, & ideo processus ab effectu ad causam nobis connaturalior, sed demonstratio ex notioribus procedit simpliciter, &

quo-

quoad se: quia ergo noster intellectus de imperfecto vadit ad perfectum, illa cognitio, quæ nobis est connaturalior, minùs est perfecta, ex qua proinde ad scientificam, & perfectam processus fiat; quare talis est à causa ad effectum.

113. Arg. secundò á ratione: Notitia generata per demonstrationem *quia* est certa, evidens, & necessaria, quare essentialiter distincta ab opinione: ergo erit scientifica, & consequenter demonstratio *quia* erit propriè demonstratio. Patet conseq. quia non apparet, ad quam speciem habitûs pertineat illa notitia præter scientiam. Resp. neg. conseq. non enim scientia, & opinio adæquatè dividunt notitiam, sive habitum, ut quæ non sit opinio, continuò scientia esse debeat. Ad rationem ejus dicitur, quòd illa notitia poterit esse sapientia, si demonstratio *quia* assumat causam remotissimam, & primam; aut poterit esse scientia, non quidem propriè, & univocè cum illa, quam causat demonstratio *propter quid*, sed impropriè, & reductive ex quadam analogia, nempè quia habet certitudinem, à qua tamen deficit, eo quòd alias conditiones non habet, quæ sunt de ratione scientiæ propriè talis.

114. Arguitur tertiò: Magis differunt demonstratio *quia*, & *propter quid*, quàm duæ demonstrationes *propter quid*; sed istæ etiam in eâdem scientia differunt specie: ergo magis demonstratio *quia* à demonstratione *propter quid*. Resp. conc. totum, quid enim inde ad intentum possit deduci, penitùs non apparet. Itaque magis differunt, quæ minùs conveniunt; & quia duæ demonstrationes *propter quid* sunt species ejusdem generis, *quia* verò, & *propter quid* tantùm analogicè conveniunt, magis istæ, quam illę differunt. Hoc idem intêdit ratio, quam addit Rubio, quòd nempè demonstratio *quia* diversam habet quidditatem à demonstratione *propter quid*, quod libentèr concedimus, nihil tamen inde ad propositum; cum hoc enim stat, quòd una perfectè, alia imperfectè habet rationem demonstrationis; quare magis debuit probari, quòd eamdem quidditatem habent in ratione demonstrationis, quàm quòd diversam.

ARTICULUS IV.

An Circulus in Demonstratione sit semper vitiosus?

115. NUlla est de præsenti articulo controversia, & feré nulla difficultas; facit autem rationem dubitandi, quòd cùm Philosophus statuat, discursum scientificum ex præexistenti cognitione fieri, ne sequatur processus in infinitum, deveniendum, ait, ad per se nota, si enim notitia

tia demonstrativa ex præcedente fit cognitione principiorum, aut ista fit ex alia, & illa ex alia, & sic in infinitum; aut est devenire ad notitiam, quæ non ex alia fiat, sed talis sit, quæ ex sola manifestatione terminorum generetur, & talis est cognitio principiorum, quæ proinde dicuntur veritates demonstrabiles, & quibus non per causam suæ veritatis, sed immediatè se ipsis assentitur. Contra hoc reponebant Antiqui, quòd ista possent demonstrari per conclusiones ipsas quodam circulo, ut si de homine probatur, quòd est admirativus de visis, ex eo quòd cognoscitivus est potentialiter, & potens aliquid ignorare; paritèr é converso, ex eo quòd est admirativus de visis, poterit demonstrari, quòd est potentialitèr cognoscitivus. Hunc regressum, sive circulum in demonstrando vitiosum dicit Philosophus; & ratio est, quia demonstratio est ex notioribus, & prioribus; si autem contingit se mutuò demonstrari, sequitur, quòd sint ad se mutuò priora, & notiora, quod est inconveniens.

Sed ex alia parte idem Philosophus lib. 1. Post. cap. 10. & deinceps docet reducere demonstrationem *quia* ad *propter quid*, & est exemplum ejus demonstratio ista: *Stellæ, quæ non scintillant, sunt prope; sed Planetæ non scintillant: ergo sunt prope.* Hanc demonstrationem dicit tantùm ostendere *quia*; quare, ut faciat scire, & ostendat *propter quid*, sic reducenda est: *Quæcumque sunt prope, non scintillant; sed Planetæ sunt prope: ergo non scintillant.* En Philosophus ipse circulum adstruit, & alterum ex altero vicissim demonstrat.

116 Notandum autem, quòd circulus duobus modis poterit intendi, aut æquè proprie, & utrobique *propter quid*, & ille circulus rejicitur; aut ita quòd imperfectum reducatur ad perfectum, & iste non est vitiosus; imò vitium, quod erat in demonstratione *quia*, corrigitur per circulum, nempè reducendo ad *propter quid*. Itaque demonstratio habet fieri ex prioribus, & notioribus; notius autem, & prius duobus modis esse poterit; aut secundùm se, sive naturæ, & hoc est notius, & prius simplicitér; aut quoad nos, & hoc est secundùm *quid*: quia ergo impossibile est, quod ad se invicem sint priora, & notiora quoad se, & simpliciter, impossibilis est circulus demonstratione potissima, & æquè *propter quid*; quia tamen non inconvenit, quòd prius, & magis notum simpliciter, & quoad se sit quoad nos minùs notum, & posterius, circulus à demonstratione *quia*, & ex notioribus, & prioribus quoad nos ad demõstrationem *propter quid*, & ad notiora, & priora simpliciter, nullum habet defectum.

117 Hic tamen est una difficul-

sultas, quam tangit B.D. cit. cap. 10. contingit nempè, quòd per causam immediatam fiat mutua demonstratio: v. g. deambulatio causa est bonæ valetudinis, quare hæc ex deambulatione poterit demonstrari à priori, & per causam; at vicissim bona valetudo causa est deambulationis in genere effectivo: poterit ergo vicissim etiam à priori, & per causam deambulatio demonstrari ex bona valetudine; quare erit circulus in demonstratione *propter quid*, & per causam immediatam. Pro hujus solutione notat B. D. quòd causæ se habent per ordinem, ut finis determinat efficientem, efficiens determinat formam, & forma determinat materiam; quare magis est causa finis, quàm reliquæ, & eo dicitur causa causarum, magis tamen determinat, & immediatiùs forma; quare magis est causa per se hujus.

Notandum deinde, quòd demonstratio *propter quid* non solùm requirit causam immediatam, sed etiam per se hujus, in quantum tale est. Nùnc itaque ex quolibet genere causæ poterit fieri demonstratio à priori per causam immediatam; quia tamé non quælibet æque per se determinat, & causa est, non quælibet æqué erit *propter quid*; quare quæ sunt ex quovis alio genere causæ, reduci habent ad illam, quæ est ex causa formali: quia ergo mutua causalitas non poterit esse in eodem genere causæ, alterum ad alterum se habebunt per ordinem, & alterum erit magis per se causa; quare circulus non erit æque *propter quid*, sed reducetur una demonstratio in aliam, aut utraque in tertiam.

ARTICULUS V.

Quodnam sit medium in Demonstratione potissima?

§. I.

Relatis sententiis, nostra probatur.

118 PHilosophus 2. Poster. cap. 9. determinat, quòd medium in demonstratione potissima, seu *propter quid* debet esse definitio; & quamvis sufficienter indicet, quòd definitio passionis, dubitatur nihilominùs: An definitio subjecti, an potiùs definitio passionis debeat esse medium? Inter Antiquos quidem gravis fuit hæc controversia, quam tamen ex Modernis vix summis, ut ajunt, labris unus, aut alter attingit. Duæ extremæ sententiæ, duæ item mediæ: prima sententia docet, medium in potissima demonstratione esse definitionem passionis, nullo modo autem definitionem subjecti. Ita B. D. in 2. Poster. cap. 10. dub. 2. cujus sententiam unus, quem viderim, de Nostris propugnat quidam

Augustinus de Biell. cujus quæstionem de hoc ipso late, & pulchrè elaboratam penes me habeo, citat pro eadem sententia Nicolaum quemdam Verniatem Teatinum, & pro eâdem citat item Rub. Albert. & Themist.

Secunda sententia docet per oppositum, medium in tali demonstratione esse definitionem subjecti, nullo autem modo esse posse definitionem passionis. Pro hac cit. S. Thomas lect. 1. pro eâdem citat Mastrius Socot. & Scotistas, estque valdè communis. Inter hæc extrema duplex est medium; alterum tenet Cajetanus apud Rubio, qui docet, nec solam definitionem passionis, nec solam subjecti medium esse sufficiens in potissima demonstratione, sed ex utrâque debere constare, nempè ex definitione passionis, quæ tamen includat *quid*, seu definitionem subjecti; quippè solùm hoc modo poterit includere *quid*, & propter *quid* ipsius passionis. Alterum medium ponit Toletus q. unic. ad hoc cap. distinguens de passione; nam aliquæ passiones ita conveniunt subjecto per se, ut non habeant causam extrinsecam, ut esse risibile convenit homini per quidditatem suam; aliæ sunt passiones, quæ causam extrinsecam habent, ut eclipsis Lunæ causam habet terræ interpositionem: prioris generis passiones per definitionem subjecti, posteriores verò per definitionem passionis, docet, demonstrari.

119 Nobis cum B. D. dicendum, quòd medium in potissima demonstratione esse nequit definitio subjecti, sed est de necessitate definitio passionis. Hanc loco citat. duplici viâ probat B. D. ostensiva, & ad impossibile; multas item rationes pro ea adducit citatus Biell. ex quibus unam, aut alteram proponemus: & quidem non possum non mirari, quòd cùm ferè sit singularis sententia B. D. & eam ipse satis probet efficacitèr, neque de Nostris *aliquis* hanc attingat controversiam, ut sententiam ejus à communi calumnia vindicet, nec ex aliis, cùm omnes illum pro hac sententia citent, aliquis rationes ejus sibi objiciat. Pro intelligentia itaque tùm conclusionis, tùm rationis ejus aliqua oportet præmittere.

In primis quidem falli Doctores contrariæ sententiæ, dùm putant, sententiam esse B. Doctoris, quòd medium in demonstratione potissima est *definitio* passionis ipsius, quæ demonstratur; quippè expressè asserit ipse, quòd definitio hujus, non minùs, quàm subjecti, & propter eamdem rationem esse nequit medium; intendit itaque, quòd prima passio est indemonstrabilis, & per hanc aliæ demonstrantur, quæ ratione illius conveniunt; dicitur autem ad præsens passio, quod de subjecto concluditur, licèt propriè pas-

sio

sio non sit, ut eclipsis passio est, quæ demonstratur de Luna, & interpositio terræ passio, per quam demonstratur; similiter, ut Philosophus habet cap. 10. non scintillare passio est, quæ demonstratur de Planetis, & esse propè est passio, per quam demonstratur: quia ergo loco rei accipitur ejus definitio, medium in demonstratione est aut passio, per quam convenit subjecto illa, quæ demonstranda est; aut definitio illius, per quam demonstratur.

120 Deinde notandum (quo patet, tùm quod suprà ex B. D. dicebatur, quòd prima passio est indemonstrabilis; tùm sensus conclusionis, & fundamentum ejus) quòd propositio immediata est indemonstrabilis, seu quod idem est, per se nota, & cui in se ipsa assentitur intellectus: dicitur enim propositio immediata, cujus prædicatum immediatè per se ipsum subjecto convenit; quia namque demonstratio est per causam, quare passio convenit subjecto, si convenit immediatè, non est illam per causam probare, sed propositioni, quæ talem affirmat de subjecto, sola manifestatione terminorum assentitur intellectus; ostenso enim, quòd hoc est hoc, & hoc est hoc, patet, quòd hoc illi convenit per se, & immediatè. Tùnc itaque, si prima passio, eo quòd prima est, subjecto convenit immediatè per quidditatem suam, fluit enim ex ipsa quidditate, non mediâ aliâ passione, alioqui non esset prima, ea cum subjecto facit propositionem immediatam, & subinde demonstrabilem, & ex hoc relinquitur sensus conclusionis, & ratio ejus; si enim per definitionem subjecti convenit passio, ea convenit subjecto immediatè per quidditatem suam; definitio enim est ipsa quidditas definiti: non ergo demonstratur.

121 Prob. itaque conclusio, primò ratione B. D. quæ sic formari potest: Medium in demonstratione potissima est ratio, & causa, quare passio demonstratæ convenit subjecto; sed talis ratio esse nequit definitio subjecti, sed est de necessitate passio alia, aut definitio ejus: ergo medium in demonstratione potissima non est definitio subjecti, sed passionis. Patet maj. potissima enim demonstratio est propter *quid*, & per causam. Min. ostenditur: Si ratio, quare passio convenit subjecto, est definitio subjecti, talis passio subjecto convenit immediatè per quidditatem suam; sed tùnc non demonstratur, sed syllogismo identico concluditur: ergo si demonstratur, non per definitionem subjecti, sed per passionem aliam concluditur, aut per definitionem ejus. Patet maj. quia definitio subjecti est ipsa ejus quidditas, quare quòd sibi convenit per definitionem suam, convenit immediatè per suam quidditatem. Patet item minor: quod

enim non per causam, sed per quidditatem suam ostenditur subjecto convenire, non demonstratur, sed per idem subjectum ostenditur.

122 Prob. secundò alterâ ratione B. D. quæ ducit ad inconveniens: Si definitio subjecti est medium in demonstratione potissima, aut definitio quid nominis, aut definitio quid rei; sed utrumq; est inconveniens: ergo. Min. ostenditur, quantum ad primum quidem, quia definitio quid nominis est id, quod per nomen significatur, nempe referre nomen in suum significatum; sed si ex tali definitione convenit subjecto passio demonstrata, sequitur inconveniens: ergo. Prob. min. Inconveniens est, quòd conclusio demonstrationis sit per se nota, etiam idiotis; sed si passio subjecto convenit ex hoc, quòd nomen refertur in suum significatum, facit cum eo propositionem per se notam, etiam idiotis: ergo. Patet maj. quia conclusio demonstrationis debet esse quæstio, alioqui demonstratio non facit scire. Patet item min. quia quod significatur per nomen, & vocem referre in suum significatum, omnes sciunt, etiam idiotæ. Quantum ad secundum ostenditur eadem min. principalis, quòd nempè, si medium est definitio quid rei, sequitur inconveniens: sequitur enim, quòd quid rei ipsius subjecti debeat esse per se notum, & præcognitum ad demonstrationem. Patet sequela, medium enim debet præcognosci, & est de per se notis. Ostenditur inconveniens: Quia scientia eo demonstrat passiones de subjecto suo, ut assequatur quidditatem ejus, hoc enim est scientiæ finis: si ergo præcognosci debet quidditas ad demonstrationem passionis, præsupponitur habitus finis ad medium, quod pro illius assecutione assumitur.

Confirmatur hæc ratio: Superfluus est, inutilis, & omninò nugatorius processus scientificus, si medium in demonstratione potissima est definitio quid rei ipsius subjecti; sed est manifestè inconveniens, quòd talis processus sit inutilis: ergo. De minori non ambigitur, quare prob. sequela maj. Qui habet perfectam notitiam de quidditate subjecti, superfluè, & inutiliter de eo quærit; sed si medium in demonstratione potissima est definitio quid rei ipsius subjecti, demonstrans ita procedit, quòd prahabens notitiam quidditatis de ea quærit sibi demonstrationem fieri: ergo. Patet maj. non enim notitia quidditatis ad notitiam passionum ordinatur, sed è contra. Patet item min. quia medium est de præcognitis, & demonstrans hoc quærit, sibi demonstrativè ostendit passionem, quæ concluditur. Confirmatur secundò: Nam connaturalis ordo cognitionis nostræ non

à

à quidditate ad passiones, & à causa ad effectum, sed è converso procedit à posteriori ad prius: ergo impossibile est præcognoscere quid rei, & tamen ignorare passionem, & demonstrationem ejus intendere: non ergo quid rei poterit esse de per se notis, & medium ad demonstrationem passionis.

123 Prob. tertiò ex citato Biell. Si medium in demonstratione esset definitio subjecti, medium non differret ab altero ex extremis; sed hoc apertè implicat: ergo. Patet maj. quia definitio subjecti est ipsa ejus quidditas, & sic ab eo non differt. Patet item min. tùm quia tùnc medium non esset medium, sed ipsum extremum; tùm, quia syllogismus non haberet tres terminos. Prob. quartò ex eodem: Quod non habet immediatum ordinem ad passionem demonstratam, non est medium in demonstratione potissima; sed definitio subjecti non habet immediatum ordinem ad passionem demonstratam: ergo. Patet maj. quia medium est immediata causa passionis demonstratæ. Min. ostenditur: Quia definitio subjecti habet immediatum ordinem ad passionem immediatam ipsi quidditati; sed hæc non demonstratur: ergo non habet immediatum ordinem ad passionem demonstratam. Patet min. quia passio immediata facit propositionem immediatam, & consequenter indemonstrabilem.

124 Prob. quintò ex eodem: Notius debet esse secundùm se, & ex natura rei passionem inesse medio, vel per medium inesse subjecto, quam sit notum inesse ipsi subjecto; sed non est notius secundùm se, & ex natura rei passionem inesse definitioni subjecti, vel per talem definitionem inesse subjecto, quàm sit notum inesse ipsi subjecto: ergo medium non est talis definitio. Patet maj. notius enim debet esse id, ex quo concluditur, quàm id, quod concluditur. Patet item min. si enim definitio ipsa est quidditas definiti, secundùm se, & ex natura rei non poterit magis notum esse, quod uni inest, quàm alteri. Alias habet rationes citatus D. quas tamen mitto, quia ex his sufficienter patet conclusio.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

125 ARguit primò Rub. ex Phil. 1. de An. text. 11. ubi ait: *Omnis enim demonstrationis principium est ipsum quod quid est*: ergo medium in demonstratione potissima est definitio subjecti. Probatur conseq. Medium demonstrationis est principium demonstrationis; sed principium demonstrationis est juxta Philosophum definitio subjecti: ergo. Patet min. quia definitio est ip-

ipsum quod quid est. Resp. neg. conseq. & ad prob. ejus neg. maj. est enim principium demonstrationis quidquid est præcognitum, & ex quo habet demonstratio fieri; non solùm autem medium, sed subjectum ipsum est præcognitum. Itaque Philosophus ibi text. 10. dubium proponit: An priùs agendum sit de principio, ut de intellectivo, an de operatione, ut de intelligere? Deinde text. 11. rationem dubitandi proponit, & ait, quòd non solùm cognoscere *quid est* confert ad perspicienda accidentia, quę substantiis insunt, quia ipsum *quid est* est demonstrationis principium, sed etiam ê converso etiam accidentia multùm juvant ad perspiciendum ipsum *quid*: patet ergo, quòd dubitativè, & in utramque partem ibi loquitur; & insuper, quòd sensus est ipsum *quid* esse demõstrationis principium, quatenùs demonstratio procedit à subjecto ad passiones; hoc enim intendit: An de subjecto, an de operationibus agendum sit priùs; procedere autem à subjecto ad passiones non arguit, ipsum subjectum, aut definitionem ejus esse medium.

N. B. D. loco sup. cit. hunc textum contra se objicit, & ait, argumenta in contrarium objecta in sequẽtibus dubitationibus solvenda: dubio ultimo super illum textum quærit: An dato, quòd definitio subjecti non sit medium, possit saltim demonstrationem ingredi? Resp. autem, quòd definitio subjecti, vel aliquid loco ejus potest definitionem ingredi, non ut medium, sed ut aliquid determinans medium; & ex hoc solvit difficultatem, quæ ex illo textu oritur, nempè quòd *quid est* est principium demonstrationis eo sensu, quo demonstrationem ingreditur. Assumptum autem de facili ostenditur: Quòd enim definitio subjecti non possit ingredi in medium, latè probaverat dub. 2. & sufficientér patet ex jam dictis; quòd autem debeat ingredi ut determinans medium, sic patet: Non enim concluditur, quòd altera extremitas, quæ est passio probanda, convenit subjecto, nisi quatenùs ipsæ extremitates, tàm nempè subjectum, quàm passio, in præmissis conjungebantur cum medio: debet ergo subjectum, aut *quod quid est* ejus in altera præmissa determinare medium; & hoc sensu *quod quid est* est principium demonstrationis.

126 Arguit secundò idem: Demonstratio potissima est ex indeterminabilibus; sed talis est solùm, quæ assumit pro medio definitionem subjecti, non autem quæ assumit definitionem passionis: ergo. Prob. min. Definitio passionis non convenit subjecto immediatè, & essentialitèr: ergo non facit cum eo propositionem indemonstrabilem, sed quæ poterit demonstrari per ipsum quid subjecti. Resp. ex jam dictis neg. min.

&

& ad prob. ejus dicitur, quòd definitio passionis, quæ demonstratur, neque est medium, neque facit propositionem immediatam; benè autem definitio alterius passionis primæ, & immediatæ. Dicitur deinde, quòd non est idem convenire immediatè, & convenire essentialitèr; prima enim passio non essentialitèr convenit, & tamen immediatè ipsi quidditati convenit, alioqui non esset prima. Dicitur insuper, quòd quid subjecti ipsum est subjectum; quare quod convenit, & probatur per quid subjecti, per se ipsum immediatè convenit, & probatur; quare non demonstratione, quæ est per causam, sed syllogismo identico.

127 Arguit tertiò idem: Medium in demonstratione potissima est, in quod resolvitur processus demonstrativus; sed hujusmodi est definitio subjecti, non verò passionis: ergo. Major nota est, & minorem ostendit ex Philosopho lib. 1. Post. cap. 20. ubi docet habere angulos externos æquales quatuor rectis inesse Isocheli, eo quòd figura est, & hanc esse ultimam causam; at figura est subjectum: ergo in ipsum quid subjecti ultimò resolvitur demonstratio. Resp. quòd Philosophus in eo cap. intendit, quòd universalis demonstratio potior est particulari, eo quòd magis facit scire, nempè universalis passionem ostendit de subjecto universaliter, & in eo quòd tale est; ut de triangulo habere tres, quòd si convenit in eo, quod est triangulus; particularis verò passionem ostendit de subjecto, non universaliter, sed in aliqua specie, ut de triangulo habere tres æquales, quod sibi cõvenit non in eo, quod est triangulus, sed particularitèr in eo, quòd talis est, nempè æquilaterus, sive Isocheles: hoc nihil ad propositum refert, non enim de demonstratione, ut communitèr se habet ad universalem, & particularem, quærimus, sed de potissima, quæ universalis est, & *propter quid.*

Deinde, hoc probans, quòd universalis demonstratio potior est, inter alias hanc adducit rationem, quòd magis assumit causam universalis, quàm particularis; quo supponit aliam esse causam, & subinde medium in universali, & in particulari; patet autem, quòd quidditas, & definitio trianguli eadem est, sive de eo demonstretur, quod habet tres, quæ est demõstratio universalis; sive quod habet tres æquales, quæ est particularis. Insuper, aliam rationem adducit, quo hoc ipsum probet, quòd universalis magis assumit causam, ad quam assumit pro majori, quòd causas quærimus usque ad ultimam, & tùnc scire arbitramur, cùm non est ultra quærere; & exemplificat, quia percepto, quòd Isocheles tres habet angulos æquales, restat quærere *propter*

ter quid hujus passionis, & habito, quòd habet angulum extrinsecum, quæritur *propter quid* hujus; & habito, quòd paralellæ non concurrunt, non restat ultra quærere, quia hoc immediatè reducitur in ipsam quidditatem figuræ, nempè prima passio non in aliam reducitur, sed in ipsam quidditatem. Hoc est intentum, & sententia illius textûs, ex quo non deducitur, quòd ipsa quidditas subjecti sit medium, & causa passionis demonstratæ, sed quòd sit finis, in quo quiescit demonstrans, nempè causa refunditur in causam, usque ad primam passionem, quæ causam non habet, in quam reducatur, quæ proinde immediatè reducitur in quidditatem subjecti, cum quo facit propositionem immediatam.

Ad formam ergo neg. maj. id enim, in quod resolvitur processus demonstrativus, non medium est, sed finis, nempè resolvitur in causam passionis demonstratæ; hæc autem causa, quia facit propositionem immediatam, resolvitur in ipsam quidditatem, cui per se, & immediatè convenit, & quam intendit assequi demonstrans passiones ejus. Alitèr disting. maj. Id est medium, in quod resolvitur demonstratio demonstrativè, conc. maj. non demonstrativè, sive in quod absolutè, & ultimò resolvitur, neg. maj. Itaque habere tres æquales resolvitur demonstrativè in habere angulum extrinsecum, quia hoc demonstratur de qualibet figura per hoc, quòd paralellæ non concurrunt; hoc autem, quòd paralellæ non concurrunt, non reducitur in aliud demonstrativè, quia est propositio immediata, & cui ostensis terminis, nempè quid est lineas esse paralellas, & quid non concurrere, assentitur intellectus; quare hoc reducitur in quidditatem lineæ, cujus passio est, non demonstrativè, quia non per aliam passionem, sed immediate convenit.

128 Arguit quartò idem: Et si de Luna demonstretur eclipsis per interpositionem terræ, at hìc non sistit processus demonstrativus, sed ulteriùs terræ interpositionem demonstrat, ex quo Luna habet sic moveri; quod autem habet sic moveri, ex ipsa quidditate Lunæ demonstrat: ergo ipsa Lunæ quidditas est ultima causa, & sic medium in demonstratione. Ad hoc patet solutio ex præcedenti, neg. enim min. si namque sic moveri Lunæ convenit ex quidditate sua, & non ex alia passione habet ostendi, facit propositionem immediatam, siquidem immediate convenit; quare quòd nata est sic moveri, erit propositio indemonstrabilis: in primam ergo passionem, quæ immediatè convenit quidditati, omnes aliæ refunduntur, & ex hac demonstrantur; hæc autem, quia immediatè quidditati convenit, non demonstratur, sed

sed facit propositionem immediatam, & proinde indemonstrabilem.

129 Arguit quintò Mastrius: Quidquid aliud assumatur præter definitionem subjecti, non facit propositionem per se in primo, aut secundo modo perfectatis; sed hoc requiritur ad potissimam demonstrationem: ergo sola definitio subjecti potest esse medium. Majorem probat, quia, etsi effectus per se sequatur ad causam, causa tamen non per se convenit subjecto, ut patet de interpositione terræ, quæ est causa eclipsis in Luna, Lunæ tamen non convenit per se in primo, aut secundo modo. Minorem item probat, quia potissima demonstratio est, qua aggeneratur scire potissimum, ad quod requiritur necessitas, & certitudo; hæc autem non habetur, nisi extrema per se, & necessariò conveniant cum medio; aliter enim non possunt convenire inter se.

130 Resp. primò neg. maj. passiones enim in secundo modo perfectatis dicuntur de subjecto. Resp. secundò neg. min. non enim requiritur, quòd medium cum subjecto faciat propositionem per se in primo, aut secundo modo, sed tantum, quòd faciat propositionem certam, & immediatam, seu cui per se ipsam assentiatur intellectus; & patet in ipso exemplo, quod assumit; eclipsis enim potissima demonstratione Lunæ ostenditur convenire ex interpositione terræ; illa enim assumit *propter quid* eclipsis, & facit scire potissimè, & per causam; patet item ex ipso textu Philosophi suprà adducto, cùm enim ostendisset, quòd illa demonstratio, qua probatur, Planetas esse prope, ex quo non scintillant, esse *quia*, & non facere scire, docet, reducendam esse ad *propter quid*, & facientem scire potissimè, probando non scintillare ex eo, quod est esse prope; patet autem, quod esse prope non convenit Planetis in primo, aut secundo modo perfectatis: solùm ergo requiritur, quòd medium cum subjecto faciat propositionem per se in tertio, aut quarto modo perfectatis, sufficit enim, quòd non per accidens, nec per aliam passionem conveniat. Imò quod facit propositionem in primo modo perfectatis, nequit esse medium, est enim ipsa quidditas subjecti, aut pars ejus; quare non aliud est, & proinde neque medium inter subjectum, & passionem probatam; tùm enim ea convenit subjecto immediatè per quidditatem suam, si convenit per id, quod dicitur in primo modo perfectatis.

131 Arguit sextò idem: Quod est principium, & causa, quare cætera sint talia, est maximè tale; sed definitio subjecti est principium, & causa, quare cætera possint esse medium in demonstratione potissima: ergo. Maj. patet ex

communi principio, *propter quod unumquodque est tale, & illud magis.* Min. item patet, quia quo magis aliqua accedunt ad quidditatem subjecti, eo magis habent demonstrare. Confirmatur: Quia inter passiones tantùm est ordo effectuum ad unam causam, quatenùs omnes sunt passiones ejusdem naturæ, non autem una passio est causa alterius; sed medium in demonstratione potissima debet esse causa passionis demonstratæ: ergo tale medium non poterit esse aliqua passio, aut definitio ejus.

132 Resp. ad argumentum dist. maj. Quod est principium, & causa formalis, & totalis, est maximè tale, transeat maj. quod aut non est totalis causa, aut non formalis, neg. maj. & dist. min. Sed definitio subjecti est principium, & causa latè, & quodammodò, transeat min. formalitér, & ut tota causa, neg. min. Itaque illud principium multas debet habere restrictiones, alioquî falsum est; patet enim, quòd Sol calefaciens terram est tota causa efficiens, quare terra sit calida, non tamen proinde est maximè calidus; & ita posset in multis aliis patere. In proposito itaque quodammodò quidditas subjecti facit, quòd passio assumpta sit medium, sive quia determinat, ut dictum est ad primum, sive quia quo magis ad quidditatem accedit, magis est medium; debet autem aliunde habere, ut sit medium, quod sit aliud à quidditate subjecti, alioqui non medium erit, sed extremum, & passio, quæ per illud probatur, immediatè per quidditatem suam conveniet subjecto.

Ad confirmationem neg. maj. passio enim ad propositum dicitur, non præcisè quod est proprietas à natura fluens, imò talis est indemonstrabilis; si enim immediatè, & non per aliam passionem naturæ convenit, facit cum ea propositionem immediatam: passio ergo ad propositum dicitur quidquid subjecto convenit, & de eo dicitur, aut probatur, aliud à quidditate sua; inter talia autem patet, quod est ordo causalitatis, & unum convenit ratione alterius. Præterea: Proprietates etiam, quæ physice aliam causam non habent nisi subjecti quidditatem, metaphysicè, & quantum ad dici de subjecto possunt causam habere, & per eam demonstrari, ut admirativum physicè oritur ex quidditate hominis; dicitur autem medians hoc, quod est talem habere cognitionem, quòd viso effectu, ignorat causam; ex hoc enim tanquam ex causa sibi convenit admirari, & per hoc demonstratur.

133 Arguitur septimò ex his, quæ contra se objicit B. D. In demonstratione particulari medium est definitio subjecti: ergo & in universali. Patet conseq. tùm ex proportione universalis ad particula-

cularè; tùm, quia etiam particularis verè est demonstratio. Prob. antec. Demonstratio, qua de Isochele probatur habere tres, est demonstratio particularis; sed in ea medium est quidditas trianguli: ergo. Patet maj. quia habere tres non convenit Isocheli universalitèr, seu secundùm tale esse, sed secundùm quod est triangulus. Patet item min. per hoc enim Isocheli convenit habere tres, quia id convenit cuilibet triangulo.

134 Respondet B. D. neg. conseq. quia particularis demonstratio deficit à ratione potissimæ demonstrationis, & reduci habet ad universalem; quare ex quo in particulari posset assumi, non arguitur, quòd posset assumi in demonstratione potissima. Rursus: Aut subjectum in illa demonstratione est Isocheles, ut talis est triangulus; aut in eo, quod est triangulus: si primum, non assumitur definitio subjecti, non enim medium est definitio Isochelis: si secundum, assumitur definitio subjecti, sed non est demonstratio, sed syllogismus identicus.

135 Arguitur octavò: Medium, per quod demonstratur passio, aut convenit subjecto essentialitèr, aut accidentalitèr; sed si primum, habetur propositum, si secundum, non potest demonstrari talis passio: ergo. Patet min. quantum ad primum, quia quod convenit essentialitèr, est quidditas subjecti. Patet item quoad secundum, quia non magis convenit passio, quæ demonstratur, quàm medium, cùm ratione hujus conveniat; quare, si medium convenit per accidens, eodem modo conveniet passio; quod autem per accidens convenit, non demonstratur, cùm demonstratio sit de his, quæ nequeunt alitèr se habere. Respondet B. D. quòd non est idem convenire accidentalitèr, & convenire per accidens; de his, quæ per accidens, & contingentèr conveniunt, non est demonstratio; benè autem de his, quæ accidentalitèr, & extra essentiam, necessariò tamen, & per se, & ita convenit medium.

136 Arguit nonò contra se citatus Biell. ex Philosopho in 6. Metaph. cap. 1. Substantiæ non est demonstratio, sed solùm definitio; è contra verò accidentium non est propriè definitio, sed demonstratio: ratio est, quia demonstratio ostendit, passionem inesse subjecto, definitio autem ostendit esse, sive quidditatem; substantia autem non habet inesse, sed esse tantùm, quare non demonstratione, sed definitione scitur; accidens verò non aliud habet esse, quàm inesse, quare non definitione, sed demonstratione. Nùnc ita: Quælibet passio, etiam prima, accidens est: ergo quælibet demonstratur; sed quod demonstratur, nequit esse medium: ergo passio, aut ejus definitio nequit esse me-

dium in potissima demonstratione. Patet hæc subsumpta, medium enim debet facere cum subjecto propositionem per se notam, & proinde indemonstrabilem.

137 Resp. quòd Philosophus loco citato intendit, quòd nulla scientia, alia à Metaphysica, attingit ipsum *quid*, sed quæ circumstant veluti passiones, quia de his solùm potest esse demonstratio, ex quo deducit necessitatem Metaphysicæ; ex hoc autem sequitur quidem, quòd de ipso *quid* non est demonstratio, sed de passionibus; non autem sequitur, quòd omnes omninò passiones demonstrantur potissima demonstratione; satis enim ex præcedentibus patet, quòd prima, quæ immediata est ipsi quidditati, demonstrari non potest, cùm non habeat medium, per quod quidditati conveniat, & de ea probetur. Secundò, propter rationem argumenti dicitur, quòd sicut accidens non definitur propriè, seu quidditative, hoc autem non tollit, quin definiatur secundùm *quid*, & per additamentum, ita ipsum *quid* non demonstratur propriè, hoc autem non tollit, quin possit demonstrari improprié, & demonstratione *quia*; patet enim, quòd Metaphysica sapientia est, & demonstrare habet, licèt non propter *quid*, & per causam immediatam, seu potissima demonstratione: sicut ergo de ipso *quid* est demonstratio *quia*, ita de prima passione; & sicut de ipso *quid* non potest haberi demonstratio *propter quid*, & potissima, ita neque de passione prima; quare talis demonstrabitur à posteriori, aut per syllogismum identicum; reliquæ autem à priori, & *propter quid* per ipsam passionem primam.

QUÆSTIO QUARTA
DE SCIENTIA.

ARTICULUS I.

Unde sumatur unitas Scientiæ?

138 DIfficilem reddit hujus resolutionem non tàm sententiarum varietas, quàm confusio; omnes quidem, quantum capio, idem intendunt, nullus tamen satis se explicat; quare non mirum, si nobis simile contingat: à referendis ergo dicendi modis supersedebimus, & tantùm mentem Philosophi, prout illam explicat B. Doctor, proponemus; qui Authores, & modos dicendi desideret, consulat Complutenses. Notandum tamen malè à nonnullis citari B. D. quasi docuerit, omnes scientias unam esse Metaphysicam, & non nisi accidentaliter differre; locum adducunt Complutenses in 1. Metaph. q. 22. sed ne titulum quidem q. illius vidisse patet: quærit ibi Doctor: An sapientis sit omnia scire, hoc est, an consideratio metaphysica se extendat ad omnia? Resp. affirmativè, quia ratio ejus, qua attingit quidquid attingit, est ratio entis, quæ ad omnia se extendit; cùm autem in primo argumento objiceretur, quòd superfluerent aliæ scientiæ, resp. quòd non superfluunt; quia, licèt omnia attingat Metaphysicus, attingit tamen sub communi ratione entis; quare supereſt attingere sub propria cujuslibet ratione, quod præstant scientiæ particulares: supponit ergo necessitatem, & diversitatem particularium scientiarum.

139 In proposito itaque conveniunt omnes, unitatem scientiæ desumendam esse ab objecto; conveniunt item, non ab objecto in esse rei, & ut ens quoddam est, sed ab objecto in esse objecti desumendam; sed quid sit objectum in esse objecti, licèt fortè ità idem omnes intendant, non uno modo explicant: quod in primis communiter circumfertur, ut communis Thomistarum sententia, constitui nempè objectum in esse objecti per specialem abstractionem á materia, & ab ea desumi unitatem scientiæ; Thomistæ quidem communiter talem abstractionem explicant, nullus tamen, quem viderim, unitatem scientiæ inde docet desumendã; & quidem id patet de facili: tùm, quia abstractio triplex est, à materia singulari, á materia sensibili, & ab omni materia, quibus, si velis, adde quam

Logi-

Logicæ propriam assignant, ab omni materia negative propter imperfectionem; patet autem, quòd scientiæ speciales specie diversæ multò sunt plures: tùm deinde, quia sub una abstractione multæ procedunt specie diversæ, ut omnes Mathematicæ sub abstractione à materia sensibili: ad summum ergo abstractio ad genericam pertinet unitatem.

Ad lumen alii recurrunt volentes, ab unitate luminis determinati objectum in ratione objecti, & desumi unitatem scientiæ. Sed quid tale lumen est? Mihi nihil aliud occurrit nisi principia, ex quibus conclusiones deducuntur; sicut enim in his continentur, ita eorum explicatione quædam accrescit illustratio, ut conclusionibus assentiatur intellectus; quare idem dicunt, qui ad unitatem luminis, ac qui ad unitatem principiorum recurrunt. Sed quid iterùm habere unitatem principiorum? Fortè, habere unum modum definiendi. Sed hactenùs nihil habetur; nec enim explicatur quid est talis unus modus definiendi, & patet, quòd omnes scientiæ uno modo definiunt, substantiam quidem per genus, & differentiam; accidentia verò per additamentum, & ex ordine ad subjectum; & præterea difficultas relinquitur, unde habet, v. g. Philosophus, aut Geometra, qui de eodem corpore agunt, quòd per talia specialia principia de eo determinet, aut tali modo definiat.

140 Dicendum itaque, quòd ab una speciali passione, qua subjectum determinatur, scientia specialis desumit unitatem, & una est, quæ partes, & passiones considerat, quæ materiali subjecto conveniunt, secundùm quod tali passione determinatur; ut de corpore, secundùm quod quantum est ut sic; & abstrahendo à sensibili, agunt omnes Mathematicæ, & secundùm talē, vel talem quantitatis determinationē; Arithmetici, Geometrici, & aliæ speciales Mathematicæ determinantur; de eodē corpore, ut mobile est, agit Naturalis; ut sanabile, Medicina; quare mobilitas, aut sanabilitas passiones sunt, quibus determinatur corpus ad considerationem Philosophiæ, aut Medicinæ, & unaquæque de eo considerat partes, & passiones, quas habet in eo, quod est mobile, aut sanabile, & ex hac speciali ratione principia desumit, & modum definiendi; quòd si de quanto agit etiam Naturalis, quare quantum non erit specialis ratio determinans considerationem Mathematici. Resp. B. D. quòd de quanto per se, & ut quantum est, non agit Naturalis; sic enim abstrahit à sensibili, sed ut conjungitur quali, qualiter affectio est quædam ipsius mobilis: quātitas ergo est de consideratione Mathematici per se, & ut ratio subjecti sui; est verò de consideratione Physici per alterum,

& ut affectio quædam ipsius mobilis.

141 Quòd autem hæc sit mens Philosophi, patebit considerando textum ejus; itaque 1. Post. cap. 23. quo de hoc determinat, ita habet: *Una autem scientia est, quæ unius est generis, quæ componuntur ex primis, & sunt partes, aut affectus horum per se; diversæ vero scientiæ sunt, quarum principia ex eisdem non sunt, neque ex unius principiis principia alterius proficiscuntur: hujus autem signum, cùm ad ea, quæ non demonstrantur, est ventum.* Pro hujus textûs expositione notat B. Doctor, quòd quatuor conditiones requiruntur ad unitatem scientiæ: prima, quòd subjectum sit unius generis: secunda, quòd de eo consideret per eadem principia: tertia, quòd habeat per se partes: & quarta, quòd consideret tàm subjecti, quàm partium per se passiones. Explicat deinde, quid per unamquamque conditionem intendit: per primam itaque, quòd sit unius generis, intendit Philosophus excludere ea, quæ æquivocè conveniunt; talia enim, cùm nullo modo habeant rationem unam, non possunt esse unum subjectum, nec de eis potest esse una scientia: intendit ergo unitas generis subjicibilis, non autem prædicabilis, nempè quòd species habeat aut quasi species determinantes rationem unam, quamvis non de illis prædicetur ut genus; patet enim, quòd Metaphysica una est in specie atoma, & subjectum ejus non est genus prædicabile, ut ipse habet Philosophus; quare ait Commentator sup. hunc textum: *Res autem, quæ in illa considerantur, sunt unum genere, quod univocè dicitur, aut analogia.*

Secundam conditionem intendit Philosophus per illa verba: *Quæcumque ex primis*, & per eam intendit, quòd eâdem consideratione de subjecto agat, quam sic explicat B. D. de eodem corpore, aut de eodem quanto considerat Naturalis, & Mathematicus; sed quia Mathematicus considerat in eo, quod est quantum, principia ejus ex propria ratione quantitatis desumuntur, ut quòd paralellæ non concurrunt, & similia; quia tamen *Naturalis* non considerat in eo, quod est quantum, sed in eo, quod est mobile, & transmutabile, principia ejus non ex propria ratione quantitatis, sed ex motu, & transmutatione desumuntur. Per tertiam conditionem intendit Philosophus, quòd scientia considerat, quæ sunt partes subjecti sui per se, & in eo, quod tale est, quo nempè pateat, quòd subalternans, & subalternata diversæ scientiæ sunt, quia nempè id, de quo subalternata agit, pars est subjecti subalternantis, non per se, & in eo, quod tale est: v. g. Perspectiva Geometriæ subalternatur; videretur autem,

tem, quòd non deberet esse alia, agit enim de linea, de qua agit Geometria, linea enim visualis aliqua linea est, & sic species, & pars lineæ: sed linea per se dividitur in eo, quòd linea est in rectam, & curvam; quare hæ sunt partes, & species ejus per se, de quibus proinde agere spectat ad Geometram; in visualem autem, & non visualem per accidens dividitur; visualitas enim non determinat lineam in eo, quod linea est; quare quæ de visuali determinat, alia scientia est. Per quartam hoc idem intendit de passionibus; probat enim scientia de subjecto, aut partibus ejus, quæ sunt per se passiones, non autem quæ per accidens: v. g. ejusdem corporis in eo, quod est quantum, passiones sunt per se habere angulos, æquales, aut inæquales; rectos, aut obliquos; per accidens autem, quòd sit activum, aut passivum, quare illa, non ista probat Mathematicus; ut autem est mobile, per accidens habet, quòd angulos habeat; per se verò, quòd sit activum, aut passivum; quare hæc probat Naturalis.

142 Quærit deinde B. Doctor: Quænam ex istis conditionibus potior sit ad unitatem scientiæ? Resp. quòd secunda; ex ea enim habetur, quòd scientia sit in se una, & á quavis alia diversa, nempè ex quo propria, & specialia principia habet, per quæ passiones probat de subjecto suo, & considerationem ejus determinat; quare videtur unitatem scientiæ reducere ad unitatem principiorum; & idem innuit aperte textus Philosophi: postquam enim posuit, quòd scientia una est, quæ unius generis subjecti, quę ex primis sunt, considerat, seu, quod idem est, quæ de eodem subjecto per eadem principia determinat, subjungit, quòd diversa est, quæ diversa habet principia, seu cujus principia non in principia alterius reducuntur. Nihilominùs & ipse B. D. & textus Philosophi unitatem principiorum, aut diversitatem ulteriùs reducunt ad unitatem, seu diversitatem rationis, ex qua principia desumuntur; & quæ est passio determinans considerationem hujus.

Itaque Philosophus ait, quòd altera est, cujus principia neque ex eisdem, neque ex alterutris sunt; nempè si principia ex eâdem ratione sumuntur, quamvis diversa sint, non faciunt diversitatem scientiæ, ut quòd *paralellæ non concurrunt*, & quòd *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia*, diversa sunt principia; quia tamen ex eâdem ratione quanti, ut quantum est, desumuntur, per hæc considerare non est considerare per principia diversa; similiter, si alterum ex altero sit, aut in illud per se reducatur. Addit deinde Philosophus, quòd signum est, cùm veniatur ad indemonstrabilia, nempe ad proposi-

tio-

tionem primam, quæ proinde maximè immediata est; at talem facit prima passio, seu quæ primum subjectum determinat: ad hanc ergo tanquam ad primam rationem reducitur unitas principiorum, & consequenter unitas scientiæ.

Quare B. D. super hunc textum ait, quòd in eâdem scientia poterunt esse alia, & alia principia, ut si Metaphysica consideret de substantia, & de quantitate, per alia principia de utraque determinabit, quia alia est utriusque quidditas; quia tamen hæc, & illa principia reducit in rationem entis, & principia, quæ ex ea desumuntur, illa diversitas principiorum non facit diversitatem in scientia: patet ergo, quòd prima ratio, ad quam tandem unitas scientiæ refunditur, est unitas passionis, quæ considerationem determinat, & ex qua principia desumuntur. Quia ergo non re nullus hîc contradicit, quamvis hoc alitér, & alitèr explicent, non est, cur in solvendis argumentis immoremur; cùm enim arguitur, aut quòd unitas luminis, aut quòd unitas principiorum, aut quid simile, nihil horum negamus, sed quòd sub eodem lumine, per eadem principia; aut eodem modo definiendi, eo habet, quia una speciali ratione objectum determinat ad considerationem suam.

)o(

ARTICULUS II.

De Subalternatione Scientiarum.

§. I.

Explicata Subalternatione, expenditur prior dubitatio.

143 DE hac materia agit B. D. in Prol. ad lib. Phys. 2. p. dub. 2. & in Prol. ad lib. Sentent. q. 2. ex quo notandum, quòd subalternatio ut sic, & communitèr significat, unum sub altero contineri; sicut, quia particularis propositio sub universali continetur, ei dicitur subalterna; quare quot modis una scientia sub altera continetur, tot dicitur subalterna: *primò itaque, quando finis unius ad finem alterius ordinatur*, finis sub fine est; & scientia ratione finis alteri subalternatur; hoc sensu ministeriales ei, cui ministrant, dici poterunt subalternæ, ut Frænofactoria ad Equestrem, & ista ad Militarem, quia fræna facere ad regendos equos ordinatur, & equos regere Militari deservit: hæc autem valde improprie dicitur subalternatio, quia ex hoc ordine nullam dependentiam habet, quæ sic ordinatur, imò è contra, illa, ad quam ordinatur, ab ea dependet, quæ sibi ministrat; subalternatio autem dicit dependentiam

subalternatæ, quatenùs à subalternante principia accipit, quibus ejus demonstratio innititur.

144 Altero modo potest dici una scientia alteri subalternari ratione objecti, quando objectum unius universalius est, & sub se continet objectum alterius; tùnc enim sicut objectum objecto subalternatur, ita scientia scientiæ: hoc sensu omnes scientiæ speciales Metaphysicæ subalternantur, quia, cùm objectum Metaphysicæ sit ens in eo, quod ens, sub eo objecta aliarum omnium continentur. Hæc item subalternatio impropria est; etsi enim, quatenùs objectum hujus sub objecto illius continetur, ista ab illa aliqua accipiat principia, ut á Metaphysica aliæ accipiunt communes animi conceptiones, seu primas dignitates, v. g. *Quodlibet est, vel non est*; hoc non tollit, quin particularis ratio hujus, aut illius propria habeat principia; quare ista ab illa non dependet simpliciter in demonstrando, sed secundùm *quid*, quatenùs per accidens ex ignorantia terminorum possunt principia hujus ab aliquo negari; tùnc enim ea probare ad Metaphysicum pertinet reducendo ad primas dignitates; quare sicut secundùm *quid*, & quodammodò principia hujus in principia illius reducuntur, ita quodammodò illi subordinantur.

145 Tertiò itaque propriè accipitur subalternatio, quando sic objectum unius sub objecto alterius continetur, quòd inferior, & particularis ratio non habet principia, in quæ possit demonstrationes suas reducere, nempè quælibet passio de subjecto sub illa speciali ratione facit propositionem demonstrabilem; quia enim demonstratio est ex immediatis, & indemonstrabilibus, hæc non habet aliquid demonstrare, nisi quatenùs propositiones de subjecto suo demonstratas accipit à superiori; & quia in demonstrando dependet, ita quòd nullam potest demonstrationem formare independenter ab illa, quia nullam habet propositionem immediatam, simpliciter, & omninò in demonstrando, & in ipsa ratione scientiæ subalterna dicitur; & hoc sensu accipitur in præsenti subalternatio.

146 Pro cujus intelligentia nota, quòd, ut ex præcedenti articulo constat, scientia quælibet eo una est, quia unius subjecti, quæ sunt per se partes, & passiones, considerat: si ergo passio, aut ratio determinans subjectum per se illud determinat in eo, quòd tale est, est per se pars, aut passio illius; quare de ista agere ad ipsam pertinet scientiam, quæ de subjecto agit, nec poterit subalternam constituere, quia subalterna alia est à subalternante, & subjectum requirit aliud; quod autem per se pars, aut passio subjecti est, non facit aliud: v.g. Geome-

metria agit de quantitate continua, cujus sunt per se partes, nempè species, in quas per se, & ut talis est, dividitur, linea, superficies, & corpus; quare de linea agere, de triangulo, aut Isochele non ad aliam pertinet scientiam Geometriâ inferiorem, aut illi subalternam: quando verò passio addita, aut ratio determinans extranea est, & non subjecto convenit per se, & ut tale est, de hac agere non pertinet ad scientiam, quæ agit de subjecto; quia hæc habet tantùm attingere, quæ sunt per se partes, & passiones ejus; quare de hac tali alia facultas determinabit, & hæc faciet objectum aliud: v. g. de linea agit Geometra, aut de numero Arithmeticus; quia tamen lineæ, quòd sit visualis, aut numero, quòd sit sonorus, non convenit per se, & ut talia sunt, de linea visuali non agit Geometra, neque de numero sonoro Arithmeticus, sed ista requirunt facultatem aliam Geometriæ, & Arithmeticæ subalternatam.

147 Notandum deinde, quod etiam ex præcedentibus patet, quòd demonstratio per se habet reduci ad immediata, & indemonstrabilia; quare si passio, quæ determinat considerationem subalternatæ, subjecto debet esse extranea, non poterit cum eo facere propositionem immediatam; talis enim est, cujus prædicatum per se convenit subjecto: quia ergo tota latitudo subalternatæ ad hanc rationem coarctatur, ut quidquid considerat Perspectivus de linea, ad visualitatem reducitur, & quæ per se ex visualitate sequuntur, non poterit subalternata habere de se, & ex propria ratione subjecti sui propositionem immediatam; quare ut principia assumit, quæ in superiori subalternante sunt conclusiones demonstratæ, & hæc sibi quidem indemonstrabilia sunt; quare secundùm *quid*, & quoad se principia, absolutè tamen, & in se ipsis propositiones sunt demonstrabiles.

148 Ex his ergo relinquitur, quid est scientiam alteri subalternari propriè, ut in proposito loquimur de subalternatione: tria enim ad hoc requiruntur; primum, quòd agat de eodem subjecto; secundum, quòd addat passionem *minùs universalem*; & tertium, quòd talis passio sit extranea, seu non per se subjecto conveniat: primum quidem eo patet, quia si de subjecto agit absolutè alio, disparatè se habet, & ut scientia sit sub altera, debet objectum sub objecto esse, seu quod idem est, idem esse sub specialiori ratione: quo patet secundum; non enim sub altera erit, aut objectum sub objecto, nisi illi addat rationem determinantem, seu minùs universalem: tertium autem, quod potissimè ad subalternationem requiritur, ex dictis patet aperte; si enim talis passio

intranea est, & per se convenit, de illa determinare non pertinet ad inferiorem, & subalternatam scientiam; ipsa enim subalternans, quæ de subjecto agit, de his debet determinare, quæ illi per se conveniunt; & omnia patent in Perspectiva, quæ Geometriæ subalternatur, eo quòd de eâdem linea agit, addit tamen visualitatem, quæ lineam determinat, & illi extranea est.

149 Duo itaque in proposito dubitantur: primum est: An subalterna sit propriè scientia? De hoc quidem nulla est controversia, omnes enim affirmant; duo tamen sunt, quæ faciunt rationem dubitandi: primum est, quòd si subalterna, ut talis sit, addit passionem subjecto extraneam, & accidentalem, subjectum ejus erit ens per accidens, nempè subjectum subalternantis ut hac passione determinatum; at 6. Metaph. cap. 2. probat Philosophus, quòd de ente per accidens non est scientia: ergo. Hæc difficultas, quam multum ponderant Complutenses, non est specialis de subalterna; Philosophia enim nulli subalterna est, ejus tamen subjectum est corpus, ut stat sub mobilitate, quæ accidentalis est, & extra quidditatem.

150 Dicendum itaque, quòd sensus Philosophi planus est; ait enim: *Quòd autem non est accidentis scientia, patet: omnis enim scientia ejus est, quòd aut semper, aut ut plurimum est*: intendit ergo, quòd scientia non est de contingentibus, & quæ possunt aliter se habere; quare quod non est scientia de eo, quòd est per accidens, hoc sensu accipit, nempè de contingenti, & quod potest aliter se habere; imò de tali scientia est & demonstratio, non ut est per accidens; patet enim, quòd Lunam eclipsari est omninò per accidens; demonstratur autem, & propriè scitur, quia nempè, etsi secundùm se, & absolutè contingens sit Lunam eclipsari, eclipsari tamen, quando terra interponitur, per se est, & nequit aliter se habere: in proposito ergo subjecto subalternantis per se, & absolutè extranea est, & per accidens passio determinans considerationem subalternatæ, ut lineæ visualitas, quia contingit lineam esse, & non esse visualem; adhibitâ tamen causâ, & ratione, propter quam sibi convenit visualitas, necesse est & per illam lineam visualem esse, cui talis ratio convenit, non minùs, quàm Lunam eclipsari interpositâ terrâ; quare de tali poterit esse scientia, & demonstratio, & de tali est subalterna. Patet itaque ad formam distinguendo ly *per accidens*: de eo quod est per accidens, hoc est, contingit aliter se habere, secundùm quod tale est, nequit esse scientia, & hoc intendit Philosophus; non autem sic est per accidens subjectum subalternatæ; li-

neæ

nea enim, ut visualis est, de necessitate est visualis, & de ea sic agit Perspectiva: de eo, quod est per accidens, hoc est, extra essentiam, potest esse scientia, ut patet de eclipsi, & ita est per accidens subjectum subalternatæ.

151 Altera difficultas est: Quia si subalterna accipit principia à subalternante, & ea applicat ad probandas passiones de subjecto suo, transit à genere ad genus; sed quod demonstratur, à genere ad genus non transit, docet Philosophus in 1. Post. cap. 7. ergo subalterna non potest demonstrare. Prob. maj. Talia enim principia desumuntur ex propria ratione subjecti subalternantis, applicantur autem ad subjectum subalternatæ; sed hoc est ad genus aliud transire: ergo. Patet min. si enim alia est scientia subalternata à subalternante, de alio genere est subjectum ejus, quia scientia una est, quæ unius generis subjecti passiones, & proprietates considerat.

152 Ad hoc dicendum, quòd subalterna non accipit principia subalternantis, sed dicitur á subalternante accipere principia sua, quatenùs quæ sunt principia subalternatæ, conclusiones sunt, quas demonstrat subalternans; tales autem ex ipsa ratione desumuntur, quæ est subjectum subalternatæ, & hinc ipsa non transit; quare neque transgreditur subjectum suum, neque ad aliud genus transit; sed si talia habent in superiorem rationem reduci, non ipsa reducit, sed subalternans, quæ de tali superiori ratione agit, & per accidens, & quasi extensivè ad ea se extendit, quæ subjecto suo extranea sunt: patet ergo ad formam.

§. II.

Resolvitur secunda dubitatio.

153 ALtera dubitatio est: An dato, quòd subalterna propriè scientia est, per se, & in eo etiam, qui non habet subalternantem, scientia sit? Nonnihil est de hoc controversiæ inter Doctores. Prima sententia affirmat, propriè scientiam esse, quamvis non habeat statum perfectionis. Ita Joan. de S. Thom. Complutens. *apud quos Cajet.* Nazar. Navarret. Zumel. Araûj. & communiter Thomistæ. Secunda sententia negat, habere rationem scientiæ. Hanc de mente Scoti tenet Mastrius hîc q. 4. art. 2. pro ea cit. Suar. Vazq. Valen. Aver. & alios; hæc est conformior principiis B. Doctoris; quare pro ea

154 Dicendum, quòd scientia subalterna in eo, qui non habet subalternantem, nullo modo habet rationem scientiæ. Probat. communi ratione, quæ satis est efficax: Qui nullam omninò conclusionem potest ad per se nota reducere, nullius habet demonstra-

strationem; sed subalterna in eo, qui non habet subalternantem, nullam omninò potest ad per se nota reducere: ergo nullius habet demonstrationem, & consequentèr nullo modo est scientia. Patet maj. quia demonstratio est ex per se notis, & indemonstrabilibus. Patet item min. quia principia subalternæ conclusiones sunt demonstratæ in subalternante; quare qui hanc non tenet, non potest tales conclusiones reducere in per se nota, & indemonstrabilia. Confirmatur: Talis est certitudo conclusionis, qualem habent principia, ex quibus deducitur; sed in eo, qui non habet subalternantem, principia, ex quibus deducuntur conclusiones subalternatæ, non habent certitudinem, quæ nequeat alitèr se habere: ergo conclusiones ex illis deductæ nequeunt in isto habere certitudinē scientiæ. De maj. non ambigitur; assentitur enim conclusioni propter ea, ex quibus deducitur. Min. eo patet, quia talis principia tenet in fide Magistri; ipse enim nescit demonstrare; quare tantùm tenet fide humana, cui, ut patet, potest falsum subesse.

155 Hanc rationem multiplicitèr solvunt contrarii, quorum solutiones adducit, & impugnat Mastrius. Resp. primò, evidentiam non esse de ratione scientiæ in statu imperfecto, sed solam certitudinem; est enim scientia firma adhæsio intellectûs, seu assensus, qui nequeat alitèr se habere; tùnc autem, ut subalternata habeat evidentiam de suis principiis, dependet à subalternante, à qua illa demonstrantur, non autem dependet, ut habeat certitudinem; multa enim in fide attestantis accipimus, de quibus omninò non hæsitamus, v. g. esse Romam dicentibus credimus sine ulla dubitatione: sic ergo in fide Magistri habentis de talibus demonstrationem poterit addiscens accipere principia subalternatæ, de quibus omninò non dubitet.

156 Sed contra: Licèt de ratione scientiæ latè acceptæ, ut dicitur contra opinionem, solùm sit certitudo, & firmitas adhæsionis, qua excluditur hæsitatio, & quo ab opinione differt; at de ratione scientiæ, ut in præsenti sumitur, non solùm certitudo, sed evidentia est; sed hanc non habet sine subalternante, ut concedit solutio: ergo. Patet maj. quia in præsenti accipitur scientia, ut est notitia per demonstrationem habita; & de hoc quæritur: An subalterna de se, & sine subalternante habeat veram demonstrationem; jam autem de ratione demonstrationis est, quòd reducatur ad per se nota, & indemonstrabilia: ergo. Contra, secundò: Neque certitudinem, quæ nequeat alitèr se habere, potest intellectus habere de his, quæ accipit in fide Magistri, & ipse nequit demonstrare: ergo dato, quòd hæc tantùm certi-

tudo

tudo sit de ratione scientiæ, non habetur intentum. Prob. assumptum: De talibus tantùm habet intellectus certitudinem fidei humanæ; sed hæc, quantumcumque extendatur, non excedit gradum moralis certitudinis, & cui absolutè potest falsum subesse: ergo. Patet min. quia quicumque attestans, eo quòd homo est, absolutè potest fallere, aut falli.

157 Resp. secundò, quòd evidentiam, & certitudinem habet subalternata de principiis suis, etiamsi de subalternante, non quidem formalem, sed radicalem; hæc autem radicalis evidentia, & certitudo non uno modo explicatur: dicunt Complutenses, quòd habitus subalternæ de se exigit continuari cum subalternante, & ejus notitiam supponere, & hæc exigentia est radicalis evidentia, & certitudo; fortè sicut in substantia dicitur radicalis virtus, & potentia exigentia virtutis, & potentiæ proximæ: dicunt alii, quòd subalterna habet ex se aptitudinem, & inclinationem resolvendi principia sua in subalternantem, & hæc aptitudo, seu inclinatio est sufficiens, & radicalis evidentia de talibus principiis.

158 Sed contra: Aliud est habere radicalem, & in actu primo evidentiam, & certitudinem; aliud verò habere radicalem evidentiam: illud primum ipsam significat capacitatem, aptitudinem, seu exigentiam habitûs, aut etiam intellectûs; hoc secúdum affectio est ipsius notitiæ, pro qua non sufficit exigentia. Præterea: Radicalis evidentia, & certitudo exigentiæ est, aut inclinatio ad hoc, quòd sibi talia demonstrentur; sed exigentia demonstrationis non facit intellectum ullo modo scire id, quod sibi exigit demonstrari: ergo. Patet min. sicut enim intellectus de se aptus est, & inclinationem habet ad scire, ita exigit sibi demonstrari quodlibet demonstrabile: non tamen ex hoc dicetur aliquid scire. Quòd si dicatur, quòd illa exigentia intellectûs remota est, hoc nihil refert: habens enim probabiles rationes de aliquo, quibus illi assentitur cum aliqua hæsitatione, & formidine, proximè inclinatur, & immediatè exigit sibi id demonstrari, quo sine formidine assentiatur; nec tamen ex hoc id scire dicetur.

159 Resp. tertiò, quòd subalterna sine subalternante potest habere formalem evidentiam, & certitudinem de principiis suis, non quidem à priori, & per demonstrationem, sed à posteriori, & per inductionem, seu experientiam in pluribus singularibus; ut si Chirurgus accipit à Geometra illud principium, quòd *partes circuli maximè distant*, ex quo deducit conclusionem, quòd vulnera circularia difficilius curantur, poterit tamen id certò cognoscere per experientiam in pluribus; hæc

hæc autem certitudo sufficiens est ad notitiam scientificam. Ad hoc respondet Mastrius, quòd casu, quo ita habeat notitiam de principiis suis, non erit subalterna; non enim dependebit à subalternante in accipiendo principia. Hæc solutio displiçet; de hoc enim quæritur: An subalterna ita dependeat à subalternante, quòd non possit sine illa habere rationem scientiæ; quòd si conceditur aliquo casu scientiam esse, quin subalternetur, & principia accipiat, id conceditur, quod intendit contraria sententia.

160 Resp. ergo primò, quòd Chirurgus experientiâ habet, quòd vulnus circulare difficiliùs curatur, & ex hac experientia poterit magis de eo certificari; quantumcumque autem id sæpe experiatur, non magis sciet illam conclusionem ad principia sua reducere, neque magis erit certus de ipsis principiis. Resp. secundò, quòd talis certitudo non facit per se notum, & quòd nequeat aliter se habere; at notitia scientifica talem requirit certitudinem, & evidentiam: dato ergo, quòd experientiâ possit certificari de principiis, non ex hoc conclusio dicetur demonstrata, aut notitia scientifica, quandiu talia principia non reducantur ad per se nota.

161 Arguitur primò in contrarium: Sicut subalternata accipit principia sua demonstrata, ac evidentia solùm in superiori subalternante, ita Theologia accipit principia sua per revelationem, & Fide Divina, de quibus evidentia solùm habetur in visione clara Patriæ; sed Theologia propriè scientia est, & propriè demonstrat conclusiones suas, etiam in via, & in absentia visionis: ergo pariter subalternata in absentia subalternantis.

162 Resp. primò neg. maj. primò quidem, quia, ut docet B. D. in Prol. ad 1. Sentent. Theologia non subalternatur visioni; deberet enim addere ad objectum ejus passionem determinantem; est autem objectum Theologiæ idem omninò, quod visionis, nempè Deus sub ratione Glorificatoris. Secundò, quia Theologia accipit quidem principia sua in lumine Fidei, quia tamen Fide Divina, quæ certior est quacumque cognitione humana, quantumcumque certa, & evidenti; ideo quòd ea non demonstret, aut de eis non habeat evidentiam, non derogat certitudini conclusionis, quæ ex illis deducitur; at verò subalternata in eo, qui non habet subalternantem, accipit principia sua fide humana, nempè Magistri dicentis ea demonstrari; quare, quia fides humana non habet certitudinem metaphysicè infallibilem, conclusiones ex talibus deductæ non possunt certitudinem habere scientificam, & quæ nequeat aliter se habere: non ergo

sicut

sicut Theologia se habet in ordine ad principia sua, ita subalternata.

Resp. secundò datâ maj. neg. min. non enim Theologia propriè scientia est, sed sapientia, ut docet B. D. q. 3. Prol. art. 1. & adducit verba P. Augustini 13. de Trinit. cap. 19. dicentis: *Nec ista duo sic accipiamus, scilicèt sapientiam, & scientiam, quod non licet dicere; vel istam sapientiam, quæ in rebus humanis est, vel illam scientiam, quæ in Divinis: loquendi enim latiore consuetudine utraq; sapientia, & utraque scientia dici potest.* En Theologia scientia dici potest latiore loquendi consuetudine, non autem propriè; idem docet N. Gerardus eâdem q. 3. Prol. art. 2. rationem assignat B. D. quærit enim ibi art. 2. An Theologia certior sit aliis scientiis? Resp. quòd certior est, non tamen viâ claræ speculationis; quia nempè certitudinem suam refundit in certitudinem Fidei, quæ certior est quavis alia cognitione, non tamen evidens, & per se nota, qualis est certitudo, in quam refunditur notitia scientifica: quantumcumque ergo certus sit assensus conclusionis Theologicæ, non tamen certitudine demonstrationis; quare dato, quòd eamdem posset habere certitudinem subalterna sine subalternante, non tamè proinde dici posset demonstrare, nec scientia, quamvis certior esset opinione.

163 Arguitur secundò: Ratio substantialis scientiæ per se, & primò solùm attenditur penes certitudinem, qua intellectus adhæret scibili, neque evidentia requiritur, sed solùm ex natura sua illam postulat, & de facto habet, quando est in statu perfecto; sed hoc totum habet subalternata sine subalternante: ergo. Maj. patet in Theologia, quæ sine evidentia principiorum scientia est. Deinde probatur ratione: Perfectio substantialis intellectûs accipitur penes firmam adhæsionem ejus ad verum, in qua adhæsione certitudo consistit; evidentia autem solùm requiritur ratione objecti, quatenùs ea bené disponitur ad causandam certitudinem assensûs: ergo. Min. item principalis sic probatur: Fides, quam habet subalterna de principiis à Magistro acceptis, potest ad talem gradum certitudinis pertingere, quòd excludat omnem hæsitationem; sed aliunde subalterna exigit evidentiam illorum principiorum, & eam habet, quando est in statu perfecto, nempè cum subalternante: ergo. Ostenditur maj. Non accipit principia à Magistro, ut homo est, sed ut est sciens, & habens de talibus demonstrationem; sed licèt, ut homo est, non attingat illum gradum certitudinis, benè tamen, ut est sciens: ergo. Rursus: Qui Romam non vidit, sine ulla hæsitatione credit Romam esse; at id tenet fi-

de humana, & ex testimonio dicentium: ergo potest fides humana ad talem gradum certitudinis pervenire, quòd excludat omnem hæsitationem.

164 Resp. primò neg. maj. habet enim per se primò, quod habet in eo, quòd talis est, & ut differt ab omni non ipsa; jam autem certitudinem habet, ut convenit cum sapientia, & lumine principiorum: non ergo certitudinem habet per se primò, sed talem, quæ ad evidentiam refunditur, qua assentitur principiis. Ad primam rationem maj. jam patuit suprà, tùm, quòd Theologia non est propriè scientia; tùm, quòd subalterna non potest pervenire ad illum gradum certitudinis de principiis suis, qualem habet Theologia. Ad secundam, perfectio intellectûs ut sic, & in eo, quòd est cognoscens, in illa firma adhæsione poterit consistere; ut autem est scientificè cognoscens, non nisi in tali determinata firmitate, quæ in evidentiam principiorum refundatur. Resp. secundò neg. min. & ad primam ejus probat. neg. maj. & ad ejus prob. neg. primò maj. non enim demonstrando talia principia tradit Magister, quare non ut demonstrans. Secundò, neg. min. etsi enim de illis habeat demonstrationem, quòd tamen talem demonstrationem habet, non aliunde discipulo constat, nisi quia ipse dicit; quare tota certitudo ad dictum Magistri refunditur, qui potest falli, aut fallere. Ad alteram rationem dicitur, quòd non sola certitudo metaphysica, sed moralis etiam potest tollere hæsitationem; fides autem humana nunquam moralem excedit; certitudo verò scientiæ esse debet metaphysica, & cui nequeat falsum subesse. Aliæ rationes jam suprà solutæ sunt.

ARTICULUS III.

An de eodem in eodem esse possint scientia, & opinio?

§. I.

Quid sit opinio, & fides?

165 DE opinione determinat Philosophus 1. Post. cap. 26. ad hoc ipsum, quo nempè ostendat, qualitèr ea de eodem in eodem cum scientia cohæreat. Ait itaque, quòd scientia habet esse universalis, & per necessaria, & quæ nequeunt alitèr se habere; opinio autem nihil horum habet: supra quæ B. D. ait, quòd scientiam esse universalem, ut jam suprà patuit, est demonstrare passionem, quæ subjecto convenit universalitèr, ut habere tres de triangulo, & habere tres æquales de Isochele; & ad hoc assumit causam per se, & quæ nequeat alitèr se habere; quare opinio aut non est de passione uni-

ver-

versaliter conveniente subjecto, & convertibili cum ipso; aut non illam ostendit per causam per se, sed vel per effectum, vel per causam remotam, & quæ non convertitur cum passione deducta, quod utrumque potest aliter se habere; quare potest opinioni falsum subesse.

Deinde, postquam opinionem comparavit cum scientia, illam comparat cum lumine principiorum, ut ex habitudine ad utrumque, ad scientiam nempè, & habitum principiorum, habeatur, quid est opinio: ait ergo, hos ties habitus convenire in eo, quòd verum attingunt; sed in hoc item differt opinio ab utroque; tam enim scientia, quàm lumen attingunt verum tantùm, subindeque quod nequit aliter se habere, seu quod nequit non esse verum, opinio autem potest esse circa falsum; contingit enim opinari ita esse, quod non ita est; quare verum, de quo est opinio, contingit aliter se habere: est ergo de ratione opinionis, quòd non habeat certitudinem, neque evidentiam, scientia autem, & lumen utrumque habent; lumen quidem de immediatis, & per se notis, scientia autem de his, quæ ad per se nota reducuntur.

166 Duobus ergo modis potest esse opinio; aut de propositione in se, aut de ea, secundùm quod ad causam reducitur suæ veritatis, seu quod idem est, deducitur ex præmissis: priori sensu ait Philosophus, quòd opinio est acceptio propositionis mediatæ, & non necessariæ, non quòd propositio mediata sit de necessitate opinabilis, sed quia, eo quòd medium habet, quo prædicatum conveniat subjecto, intellectus autem non per tale medium, sed per se, & immediatè illi assentitur, per se, & ex terminis potest aliter se habere; quia, etsi prædicatum subjecto conveniat, non tamen immediatè, & per se, ut intellectus accipit, hæc est opinio judicii, seu judicium opinativum: altero modo est opinio discursûs, seu discursus opinativus, quando nempè propositio reducitur in id, quod non est causa per se, & immediata; ex hoc enim poterit aliter se habere.

167 Ex his ad duo patet, quæ hìc dubitantur: primum est, quid sit certitudo? Ad quod dicendum, quòd formalis est firmitas adhæsionis ipsius assensûs, objectiva verò necessitas connexionis, prædicati ad subjectum in judicio, & propositionis ad medium, ex quo deducitur in discursu; ex hoc enim utrumlibet nequit aliter se habere: contingit autem, quòd habeatur objectiva certitudo, ut quòd propositio sit necessaria, aut medium necessariò illam deducat; quia tamen id intellectui non satis est manifestum, in quo evidentia consistit, ipse assentitur quidem, non tamen assensui firmiter

adhæret; quare per accidens assensus non habet certitudinem, & de eo, quod non est opinabile, habet opinionem; hoc enim est de ratione opinionis posse aliter se habere, seu quòd sibi possit falsum subesse; tùnc autem, secundùm quod est de ratione objecti, per se nequit aliter se habere; ut autem ab intellectu accipitur, quia ipse non firmiter assensui adhæret, potest aliter se habere.

168 Quo patet ad alterum, quod hìc dubitatur: An nempè formido sit de essentia opinionis? Si enim est de formali ratione ejus, quòd possit aliter se habere, seu quòd sibi possit falsum subesse, per hoc quippè à scientia differt, & habitu principiorum, de ratione objecti, ut sit opinabile, est, quòd ita sit per se acceptibile, nempè sub formidine, & non firma adhæsione; & de ratione assensûs est, quòd non habeat certitudinem, & firmitatem adhæsionis; & proinde, quòd sit formidolosus, seu, ut communiter dicitur, quòd sit assensus ad hanc partem cum formidine alterius: contingit quidem, quòd propositio sit non necessaria, & illi sine ulla formidine assentiatur intellectus, & illam accipiat ut necessariam; similiter, quòd medium, ex quo deducitur, non habeat necessariam connexionem, accipiatur tamen ab intellectu ut necessarium, & illi firmiter assentiatur; tùnc objectum per se, & ex natura rei est opinabile, & natum causare assensum opinativum; per accidens tamen ex deceptione intellectûs non causat opinionem, & assensus ille non est opinativus, sed reduci habet ad scientiam, aut lumen principiorum, non quòd talis sit; per se enim detectâ deceptione, & manifestato objecto, potest aliter se habere, sed quia ex certitudine, & firmitate, quam per accidens habet, similitudinem habet cum utroque, puta, quia propositionem, quæ non est principium, accipit ut principium.

169 Alterum, de quo quæritur in titulo, nempè idem prætermittit Philosophus, quia de Fide Divina agere ad Theologos spectat, fides autem humana, cùm principio nitatur fallibili, & cui potest falsum subesse, nempe humano testimonio, ad propositum eamdem habet difficultatem, ac opinio; quare quod de opinione dicatur, de fide accipi potest; & ideo in titulo articuli tantùm quæritur de incompatibilitate scientiæ, & opinionis. Fides itaque est assensus objecto præstitus propter authoritatem dicentis; quare ea, quæ, quia Deus Ecclesiæ revelavit, tenemus, ea Fide Divina credimus, & talia majorem habent certitudinem, quàm quævis alia cognitio, quantumcumque evidens, & demonstrativa; quia, quòd Deus nec falli potest, nec fallere in eo, quod revelat, certius est quocumque alio; de hac autem

autem quærere nostrum non est: fides humana, de qua quærimus, est assensus veritati præstitus, ex hoc præcisè, quòd aliquis, vel aliqui nobis de illa testantur, quem, vel quos credimus, neque falli, neque fallere in eo, quod asserunt: ad hunc ergo assensum de materiali est, quòd objectum in se sit, aut appareat, ut asseritur; non enim veritati objecti innititur assensus, sed veritati asserentis; patet autem, quòd quicumque sit asserens, aut quamvis multi idem attestentur, absolutè, & metaphysicè potest aliter se habere id, quod asseritur, quia possunt fallere, aut falli; quare ad summum habet moralem certitudinem, & assensus est de eo, quod potest aliter se habere.

§. II.

Resolvitur Articulus.

170 DE eo, quod quæritur, sententias referre, æquè nullius est utilitatis, ac difficultatis non parvæ; ferè enim unusquisque varias proponit divisiones, & combinationes; quare satius erit mentem B. D. per quasdam dubitationes proponere, de cætero vide, si placet, N. Villanovam. Dubitatur itaque primò de actu opinionis, & scientiæ: An possint esse simùl de eodem? Resp. B.D. quòd de eodem materialiter potest esse, non autem de eodem formaliter. Pro cujus intelligentiâ nota, quòd propositio poterit accipi in se, & ex habitudine prædicati ad subjectum; aut poterit accipi per comparationem ad medium, ex quo deducitur: tùnc autem propositio in se est unum opinabile formaliter, & de ea sic opinio non cum scientia, sed cum habitu principiorum comparari habet, quia de propositione in se assensus certus non scientia est, sed lumen principiorum; propositio autem eadem per ordinem ad diversa media, ex quibus deducitur, erit idem opinabile materialiter, quia eadem propositio, diversum verò formaliter, quia diversa connexio ad hoc, & illud medium; erit verò idem formaliter, si eadem accipiatur propositio per ordinem ad idem medium.

171 Tùnc autem conclusionem probat B. D. quantum ad primum quidem sensum de propositione per ordinem ad judicium opinativum, sive in se acceptæ, de facili patet, quòd eadem passio eidem subjecto non potest convenire, & non convenire immediatè; neque minùs patet, quòd idem intellectus non potest assensum habere formidolosum, & de eo, quod potest non convenire, & certum, & de eo, quod de necessitate conveniet, esset enim, & non esset certus de eodem; quare tantùm relinquitur difficultas in secundo sensu, nem-

pè de propositionè per ordinem ad discursum, sive ut comparatur ad medium, ex quo deducitur. De quo item secunda pars patet de facili; tùm, quòd idem formaliter nequit esse scibile, & opinabile; tùm, quòd in eodem non potest esse assensus scientificus, & opinativus: per ordinem enim ad idem medium, aut est, aut non est per se, & immediata causa; & sicut non potest esse, & non esse, ita non potest esse scibile, & opinabile; est enim scibile, quatenùs comparatur ad causam per se, & immediatam, ex qua habet demonstrari; est autem opinabile, quatenùs comparatur ad id, quod non est per se, & immediatè causa, quod proinde potest aliter se habere: similiter, quòd idem intellectus ex eodem medio uno actu accipiat, quod immediatè, & per se deducitur; alio autem, quod non immediatè, & per se, apertè implicat; quare & quòd habeat assensum opinionis, & scientiæ de eodem formaliter, sive per idem medium.

Quantum ad alteram partem, sive de eodem materialitér, duplex item est difficultas: altera de ipso opinabili: An idem materialitèr, sive per diversa media possit simùl esse scibile, & opinabile; hoc enim sensu scientia, & opinio in eodé concurrunt, nempé objectivè; & hoc sensu procedit conclusio B. D. quæ item de facili patet: sæpe enim videmus, quòd eadem propositio, quæ per medium demonstrativum deducitur, alia habet media, ex quibus deducitur probabiliter; & ille intellectus, qui assequitur medium demonstrativum, non ex hoc cogitur alia media oblivisci; imò sæpe contingit, quòd medium demonstrativum alicui sit minùs notum per accidens, & quia terminos ignorat; quare cogitur demonstrans ex alio medio deducere tantùm probabili, quod fortè per accidens est magis notum: patet ergo, quòd idem materialiter, seu per ordinem ad diversa media est scibile, & opinabile; & de eodem hoc sensu compatitur in eodem intellectu scientia, & opinio, nempè objectivè, quatenùs idem intellectus habet de eâdem conclusione medium demonstrativum, & probabile, seu aliud natum causare scientiam, aliud verò natum causare opinionem.

172 Devolvitur itaque tota difficultas, & controversia ad assensum formaliter: An nempé illud duplex medium in eodem intellectu utrumque causet assensum, & qui ex medio demonstrativo habet assensum scientificum, ex medio probabili, quod item habet, possit simùl habere assensum opinativum de eâdem conclusione? Hoc sensu de difficultate quærit B. D. ad illam partem textûs: *Manifestum autem ex his est*, & arguit, quòd sic: Quia habens medium probabile de aliqua con-

conclusione, propter illud habet assensum opinativum; sed acquirens posteà medium demonstrativum ad illam conclusionem, ex illo habet assensum scientificum: ergo sicut ex acquisitione medii demonstrativi non amittit medium probabile, ita nec ex assensu scientifico assensum opinativum, & sic simùl habet utrumque.

173 Resp. nihilominùs B. D. quòd sententia Philosophi est non stare assensum opinativum cum scientifico etiam per diversum medium, & quòd medium opinativum se solo causat assensum probabilem, simùl tamen cum demonstrativo nullam credulitatem facit, neque conclusioni assentitur intellectus propter illud medium. Ratio Philosophi est: Quia implicat, eumdem intellectum etiam per diversa media de eodem apprehendere, quod potest, & non potest aliter se habere; sed qui opinatur, apprehendit, quod potest aliter sed habere; qui scit, apprehendit, quòd non potest aliter se habere: ergo. Pro intelligentia hujus rationis nota, quòd aliud est videre conclusionem ex hoc medio deduci probabiliter, & quòd medium potest aliter se habere; aliud verò conclusionem ipsam probabilem esse, & posse aliter se habere: hoc secundum est assentiri probabiliter, & habere opinionem de conclusione; qui autem per medium demonstrativum conclusionem tenet, illud primum videt utique; si autem hoc secundum videret, apprehenderet simùl, conclusionem ipsam posse, & non posse aliter se habere.

174 Contrariam sententiam tenet Durandus apud Rub. hìc, & probat primò: Quia, licèt habens assensum scientificum non possit decipi, & imaginari, quòd res potest aliter se habere, at è converso habens assensum opinativum potest decipi, & imaginari, quod nequit aliter se habere; sed tùnc stant assensus scientificus habitus per medium demonstrativum, & opinativus habitus per medium probabile: ergo. Major nota est, & illam habet B. D. ubi suprà dub. sequenti. Minorem probat: Quia actus, qui conformantur, possunt esse simùl de eodem in eodem; sed actus illi conformantur: ergo. Patet maj. quia, si conformantur, alter alterum non excludit. Patet item minor, quia uterque apprehendit non posse aliter se habere. Probat secundò evertendo rationem Philosophi: Quia eo nequeunt in eodem esse, quia simùl apprehenderet posse, & non posse aliter se habere; sed si decipitur, assensu opinativo non putat posse aliter se habere, imò apprehendit, quòd nequit aliter se habere: ergo.

175 Hanc Durandi sententiam aliquos tenere de Modernis, ait citatus Rubio, & pro ea sic ulteriùs arguere, primò: Quia in

confirmationem conclusionis demonstratæ adducuntur syllogismi probabiles; sed sicut ex demonstratione de necessitate generatur assensus scientificus, ita ex syllogismo probabili opinativus: ergo si eidem uterque fiat syllogismus, utrumque habebit assensum. Secunda ratio est: Quia assensus scientificus, & opinativus se habent, sicut perfectum, & imperfectum; sed perfectum, & imperfectum non inconvenit simùl esse: ergo. Patet min. ad lucem enim Solis videmus lucem parvæ candelæ; quare utraque simùl potentiam immutat.

176 Ad hæc omnia ex dictis facile est respondere. Ad primum quidem Durandi jam patuit suprà, quòd qui objectum de se opinabile ex deceptione accipit ut non opinabile, & illi certò assentitur, per accidens, & ex deceptione non opinionem habet; quare in proposito argumenti in eodem essent scientia, & opinio objectivè, nempè objectū per unum medium natum causare scientiam, per aliud verò opinionem; non autem essent scientia, & opinio formaliter; assensus enim per medium probabile per accidens, & ex deceptione non esset opinativus; non enim medium acciperet ut probabile, neque illi assentiretur probabiliter, sed certò; quare assensus ille, licèt non esset scientificus, per accidens ad scientificum reduci deberet. Patet itaque ad formam: ad primum quidem neg. min. & ad probat. ejus neg. conseq. Conformantur quidem illi actus per accidens, & ex deceptione, sed hac ipsa ratione alter non est opinativus, licèt sit de objectivo opinabili. Quo patet ad secundum, neg. nempè conseq. ex quo enim ita apprehendit non posse aliter se habere, non opinatur de eo, quod scit.

177 Ad aliud argumentum patet item ex dictis: ad primam rationem disting. min. Ita ex syllogismo opinativo generatur opinio, per se, & seorsim à demonstrativo, conc. min. per accidens, & ex suppositione demonstrativi, neg. min. Ex quo enim videt intellectus ita esse, quod nequit aliter se habere, non potest assentiri ita esse, quòd possit aliter se habere, licèt videat ex hoc medio probabili ita tantùm deduci. Ad secundum neg. maj. aut claritatis gratiâ disting. Sicut perfectum, & imperfectum absolutè, neg. maj. sicut perfectum, & imperfectum, ita tamen quòd imperfectum privationem alterius importat, conc. maj. Talia autem nequeunt simùl esse, non enim cohærent privatio, & forma. Itaque assensus opinativus apprehendit rem posse aliter se habere; alioqui non est opinativus, sicut objectum non est opinabile, si re ipsa nequit aliter se habere; quia itaque assensus scientificus apprehendit ita esse, & non posse aliter se habere, opinativus

ita habet rationem imperfecti, quòd privationem importat respectu scientifici.

178 Dubitatur secundò: An saltim de posse absoluto possint esse simùl scientia, & opinio? Affirmat Eliseus q. 9. art. 3. §. 5. & ait esse communem. Nihilominùs negativè tenendum est, quod satis probat ratio Philosophi: Quod contradictionem implicat, etiam de posse absoluto fieri nequit; sed quòd idem intellectus simùl opinetur, & sciat eamdem conclusionem etiam per diversa media, manifestam involvit contradictionem: ergo. Prob. min. Quòd simùl apprehendat posse, & non posse aliter se habere, aut etiam quòd videat, & non videat, non posse aliter se habere, apertè implicat; sed scire, est videre ita esse, quòd nequit aliter se habere, opinari autem est videre ita esse, quod potest aliter se habe, aut saltim non videre, quod nequit aliter se habere: ergo.

179 Arguit primò Eliseus: Scientia, & opinio non habent oppositionem contradictoriam: ergo possunt divinitùs esse simùl. Prob. antec. Quia contradictio est inter esse, & non esse; scientia autem, & opinio sunt duplex actus positivus. Resp. neg. antec. & ad prob. ejus dicitur, quòd pariter forma vitæ, & cadaverica sunt duplex forma positiva; important nihilominùs oppositionem contradictoriam, quatenùs forma cadaveris quidditativè impræscindibiliter importat nõ esse, seu privationem formæ vitæ: pariter ergo in proposito, opinio enim importat quidditative carentiã necessitatis, seu, quod idem est, posse aliter se habere; scientia autẽ importat quidditativè etiam necessitatem, seu nõ posse aliter se habere.

180 Arguit secundò: Cognitio indeterminata, & determinata, suspensa, & non suspensa de eodem objecto de facto coexistunt: ergo poterit saltim divinitùs coexistere scientia cum opinione. Consequentia patet à paritate rationis, & antecedens ostenditur: Cognitio apprehensiva est indeterminata, & suspensa; judicativa autem est determinata, & affirmans, aut negans; sed sunt simùl apprehensiva, & judicativa de eodem, qui enim judicat, apprehendit proculdubio: ergo. Hoc argumentum contra ipsum probat, aut nihil probat: aut enim ampliùs opponuntur scientia, & opinio, quàm apprehensio, & judicium; aut non: si primum, non probat argumentum; si autem secundum, de facto poterunt coexistere, quod ipse in prima resolutione negat. Præterea: Non solùm diversi actus apprehensionis, & judicii possunt esse in eodem, sed idem actus judicii apprehensionem includit: sequitur ergo, si quid sequitur, quòd idem actus scientiæ poterit includere opinionem, & formidinem, quo

non erit actus scientiæ.

181 Resp. disting. antec. Cognitio indeterminata, & suspensa præcisivè stat cum cognitione determinata de eodem, conced. antec. indeterminata, & suspensa positivè, neg. antec. & conseq. Indeterminatio itaque, & suspensio videtur importare carentiam determinationis, sicut opinio importat carentiam necessitatis; si autem suspensio, aut indeterminatio præcisivè tantùm sumantur, non carentiam, sed præcisionem tantùm important, & sic se habet apprehensio ad judicium: deberet ergo paritas fieri de duplici judicio, altero suspenso, altero determinato de eodem, puta, de eo quòd *Petrus currit*; tùnc autem sicut implicat aliquem simùl judicare, quod est, & non est, ita implicat simùl habere actum determinatum, & indeterminatum.

182 Arguit tertiò: Sicut scientia ab intellectu expellit opinionem, ita gaudium à voluntate expellit tristitiam; sed potest esse simùl in eâdem voluntate gaudium, & tristitia de eodem ex diverso motivo: ergo paritèr. Minorem probat: Quia Christus Dominus de morte sua habuit gaudium propter voluntatem Patris, & salutem generis humani; de eâdem autem habuit tristitiam, & displicentiam, tùm propter peccata, quæ in ea videbat intervenire; tùm, quia ea est malum naturæ; similitèr infirmus potionem sumit cum gaudio propter salutem, cui conducit, & cum tristitia, & displicentia propter amaritudinem: paritèr qui tempestate jactatus projicit merces in mare, projectionem vult propter conservationem vitæ, & non vult propter amissionem mercium.

183 Hoc item de facto probat, quia de facto reperiuntur illi affectus in eâdem voluntate. Respond. itaque neg. maj. aut claritatis gratiâ disting. Ita gaudium plenum, & in gradu perfecto excludit tristitiam, conc. maj. ita gaudium in gradu remisso, seu non plenum, neg. maj. & eodem sensu min. Ad rationes ejus dicitur, ad primam quidem, quòd secundùm aliam, & aliam animæ portionem erat in Christo Dño gaudiũ, & tristitia, ut de eo, quòd secundùm portionem inferiorem dolorem habeat, & tristitiam, secundùm superiorem habebat gaudium, & complacentiam: quòd si secundùm eamdem portionem velimus considerare utrumque affectum, dicendum, quòd gaudium, quando plenum est, ut nùnc est in Patria, etiam ex motivo tristitiæ, & displicentiæ nullam admittit tristitiam, sicut nullam nùnc ex illo eodem motivo habet Christus Dominus; quando autem est semiplenum, & imperfectum, tristitiam admittit, & displicentiam, quia ea nihil est aliud nisi quædam remissio ipsius complacentiæ; quo

patet

patet ad alia duo : tùnc autem hoc, quòd remittatur certitudo, & evidentia assensûs scientifici, tollitur ejus quidditas : patet ergo, quòd alia est ratio de scientia, & opinione, & de gaudio, aut tristitia.

Aliter, & fortè clariùs, neg. suppositum min. quòd nempè de eodem sit gaudium, & tristitia, si tamen est ex diverso motivo; motivum enim diversificat formalem rationem objecti respectu voluntatis, nempè convenientiæ, aut disconvenientiæ; & quia ex motivo tristitiæ fit discóveniens, quod ex motivo gaudii erat conveniens, licét idem sit objectum materialiter, est tamen aliud formaliter; at verò medium, ex quo deducitur, non diversificat quidditatem, & veritatem propositionis, cui assenti tur intellectus.

184 Dubitatur tertiò de habitibus: An manere possit in eodem intellectu cum habitu scientiæ habitus opinionis de eodem objecto ? Pro negativa adducit Rub. Cajet. & Sot. hîc, & Scot. in 3. dist. 24. q. unic. §. *Contra hæc.* Dicendum primò, quòd de eodem objecto non distincti sunt habitus, quo inclinatur ad assensus scientificos, & opinativos; ex quo enim per medium probabile est demonstrativum, passio probetur be subjecto, si tamen sub eâdem rotione formali attingitur, non addit novam difficultatem novo habitu vincendam; actus enim, quibus generatur habitus, ab objecto specificantur secundùm rationem formalem, qua de eo probatur passio; & patet, quòd Isocheles in ordine ad habere tres angulos æquales idem est objectum, & eamdem habet difficultatem formalem, sive per hoc, sive per illud medium illa passio probetur.

Dicendum secundò : Dato, quòd habitus sit distinctus, quòd nullam habent incompatibilitatem: etsi enim actus sint incompatibiles, non tamen facilitates; patet enim, quòd habens facilitatem demonstrandi aliquam conclusionem, potest item habere facilitatem probandi illam per media probabilia, licét ipse talibus non præstet assensum opinativum, & formidolosum, quia de tali conclusione assensum habet certum, & sine formidine. Præterea : Habitus sicut non uno actu generatur, sed paulatim, & assiduâ actuum exercitatione, ita non statim uno actu deletur, sed assiduâ dissuetudine paulatim remittitur facilitas, quousque oblivione nulla relinquatur: qui ergo habet habitum opinativum, si actibus demonstrandi acquirit scientificum, non oportet, quòd totaliter amittat actus probandi per media probabilia; quare neque quòd amittat facilitatem habitûs opinativi.

185 Arguit in contrarium Rubio primo : Quia habitus est propter actus, est enim inclinatio, seu

seu facilitas ad actus; sed actus habitûs opinativi repugnat in eo, qui habet scientificum, ut suprà nos diximus: ergo. Et potest confirmari: Quia ad actum, qui repugnat poni, implicatoria est facilitas; sed in eo, qui habet habitum scientificum, repugnat actus opinativus de eâdem conclusione: ergo. Patet maj. esset enim intellectus facilis ad id, quod sibi repugnat. Resp. neg. min. etsi enim habenti assensum scientificum repugnet assensus probabilis, non tamen actus probandi per medium opinativum; ad hunc autem inclinat habitus: nec otiosus est hic actus, licèt enim non, cui ipse assentiatur, poterit eo uti sciens, quo alteri suadeat. Quo patet ad confirmationem, paritèr enim neg. minor.

186 Arguitur secundò: Eamdem incompatibilitatem habent habitus, ac actus; sed actus opinionis, & scientiæ, positum est, esse incompatibiles: ergo. Resp. neg. maj. formido enim, & posse aliter se habere, ratione cujus assensus scientificus, & opinativus incompatibilitatem habent, non habitui convenit, sed assensui tantùm opinativo. Resp. secundò neg. min. non enim actus probandi per utrumque medium, ad quos habitus inclinant, incompatibiles sunt, sed assensus ad tales actus. Hæc ergo de quæst. ista, & de tota Logica dicta sunto.

SOLI DEO

HONOR, ET GLORIA.

HIDALGO

CURS.

PHILOSOPH

T. I.

12578